

Google




600044292R


600044292R

CORPUS

REFORMATORUM.

VOLUMEN XXXV.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1868.

CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XXXV.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.


VOLUMEN VII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1868.



IOANNIS CALVINI


OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM



ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1868.

CONTINENTUR HOC VOLUMINE

(Asterisco notamus quae apud Besam desiderantur)

* Praemittuntur huius formulae recensiones nonnullae antiquiores.

PROLEGOMENA.

CAPUT XVIII.

ANTIDOTUM CONTRA ARTICULOS PARISIENSES. 1544.

Scriptum hoc polemico-satiricum inter illa pauciora referendum, quae absque autoris nomine in lucem prodiere. Sed citra omnem dubitationem Calvini esse foeturam, eandemque felicissimam, multis validissimisque testimoniis evincemus postquam paucis de occasione et origine Articulorum sorbonicorum praefati erimus. Ex sanguine et cineribus martyrum segetes evangelicas incrementum mirum in modum sumpsisse, ut alibi ita et in Gallia, neminem fugit. Constat etiam, ab anno illo infausto libellorum publice contra missam pontificiam affixorum (1534) usque ad ea de quibus loquimur tempora, Franciscum regem, politicis rationibus adactum, mitiorem sese gessisse in haereseos, quam vocabant, causa. Interim gliscere venenum, ut illi dicere solebant, et omnes fere ordines, adeoque ipsosmet ecclesiastas, invadere, et ob id fremere acriusque in dies exacerbari adversarii. Quorum in numero erant Cardinales Turnonii et Lotharingiae, et qui plurimum apud regem valebat comes stabuli ex antiquissima Mommorentiorum stirpe prognatus, primum et praecipuum tunc in aula locum tenentes. Qui sine intermissione clamabant, religionis mutationem esse eversionem regiae autoritatis et maiestatis, certissimamque ruinam totius status rei publicae. Sic omnia dira minitantes, regem nihil magis affectantem quam absolutum imperium, et alioqui ex infelici rerum politicarum conspiratione perplexum, eo tandem adduxerunt ut formam quandam inquisitionis hispanicae, tanquam ultimum et efficacissimum remedium contra novatorum procaciam approbaret.

Hunc igitur in finem conscripsit Sorbona, seu potius theologica universitatis parisiensis facultas, credendorum formulam, articulis quinque et viginti catholicam de materiis controversis sententiam exhibentem. Haec acta sunt, ut ipsa conclusio declarat die 10. Martii anni 1542. Ubi memineris tunc in Gallia receptum fuisse ut annus novus a die 25. Martii, quae dies est conceptionis Domini, inchoaretur. Qui mos obtinuit usque ad annum 1563 quo rex Carolus IX. anni initium, atque adeo numerum mutandum, ad primam Ianuarii edicto retulit. (Confer librum: Art de vérifier les dates, éd. de Saint-Allais 1818. Tom. VI. p. 15.) Antea decima Martii pertinebat ad annum praecedentem, paucis post diebus finiendum, quum tamen ex recentiori computandi modo iam plus quam bimestre spatium novi anni elapsum fuerit. Sic decima Martii 1542 Parisiensium revera anno 1543 tribuenda erit.

De his articulis eorumque promulgatione academica Bulaeus in sua Historia universitatis parisiensis Tom. VI. pag. 384. haec refert: Eodem Gallandio rectore die 1. Augusti promulgati sunt voce praeconis articuli numero circiter 25 expositivi orthodoxae fidei, prout fuerant a theologica facultate

conscripti, ad quos etiam conficiendos baccalarii in theologia suas sententias contulerant, ut intelligimus ex actis 7. Aprilis, *qua die factae sunt supplicationes solennes, maxime quod quum hisce diebus ipsa sacra facultas nonnullos articulos fidem nostram orthodoxam concernentes, adque haereses pellendas mature condidisset, et ad quorum editionem fuerunt vocati Baccalarii fueruntque DD. Doctorum et Baccalariorum omnium syngraphis obsignati, eosdem Dominus noster Rex approbasset ac in toto regno publicandos voluisset, et ne aliter, quam in eisdem continetur, concionaretur inhibuisset.* Ergo die 1. Augusti editi sunt illi Articuli, deinde iussu Regis typis mandati.

Haec ille. Quae ὡς ἐν παρόδῳ de approbatione articulorum regia attingit, ad edictum spectant, seu literas quas vocabant patentes, instigante et procurante Petro Liseto, senatus parisiensis praeside summo, d. 23. Iulii datas, quibus ipsi articuli inserti et in imperii legem summam inviolabilemque sanciti sunt, non obstantibus contrariis regni constitutionibus atque consuetudinibus. Has literas, quum textum Articulorum gallicum authenticum exhibeant, et in universum ad illustrandam rem nostram maxime faciant, ex doctissimi ICti Isamberti collectione (Tom. XII. num. 368) depromptas tibi, Lector benevole, communicandas esse censuimus.

François etc. Comme pour pourvoir et remedier, ainsi qu'il est plus que requis et necessaire, à plusieurs scandales et schismes par cy devant intervenuz, et mesmement en cest advent de Noel dernier passé, par le moyen et à l'occasion des contentions, contradictions et altercations de certains predicateurs, preschans et publians diverses et contraires doctrines, Et afin que telles nouvelletez et pernicieuses entreprinses n'apportent à nostre religion aucuns inconveniens et dommages irreparables comme elles pourroyent faire si elles estoyent tolerées, Nos treschers et bien amez les Doyen et Docteurs de la Faculté de Theologie de nostre benoiste fille l'Université de Paris, convoquez et assemblez suyvant noz vouloir et persuasion pour adviser sur ce negoce, ayant par meure et syncere deliberation accordé, faict et arresté les Articles cy apres de mot à mot inserez, où ilz ont fidelement deduict ce qui est à croire et à prescher des poinctz qui sont auiourdhuy tombez en controverse en ce qui concerne nostre saincte foy et religion: desquelz Articles la teneur s'ensuit:

Les Doyen et Faculté de Theologie en l'Université de Paris, à tous fideles Salut en Iesus Christ.

Comme ainsi soit que auiourdhuy nous voyons par les contentions et altercations d'aucuns predicateurs preschans doctrines contraires et diverses, plusieurs fideles (selon ce qu'escrit sainct Paul aux Ephesiens) ainsi que petis enfans mal stables et peu arrestez, estre de toutes partz agitez et menez, et tournans à tous ventz de diverses doctrines: et au devoir de nostre estat et charge appartient appaiser et composer les flotz de diverses doctrines et contraires opinions en la foy, Nous bien asseurez du tressainct propos et religieux vouloir de nostre Roy treschrestien, avons advisé de rediger en brief ordre ce que doyvent prescher et lire les fideles docteurs et predicateurs et les autres fideles Chrestiens croyre avec l'Eglise catholique, touchant aucuns articles et propositions concernans la Foy auiourdhuy mis par plusieurs en different et controversie.

1. Il faut croyre de certaine et ferme foy que le Baptesme est à tous necessaire pour leur salut, mesme aux petis enfans, et que par iceluy est donnée la grace du sainct Esprit.

2. Par une mesme constance et fermeté de foy est à croyre que l'homme a son franc et liberal arbitre, par lequel il peut ou bien ou mal faire: et par lequel aussi, combien qu'il soit en peché mortel, Dieu aydant, se peut relever à grace.

3. Et n'est pas moins certain qu'à ceux qui sont en eage, et usans de raison, apres avoir commis pesché mortel, la penitence estre necessaire, laquelle consiste en contrition, et confession sacramentale, qu'il faut verballement faire au prestre, et pareillement en satisfaction.

4. Davantage est à croyre que le pecheur n'est point iustifié par la seule foy, mais aussi par les bonnes oeuvres, qui sont tellement nécessaires que sans icelles l'homme qui est en usage de raison ne peut obtenir la vie eternelle.

5. Un chacun Chrestien est tenu de croyre fermement qu'en la consecration qui se fait au sainct Sacrement de l'autel, le pain et vin sont convertiz en vray corps et sang de Iesus Christ, et apres la dicte consecration ne demeurent que les especes dudict pain et vin soubz lesquelles est reallement contenu le vray corps de Iesus Christ, lequel nay de la Vierge Marie a souffert en l'arbre de la croix.

6. Le sacrifice de la Messe est de l'institution de Iesus Christ et est utile et profitable pour les vivans et trespassez.

7. La communion de l'Eucharistie soubz les deux especes de pain et de vin n'est pas necessaire aux gens laiz. Parquoy à bon droict, pour certaines et iustes causes, a ia de long temps esté ordonné par l'Eglise, qu'ausdictz laiz soit communié seulement soubz l'espece du pain.

8. Outreplus la puissance de consacrer le vray Corps de Iesus Christ a esté par luy donnée seulement aux prestres ordonnez et sacrez selon la coustume et observance de l'Eglise, et aussi d'absouldre des pechez au Sacrement de penitence.

9. Lesquelz prestres pour certain (combien qu'ilz soyent maulvais et en peché mortel) consacrent le vray corps de Iesus Christ, pourveu qu'ilz ayent intention de le consacrer.

10. Confirmation et extreme unction sont deux Sacremens instituez de Iesus Christ, par lesquelz est donnée la grace du sainct Esprit.

11. Et ne faut doubter que les Sainctz, tant ceux qui sont en ceste vie mortelle, que ceux qui sont en paradis, ne facent miracles.

12. C'est chose saincte et tresaggreable à Dieu, de prier la bienheureuse mere de Dieu, Vierge Marie, et les Sainctz estans au ciel, à ce qu'ilz soyent advocats et intercesseurs pour nous envers Dieu.

13. Et pourtant ne devons iceux Sainctz, regnans avec Iesus Christ, imiter seulement et ensuyvir, mais honnorer et prier.

14. Et à ceste cause, ceux qui par devotion visitent les lieux et eglises desdiées ausdictz Sainctz, font sainctement et religieusement.

15. Si quelcun en l'Eglise, ou hors, addresse d'entrée son oraison à la glorieuse Vierge Marie, ou à quelque Sainct, premier qu'à Dieu, il ne peche point.

16. Et ne faut aucunement douter que soy agenoiller devant l'image du crucifix et de la Vierge Marie, et d'autres Sainctz, pour prier nostre Sauveur Iesus Christ et les Sainctz, ne soit bonne oeuvre et saincte.

17. Outre faut croyre fermement et nullement douter qu'il y a un purgatoire auquel les ames detenues sont aydées par oraisons, ieusnes, aumosnes et autres bonnes oeuvres, afin que soyent plustost delivrées de leurs peines.

18. Un chascun Chrestien est tenu de croyre fermement qu'il y a en terre une Eglise universelle visible, qui ne peut errer en la foy et bonnes meurs: à laquelle tous Chrestiens sont tenuz obeyr en ce qui touche la foy et les bonnes meurs.

19. Que si aucune chose venoit és sainctes Escriptures en controversie ou doute, à icelle Eglise appartient à en definir et determiner.

20. Il est aussi certain qu'on doit croyre beaucop de choses qui ne sont expressement et specialement contenues aux sainctes Escriptures, lesquelles toutesfoys est de necessité recevoir, par la tradition de l'Eglise.

21. Par une mesme certitude de verité faut croyre que la puissance d'excommunier est de droict divin, immediatement octroyée par Iesus Christ à l'Eglise: et pour ceste cause sont à craindre grandement les censures ecclesiastiques.

22. Il est aussi certain que le Concile general, legitimement et deuement congregé, representant l'Eglise universelle, ne peut errer és determinations de la foy et bonnes meurs.

23. Et n'est pas moins certain que de droict divin il y a un Pape, qui est chef souverain en l'Eglise militante de Iesus Christ, auquel tous Chrestiens doyvent obeyr, qui aussi a puissance de conferer les indulgences.

24. Les constitutions ecclesiastiques, comme de ieusnes, discretion de viandes, abstinence de chair, et plusieurs autres choses, veritablement obligent la conscience, mesmes encore seclud tout scandale.

25. Les voeuz et mesmement monastiques et de religion, comme de perpetuelle continence, pauvreté et obedience, obligent en conscience.

Et deffend icelle Faculté de Theologie à tous ceux qui sont de sa congregation, Docteurs et Bacheliers, à tous ceux qui dez maintenant et par cy apres veullent acquerir degré en icelle Faculté, qu'ilz ne preschent aucunement propositions contraires aux susdictes en leurs sermons, ny ne lisent ou enseignent en leurs leçons ou ailleurs, mais l'argument et l'occasion s'offrant, qu'ilz preschent sincerement, purement, et aussi declairent apertement au peuple les dictes propositions.

Davantage a ordonné que tous les Docteurs et Bacheliers confermeront les susdictes propositions par apposition de leur seing manuel. Et pource que n'est chose seure de nourrir des loupz en son trouppeau, ny aucuns desobeissans et contentieux, a deliberé et conclud de priver entierement et à iamais de sa compaignie et congregation tous les Docteurs et Bacheliers qui reffuseront à signer les dictes propositions, iouxte le dict decret, et qui les contraires à icelles aucunement prescheront ou enseigneront. En outre, pource que plusieurs, curieux de nouvelles choses et doctrines, par un esprit de contradiction, et affection de contrarier aux institutions de noz maieurs et anciens, par un mespris negligent et delaissent ceste louable coustume d'implorer la grace du benoist sainct Esprit, par l'intercession de la tresheureuse vierge Marie, nous les admonestons de n'avoir aucunement en horreur ceste salutation angelique, laquelle l'Evangile nous a prescrite et baillée, ne aussi toutes et quantes fois qu'il eschet de parler de nostre Seigneur et Sauveur Iesus Christ, qu'ilz ne desdaignent proposer le sainct et salutaire nom de Iesus, comme plusieurs ont de coustume, contens seulement dire et nommer le Christ, veu nommément que, tesmoing sainct Pierre, il n'y a autre nom soubz le ciel en vertu duquel puissions estre sauvez: semblablement quand il vient à propos d'alleguer le nom des sainctz Apostres et Evangelistes ou sainctz Docteurs, qu'ilz n'ayent à les nommer par leurs noms simplement, sans aucune preface d'honneur, comme ont accoustumé de dire: Paul, Iacques, Matthieu, Pierre, Hierosme, Augustin etc. Et ne leur doit estre grief adiouster et preposer le nom de sainct, en disant sainct Pierre, sainct Paul etc. Et finablement qu'ilz ne soyent negligens à recommander aux prieres du peuple les ames des trespassez.

L'an de grace 1542, le diziesme iour du mois de Mars, la Faculté de Theologie, deuement congregée par serment au College de Sorbonne sur l'affaire des Articles precedens, les a approuvez en la forme que sont escritz.

Sçavoir faisons que nous desirans sur toutes choses et de tout nostre coeur qu'en nostre Royaulme treschrestien soit tousiours continuée, gardée et entretenue l'unité, integrité et syncerité de la Foy catholique, comme le principal fondement de nostre dict Royaulme, et dont depend la prosperité de nous et d'iceluy, et qu'apres avoir fait voir par nostre conseil privé les dessus dictz Articles de la determination et censure doctrinale de la Faculté de Theologie de nostre premiere fille l'Université de Paris, et qu'ilz ont esté trouvez

entierement conformes à la doctrine et observance catholique, et aux diffinitions et determinations de nostre mere saincte Eglise, desquelles, comme Roy treschrestien, sommes en nostre dict Royaulme protecteur, garde, conservateur et executeur, et que par la division des doctrines qui seroyent ensemencées par les prescheurs en nostre dict Royaulme, terres et seigneuries, s'en pourroyent ensuyvir plusieurs divisions et seditions en nostre peuple, à la grande perturbation du repos et tranquillité d'iceluy:

Pour à ce obvier et que en unité de Foy et doctrine nostre dict peuple treschrestien soit exhorté et admonesté par ceux qui prescheront la parole de Dieu, sans aucune division ou contention entre eux:

Avons comme conservateur et executeur susdict, en tant qu'à nous est, authorisé, et authorisons lesdictz Articles, et ordonné et ordonnons qu'ilz soyent publiez par tout nostre dict Royaulme, pays, terres et seigneuries, gardez, observez et entretenuz, sans aucunement y contrevenir, exhortans tous les Prelatz de nostre dict Royaulme, pays, terres et seigneuries, de quelque estat, qualité ou condition qu'ilz soyent, et comme conservateur et executeur susdict, leur enioignant envoyer à tous et chascun des curez et vicaires de leurs dioceses, eglises collegiales, monasteres et couvens, mendians et non mendians, d'iceux dioceses, où l'on a accoustumé prescher la parole de Dieu, une copie de ces presentes, au vidimus desquelles voulons estre envoyé à ceste fin à chascun desdictz Prelatz:

Et commendant tresexpressément par lesdictz Prelatz, à tous lesdictz curez, vicaires, doyens et principales dignitez des eglises collegiales, Abbez des monasteres, Prieurs et gardiens des couvens, mendians et non mendians, de garder et observer entierement le contenu desdictz Articles, en leur defendant tresexpressément d'y contrevenir, et de prescher en leurs dictes eglises, monasteres ou couvens, aucune chose contraire, repugnante ou dissonante au contenu desdictz Articles de ladicte Faculté de Theologie, directement ou indirectement, apertement ou par motz couvers, et que quand ilz laisseront aucuns prescher, ilz leur facent faire lecture de tout le contenu en cesdictes presentes, afin que, s'ilz y contreviennent, ilz ne puissent pretendre aucune cause d'ignorance ou excusation:

Enioignons aussi, comme conservateur et executeur susdict, à tous lesdictz Prelatz de nostre dict Royaulme, pays, terres et seigneuries, de quelque qualité qu'ilz soyent, enquerir ou faire enquerir diligemment par leurs vicaires, officiaux ou promoteurs, contre les transgresseurs du contenu en nos dictes presentes, et qui auroyent presché chose contraire, repugnante ou dissonante au contenu desdictz Articles, et qu'ilz procedent à l'encontre des coulpables, diligemment et promptement, les corrigent et punissent exemplairement selon les constitutions canoniques:

Et en leur impartissant l'ayde et confort de nostre bras seculier, comme faire devons, avons pareillement de nostre part defendu et defendons tresexpressément à tous noz subiectz ou demeurans en nostre dict Royaulme, pays, terres et seigneuries, et aultres quelconques qui pourroyent venir en iceluy, de prescher publiquement ou occultement, apertement ou par motz couvers, directement ou indirectement, aucune chose contraire, repugnante ou dissonante au contenu desdictz Articles, sur peine d'estre tenuz et reputez seditieux et perturbateurs du repos et tranquillité de nostre republique treschrestienne, occultz conspirateurs contre le bien et prosperité de nous et de nostre estat, rebelles et desobeyssans envers nous et iustice, et comme telz voulons qu'ilz soyent punis par tous nos iuges ressortissans sans moyen en nos cours de Parlement, chascun en son destroict:

A sçavoir, les laiz ou simples clercs, qui n'auroyent encores ordres sacrez, si temerairement ilz ne s'ingeroyent de ce faire, des peines telles que de droit. Et quant aux gens ecclesiastiques, ayans ordres sacrez, de peine d'amende honorable, bannissement de nostre Royaulme, et confiscation de leurs biens patrimoniaux, si aucuns en ont, ou autrement, ainsi que nozdictz iuges verront estre à faire par raison. Et ce pour le cas privilegié, s'ilz procedent à icelle, le delict et crime estans deuement verifiez par leur simple confession,

ou à la charge dudict cas privilegié, où ilz ne confesseroyent la contravention et transgression de noz dictes defenses. Et enioignons et commandons tresexpressément à tous noz dictz iuges, sur peine de suspension de leurs estatz par un an pour la premiere faute, et de privation d'iceux pour la seconde, d'estre diligens et soigneux d'enquerir, ou faire enquerir, de ceux qui contreviendront et transgresseront noz dictes defenses, et de proceder à les faire constituer prisonniers, le plus promptement et diligemment qu'il sera possible, et leur faire et parfaire leur procez, selon droict et raison. Et enioignons aussi à noz advocatz et procureurs, en noz sieges ressortissans sans moyen en noz dictes cours de Parlement, sur les peines que dessus, de poursuyvir et faire faire lesdictes informations, captures et punitions exemplaires desdictz cas et crimes.

Si donnons etc.

Articulorum illorum latinum quoque textum seorsim typis evulgatum fuisse, et iussu quidem regis, supra memoravimus, verum nullum eius usquam exemplar nobis reperire contigit. Antiquissimus nobis est qui in libello calviniano exstat. Editus quoque legitur apud Dan. Gerdesium in additamentis Tom. III. Hist. Reform. pag. 87 seqq. cum articulis Lovaniensis Academiae eiusdem fere argumenti et tenoris a. 1544 promulgatis. Sleidanus etiam noster, praecipua horum articulorum recenset capita ad a. 1542 et 1543 (Ed. 1786. Tom. II. pag. 274. 304. 320) ubi historiam Francisci Landri enarrat, concionatoris parisiensis, qui paulo ante in aede S. Crucis purius evangelium docere inceperat mox vero palinodiam canere coactus fuit. Gravissimus alioquin autor, et de rebus gallicis prae multis aliis aetatis suae historicis optime instructus, hic tamen in eo errasse nobis videtur, quod Landri illius praedicationes adversariis primam et praecipuam articulorum condendorum ansam praebuisse asserit. Caeterorum saltem scriptorum, qui eiusdem instrumenti mentionem faciunt, nullus talem aliquem inter ipsum et Landri causam connexum statuit.

Quidquid sit, Articuli sorbonici, quum vergente anno 1543 Genevam pervenissent, et in Calvini notitiam, risum eius potius quam bilem movisse videntur, si ex ea quam paulo post edidit responsione coniecturam feceris. De cuius indole plane peculiari mox plura dicturi primum externam libri faciem describemus. Hunc vero diu frustra quaesivimus, et si qua alicubi adhuc exstant exemplaria, omnia nostros quidem oculos fugerunt, quod eo facilius fieri potuit quod editio princeps, ut iam diximus, sine autoris nomine prodierat. Et iam de hac reperienda desperantes, omnique apparatu critico destituti, Gallasii textum cum Bezano simpliciter collatum et nonnullis vitiis repurgatum, typographo tradideramus recudendum, quum nuper, antequam prelo submissus fuerit, Heidelbergae exemplar desideratissimae illius editionis principis unicum ex latebris suis emersit, et sine mora redemptum caeterisque bibliothecae nostrae calvinianae κειμηλίοις additum est. Ecce eius titulum:

ARTICVLI | A FACVLTATE SA- | CRAE THEOLOGIAE PA- | risiensi determinati super materiis fidei | nostrae hodie controuersis. | Cum antidoto. | (Emblema) | HEBR. XIII. | IESVS CHRISTVS *heri et hodie,* | *ipse in secula. Doctrinis uariis et* | *peregrinis nolite abduci.* | 1544.

Emblema est palma cum puero suspenso et adagio subscripto: Pressa valentior. Forma libri est octonaria minor, quaterniones quinque (a — e), paginae numeratae 79. ultima vacua. Articuli ipsi typis paulo maioribus expressi.

Quod ad annum huius opusculi natalem attinet, olim, antequam editionis principis exemplar nacti fuerimus, in eo definiendo aliquamdiu haesimus et Bezam autorem sequuti, qui in tabula editioni suae praemissa annum 1542 significat, libello locum suum in fronte sexti voluminis Operum assignavimus. Paulus Henry (vita Calvini II. 265) qui fere solus recentiorum haec tangit, latinam editionem eidem

anno tribuit, gallicae vero sequentem annum 1543 adscribit, quonam autore aut vade fretus, nescimus. Certe ipse neutram talem vidit. Quos earum titulos prodit, eos simpliciter ex apographo in Corpore Bezano descripsisse putandus est. Numerus 1542 ex ipsa decreti Sorbonistarum subscriptione fluxit; verum supra quae huius numeri causa et ratio fuerit ostendimus. Publicationem articulorum historici omnes coaetanei ad aestatem anni 1543 referunt. Quid quod editio princeps Antidoti notam anni demum sequentis 1544 prae se fert. Hanc autem revera principem fuisse, testis nobis erit fide dignissimus Conradus Gesnerus, magni nominis autor, qui in sua Bibliotheca universali, Tiguri a. 1545 impressa fol. 396 verso, inter alia Calvini opera etiam hunc titulum recenset: *Articuli a facultate S. Theologiae Parisiensis determinati super materiis fidei nostrae hodie controversis, cum Antidoto. Libellus impressus Genevae 1544 in 8. chartis 5. quo ludit autor adversus Sorbonistas, et quanquam nomen suum non adscripserit, utpote ludo potius suo quam serio operi, volui tamen inter eius scripta vel nolente ipso adnumerare.*

Quo clarissimi viri testimonio simul confirmatur Gallasii et Bezae declaratio, ipsi Calvino autori lepidum hoc opusculum tribuentium. Idem habet Sleidanus in fine eius narrationis quam supra laudavimus (pag. 320) sic scribens: His illorum dogmatis adversarium deinde scriptum edit Calvinus et Antidotum vocat, eosque multo sale perfricat. Adde duumviros qui vitam Calvini olim conscripserunt, Colladonum et Bezam. Quorum ille haec: *L'an 1543, pource que la Sorbonne de Paris s'estoit portée iusques là, de faire des articles de foy à sa fantasie sans rien prouver, il composa un livre où il met de bien plaisantes probations de leur dire (et ilz n'eussent pas sceu trouver de meilleures, comme ilz l'ont bien monstré en se taisant) et adiouste quant et quant à bon escient le vray contrepoison qu'il faut opposer par la parole de Dieu à leurs erreurs et determinations magistrales.* Hic vero sic scribit: Audacior quam unquam antea Sorbona ausa fuit facinus, quod mirum videri posset episcopos aut ipsum saltem pontificem pati potuisse, nisi iam pridem, ecclesiarum opibus inter se, ut inter praedones fieri solet, dispertiendis occupati, suo praecipuo munere, quod in administratione verbi positum esset, ultro bonis istis quos vocant doctoribus cessissent, ea tamen conditione, ut tanquam canes dominis illis suis subserviant, ex quorum mensis ossa tandem millies abligurita corrodunt. Ausa fuit igitur Sorbona, nullo neque divino neque humano iure fulta, fidei christianae articulos praescribere, eiusmodi quidem ut, tum sua falsitate, tum illis summis ineptiis quae sunt illi sodalitati familiares, omnem sibi ipsis autoritatem apud homines non prorsus amentes merito derogare potuerint, quibus tamen alii metu alii per imperitiam ultro subscripserunt. Itaque respondit iis Calvinus ita ut et errores solidis rationibus pererudite refutaret, et eorundem stultitiam omnibus non penitus insulsis suaviter deridendam propinaret. Quibus etiam subiungimus ex eiusdem Bezae s. D. p. Historiae ecclesiasticae Tom. I. pag. 33 (ed. Antw. 1580) quae sequuntur: *Ce fut aussi en ceste année (1543) que ceux de Sorbonne usurperent l'authorité de faire des articles de foy sur les controverses esmeues de nostre temps en la Religion: ausquelz il fut respondu en deux sortes par Iean Calvin: à savoir l'une selon leur iargon pour faire apparoir à tous leur bestise, et puis apres tres doctement et par la parolle de Dieu: tellement qu'il n'y eut homme d'esprit qui ne se mocquast de leur asnerie. Ce neantmoins le Roy ne laissa de les authoriser par edict.... et depuis ont esté lesdits Articles acceptez pour confession de foy.* Ipse denique Bulaeus (Hist. Univ. Paris. supra laudato loco) his utitur verbis: Contra quos (articulos) edidit Calvinus librum quendam quem vocavit Antidotum, et theologos accusat quasi vellent ipsi sibi articulorum fidei dispositionem et censuras despotice arrogare caett.

Iam vero in opusculi recudendi dispositione aliquid mutare praesumpsimus, citra lectoris damnum id nos facturos rati. Apud Gallasium et Bezam, praeeunte editione principe, textus ita dispositus legitur, ut aperto volumine in pagina sinistra habeas articulos parisienses, singulis aut saltem paucioribus versibus

expressos, subiunctis argumentis satis fuse expositis quibus in scholis theologorum vulgo probari consueverant. In pagina vero dextra, e regione singulorum articulorum tali modo declaratorum, leguntur Calvini confutationes. Ita fiunt quasi duo opuscula, et συνοπτικῶς scripta, et iunctim a lectoribus consideranda, quippe quibus alternae paginae suis propriis titulis insignitae illic Articulos, hic Antidotum proponant. Et Calvini quidem disputatio, quamvis pro more docta et solida sit, hic tamen, ubi a lectione probationum scholasticarum ad eam accesseris, paulo frigidior tibi videbitur et sueto vigore destituta. Contra Sorbonistarum argumenta, apud iudicem sanioris theologiae gustu imbutum, mox omne punctum ferent, risumque et plausum movebunt, quippe quae medii aevi gliscentis scientiam, futilem illam exilemque, et philosophico sensu non minus carentem quam evangelico, tam suaviter redoleant, tam genuino colore vestitam repraesentent, ut, praeter Obscurorum virorum famosissimas illas epistolas, nihil huic comoediae aequiparare possis. Ipse scilicet Calvinus haec argumenta conquisivit, vel potius de subselliis scholārum sui temporis corrasit, et pro authentico commentario Articulis istis addidit. Quem tamen ita stilo usum esse dixerimus, ut ipsi orthodoxae facultatis doctores vix recusare potuerint quominus supellectilem suam agnoscerent, plurimi vero lectores ipsos ex cathedra loquentes audire sibi persuadere debuerint. Gallicae editiones, sola principe excepta, hanc libelli oeconomiam non servarunt, sed articulos, probationes et antidota perpetuo ordine sibi succedentia exhibent. Atque hunc ordinem, quanquam autoris consilio minus accommodatum, nos quoque sequemur, quum iam de lectore iocose deludendo in hoc nostro labore cogitari nequeat, et ingeniosae diatribae lepor, qui olim fuit, minime hac sub forma evanescat.

Versionis gallicae textum quum pluribus locis a latino discrepare videremus, ita quidem ut hinc inde longiora additamenta exhibeat, diligentius relegimus et quaecunque ab archetypo recedebant accuratius in margine annotavimus, scilicet persuasum habentes additamenta illa neutiquam invito aut inscio Calvino ipsius authenticae scripturae obtrudi potuisse. Verum quum his studiis operam daremus, nullum eius versionis separatim excusae exemplar nancisci adhuc contigerat, adeoque omnino nesciebamus an talis olim editio exstiterit. Nuperrime tantum, quum ipse latinus textus iam dudum typis exscriptus esset, ex Genevensi bibliotheca accepimus volumen alia de causa expetitum, in quo praeter quatuor alia Calvini opuscula gallice conversa, et ipsa rariora, (Supplication à l'Empereur, Façon de reformer l'Eglise, Actes du Concile de Trente, et, quod maxime desiderabamus, Accord touchant la matiere des sacremens) maximo cum gaudio unicum exemplar, quod aetatem tulisse videtur, quodque antehac oculos nostros fugerat, huius nostri libelli invenimus. Atque pro hoc officio humanissime nobis praestito, et simul pro aliis antehac cumulatius in nos collatis, duumviris dignissimis Francisco Gas, bibliothecae illius praefecto, eiusque collegae Stephano Patru, debitas grates lubenter persolvimus. Qui nobis iam quater, quum in pomoeriis ipsorum castra poneremus in parando thesauro epistolico calviniano desudantes, comiter exceptis ditissimam documentorum copiam custodiae suae creditorum perscrutandam et excutiendam liberaliter permiserunt. De quorum laborum fructibus olim plura dicturi, hanc occasionem publice testandi erga eos animi feliciter oblatam noluimus praetermittere. Caeterum libelli titulus hic est:

LES | ARTICLES | DE LA SACREE FA- | CULTE DE THEOLO- | gie de Paris, concernans nostre foy et re- | ligion Chrestienne, et forme de prescher. | *Auec le remede contre la poison.* | (Emblema) | *L'Apostre aux Hebrieux, chapitre treize.* | IESVS CHRIST a esté hyer, et au- | iourdhuy, et sera eternellement. Ne | soyez point distraictz çà et là, par | doctrines diuerses et estranges. | 1544.

Forma est octonaria minor. Emblema gladium exhibet sine flamma, verum cum notissimo suo adagio. Quaterniones sunt sex cum dimidio (a—g); paginae numeratae 99, reliquae vacuae praeter unam, quae est quarta a fine, ubi lectorem de singulari operis dispositione certiorem facit typographus. Cuius monitum sic decurrit: ADVERTISSEMENT. *Que les lecteurs, afin de ne sabuser en la lecture de ce present traicté, soyent advertis que d'un costé sont mis les articles de noz maistres avec leur glose et probation, de l'autre qui est à l'opposite, est mise la responce: tellement qu'en lisant, pour continuer un article, il faut sauter tousiours la page opposite, combien que le tiltre, qui est pardessus, pourra monstrer cela. Car à l'une des pages il y a: articles, à l'autre il y a: remede. Qu'on suyve donc cela, et on ne sy trouvera point empesché, moyennant qu'on conioingne avec chacun article le remede qui est correspondant.*

Exstant Articuli isti a Sorbona parisiensi promulgati cum Calvini Antidoto in utroque corpore Tractatuum: latine apud Gallasium pag. 378—409; apud Bezam 1576 pag. 305—329, in ed. a. 1597 pag. 255—275; in Stoeriana pag. 219—234; denique in Amstelodamensi pag. 190—203. Gallice in edit. prima 1566 pag. 471—506; in secunda s. Stoeriana pag. 531—572.

CAPUT XIX.

BRIEVE INSTRUCTION CONTRE LA SECTE DES ANABAPTISTES. 1544.

CONTRE LA SECTE PHANTASTIQUE DES LIBERTINS. 1545.

EPISTRE AUX FIDELES DE ROUEN CONTRE UN CORDELIER. 1547.

Neminem inter doctos historiarumque saeculi decimi sexti peritos fugere arbitramur gravitatem calamitosumque exitum motuum illorum religioso-politicorum ab Anabaptistis, quos vocabant, longe lateque excitatorum, qui clanculum primo serpentes mox publice et perniciosissime eruperunt, vi tandem armata oppressi sunt suppliciisque et sanguine exstincti. Nihil est quod mireris et tales homines tunc exstitisse, et talia ab adversariis, tam civilibus quam ecclesiasticis, passos esse. In omnibus enim magnis rerum humanarum commutationibus, qualis illa fuit a Luthero praeter suam ipsius opinionem excitata, fatale quodammodo et ineluctabile esse videtur, eos ipsos qui res novas promovent plerumque in diversas scindi partes: aliam fortiter simul et circumspecte agentium, quorum humeris totius rei pondus incumbit; aliam eorum qui remorantur et nolentes trahuntur, aliam denique ardelionum et factiosorum, qui vel impatientia acti, vel scientia male feriata, vel ambitionis pruritu incitati, una vel altera veritatis particula arrepta, eam saepenumero ipsa exaggeratione pervertunt, et coelum terris miscere haud verentur, dummodo glorioso ingenio satisfaciant. In ista commotione pro instauratione sacrorum evangelica saec. XVI. facta Anabaptistae et iconoclastae varii generis variaeque denominationis huic tertio agmini passim adnumerabantur. Non est quod hic recenseamus omnes inquisitionis tum theologicae tum politicae saevitias quae multis in locis perpetratae sunt in homines quorum alios innocentes et plane christianos, alios rabidos et mente captos dixeris, et miseratione potius quam poena dignos. Sed, proh dolor, sic ferebat istorum temporum conditio et fanaticorum quorundam hominum, miseram plebeculam in suam sectam trahentium, vesana audacia et insania. Post tragoedIam Monasteriensem ipse magistratus noster Argentoratensis,

illustre alioqui longanimitatis et christianae humanitatis erga dissentientes exemplum, ad severiora mandata in eiiciendos sectarum coryphaeos et ad ipsos carceres recurrere coactus est. Verum inter innumera ignorantiae et caecae pervicaciae mancipia complures etiam inveniebantur viri, haud vulgari doctrina imbuti, piissimo animo acutissimoque ingenio praediti, Ioannem Denckium puta, Jacobum Kautzium, Balthasarem Hubmoer, Ludovicum Hetzerum, qui in multis a vetere ecclesia traditis liberius rectiusque iudicabant quam plerique eorum qui tunc temporis στῦλοι habebantur. Quibus praecox et intempestiva veritatis intelligentia in crimen vertebatur, et non trecentos demum post annos eiusdem praecones natos esse, capitale fuit.

Anabaptistarum sectae inter germanicos praecipue populos pullularunt, tam in Germania inferiore, cum Hollandia, Frisia et Belgio, quam in superiore, maxime Suevia et Helvetia. Et hoc quidem tribus de causis. Quarum prima fuit quod hi in universum populi ad mysticam quandam et philosophicam religionis contemplationem altioremque rerum divinarum investigationem, atque ideo ad formandas sectas suopte ingenio proniores sunt quam caeterae omnes Europae gentes. Alteram habes in reliquiis sectarum antiquiorum quae olim exstiterant, vel secreto vel publice doctrinas varias et a romanis longe alienas professae, quaeque in omnibus fere Germaniae partibus, quasi radices semimortuae sub terra latentes, ad coelestes illas et multo fragore delapsas aquas iam reviviscere incipiebant. Tertia causa fuit, eaque haud parvi aestimanda, magna illa ditionum et dynastarum multitudo, in rebus civilibus vix aliquo nexu inter se cohaerentium. Unius ex finibus persequutione eiectis sectariis in alterius regionem confugere nullius negotii erat, ibique latibulum, imo asylum invenire facillimum. Certo constat perpaucos anabaptisticae opinionis assertores in eas terras penetrasse, quae gallico idiomate utuntur et hos quoque potius in eos tractus qui Galliae finibus proximi sunt, ut Flandria et Allobrogum regio, quam in ipsum regnum. Nam quod olim Franciscus rex ad evangelicos Germaniae principes scripsit, de fidelium persequutione anno 1534 et sequenti facta conquerentes: se ipsorum exemplum sequutum de Anabaptistis magistratus contemptoribus, aliisque eiusdem farinae fanaticis, iustissimum sumpsisse supplicium, hoc regium fuisse mendacium nemo doctus hodie ignorat.

Ad pagos et urbes Allobrogum nonnulli passim venerunt ex ditione Turicensi et Bernensi, ubi iam a primis instaurati evangelii annis magistratus, nullo vel catholico vel evangelico reclamante, gladio et aqua eos omnes interemit qui neque colloquiis publicis, neque aliis theologorum actionibus erroris convinci potuerunt. Calvinus noster primum, quod sciamus, eos obviam habuit, vel potius manus cum illis conseruit anno 1537 Genevae, ubi sex mensibus antea a Farello retentus, doctoris theologici et deinde etiam praedicatoris evangelici munere fungebatur. Sed accipe quae Colladonius hac de re in eius vita narrat (ed. Franklin pag. 30): *Ces heureux commencemens despleurent grandement à Satan et aux siens, qui ne faillirent pas, comme il n'estoit mal-aisé sur les premiers changemens d'estat et de religion, de luy faire fascherie. Car à grand peine se passerent quatre mois que d'un costé les Anabaptistes le vindrent assaillir (desquels estoit un certain Iean Stordeur dont il sera parlé cy apres), et de l'autre un meschant apostat nommé Me. Pierre Caroli, docteur de Paris, lequel, estant secretement soustenu et appuyé du credit d'aucuns des principaux, luy pouvoit donner beaucoup de peine. Mais quant aux Anabaptistes, il les seut si bien et heureusement manier en dispute publique, combien que le Magistrat n'y mist pas la main, que des lors la race en fut perdue en ceste Eglise. Ce qui est d'autant plus admirable que la plus part des Eglises d'Allemagne en sont encore bien fort empeschées: et s'il y en a qui en soyent delivrées, ç'a esté plustost par la simple rigueur de iustice qu'autrement.* Eadem et totidem ferme verbis habet Beza in Vita Calvini latine conscripta. Unum tantum addit, scilicet disputationem istam habitam esse die decimo octavo Martii a. 1537 assistentibus collegis: nomen vero Io. Storderii, de quo infra dicturi sumus, silentio praeterit.

Tredecim post menses Calvinus solum vertere iussus Argentoratum se contulit et ambabus, ut aiunt, ulnis exceptus est in urbe inde ab evangelio renovato exsulibus cuiusvis gentis et linguae refertissima, et sectis, nimirum Anabaptistis omnis generis, laborante. Cuius rei causa fuit illa iam supra laudata magistratus mansuetudo, et duorum illustrium theologorum Wolfgangi Capitonis et Matthaei Zellii christianissima ὑπομονή sive tolerantia, virtutum omnium, praesertim apud theologos, tunc rarissima. Usque adeo hac in re Capito peccare videbatur Bucero, disciplinae ecclesiasticae propugnatori et gliscentis anabaptistici fanatismi, quem vocabat, adversario acerrimo, ut hic seniorem amicum et symmystam nimiae facilitatis accusaret, et intra privatos parietes saepius graviter corriperet. Periculosi enim exempli ipsi videbatur, tantos viros domi suae hospitium praebere hominibus de doctrina ecclesiastica et politica tam prave sentientibus, et paene exhorruit Zellium, virum alioqui moderatissimum, quum fortiter responderet, omnes Christum Iesum vere amantes crucemque eius patienter portantes, etiam in posterum et domi et mensae suae participes futuros. Quam pietatem dum admiramur et vehementer commendamus, collegam tamen contra monentem, et rei publicae sacrae et civili metuentem, non omnino improbare possumus. Fuerunt enim inter Anabaptistas nonnulli homines vaferrimi ingenii aut etiam plane fanatici, qui prophetarum veteris testamenti personam agentes de Argentorato quasi nova Hierosolyma somniabant et multis perturbatis non paucos iam captaverant.

Bucerus igitur Calvinum, virum, seu potius iuvenem, in sectariis retundendis nuper tam egregie defunctum, et nunc pro disciplina ecclesiastica in exsilium actum, omnibus votis accersivit et in intimam suam amicitiam recepit. Mox procuravit ut sartorum curiae tribulis rite adscriberetur, haud absque occulto providoque consilio hac potissimum curia selecta, quia omnium maxime veneno anabaptistico infecta esse videbatur. Exspectationem amici Calvinus haud fefellit. Feliciter enim et solo argumentorum pondere multos in viam reduxit, inter alios etiam duos viros neque ignotos neque indoctos, Ioannem illum Storderium Leodiensem, quocum iam Genevae egerat, sed frustra ut videtur, et Paulum Voltzium, abbatem quondam Curiae Hugonis (vulgo Hugshofen, Honcourt) monasterii in valle Villeriana superioris Alsatiae. Sed de his audias, quaesumus, iterum Colladonium narrantem (l. l. pag. 41): *Il eut lors cest heur qu'il ramena à la foy un fort grand nombre d'Anabaptistes qu'on luy addressoit de toutes parts, et entre autres un iadis Abbé nommé Paul Volse, auquel Erasme avoit dedié son Chevalier chrestien l'an 1518, et lequel estant converty de l'Anabaptisme est mort ministre en l'Eglise de Strasbourg. Il y eut aussi de ce nombre un nommé Iean Stordeur natif de Liege, lequel estant decedé de peste à Strasbourg, quelque temps apres il print sa vefve à femme, nommée Odilette ou bien Idelette de Bure, femme grave et honneste .....* Eadem Beza quoque tradit.

Hac ultima vice disputando congressus est Calvinus cum Anabaptistis, et quidem, quod paucis usu venire solebat, inexspectato cum successu. Mox ab ipso senatu populoque honorificentissime Genevam revocatus, ad res sacras et politicas de integro ordinandas sese accinxit, istamque ecclesiam disciplinae et excommunicationis inprimis legibus tam provide et sapienter munivit, ut nunquam, dum viveret, huiusmodi perturbatores in eam penetrare aut voluerint aut potuerint. Non eadem fuit ecclesiarum Germaniae et Helvetiae, imo vicinarum Bernensium conditio. Ex ipsa Epistola libello contra Anabaptistas praefixa, et Calendis Iuniis a. 1544 ad pastores comitatus Neocomensis data, apparet sectarios illos paulo ante in ditione Bernensi grassantes Agathopoli (Bonneville, Neuenstadt, oppido ad lacum Bielensem sito) iusto in colloquio publice congregatos a Farello profligatos esse. Acta huius colloquii, ut ex eadem patet epistola, typis mandata et publici iuris facta sunt, sed nullum usquam exemplar eorum reperire potuimus. Non ita multo post missus est ad Calvinum e remotissimis, ut ibidem ait, regionibus (an ex Flandria aut per Gallos Argentorati degentes, nescimus) libellus gallice scriptus, quem ut refutaret

rogabant qui miserant, cuiusque in calce addita erat confessio anabaptistica septem articulis comprehensa. Scriptum ipsum nusquam, quod sciamus, exstat; tantum istos articulos, verbo tenus ut arbitramur, Calvinus in sua responsione servavit, in quos scilicet solos stilum stringere dignatus est. Quibus id fecerit et quam solidis argumentis, tu, benevole lector, apud ipsum videas. Unum hoc, si quid videmus, affirmare ausimus: nihil afferre autorem ad hanc controversiam dirimendam, quod non iam olim Bucerus, tum in aliis scriptis, tum in libro ad Monasterienses, item Bullingerus in Historia sua catabaptistica, et Gastius Brisacensis in Historia Anabaptismi in medium attulerint et quod non ab ipso autore in sua Institutione expositum fuerit. Verum si nova non affert, quae ab aliis iam dicta erant ea ornat concinnitate qua in disserendo pollet omnesque praedecessores facile vincit.

Caeterum qui hodie de Anabaptistis aliisque eiusdem generis et aetatis sectis scribere vult, is maximis implicatur difficultatibus, quae partim ipsi rerum naturae inhaerent, partim resident in fontium, e quibus solis earum notitia hauriri potest, raritate et fide suspecta. Nam quo liberioribus et magis perniciosis opinionibus sectae istae infectae erant, eo diligentius plerumque curabant ne mysteria sua latius divulgarentur; et si vel publicis scriptis doctrinam suam professae fuerint, quod tamen raro usu venire solebat, haec ab adversariis saepe maligne lecta et perverse excerpta mox interierunt, ita ut nobis amplius iam non sit integrum ad eadem recurrentibus vindicum veritatis partes agere. Quod praesertim de rebus Libertinorum dictum velimus, ad quos nunc transimus. De his nihil ferme habemus quam quod acerrimus eorum antagonista Calvinus memoriae prodidit. Libellus enim quem contra hanc sectam conscripsit, praecipuus est fons e quo tam historiam quam doctrinam huius sectae haurire nobis licet. Scripta coryphaeorum ipsius quae in Calvini manibus erant, hodie, quod sciamus, nusquam locorum exstant, nisi quatenus eorum fragmenta in Nostri refutatione colligi possunt. Est tamen hic quod nobis solamento esse potest, ipsa scilicet illustrissimi autoris sinceritas, qua adversariorum argumenta adeoque verba ingenue et integre referre solet. Erat enim in eo mira quaedam veritatis fiducia, quae eum dolosis corruptionibus uti vetabat et spretis omnibus malis technis non nisi legitimis honestisque armis pugnare iubebat. His praemissis ipsam Libertinorum historiam aggredimur.

Libertini, quo quidem nomine ab adversariis designabantur, ob doctrinae et vitae *ἀσωτίαν*, seu Spirituales, ut ipsi dici volebant, primum apparuere in partibus inferioris Germaniae, in Brabantia, Flandria et Hollandia, inde a restaurati evangelii primordiis. Cuius quidem asseclae, imo antesignani, haberi volebant, caeteros protestantes carnales dicentes, quum tamen ipsorum dicta factaque nihil minus referrent quam puram et sanctam Christi disciplinam. Docebant enim pantheismum quendam crassum et rudem, quo suam primam originem prodebant a Fratribus liberi spiritus repetendam, quae fuerat secta ducentis circiter annis antea Argentorati, Coloniae, et in pluribus Belgii urbibus numerosissimos agens coetus, et ipsis inquisitoribus formidabiles multitudine et dignitate asseclarum. Qui falsa spiritualitatis, quam dicebant, doctrina usi, pravis hominum cupiditatibus fraena laxantes, quidquid ex suorum grege fecerit aliquis *ἀδιάφορον* declarabant et sic multos ipso impietatis mysterio alliciebant.

Quae de Libertinorum historia ex Calvini libello paucisque aliis fontibus derivari possunt, fere haec sunt ipsius Nostri verbis quam maxime descripta. E Brabantia Spiritualium secta propagata est in Galliae fines. Primus qui hanc faecem promovit, Coppinus quidam fuit Insulanus (de Lille en Flandre) qui circa a. 1530, nihil habens quam magnam audaciam, in patria sua venenum istud spargere coepit, haud absque magno successu. Cui non ita longe post successit Quintinus ex Hannonia oriundus, vel Picardia, qui mox tantum collegit famae ut Coppini memoriam exstinxerit et sectae autor et caput ipse haberi studuerit et re vera esset. Gloriabatur enim se neque a Coppino neque ab alio quoquam mortali didicisse, sed omnia agente spiritu e proprio penu depromere. Socium habebat Bertrandum des Moulins

qui secundas agebat et paulo ante a. 1545 diem suum obiit. Sartor erat uterque, quae iam tunc temporis elegantior *χειροτεχνία* plures tales dedit philosophastros et ipsum quoque Ioannem illum, urbis Monasteriensis tyrannum *πολύγαμον*. Quando Quintinus in Galliam venerit, non certo constat. Stephanus a Fabrica (Esticnne de la Forge) qui fuit evangelicorum parisiensium ipsiusque Calvini optimus et integerrimus patronus, existimavit, ambos ob maleficia potius quam ob verbum Dei, quod praetexebant, patrium solum vertisse. Ex eodem Calvinus rescivit tertium exstitisse eiusdem haereseos doctorem, Claudium Persevalum, de quo tamen praeter nomen nihil apud eum legisse meminimus. Ipse Quintinum et quartum aliquem sectae antesignanum Antonium Pocques s. Poquet de visu audituque cognovit. Degebat enim Quintinus Lutetiae ibique docebat in ipso fidelium coetu paulo ante quam Calvinus e Gallia discesserit. Habes de his rebus notatu digna in eius libello edit. nostr. pag. 169: *Il me souvient qu'une fois en grande compagnie, Quintin voyant que ie luy rabatois son caquet trop vivement, et voulant decliner la luicte, me dist que ie trouvois son propos mauvais par faute de l'entendre. A quoy ie luy respondis que i'en entendoye un peu plus que luy, d'autant qu'il ne savoit du tout qu'il disoit, et moy ie congnoissoye pour le moins qu'il vouloit embabouiner le monde de follies absurdes et dangereuses.* Audi alium etiam locum quo Calvinus de Quintino loquitur et hominem ad vivum depingit (ibid. pag. 199): *Quand les autres sont en affliction ils font des robustes, disans que c'est blasphemer de se plaindre, ou de faire semblant d'en rien sentir. Comme une fois i'estois present quand Quintin dict à un homme fort malade, qui avoit seulement dict: Helas, mon Dieu, que ie sens de mal, ayde moy: Vore dia? est che bien parlé chela? de dire que Christ se porte ma?* caett. Ex his colligi potest Quintinum iam tunc doctorem subtilissimum egisse etiam apud evangelicos, et Calvinum adversarium habuisse pravitatem doctrinae optime perspicientem. Idem ferme affirmat in universum Historia ecclesiastica vulgo sub Bezae nomine laudata, his verbis (Tom. I. pag. 9): *C'est lors aussi qu'il rembarra premierement les Libertins lesquels de nostre temps ont renouvellé l'abominable secte des Carpocratiens, ostant toute difference entre bien et mal.*

Quod attinet ad Antonium Poques, sacrificulum crassulum parvaeque staturae, is suis in peregrinationibus Argentoratum usque pervenit ibique tam astute dissimulavit, tamque bonum et orthodoxum fratrem se praestitit, ut ipse Bucerus, in talibus alioquin optime nasutus, nihil olfecerit, et discedenti testimonium confraternitatis sua manu scriptum libenter concesserit. Quo autem tempore ille Argentorati degerit non ausimus certo definire: attamen, si quid videmus, id fuisse post a. 1538 probabile est. Habemus enim in manibus epistolam Buceri eodem anno ad reginam Navarrae scriptam et in tabulario Seminarii nostri asservatam, in qua eam familiariter admonet ut sibi a Libertinis caveat. De his enim verba eum facere, quamvis nomen ipsum non occurrat, manifestum est. Omnia enim quae de perniciosis garrulisque hominibus profert, cum iis plane conveniunt coloribus quibus Calvinus aliquot post annos ad vivum eosdem depinxit. Poquius autem, si iam tunc Argentorati fuisset, nihil sane prius habuisset quam de summo reginae patronatu gloriari, et proinde Bucerus nomen talis servi Dei silentio non potuisset praeterire. Quidquid sit, operae pretium facturos nos existimamus descripta illa epistola, utpote novo aliquo et haud spernendo documento in historia tam obscura qualis haec est Libertinorum. Ecce eam tantum non integram.

(Bucerus Reginae Navarrae.)

Gratia et pax a Domino nostro Iesu Christo augeatur Celsitudini Tuae, Regina religiosa et pia. Quia C. T. priores meas literas tam benevole suscepit, animum sumpsi alteras adiicere. Gratulor vero tibi inprimis animum istum tuum tam solide et firmiter christianum, quem vir optimus Abbas S. Martini apud

Baduelum nostrum praedicavit. Nam significavit C. T. aversari toto pectore miseros illos et perniciosos simplicitatis evangelicae fermentatores quos audimus religioni multorum in Galliis insidiari, garrientes nescio de qua renovatione hominis, in qua nihil peccet, etiamsi Christum servatorem non confiteatur, imo in membris suis prodat, si carnem suam concupiscentiis et vitiis permittat, non crucifigat. Non miramur exsistere qui tam perniciosa comminiscantur et aliis ingerant. Praedixit enim Dominus fidem nostram talibus monstrificis spurcitatibus exercendam esse, nec istud insolens videri debet quod multi etiam ex optimis ingeniis istis portentis accedunt. Perpauci enim veritatem Christi, ut oportebat, diligunt. Efficacem igitur illis Dominus errorem et illusionem iure immittit....... Si animus sibi male conscius et reprehensione conscientiae commotus non illico in Christum sese attollit, illico ingerit se Satanas et commentum aliquod offert quo homines conentur conscientiae exagitationem a se excutere et tamen in sua pravitate perseverare. Aliis obtrudit, Christum non poscere tam periculosam nominis sui confessionem regnique sui curam, nec tantopere indignari si cupiditatibus plusculum quis indulgeat. Aliis, causam religionis non pertinere ad privatos, et vitia facile condonari. Aliis cunctam Dei reverentiam eximit et iudicii exspectationem evertit. Aliis suadet, quum Christum apprehenderint, iam nihil peccare, sed quum pessima quaeque admittant ipsis peccata et mala non esse. Ita innumerae sunt artes quibus Satan veram poenitentiae meditationem in Christo evertit. At quid portentosius quam eo homines adducere, ut putent propter Christum sibi iam licere impie et flagitiose vivere et sibi mala non esse propter quae ira Dei venit ad caeteros. Pie igitur facit C. T. quod administros huius furoris abominatur............ Haec scripsi eo copiosius ad T. C. quod sciam, quo Christi studio flagras, te tua autoritate et sedulitate, per te ipsam et per eos quos devinctos tibi in Domino habes, effecturam ut serventur ab isto exitioso dogmate multi, et revocentur etiam ab eo si qui revocari queant. Verisimile enim est te ignorare quam multi apud vos ista peste correpti sint. Et verendum plures quotidie ea corripi, vel ea de causa quod quidam praepostere severi requirunt a quibuslibet ut a vulgatis caeremoniis et omni ecclesiae se commercio substrahant, utque clarissime testentur se damnare omnia quae in ecclesia geruntur. Nam quum ista homines veritate nonnihil imbuti praestare non possunt, nec ferre tamen possunt conscientiam negati Christi, admittunt istiusmodi remedia morbis ipsis multo perniciosiora....... Periculum multarum praestantissimarum animarum, quas Christus in gente vestra ad se excitavit, movit me ut tam multis de hac re ad T. C. scriberem. Id, Regina sanctissima, oro, boni consulas, occurrasque ubi possis hostibus religionis.... mihique parcas, quod tua bonitate, scribens adeo multis, sim tam licenter abusus. Studio Christi et sanctorum in Galliis, qui per te in doctrinam puriorem possunt recipi, etiam a male sanis dogmatis, id mihi permisi. Vale in Christo Domino, Regina sanctissima. Argentorati 5 Iulii a. Christi 1538.

Celsitudinis Tuae addictissimus
Aretius Felinus.

Ad elucidandas has literas unum addemus locum Historiae ecclesiasticae iam supra laudatae, vitam Abbatis illius S. Martini ingeniumque hominis illustrantem. Legimus Tom. I. pag. 64 haec: *En ces temps estoit demi resident à Autun l'Abbé de S. Martin, homme de lettres instruit en la religion et prenant plaisir à faire bonne chere à ceux qui le venoient visiter, ausquels il parloit asses ouvertement de la verité sans se mettre en danger pour cela, pour estre non seulement supporté mais chery et recherché par les plus gros de l'Eglise Romaine à cause de sa bonne et friande table. Plusieurs de ceux qu'il avoit instruits le reprenoient de ce qu'il ne faisoit conscience de s'accommoder à ce que luy mesme condamnoit et taschoient de l'encourager à faire mieux. Mais luy au contraire se faschant d'estre repris et flatant sa conscience, s'esgara iusque là que de faire une theologie toute nouvelle meslant beaucoup de choses des resveries des Libertins et finalement est mort, n'estant, comme l'on dit en commun langage, ny chair ny poisson.*

Poquius profugus ex Hannonia et Artesio venit Genevam paulo post Calvini reditum, anno 1542, ibique aliquamdiu verbi divini ministris familiarem se praebuit. Sed vaferrimus dissimulator neque caeteros, qui aderant, Gallos, Calvino deditissimos, latere potuit, neque ipsum Calvinum diutius decipere, qui suspectum hospitem in congregatione, quae die Veneris haberi solebat, saepius redarguere et admonere necesse habuit. Genevam igitur relinquere consultius esse ratus, discedens hoc egit ut testimonium aliquod ab eodem acciperet, quo sese iuvaret apud eos qui ei aliquid autoritatis tribuebant, ac si diabolicos ipsius errores approbaret. Personam vero suam non sic callide egerat quin saltem pro deliro et fanatico homine a Calvino haberetur. Itaque neque precibus, neque exemplo Buceri, cuius laudabat humanitatem, unam literulam ab eo elicere potuit. Imo invitus Calvino melius informato causa et quasi impulsor fuit, ut paulo post tractatum suum contra Libertinos etiam Genevae serpentes ederet, ex cuius capite quarto haec desumimus. Poquius interim redierat in Galliam ubi tum temporis plus quam quatuor millia hominum fidelium sectae coryphaei sua spirituali sublimitate et αὐθαδείᾳ irretierant. Viri enim erant, non doctrina quidem insignes, sed eloquii facilitate, qua simplicium oculos et mentes perstringebant. Haud infitior (verba sunt ipsius Calvini l. l. cap. 5. edit. nostr. pag. 166) quin astutia qua utuntur plurimum ipsos iuvet. Nam initio tam novo et insolenti sermone utuntur ut rapiantur idiotae, credentes se in coelos sublatum iri, sicque auditores suos suspensos tenent quoad ipsos ita fascinarint ut persuadeantur umbram, quod dici solet, esse arborem. Adde quod omnia proferebant picardico more pronunciantes, qui longe ab elegantiore Gallorum sermone abhorrebat, et quem Calvinus, qui ipse Quintinum loquentem audierat, in suo libro lepide imitatus traducit.

Nihilominus isti homines, philosophos et pastores evangelicos agentes, subornante Gerardo Rufo, apud Margaritam Valesiam, Navarrae reginam, usque adeo sese insinuarunt, ut Quintinum et Poquium domesticis suis accenseret suisque sumptibus sustentaret. Quod Calvinus in libello suo tecte quidem, verum non sine reprobatione indicat (cap. 5.) et Historia ecclesiastica palam testatur Tom. I, pag. 22. Navarrena, alioquin lectissima foemina et summi ingenii atque elegantissimi, simul arctioribus caritatis vinculis, ne quid gravius dicamus, regi fratri addicta, in rebus religionis et fidei ab omni rigiditate mere evangelica abhorrens, et vitam aulicam et fratris asotiam cum mystica quadam et satis perplexa sensualique pietate facile coniungens, in media quadam natabat aqua, fluctuabatque in utramque partem, et libenter eos omnes audiebat qui turbatae conscientiae lenimentum aliquod, vel nocentissimum, afferebant. Quid mirum si doctores isti talibus angustiis exagitatae avidam inveniebant aurem, cui soporifera sua sophismata instillarent de spirituali illuminatione, de spiritu uno eodemque in nobis et in toto mundo omnia perficiente, de ἀδιαφορίᾳ dictorum factorumque nostrorum, de dissimulatione licita, aliaque plura ex turbido pantheismi vulgaris fonte manantia. Haud parum igitur offensa fuit scripto illo quo Calvinus mascula sua et animosa parrhesia falsae istius philosophiae βδέλυγμα ad lucem protraxit suaeque severiori submisit censurae. Facile eam Libertinorum tunc superstites patriarchae eo adduxerunt ut iuberet suo nomine literas conscribi, quibus cum Calvino expostulavit eumque amarulenter officii sui admonuit. Interiere hae literae; solum exstat Calvini responsum gallice scriptum et datum d. 20 Aprilis 1545, quod impressum legitur apud Bonnet T. I. p. 111. et Henry T. II. Append. p. 112, et latine Genev. p. 53. Laus. p. 132. Hanov. p. 148. Amst. p. 32.

Prima historiola vitae Calvini a Beza a. 1564 tumultuarie et quidem gallice conscripta nullam Libertinorum mentionem facit; Colladonii opusculum anno sequenti item gallice editum solum titulum libelli calviniani recenset ad a. 1545. Verum in Vita latina Epistolarum primae editioni praemissa haec leguntur: *Eodem anno Calvinus tum Anabaptistas tum Libertinos, in quibus veteres omnes quantumvis portentosae renovatae sunt haereses, duobus libellis ita refutavit, ut neminem iis attente lectis arbitrer exstitisse,*

qui vel ab istis nisi sciens et prudens decipi potuerit, vel, si antea deceptus erat, non ultro in rectam viam redierit. Offensa est tamen isto libro in Libertinos Navarrena, quod ab illius horrendae sectae antesignanis duobus, Quintino et Poqueto, quos nominatim Calvinus arguerat, eousque fuisset fascinata, ut quum alioquin eorum mysterium non teneret, pro bonis viris illos haberet, ac proinde sese quodammodo per eorum latus confossam arbitraretur. Quod quum intellexisset Calvinus, sic illi mira quadam moderatione respondit, ut et dignitatis et collatorum ab hac regina in ecclesiam Christi beneficiorum memor, ingenue tamen et cordate, ut fortem Dei servum oportuit, nimiam illius in admittendis istiusmodi hominibus imprudentiam reprehenderit, et ministerii sui autoritatem asseruerit, effecerit denique ut horrendae Libertinorum sectae homines, qui in Galliam usque sese effundere coeperant, postea sese intra Hollandiae et proximarum regionum fines continuerint. Eadem succinte refert Historia ecclesiastica Tom. I. pag. 49.

In thesauro epistolico calviniano rarissime harum rerum et libellorum de quibus hic agitur mentionem iniectam invenimus, nec quidquam legisse meminimus quo addito narrationi nostrae iam satis prolixae maiorem lucem afferre possemus. Id tantum ex variorum literis ad Calvinum datis apparet, ipsum ab amicis, Farello, Polano, aliis, maxime per annum 1544 enixe flagitantibus adductum scribendo manum admovisse.

Libelli calviniani adversus Anabaptistas et Libertinos separatim editi rarioribus, imo rarissimis adnumerandi sunt. In nostra collectione nullus eorum exstat. Nacti tamen sumus singularum editionum singula vel plura exemplaria ex variis bibliothecis repetita et humanissime nobis concessa, ita ut eorum titulos et quae praeterea notatu digna videntur accurate tibi describere possimus. Binae sunt utriusque tractatus editiones authenticae, omnes Genevenses ab Io. Girardo procuratae.

BRIEVE | INSTRVCTION, | POVR ARMER TOVS | bons fideles contre les erreurs de la se- | cte commune des Anabaptistes. | *Par M. Iehan Caluin.* | (*Emblême de l'imprimeur*) | A GENEVE | PAR IEHAN GIRARD | 1544.

Forma octonaria minor. Emblema gladii flammei, cum notissimo suo adagio: NON VENI PACEM | MITTERE IN TER- | RAM, SED GLADIVM. Quaterniones duodecim (A—M.) paginae numeratae 190, ultimum folium vacuum. In folio tituli verso legitur Articulorum fidei anabaptisticae in hoc libro impugnatorum conspectus. Exemplar huius editionis unicum quod exstare videtur habuimus ex bibliotheca armamentarii Parisiensis.

BRIEVE | INSTRVCTION, | POVR ARMER TOUS | bons fideles contre les erreurs de la secte com- | mune des Anabaptistes. | Par M. Iehan Caluin. | (*Emblême*) | A GENEVE, | PAR IEHAN GIRARD. | 1545.

Forma eadem ac praecedentis. Emblema idem. Quaterniones undecim (A—L); paginae numeratae 170. Tria ultima folia in albis. Conspectus articulorum ubi et supra. Typi paulo minores quam in priore editione. Exemplari usi sumus bibliothecae Basileensis, singulari de causa nobilissimo: scilicet titulo nomen suum inscripserat olim primus possessor Ioannis Sanravii, cui postea alia manus addidit verbum fuit, et infra: Nunc est Seb. Castalionis.

Prima diatribes adversus Libertinos editio prodiit ante illam modo laudatam posteriorem adversus Anabaptistas, ut infra data occasione ex ipso huius textu demonstrabimus. Tria huius libelli exemplaria nobis ad manus fuerunt, Guelferbytanum et Parisiensia duo, alterum Armamentarii, alterum S. Genovevae. Praeter quae unum tantum etiam exstare scimus Turicense. Titulus hic est:

CONTRE | LA SECTE PHAN- | TASTIQVE ET FVRI- | euse des Libertins. Qui se nom- | ment spirituelz. | Par I. Caluin. | (*Emblême.*) | A GENEVE | PAR IEHAN GIRARD. | 1545.

Forma et emblema ut supra. Quaterniones quatuordecim et quinternio unus (A—P). Paginae numeratae 243, sed ex errore typographi 242 tantum. Ultima pagina vacua. Typi maiores quam in prima editione libri contra Anabaptistas.

CONTRE LA | SECTE PHANTASTI- | QVE ET FVRIEVSE | des Libertins, qui se | nomment spi- | rituelz. | AVEC VNE EPISTRE DE LA | mesme matiere, contre vn certain Cordelier sup- | post de la secte: lequel est prisonnier à Roan. | Par I. Caluin. | (*Emblême.*) | 1547.

Forma eadem. Emblema sine epigraphe. Quaterniones quatuordecim cum dimidio (A—P) Paginae numeratae 229, et tres vacuae. Typi iidem atque in libello contra Anabaptistas a. 1544. edito. Tractatus ipse pertinet ad pag. 194; in sequenti incipit epistola ad Rotomagenses. Exemplar suum, idque fere unicum quod exstat, nobiscum communicavit vir humanissimus et iam antea de instituto nostro meritissimus, Otto Cuvier, ecclesiae evangelicae apud Metenses pastor.

Epistola illa quae huic editioni appendicis loco addita est nunquam separatim excusa videtur. De ea Colladonus pauca suae inseruit narrationi (pag. 65 ed. Frankl.) his verbis usus: Il escrivit aussi l'epistre aux fideles de Rouen, imprimée entre ses opuscules, par laquelle il les advertissoit de ne se laisser tromper par les erreurs d'un certain cordelier, prisonnier pour la parole de Dieu, comme aucuns d'entre eux pensoyent, mais qui à la verité estoit un libertin, plein de resveries pernicieuses. Scripta fuit Genevae d. 20 Augusti a. 1547. Autor in ea de libello suo adversus Libertinos scripto ita loquitur ut facillime perspicias epistolam separatim ad Rotomagenses missam fuisse, et quidem calamo exaratam, mox vero novae editioni subiunctam, simul ac huius parandae occasio se obtulisset. Haec etiam fuit opinio latini interpretis, apud quem Calvini verba circa finem epistolae, in archetypo minus definita, sic sonant: Tandem et testimoniis convictus, et libro quem nuper edidi et quo iudices usi sunt, (tant par tesmoings que par mon livre), et paulo post: quem universa Nerviorum civitas non solum effraenatae libidinis poenas dedisse novit, sed etiam exsecrandae blasphemiae, qualem libello meo explicui et descripsi. Ubi manifeste Franciscanum istum explosum et punitum proponit postquam ipse contra eum scripserit, de scripto autem suo quasi de semel edito loquitur.

In corpore Tractatuum gallico tres hi libelli adversus Anabaptistas, Libertinos et Franciscanum Rotomagensem iunctim editi apparent et quidem in editione principe a. 1566, p. 579—726, in Stoeriana a. 1611, pag. 657—832. Paulus Lacroix noster priores duos quamvis maioris momenti libellos neglexit, et non nisi tertium suo volumini inseruit pag. 293—311.

Versionem latinam libellorum contra Anabaptistas et Libertinos Nicolaus Gallasius typis mandavit iam a. 1546 seorsim excudendam, postea epistola ad Rotomagenses auctam suo Tractatuum corpori inseruit. Editionis principis vix unum aut alterum exemplar aetatem tulit. Nos Stuttgardiano usi sumus. Titulus est:

BREVIS | INSTRVCTIO MV- | NIENDIS FIDELIBVS AD- | *uersus errores sectae Anabap-* | *tistarum.* | | ITEM | ADVERSVS FANA- | TICAM ET FVRIOSAM SEC- | *tam Libertinorum, qui se spiritua-* | *les uocant.* | | *Authore* | *Iohanne Caluino.* | | NVNC PRIMVM E GALLICO | *uersa Latine per Nicolaum Gal-* | *lasium* | | ARGENTORATI PER VVEN- | *delinum Rihelium. Anno* | M.D.XLVI.

Forma octonaria minor. Quaterniones septendecim cum dimidio (A—S). Folia (non paginae) numerata 140. Typi cursivi. Fol. 2—4 legitur epistola Gallasii nuncupatoria ad Fallesium; fol. 5 incipit liber adversus Anabaptistas, fol. 57 alter contra Libertinos. In fine legitur: ARGENTORATI PER WENDE- | *linum Rihelium. Anno* | M.D.XLVI. Folium ultimum versum exhibet emblema Rihelii quod in Prolego-

menis Vol. I. pag. XXXII. descripsimus. Calvini praefatio deest in hac versione, et a Beza demum a. 1576 suo loco restituta est.

Quum Gallasii praefatio in editiones Bezae et recentiores non transierit, quamvis lectu hodieque digna, operae pretium facturi nobis videmur, ea hoc loco descripta. De Fallesio, viro nobilissimo, cuius et Calvini plurimae exstant epistolae mutuae, alio loco s. D. p. fusius agemus.

Illustri viro Iacobo a Burgundia, Fallesii Bredanique Domino, Nicolaus Gallasius S.

Quae rationes, vir clarissime, Calvinum impulerint ad scribendum adversus Anabaptistas, satis quum libellus ipse declarat, tum vero epistola ei praeposita, quam una converti. Multi quidem ac docti viri erudite ac copiose adversus hoc hominum genus scripserunt: atque adeo Calvinus ipse in sua Institutione sparsim eorum deliria, et quidem abunde, refellit: sed nemo id seorsim praestiterat nostra lingua. Quamobrem necessarium fuit eos iterum eodem sermonis genere refutari, quo ipsi nostrates fallere et in animos imperitorum irrepere conati erant. Solent enim illiteratos et rudes adoriri, quos quum reperiunt imparatos, facile, qua sunt astutia et calliditate praediti, eos sibi adiungunt. Cui malo ut mederetur noster Calvinus, libellum hunc vulgari lingua scripsit, quo breviter et aperte detegit ac diluit eorum fallacias: adeo ut vel indocti et veritatem ipsam intueri, et adversus tam perniciosos hostes probe muniti esse possint. Latine porro scribere noluit, quod doctissimorum virorum exstent libri, quibus literati homines abunde instruantur. Sed quoniam illi, dum cunctos errores qui ex ea secta prodierunt sumunt sibi refutandos, infinitam paene sylvam ingredi coguntur, hoc autem libello refelluntur solum ultima eorum pronunciata, quae pro oraculis habent et typis excusa tum germanica tum gallica lingua evulgarunt, eum non minus doctis quam indoctis utilem fore putavi. Addo quod paucis et familiariter explicantur omnia, solidisque argumentis firmantur: exponuntur etiam genuine ac fideliter plerique scripturae loci. Itaque operae pretium me facturum putavi, si eum communicarem linguae latinae hominibus. Quod attinet ad posteriorem libellum quem scripsit adversus Libertinos, quam necesse fuerit portentosam illam et belluinam sectam reprimi, nemo sanae mentis non videt. Eos autem qui acerbius tractatos, aut durioribus verbis compellatos existimant, rogatos velim, secum reputent, num satis atrocia aut indigna de tam scelesto hominum genere dici aut cogitari possint. Videant quanta verborum acerbitate tum Christus ipse, tum prophetae et apostoli, veritatis hostes insectati sint. Et quales hostes? Qui scilicet prae istis vix levissima reprehensione digni videri possent. Nec vero iis assentior qui silendum potius quam haec scriptis evulganda putant. Tales enim aut illorum fautores, aut valde socordes esse oportet: qui detestabilem hanc pestem, qua non tantum religio, verum etiam humanitas omnis deletur, quo magis impune grassetur quietam sini volunt. Quum publicatis scriptis sparserint venenum suum, a recta vivendi ratione abduxerint permultos: an fideles Dei servi muti esse debent? At plures qui antea ignorabant quid sibi vellent Libertini, lecto hoc libello statim intelligent, quod ipsos nescire utilius foret. Quaeso, nonne praestat, omnes de pestilenti hac secta monitos esse, quam incautos ipsos et imprudentes decipi? ac prius medicinam eis in manu esse qua se tueantur ac muniant, quam veneno infecti sint? Quod si paucorum tantum animi eo corrupti essent, fortasse tali consilio fuisset locus: sed quum haec lues iam per multas regiones saevius grassata sit, quantae crudelitatis foret intereuntibus animis nullam opem ferre? Nemo, cui aliquid cordi est, non facile agnoscit quam necessarium fuit tantam abominationem detegi: ut omnes eius foetore absterriti procul ab ea fugiant nec ullis se illecebris irretiri patiantur. Et quo quisque sibi diligentius caveret, autores sectae nominari oportuit. Nam instar Protei subinde sese transformant novasque species induunt, ita ut facile decipi possint quibus ignota est eorum astutia. Simulare enim, mentiri, fallere, summam esse virtutem

statuunt: secum rident omnia, et quidquid in mundo est nihil esse aiunt. Quo fit ut hodie talia se dogmata tradidisse aut sequutos esse negent, quia ex eorum sententia doctrina ipsorum nihil est, et quum loquuti sunt, nihil dixerunt. Quis ad tam insana deliria non obstupescat? Proinde, quoniam malum hoc longius serpebat in Gallia, ac multa iam hominum millia corrupta erant, ideo gallice scripsit Calvinus, ut praesertim linguae nostrae hominibus subveniret. Sed quum intelligerem, non minus in Flandria, Brabantia, et nonnullis inferioris Germaniae partibus hanc pestem grassari, existimavi me rem piis omnibus gratam facturum, si libellum hunc convertens communia facerem ipsis haec arma, quibus muniti possint una nobiscum tam perniciosos hostes depellere, ut, si manus conserendae sint cum ipsis, habeant unde eorum tela et gladios retundant. Sunt enim hic omnia desumpta ex verbo Dei, quo solo falsa omnis doctrina convincenda est. Haud equidem arbitror diuturniorem fore hanc sectam, quum ab omni naturali sensu ita abhorreat, ut nullos nisi deploratissimos ei adhaerere veri simile sit. Sed quum tanta sit ingratitudo nostra, ut longe etiam deteriora vereri oporteat, nos certe instructos esse verbo Dei necesse est: atque hic velut in speculo contemplari, quale iudicium Deus exerceat in eos qui sacrosancto eius evangelio ad suas libidines abutuntur, aut ipsum in vanam philosophiam convertunt. Nec vero libellus hic usui tantum erit quod eo Libertini refellantur, sed etiam quod utilem alioqui per se doctrinam et familiariter explicatam contineat, quum de aliis rebus, tum de spiritu, de providentia Dei, de libertate christiana, de resurrectione, de vocatione, de regeneratione, de communione bonorum. Quae tametsi tum aliis libris, tum Institutione abunde tractantur, tamen et ad formandum iudicium, et ad pleniorem intelligentiam non parum valet, rem eandem varie eodemque nihilo minus sensu traditam cernere. Haec ego quum in piorum omnium gratiam verterem, vellem tamen alicui potissimum mittere, tu mihi in mentem venisti, cui libentius ea dicarem. Vidi enim ac perspexi quam sis verae pietatis et sincerae doctrinae studiosus. Intellexi non tantum ex tuis sermonibus, sed experientia ipsa didici, quanto animum tuum dolore afficiant hae sectarum pestes quas aliis etiam scriptis oppugnandas curasti. Ostendisti quam iniquo animo ferres miseram plebem, et pastoribus et doctrina in hac rerum perturbatione destitutam, vulpecularum istarum fraudibus in exitium duci. Quum igitur hanc luem profligatam cupias, et scriptis Calvini insignis ecclesiae pastoris summopere delecteris, quae tibi gallice scripta placuissent, eadem latina facta non iniucunda fore existimavi. Non quod ista cum illis comparari possint (praestat enim quae ab autore scripta sunt quam a me conversa legere), sed quoniam ea quae linguae nostrae hominibus seorsim scripta videbantur, caeteris communicari utile est, quibus etiam pro christiana pietate tua bene consultum cupis. Quamobrem sub tuis auspiciis haec prodire volui, cuius gratia et opera in quam plurimorum manus pervenient, et magnum, ut spero, fructum sunt allatura. Caeterum non tam hic sermonis ornatum quam rationum momenta quaeri velim. In hoc praecipue studui ut mentem autoris fideliter et facile exprimerem, et quamvis peculiares quasdam habeat loquendi formas, quae latine neque leporem neque vim eandem retinere possunt, efficerem tamen ut sensus omnibus satis dilucide constaret. Quod an sim assequutus, tibi caeterisque iudicandum relinquo. Dominus suas in te dotes augeat, et te incolumem servet ac tueatur in ea fide et constantia in qua hactenus perstitisti. Idibus Mart. M. D. XLVI.

Hanc suam epistolam nuncupatoriam Gallasius postea invariatam inseruit corpori Tractatuum calvinianorum a se edito. Tertia eademque ultima vice excusa apparet in editione Opusculorum a. 1563 a Barbirio curata ubi tamen non Fallesio, sed Clarissimo viro Gaspari Oleviano ecclesiae Heidelbergensis fido pastori inscripta est. Quum enim sub finem a. 1551 in famosa illa Hieronymi Bolseci causa, quem ministri Genevenses duce Calvino haereseos accusarant apud magistratum, Fallesius pro reo acriter exagitato per literas publicas intercessisset, illi pristinae amicitiae vinculo soluto virum antea maxime observatum vitare coeperunt et mox ab eo aperte seiungi. Haec quoque Gallasio causa fuit mutandae dedicationis. Iam et in ipso epistolae textu nonnulla aliter leguntur in hac ultima editione

atque in duabus prioribus. Scilicet post illa: tu mihi in mentem venisti cui libentius ea dicarem, sic pergit: Certo enim scio quam sis verae pietatis et sincerae doctrinae studiosus, et quanto animum tuum dolore afficiant hae sectarum pestes quas aliis etiam scriptis oppugnari desideras. Nam satis novi quam aegre feras miseram plebem caett. usque ad finem. Subscriptio facta est Idibus Febr. M. D. LXIII.

Textus latinus trium horum scriptorum exstat in ed. Gallasii pag. 466—576; apud Barbirium P. II. pag. 1—345; in ed. Sanctandreana prima pag. 569—655: in secunda pag. 476—547; in Stoeriana pag. 414—473; denique in Amstelodamensi pag. 355—408.

Nos pro instituto nostro textum gallicum, utpote authenticum et vere calvinianum, recudendum tradimus typographo, ita tamen ut Epistolam contra Franciscanum Rotomagensem a libello adversus Libertinos separatam, observata temporum ratione, ad suum annum 1547 referamus.

CAPUT XX.

ADMONITIO PATERNA PAULI III. AD CAESAREM CUM SCHOLIIS. 1545.

Hic quoque libellus nexu aliquo tenetur cum comitiis illis Spirensibus quibus proxime instantibus Calvinus ad Caesarem Carolum Quintum supplicem exhortationem de necessitate reformandae ecclesiae conscripserat. Quum enim ibi imperii ordines, rebus politicis et militaribus unice intenti, de dissidio religionis compescendo tractare non potuissent, quanquam a mense Februario ad Iunium usque conventus egerant, hanc curam in proximum conventum distulerunt. Interea Caesar, quum parata iam in Galliam expeditione non aliter posse Germaniam in pacato statu contineri intelligeret, quam si praescripta ante suum discessum foret ratio qua principes caeterique ordines pacem colerent, decretum interposuit ut, donec cognita esset causa, aequalis utrisque conditio esset: tum sibi curae fore promisit ut prima quaque occasione concilium universale, vel saltem nationale cogeretur, aut si id non succederet, se daturum operam ut proximo imperiali conventu post legitimam disceptationem aliquid tandem statueretur. Simul negotium se mandaturum affirmavit viris bonis atque doctis qui piam aliquam emendationis formulam conscriberent, et ut idem quoque principes facerent hortatus est, quo facilius postea, facta collatione, res utrinque componerentur. Decretum hoc haudquaquam laudabat pars catholica: verum aperte resistere non ausi, se non assentiri quidem, sed neque Caesari modum praescribere nec ipsius derogare potestati velle dixerunt. Iam vero de eodem plane aliter sensit Pontifex romanus Paulus III. Is mox gravissimam in ipsum Caesarem expostulationem edidit quod catholicis scilicet haereticos exaequasset, et in alienam messem iniecisse falcem videretur. Nam et hoc quantulumcunque, quod concessum hoc modo protestantibus erat, ut paulisper iniquis praeiudiciis sublevarentur, nimiae indulgentiae corruptelam esse clamitabat, et Caesarem sibi ius aliquod sumpsisse in religionis causa, id et indignum et periculosum, multis ex scriptura et historia allatis exemplis, probare studebat. Hae Pontificis ad Imperatorem literae datae sunt Romae d. 24. Augusti 1544. Confer de his omnibus Sleidani commentarios Lib. XV. et XVI. ed. Francof. 1786. T. II. p. 348 s., 357 s., tum ipsius Calvini Praefationem, quibus maxime ducibus hoc rerum gestarum compendium concinnavimus. Hic enim Noster Pontificis Admonitionem denuo edidit, additis Scholiis, quibus eam refutare conatus est.

Mire igitur fallitur Beza qui duos Calvini libellos ad comitia Spirensia pertinentes alio ordine recenset, imo omnino confudisse videtur. Sic enim scribit in Vita Calvini, postquam de Pauli III. literis mentionem fecit: *Calvinus autem, quod in iis literis graviter laesa erat evangelii veritas piorumque innocentia, Pontificis audaciam repressit. Fuerunt tum Spirae coacta imperii comitia: qua accepta occasione libellum edidit de necessitate reformandae ecclesiae* caett. Iam Colladonus accuratiorem utriusque scripti notitiam in suas schedas retulit, neque tamen rem ad liquidum perduxit: *L'an 1544* [imo 1543] *il composa un traicté De la necessité de reformer l'Eglise, faict par forme de supplication à l'Empereur Charles cinquiesme, ensemble aux Princes et Estatz de l'Empire assemblez lors en la ville de Spire. Aussi pource que le pape Paul III. s'estoit aigri par une epistre et avoit ietté son venin contre l'Empereur, de ce que, voulant tenir l'Allemaigne en paix durant la guerre entre luy et le Roy de France, il avoit ordonné à Spire que ce pendant les Protestans demeureroyent en leur estat et qu'on n'innoveroit rien contre eux, mais qu'à la premiere commodité il feroit tenir un concile pour resouldre des affaires de la religion: Calvin composa certaines Annotations sur l'advertissement paternel du Pape à l'Empereur, esquelles il monstre le grand zele du Pape, et comment il ne demande que confusions contraires à la parolle de Dieu, et d'oster toute bonne tranquillité d'entre les hommes, mesprisant l'authorité que Dieu donne aux magistratz, et laissant ce pendant Rome estre tousiours Rome, et sa cour apostolique plongée en tout desbordement de vices.*

Neque audiendus P. Henry (Vita Calvini T. II. p. 270, 279) qui Bezae narrationem ita interpretatur ut re vera de duobus diversis scriptis eum verba fecisse perhibeat, sed inverso ordine editis. Ipse scilicet Scholia ad Papae Admonitionem primo loco ponit, secundo Exhortationem ad Caesarem, quam eodem fere tempore scriptam contendit. Quod sane vir alioqui meritissimus non dixisset, si editio utriusque libelli princeps ei ad manus fuisset; tum enim non utrique annum eundem natalem 1544 assignasset, nempe quo comitia Spirensia acta sunt, verum alteri annum 1543, alteri huic nostro 1545.

Pontificis Epistola ad Caesarem saepius a diversis scriptoribus edita est, tam catholicis quam protestantibus, quorum nomina recenset Sleidani editor loco supra laudato pag. 357. Semel tantum cum Calvini scholiis separatim excusa fuit, cuius editionis unicum, quod nobis quidem videre contigit, exemplar in ditissima Guelferbytana bibliotheca exstat. Hoc nobis a viro clarissimo C. L. Bethmanno ad tempus concessum nostrae editionis fundamentum fecimus. Titulus est:

ADMONI- | TIO PATERNA | PAULI III. ROMANI | *Pontificis ad inuictiss. Cae- | sarem Carolum V.* | | QVA EVM CASTIGAT, | *quod se Lutheranis praebuerit nimis fa- | cilem: deinde quod tum in cogenda syno- | do, tum in definiendis fidei controuersijs | aliquid potestatis sibi sumpserit* | *Cum Scholijs.* | | *M.* D. *XLV.*

Forma octonaria minor. Quaterniones sex (A—F). Pag. 3 legitur praefatiuncula ad lectorem; pag. 4 et 5. Status causae qui dicitur, sive Argumentum. Pag. 6—41 descripta exhibetur Epistola Pauli ad Imperatorem, ad cuius marginem appositi sunt passim numeri (1—47), eas pontificis assertiones notantes, quas Noster maxime impugnandas sibi delegit. Sequitur in folio peculiari non numerato titulus novus: Annotationes utilissimae in beatissimi Pauli III. Pont. Max. Epistolam. Quae annotationes, sive ut sequenti pagina dicuntur Scholia occupant paginas 43—86 (sive potius 84, quum typotheta erraverit in apponendis numeris). Finem facit Conclusio, quatuor paginarum absque numeris. Reliqua tria ultimi quaternionis folia in albis. Praefatio et Conclusio typis cursivis maioribus expressae sunt, Scholia minoribus; Epistola ipsa typis romanis. Calvini nomen nusquam apparet in toto volumine, neque ullum loci vel typographi vestigium aut emblema.

Recusum est hoc opusculum ordine rerum non mutato apud Gallasium p. 352—379; apud Bezam

ed. 1576, pag. 286—304; Ed. 1597, pag. 239—254; Ed. 1611, pag. 205—218, denique Ed. Amst. pag. 178—189. Gallicam versionem seperatim excusam unquam exstitisse, res est nobis maxime dubia, quippe cuius vestigium neque apud veteres autores neque in bibliothecis ullum deprehenderimus. Quae in Corpore Tractatuum gallico legitur versio (Ed. 1566, pag. 438—471; Ed. 1611, pag. 493—532) latinum textum presse sequitur. Argumentum epistolae Pontificis praemissum hic dicitur: Le noeud principal de la matiere; Calvini vero Scholia sunt: Brieves expositions.

Nos hoc scriptum nova forma donatum edemus, scilicet duabus libri partibus aliter dispositis atque in veteribus editionis legitur. Quum Calvini confutatio re vera, ut ipse dixit, meris scholiis absolvatur, ad singulas Admonitionis pontificiae propositiones pertinentibus et suis propriis numeris ad easdem relatis, non vero sit oratio continua et rebus quasi ex professo tractandis aptata, lectoris commodo melius prospectum iri censuimus si has Nostri annotationes textui Epistolae Pauli ita subiecerimus ut facillime illae cum hoc conferri possent.

Notandum, eodem fere tempore quo Calvinus hoc suum opusculum edidit, Lutherum quoque libellum peculiarem contra Pontificis praeposteram in res Germaniae intrusionem emisisse: Wider das Bapstum zu Rom vom Teuffel gstifft. 1545. De quo vide Lutheri Opp. germ. ed. Erl. T. 26, pag. 108.

CAPUT XXI.

PRO FARELLO ET COLLEGIS EIUS ADVERSUS P. CAROLI CALUMNIAS. 1545.

Hic libellus ab omnibus Tractatuum editionibus abest, quippe qui sub Nic. Gallasii nomine editus olim fuerit, non vero Calvini. Cui tamen eum vindicare autori, res non adeo difficilis erit. Verum antequam hoc officio defungamur paucis retractare libet quae de Carolo isto a veteribus memoriae proditum est.

Petrus Carolus s. Caroli, oriundus ex vico Rosay in agro la Brie dicto, dioeceseos Meldensis, fuit theologiae doctor et prior sorbonicus, vir vana ambitione agitatus, opinionibus inconstans, moribus levis. Iam anno 1525 haereseos lutheranae accusatus Parisiisque pulsus Meldos concessit; mox vero poenitentiam professus, sive sinceram sive fictam, cum suis in gratiam rediit et Alenconii in Normandia per aliquod tempus pastoris munere functus est, et quidem, ut videtur, cum magna zeli catholici asperitate, adeo ut eo autore vel saltem annuente, duo iuvenes religionis causa in illa urbe morte multati sint. Quum vero ipse quoque denuo in suspicionem haereseos incidisset, securitati suae prospiciens relicta Gallia Genevam se recepit (1534), et anno proximo actis colloquii inter Farellum et Bernardum Franciscanum habiti interfuit, ubi quidem fidei catholicae defensorem se constituit, ita tamen ut simul alterius partis favorem ambiret eique de variis abusibus sublatis gratularetur. Quum vero actis subscribere iuberetur, nomen dare recusavit et tergiversatione atque sermonum ambiguitate omnibus displicuit, simul a Farello de pristinis moribus, quorum fama Genevam pervenerat, severe admonitus est. Inde primum Basileam, deinde Neocomum adiit, ubi verbi divini minister creatus uxorem duxit (1536). Eodem anno partes suas egit in disputatione Lausannae habita de reformanda ecclesia, post quam senatus Bernensis, enixis eius sollicitationibus permotus, eum Lausannensibus ministrum obtrusit. Quin, hoc honore nondum contentus, petiit ut sibi ius inspectionis in ministros agri vicini daretur. Verum hic repulsus cum

obiurgatione et Vireto commendatus est, qui eum consilio suo utpote novitium regeret, pro sua prudentia et usu quem in lausannensi ecclesia habebat. Iam vero paucos post menses, absente collega, nova quaedam spargere coepit dogmata, vel potius veteres papisticas superstitiones commendare, maxime preces pro mortuis faciendas. Quapropter a caeteris ministris impugnatus et a senatu ad palinodiam damnatus, deprecatione submisse et cum lacrymis facta, contumeliam acceptam ulturus adversarios suos arianismi insimulavit, atque detestandi erroris culpa oneratos perdere studuit. Quibus fortiter reclamantibus res et Lausannae et Bernae, in synodis de hac ipsa causa coactis, tractata eventum habuit Calvino eiusque amicis faustissimum. Carolus autem sibi graviora metuens fuga Solodurum se recepit, et inde mox in Galliam reversus Cardinali Turnonio se sistere properavit, oviculam scilicet ex longo tristique errore ad ovile redeuntem, et ab eo Romam missus, a Paulo III. pontifice, cui scriptum aliquod contra reformatores edendum obtulit, soluto matrimonio in gratiam et gremium ecclesiae receptus est. At biennio fere elapso rursus in Helvetiam venit, et relictis pontificiis, prioribus symmystis reconciliari quaesivit. Ambiit denuo ministerium in agro Neocomensi exercendum, invitis quidem Bernensibus, sed a Farello aliisque ministris, mitius de viro poenitentiam professo iudicantibus, satis benigne exceptus. Qui tamen ipsi, quum magistratus duriores ei. veniae impetrandae conditiones irrogasset, autores fuerunt ut aliam sibi stationem quaereret. Exinde per plures annos satis vagam et variam vitam egit, tam in Helvetia, quam Montebelgardi et Argentorati, denique apud Metenses, alternis vicibus Calvinum et Farellum conviciis et libellis impetens, eosdemque amicos et patronos humiliter salutans. Postremo rebus desperatis ad pontificios iterum rediit et Romae diem suum obiit. Haec partim ex libello nunc accuratius describendo partim ex thesauro calviniano epistolico, edito et inedito, hausimus: fusius ea narrarunt Fleury, hist. eccl. Tom. 35; Ruchat, Tom. III. 360 ss., IV. 152. 180. 385, V. 17 ss. 40 ss. 129; Kirchhofer, Farel. I. 219 ss., II. 12 ss. 63. Beza in Vita Calvini paucioribus rem absolvit.

Iam de scripto contra hunc talem hominem edito dicendum; atque de vero eius autore instituenda disquisitio. Titulus opusculi hic est:

PRO G. FAREL- | LO ET COLLEGIS E- | IVS, ADVERSVS PETRI | Caroli theologastri calumnias, defensio Ni- | colai Gallasii. | (*Emblema*) | PSAL. CXIX. | Respondebo exprobranti mihi crimen: quo- | niam spes mea in Deo est. | ACTO. XXVI. | Multas et graues criminationes afferebant ad- | uersus Paulum, quas non poterant probare. | 1545.

Emblema est Girardi gladius flammeus cum suo notissimo adagio: NON VENI PACEM | MITTERE IN TER- | RAM, SED GLADIVM. Nomen loci et typographi nusquam adscriptum, sed nemini dubium esse potest. Forma, ut semper, octonaria minor. Quaterniones sunt sex (A—F), paginae numeratae 92, quatuor ultimae vacuae. Exemplar quo usi sumus nostrum est: aliud nullum vidimus.

Libri argumentum, quod facile conieceris, maxima ex parte polemicum est, ita ut Caroli dicta factaque, inde ab initio repetita, acerrimo stilo perstringantur. Passim tamen etiam de uno alterove loco doctrinae theologice disputat autor, eo consilio ut adversarii accusationes de erroribus Calvini Farellique dogmaticis temere in medium prolatas diluat et refutet. Quis autem autor fuerit, id, tacentibus Beza et Colladono, qui de hoc scripto ne γρῦ quidem habent, ex epistolis Vireti, Farelli et Calvini mutuis nullo negotio erues. Mense Iunio a. 1545 Farellus Calvino libellos nonnullos Caroli mittit, inter alios eum quem Pontifici olim supplicem obtulerat, tum acta Agathopolitana, id est documenta ad inquisitionem a Bernensibus in oppido Bonneville de Carolo habitam pertinentia; addit se praeterea habere ea quae Metis plebi ille proposuerit de defunctorum animis in sepulcris apud ipsarum corpora versantibus, et huius farinae plura, quae, si Calvinus petat, se transmittenda curaturum. Epistolam descripsimus ex autographo Neocomi asservato. Paucis post diebus, eodem mense vergente, Viretus Calvinum adit ut sanctum illud

Caroli opus, quod vocat, de quo et ipsi Farellus scripsisse videtur, ad se mittat, ne Genevenses soli eo fruantur. Exstat Genevae in Cod. 111 a. fol. 140. Mense sequenti (diem non indicat) Calvinus ad Viretum haec: *Quum die dominico rus concedere in animo haberem, ut proximo triduo ornando Carolo reliquis omnibus negotiis solutus impenderem, iamque alia omnia ad iter et tridui commorationem parata forent, ecce mihi ex insperato quod totum consilium everteret. Commentarios enim mihi a Farello missos non reperio, qui de rebus omnibus admonere me debebant. Et quia fraude ablatos esse suspicabar, sicuti etiam nunc suspicor, id mihi indignationem ita auxit ut postridie mane decubuerim. Erat etiam mihi eo molestior iactura quod legere in id tempus distuleram. Posteaquam tamen me collegi, nolui opus tibi promissum relinquere. Lunae sub vesperum proficiscimur. Sed Torneaci nox adeo nobis a pulicibus infesta fuit ut dimidiae horae somnum non ceperimus. Surgimus ante tertiam Saconetum ituri. Hic quoque pluvia obstabat et densa et diuturna. Circiter quintam illa remittente in asylum illud confugimus ut duarum saltem horarum somno nos reficeremus. Aliquousque tamen progressi sumus in scripto nostro. Initium tibi mitto. Quod si placuerit, mox ad finem perductum audies. Sin minus, non multum fecerimus iacturae. Sed velim mox tuum iudicium nobis significes, sed tale quod nos ad pergendum animet. Si quid animadvertas correctione dignum libere admone. Ego ut potero corrigam.* Haec Calvinus in epistola cuius exemplar authenticum non exstat; habemus vero Ionvillaei manu descriptam in Cod. Genev. 111, fol. 119 v. In qua quum ille, de scripto quod meditabatur verba faciens, subinde plurali numero utatur, fortasse coniecerit aliquis ipsum non solum autorem fuisse, sed alium quendam, Gallasium puto, socium adhibuisse. Huic tamen coniecturae neque Vireti responsio neque posterior Calvini epistola favere videtur. Scribit enim Viretus d. 14. Iulii ad Calvinum quae sequuntur, lectu dignissima (Autogr. Cod. Genev. 111 a, fol. 63): *Miror sane quod tot prodigiis perterritus quae tibi scripturo contigerunt, non sis ab opere revocatus, quod adversus Carolum meditabaris. Sed nihil moveris, ut video, prodigiorum ac ostentorum religione. Instar tamen prodigiorum tam multa merito haberi poterant, amissi commentarii, infirma valetudo, certamen cum pulicibus nocturnum, iugis imber, quae nullum tibi noctu diuque quietis locum darent. Cogita, si pulicibus cedere coactus sis, qualem ac quam strenuum militem tu te adversus cimices praestabis. Nam dum in arenam adversus Carolum descendis, certamen adversus cimices suscipis, quae non solum morsibus sed et foetore pugnant adversus hostem........ nisi Carolus ex eo hostium genere esset qui neminem praeter se ipsum foedare ac conspurcare potest, ut qui omnium iam suae turpitudinis foetore nares oppleverit. Huc accedit quod titulo aliarum manuum ipsius foetores exagitas, quo minus ad te ipsorum halitus pestilens perveniat. At qualis sit hostis, non tamen prorsus contemnendum esse, pulicum quibus lectus tuus insessus fuit demorsiunculae satis docere debuerunt. Nam etsi pulex hostis sit vilis admodum et contemptus non desinit tamen valde molestus esse. Perge ergo pulices et cimices istos abigere, qui etsi tibi nihil nocere possunt, possunt tamen alios infestare quibus minus noti sunt, quique minus artem norunt ipsos conterendi. Valde placuit quod hactenus scripsisti; nam hominem videris pro dignitate excipere, non quam meritus est, sed quam decet eum qui adversus eius calumnias et latratus alieno titulo defensionem suscipit. Pauca sunt tamen quorum admonere visum est, non quod displiceant, sed ut expendas diligentius, si fortasse lectores offendere possint, aut ansam praebere Caroli fautoribus calumniandi. Sunt convicia quaedam quae fortassis videbuntur duriora et acerbiora iis quibus minus notus est Carolus, aut qui seni deliro aliquid condonandum putant, qualia sunt: nebulo, furcifer, et alia id genus. Expendes igitur num praestiterit ea nonnihil lenire, quo magis eluceat narrationis rei gestae simplicitas. Sed haec parva sunt, nec multo graviora quae sequuntur. Cuiuscunque titulo haec edantur scripta, videbitur tamen autor lectoribus nostri admodum studiosus et amans, quo fit ut vereor ne quod interdum praedicat de nobis, ac praesertim quod de te principio scribit, nimis odiosum sit hostibus, qui perpetuo queri solent, quod soli velimus esse in pretio, et nostros habeamus assentatores et en-*

comiastas, quibus nihil arrideat nisi quod a nobis proficiscatur, et qui nos velut idola venerentur. Nam quum te recusasse narrat scriptionem adversus Carolum, nimio forsan contemptu de Carolo, nimis vero magnifice de te loqui et sentire videri poterit iis qui ita transversi aguntur affectibus ut ipsis minus placeamus nostraque omnia, quam Carolus nobis. Sed qui sunt eiusmodi, non sunt nobis alio loco habendi quam Carolus. Haec tamen volui indicare ut expenderes num digna sint minuta haec animadversione. Praeterea, ne omnia Carolo adimere invidia et odio hominis videatur, dum adeo indoctum omnium facit, quid si illi aliquid sophisticarum argutiarum et cavillationum tribuatur, quibus addictus est, ut sibi aliquam ingenii et eruditionis laudem apud imperitos et rudes literarum vendicet, ita ut fucus ei aliquis relinquatur, vera autem eruditione spolietur? Nam non cuivis facile persuadebitur, hominem usque adeo indoctum esse, qui sibi sua ostentatione apud plurimos aliquam eruditionis famam peperit. Porro, quod ad historiae veritatem attinet, miror sane memoriae felicitatem et dexteritatem: nam melius tenes plurima quae ab aliorum ore accepisti, quam ego qui vidi et pars aliqua fui. Sunt tamen quaedam in quibus metuo, aut ne ego fallar memoria, aut ne parum vera tibi narrata sint, quamvis non sint magni adeo momenti. Sed hoc unum, meo quidem iudicio, diligenter cavendum, necubi mendacii historiae narratio redargui possit, in iis praesertim quorum testes esse possunt Caroli fautores, quorum hic et Bernae satis magnus est numerus, qui tametsi non aperte faveant, sed hominem damnare cogantur, ita tamen damnant ut partem invidiae in nos derivare studeant, quo nos gravent, illum vero exonerent, quod partem aliquam ignominiae ipsius ad se quoque redire sentiant. Atque ita causam suam agunt, crimina Caroli extenuantes ac nobis culpam magna ex parte adscribentes, qui eo desperationis hominem adegerimus. Ut autem intelligas quae te velim magis expendere, ordine attingam. Quod scribis de bulla non procul abest a vero, sed tametsi nonnihil tergiversatus sit Agathopoli, quod eum valde premeret divortium cum uxore, visus est tamen mihi bullam agnoscere, et omnia se conscio facta fuisse, quamvis aliquid tale obiiceret quale narras. Deinde, quamvis missam damnarit, diu tamen multumque tergiversatus est, quo ei speciem aliquam daret, quo valde offendebantur Agathopolitani. Praeterea Bernae, quum in consistorio acta est causa de precibus fundendis pro mortuorum resurrectione, non memini damnatum fuisse ad palinodiam, et nostro rogatu remissam, sed imperatum tantum ei fuisse, ut postea silentio doctrinam illam perpetuo premeret, nobis vero, ne de victoria gloriaremur, ne quid turbarum deinceps excitaretur. Si tamen ita certo haberi nosti, sequere tuam sententiam: mihi memoria reliqua exciderunt, praeter haec quae commemoro, quorum te lubens ideo moneo quod consistorium in testimonium vocas, quod eius honori parcere voluit. Ad haec in genevensi disputatione ita missae canonem suis interpretationibus tuebatur, ut et papismum everteret, et ad veritatem tamen non accederet. Contendebat tamen veteres sic intellexisse. Transsubstantiationem negabat, et sacrificium, sed interpretabatur sacrificium memoriam sacrificii, eo tropo, inquiebat, quo nos illa Christi verba: hoc est corpus meum. Utut tamen res habuerit, ita disputabat nobiscum ut nollet hostis haberi veritatis; sed tamen nervos omnes intendebat ut vinceret ac ora nobis obstrueret, quo gloriari posset de victoria. Nam eo erat ingenio ut gloriae Dei et eius veritati detractum cuperet ut suae gloriae accederet. Haec sunt quae scribenda habui, quamvis indigna quibus legendis occuperis. Si nihil est quod te moveat, contemne tuto, sed vide ne desistas a coepto opere. Quamvis enim scio te melioribus studiis magis delectari, spero tamen te non prorsum lusurum operam in refellendis istius canis latratibus . . . . . . Sed quid frustra his nugis te remoror ab instituto? Da operam ut mox ad umbilicum perducas. Mitto ad te exemplar literarum quibus mihi a Bernatibus commendatus est, ut certius ex scripto adscribas quod visum fuerit.

Accuratius haec omnia ex schedis nostris decerpimus ut citra omne dubium lectores perspiciant Viretum, Calvino non partem tantum operae tribuisse in condendo hoc nostro libello, idque suspicione aliqua forte permotum, sed ipsum verum et solum eius autorem et agnovisse et salutasse. De Gallasio collaboratore ne oblique quidem loquitur. Rem omnem conficit quod Calvinus d. 3. Augusti ad Farellum

scribit, opere iam absoluto. Verba eius haec sunt: *Carolum si probe tractatum fuisse a nobis iudicabis, ages Gallasio et mihi gratias eius nomine. Parum abfuit quin eum impune latrare sinerem, quod verebar ne genus argumenti nonnullis suspicandi occasionem praeberet. Nunc iacta est alea, quod nobis bene vertat. Ita bene incalueram quum exorsi sumus, ut nullo negotio transvolaverim usque ad metam. Verum haec una etiam facilitatis causa fuit, quod liberius et quasi exsultans sub alieno nomine ludebam. Vide tamen quantum mihi placeam. Operae pretium mihi fecisse videor.* (Cod. Genev. 106, fol. 135 autogr.) Hic quidem Gallasii nomen profert eique amici gratias vindicat; verum, si quid videmus, non ut autori, sed ut certaminis socio, qui tamen ipse gladium non strinxerit, suppeditato autem nomine, quasi scuto obiecto, veri autoris faciem texerit, quo liberius hic tela sua iacularetur.

Leguntur apud P. Henry in Appendice T. III. Vitae Calvini p. 209 duo tituli hi, quasi libelli nostri editionum recentiorum: Traité sur la Divinité de Christ contre les Arriens (publié sous le nom de Des Gallars). Orleans 1565. 8. et: Nicol. Gallasius de divina Christi essentia adv. Nearianos. Aureliae 1566. 8. Idem laudat Senebierium Tom. I, p. 342, hist. lit. Genev. dicentem: Des Gallars a traduit en français le traité de Calvin sur la Divinité de Christ contre les Arriens. Quae scripta, quum pro tempore non ad manum habuerimus, dicere non possumus an re vera cum libello supra descripto aliqua ratione teneantur. Sane neque Henryi neque Senebierii notitiae literariae tales plerumque esse comperimus ut eas, priusquam ipse quos recensent libros inspexeris, fidenter amplexeris.

CAPUT XXII.

ACTA SYNODI TRIDENTINAE CUM ANTIDOTO. 1547.

Tridentini concilii historiam fusius narrare, vel etiam strictim absolvere, huius loci non est, quippe quae viris doctis ex innumeris et antiquiorum et recentiorum scriptis notissima sit. Itaque satis habebimus nonnulla quae ad Calvini Antidotum et nostram in eo edendo collocatam operam pertinent paucis declarare. Respicit illud septem primas concilii sessiones quarum ultima die tertia Martis a. 1547 habita fuit. Eodem enim mense intercessit concilii in urbem Bononiam translati prorogatio, atque de resumendis aliquando eius laboribus neutri parti ulla spes fuit ullumve desiderium. Iam Protestantium plurimi, qui statim ab initio quorsum tota res delapsura erat apprime perspexerant, quum suspicio eventu esset comprobata, infaustum illud instaurandae religionis et pacificandae ecclesiae tentamen fortiter deprecandum imo impugnandum esse sentiebant. Helvetii, fortasse et exteri, ante omnes Calvinum nostrum πρόμαχον exspectabant et suis sollicitationibus in arenam deducebant. Neque is officium ultro sibi demandatum detrectavit. Iam d. 11. Augusti ad Viretum scribit (Autogr. Genev. cod. 106, fol. 195): *Patres Neptunios, quando tam multi variis ex locis id a me postulant, brevi aggrediar. Si prima salutatio bene cedet, ultra progrediar. Nihildum tamen audeo polliceri. Ratio quam praescribit Farellus nullo modo probatur. Frigida enim esset simulatio. Nec sperandum est fore locum ullis scriptis quae concilio non assentiantur.* Quaenam illa fuerit a Farello excogitata ratio, quum ab ipso expositam nacti adhuc non simus, vix coniiciendo assequi possumus. Verum, nisi fallimur, vel ψευδωνυμίαν, vel εἰρωνείαν, vel aliam quandam ὑπόκρισιν suadere voluerat, qua pontificiis illuderetur. Maluit Calvinus suo ingenio indulgere et sueto stilo uti eoque theologicis controversiis aptissimo. Paucis diebus interiectis, scilicet eiusdem mensis vigesima prima, ad Farellum sic scribit: Tridentinos patres aggressus sum. Sed initia lente

procedunt. Hoc fit quia nulla hora mihi vacua est ab assiduis interpellationibus (Epp. ed. Genev. p. 383, Laus. p. 153, Hanov. p. 172, Amst. p. 240). Eodem die ad Viretum (Cod. Genev. u. s. fol. 196): *Coeperam adversus concilium Tridentinum meditari nescio quid. Sed huic operi experior me fore imparem, nisi fracto ingenio aliquid dedero laxationis.* Quam tamen sibi minime dedisse videtur. Nam ante finem anni opus iam e prelo exierat et in manibus lectorum erat, cupide illud arripientium, omnibus purioris doctrinae amicis acceptum et laudatum, praeter ipsum autorem, qui modestissime dé eo iudicavit, teste epistola ad Farellum data d. 28. Decembris quae legitur impressa in ed. Genev. p. 74, Lausann. p. 155, Amstol. p. 45 et cuius initium sic habet: *Iam mihi placere incipit meum Antidotum, ex quo tantopere tibi probatur. Nam antehac mihi non satisfaciebat: quanquam tu forte, qui labores meos quotidianos nosti, adeoque pugnas, quibus non tam exerceor quam conficior, veniam mihi concedis si quid minus est absolutum. Ego certe ipse miror ullam scriptionem lectu dignam posse iam a me prodire.*

Tractat locos de Scriptura sacra, de Peccato originis, de Iustificatione et de Sacramentis, quos solos eousque Synodus definierat; simul decreta de Reformatione, quae dicuntur, dogmaticis canonibus in unaquaque sessione superaddita, sedulo ventilat. Unde textum illorum decretorum habuerit, quem integrum describit in lectorum usum, nescire nos fatemur. Pluribus iam vicibus impressus circumferebatur; antiquissimae vero editiones illae, et imperfectae, Antverpiensis et Parisiensis, ad manus nobis non fuerunt, quibus collatis fontem nostri textus accuratius exploraremus. Fortasse etiam simpliciter suum sumpsit Calvinus ex Melanchthonis scripto infra laudando. Potuit denique et per amicos illum adipisci si qui ex ipso Tridento subinde et per partes manuscriptum exteris tradidisse putandi sint, quorum intererat scire quae istic gerebantur. Quidquid sit, satis frequenter lectio calviniana discrepat ab ea quam receptam inter Catholicos novimus, nusquam vero ita ut sensum ipsum afficiat illa varietas. Quam in ipsis pontificiorum exemplaribus non minorem esse nemo est qui nesciat. Adnotavimus in margine quaecunque huiusmodi passim deprehendimus, verum ne extra nostram arctiorem provinciam evagaremur, collationem ad unicam eamque tritissimam Librorum ecclesiae catholicae symbolicorum editionem instituimus quam VV. DD. Streitwolfius et Klenerus a. 1838 Goettingae vulgandam curarunt, in qua, si quis plura eius generis et accuratiora desideraverit, amplam rerum messem inveniet.

De Confutatione opusculi calviniani quam a. 1548 Io. Cochlaeus Moguntiae edidit, deque Gallasii et Bezae contra illum scriptis replicis, lectorem ad scriptores historiae ecclesiasticae et literariae ablegamus.

Calvini libellus semel tantum latine, semel gallico separatim excusus est. Et latine quidem sub hoc titulo:

ACTA SYNO- | DI TRIDEN- | TINAE. | CVM ANTIDOTO. | Per Ioann. Caluinum. | (*Emblema gladii flammei*) Iesaiae 8. | Inite consilium: et dissipabitur. | 1547.

Forma octonaria minor. Quaterniones octodecim (A—S). Paginae numeratae 288. Textus decretorum Concilii typis maioribus descriptus est, Calvini animadversiones minoribus subinde singulis subiectae. Uterque character Girardi officinam prodit. Exemplari usi sumus ad nostram ipsorum collectionem pertinente. Repetitum est hoc opusculum in ed. Gallasii p. 651—741; in Corpore Tractatuum Bezano 1576 p. 351—418, tum 1597 p. 290—346 et 1611 p. 250—300; denique in ed. Amstel. p. 216—260.

Gallica exemplaria rarius reperiuntur in bibliothecis publicis, venalia nusquam occurrerunt ex quo nos quidem ad talia conquirenda animum advertimus. Usi sumus Turicensi in collatione nostra instituenda:

LES ACTES | DV CONCILE DE | TRENTE: | Auec le remede contre la poison, | PAR M. IEAN CALVIN. | (*Emblema gladii flammei.*) | Esaie 8. | Prenez conseil et il sera dissipé. | 1548.

E*

Forma eadem ac latini archetypi. Typorum eadem varietas. Quaterniones viginti duo (a—y). Paginae 352 ex quibus 347 numeratae, tres in albis; duae reliquae, textum proxime sequentes exhibent carmina duo quae hoc loco lectori offerre non piget. Primum sic decurrit:

Dizain.

Plus l'ignorant s'efforce comparoir
Entre savans afin d'estre en estime,
D'autant fait-il sa bestise apparoir,
Et à bon droit son audace on reprime.
Or voyons nous d'ignorance l'abysme
Voire de Dieu, en ces Peres Cornus,
Qui sous le nom de Dieu sont convenus
Pour depraver la doctrine celeste.
Qu'ils sachent donc que par tout sont tenus
Asnes masques, et Antechrists au reste.

En Dieu
Bien assis.

Alterum paulo longius et ad formam sonnetorum italicorum, quae dicuntur, aliquatenus accedens, haec decantat:

G. G.

Au Lecteur S.

Comme de loing une putain fardée
Apparoit belle aux impudiques yeux
Combien que laid soit son corps vicieux
Si de plus pres elle est bien regardée:

Ainsi pourra l'homme plein d'ignorance,
A ceux qui ont le Concile traité
Attribuer aucune saincteté,
Tant seulement pour leur belle apparence.

Mais si quelcun de saine intelligence
Vient esplucher les edits malheureux,
Qui follement ont esté faits par eux:
Que verra il, sinon toute impudence?

Sous un beau tiltre un horrible blaspheme,
Sous un beau fard une laideur extreme,
Et sous le miel la mortelle poison.
Parquoy, Amy, si tu sens ta pensée
De tel venin quelque fois offencée,
Prens ce remede ou gist ta guerison.

Versio gallica ipsius tractatus legitur in collectione Bezana pag. 880—1009 et apud Stoerium pag. 1011—1150. Caeterum ab archetypo plurifariam differt. Post Epistolam ad Lectorem in latino exemplari proxime venit Admonitio Legatorum sedis apostolicae in prima sessione praelecta; sequitur Praefatio Calvini in suum Antidotum: in gallico vero haec posterior praefatio illam Admonitionem praecedit. Tum Canones de Iustificatione, qui ad Decretum sextae sessionis pertinent, in latino ipsi decreto statim subiiciuntur et Antidotum in utramque documenti partem iunctim extremo loco venit: in gallico decretum cum suo antidoto primum seorsim ponitur, quo absoluto demum leguntur Canones, et quidem singuli addita censura. Hic disputationis ordo in caeteris partibus gallici libri non observatur. Iam et versio ipsa ab archetypo multis in locis discedit, liberiore scilicet stilo decurrens, simul et acriore, quasi per maiorem sermonis vernaculi licentiam: ita quidem ut non modo verborum et epithetorum lusibus translator, quisquis ille fuerit, in Patres Tridentinos, quos Calvinus ipse iocose Neptunios appellare solet, invehatur, sed et interspersis passim historiolis eorum aures et famam perstringat. Ex his talibus facile aliquis collegerit ipsum Calvinum condendae huic versioni, aliqua saltem ex parte, manum admovisse, et nostrum esse officium duximus varietatem utriusque textus diligentius in margine notare.

Postremo lectorem monitum velimus, iam ante Calvinum contra Concilii Tridentini acta scripsisse Melanchthonem virum summum. Cuius scripti exemplar archetypum habuimus ex bibliotheca Ienensi. Titulus est: Acta Concilii Tridentini anno MDXLVI celebrati una cum annotationibus piis et lectu dignissimis. Item ratio cur qui confessionem Augustanam profitentur non esse assentiendum iniquis concilii Tridentini sententiis iudicarunt, per Philippum Melanchthonem. MDXLVI. Quaterniones libelli sunt undeviginti. De quo fortasse non erat ut hoc loco verba faceremus nisi eum cum nostro calviniano perperam a nonnullis confundi vidissemus, quem errorem in ipso ienensis exemplaris fronte a quodam sciolo assertum deprehendimus.

CAPUT XXIIII.

ADVERTISSEMENT CONTRE L'ASTROLOGIE IUDICIAIRE. 1549.

Beza et Colladonus hunc libellum ad a. 1548 referunt. Quorum ille ad hunc annum haec habet: *Astrologiae quam iudiciariam vocant, cui plusculum tribuere non pauci videbantur, falsitatem et vanitatem elegantissimo libello patefecit.* Hic vero sic scribit: *Davantage il escrivit contre l'astrologie iudiciaire pour monstrer que telle curiosité n'est nullement convenable aux Chrestiens: comme là il desduit la chose bien pertinemment, combien que ce soit sans prolixité ennuyeuse.* Editionis vero hoc anno signatae vestigium nusquam terrarum deprehendimus, et citra dubium res ita expedienda erit ut scripti origo ad priorem annum referatur, typographi autem opera mensibus autumnalibus aut hyemalibus demum absoluta, more iam tunc bibliopolis usitato librum proximis nundinis vernalibus divendendum novi anni nota insignitum dicamus.

De ipso tractatu nonnulla cognitu haud indigna refert autor translationis latinae Franciscus Vilierius Calvini amanuensis, cuius praefationem integram hoc loco describere liceat. Inscripta est Laurentio de Normandie, nobili Iureconsulto qui olim praefecti regii officio in urbe Calvini Novioduno functus fuerat, postea religionis causa patria relicta Genevam se contulerat, ubi constanti cum Calvino consuetudine usus post eius obitum testamenti exsequutoris vices gessit.

Clarissimo et ornatissimo viro Laurentio Normandio, Franciscus Vilierius, S. D.

Etsi quibus in rebus christianae religionis et reipublicae commodis servire possum, eae res quam sint tenues atque exiguae intelligo: tamen quod possum, quoniam animo pleno studii atque benevolentiae id facio, spero fore ut homines, nisi qui erunt peragrestes, meum hoc studium in meliorem partem accipiant. Scripserat hunc libellum Calvinus (confecerat, dicere potius debui: quod enim vere adfirmare possum, nunquam eius scribendi causa calamum in manus sumpsit, sed eum mihi, quoad per occupationes licuit, dictavit), confecerat igitur hunc libellum Calvinus, non magnum quidem illum sed certe aureolum, sermone gallico, nostrorum hominum utilitati seorsum inserviens: quorum animos inanissima illa et, ut vere appellatur, malefica fatidicorum curiositate titillari intelligebat. Quod enim optimi et nobilissimi medici faciunt, non contentus morbum ab iis depulisse, quae res etiam e morbo recreatis atque convalescentibus nociturae videantur, earum illos commonefacere instituit. Etenim sic se res habet, ut bene habentibus non minus utilis cautio atque provisio quam aegrotis curatio necessaria sit. Quum autem eam ipsam cautionem omnibus utilem, plerisque certe valde necessariam iudicarem, quibus esset incognita nostra lingua, quoniam per omnes fere gentes ea quam dixi curiositas quasi morbus quidam atque contagio pervasisset, visum est faciendum esse, ut aliis quoque nationibus exteris, a quibus et multas et magnas utilitates recipimus, vicissim aliquid e nostris opibus impertiremus. Hunc igitur libellum latinae linguae mandare institui, ut quoniam ea lingua quasi quidam est interpres omnium fere nationum et gentium, aliae quoque nationes ab ipsa, quasi ab interprete, quid hic libellus loqueretur intelligerent. Quae quum ita sint et hunc laborem non alio animo susceperim, nisi ut piis et Dei timentibus hominibus inservirem, etsi eum pertenuem et perexiguum esse sentio, me tamen confido non modo nullam, ut dixi, invidiam habiturum, sed etiam gratiam aliquam ab iis, qui non omnino ingrati futuri sunt, initurum. Tibi vero, clarissime et ornatissime Normandi, quoniam hoc nostrum officium voluptati fuisse animadverti, nactus occasionem, qua mei erga te singularis animi significationem aliquam ederem, volui equidem illud ipsum in tuo tam illustri et apud omnes bonos gratioso nomine apparere. Accipies igitur a me hoc munusculum, levidense illud quidem et crasso filo, ut dicitur, nec personae tuae magnopere conveniens. Verum ita accipies ut quum in eo mei erga te amoris ac potius observantiae monimentum exstare voluerim, propensam huius mei animi voluntatem complectare, rei nullam aut certe non exactam ineàs aestimationem. Vale. 8. Cal. Mart.

Exemplar gallicum authenticum semel seorsim typis descriptum prodiit hoc sub titulo:

ADVERTISSE- | MENT CONTRE L'ASTRO- | LOGIE, QV'ON APPELLE | Iudiciaire: et autres curio- | sitez qui regnent au- | iourd'huy au | monde. | Par M. Iean Caluin. | (*Emblême de l'épée flamboyante sans épigraphe*) | A GENEVE PAR | Iean Girard. | 1549.

Editionem hanc rarissimis adnumerandam habuimus ex bibliotheca Guelferbytana. Forma quaternaria minor, plagulae quatuor foliorum septem (A—G), paginae numeratae 55, ultima vacua. Textum hunc habet Corpus Bezanum pag. 1118—1137; Stoerianum pag. 1275—1298. Etiam in editione parisiensi P. Lacroix legitur pag. 107—134.

Versio latina itidem semel seorsim excusa habetur. Cuius exemplar ipsi possidemus.

ADMONITIO IOANNIS | CALVINI ADVERSUS A- | STROLOGIAM, QUAM | IUDICIARIAM VOCANT: | ALIASQUE PRAETEREA | CURIOSITATES NON- | NULLAS, QUAE HODIE | PER UNIVERSUM FERE | ORBEM GRASSANTUR. | | E Gallico sermone in Latinum conversa. | | GENEVAE, | Per Ioannem Girardum, | M. D. XLIX.

Forma eadem ac supra. Plagulae novem (A—I). Paginae numeratae sexaginta novem. Septuagesimam obtinent errata pauciora; sequentem subscriptio: EXCVDEBAT IOANNES GERARDVS,

GENEVAE ANNO A CHRISTO NATO M. D. XLIX. CALEND. MART.; ultimam denique emblema palmae cum puero suo sed sine adagio. Legitur haec versio apud Gallasium p. 801—821; apud Bezam primum pag. 800—815, tum 1597 pag. 672—686; apud Stoerium pag. 580—591, denique in ed. Amst. pag. 500—509.

De tractatu ipso eiusque consilio et ratione te, benevole lector, non morabimur hoc loco, neque est quod te moneamus Astrologiae nomine illo saeculo duo diversa scientiae genera venisse: alterum superstitione plenum et ex vana hominum credulitate natum, contra quod Nostrum argumentis plerumque satis firmis, pro ingenio lectorum quibus illa destinabat, usum esse dixeris; alterum, cui nos hodie astronomiae nomen et honorem reservamus, quod ipse enixe commendat utpote Dei laudibus inserviens apud doctos et prudentes, cuius tamen, vel pro aetatis illius modulo, satis mediocri copia instructus fuisse videtur, quamvis de rebus huc pertinentibus ita plerumque loquutum videamus ut doctrinae suae defectus, si qui fuerint, non adeo palam prodiderit.

CAPUT XXIV.

INTERIM ADULTERO-GERMANUM. 1549.

Historiae constitutionis Interim, quam vocant, narrandae, post tot tantosque virorum doctorum labores, a Sleidano principe ad Rankium nostrum et Maurenbrecherum (Karl der Fünfte und die deutschen Protest. 1865), merita laude celebratos, facile hoc loco supersedemus. Paucis igitur tibi, benevole lector, in memoriam revocabimus Protestantium res post bellum smalcaldicum adeo labefactatas, imo desperatas fuisse, ut Caesar religionis dissidia tandem aliquando ex publica autoritate, quamvis usque sub specie liberae consensionis, compesci posse, simul suam ipsius potestatem in rebus gerundis, pace tali modo stabilita, auctum iri speraret. Itaque in comitiis Augustae Vindelicorum inde a Calendis Septembribus a. 1547 congregatis, quum spes redintegrandi concilii Tridentini nuper a pontifice prorogati vel nulla superesset, vel saltem longior mora intercessura videretur antequam denuo convenirent episcopi, medio fere mense Ianuario anni sequentis Imperii ordinibus exposuit, videri sibi necesse cumprimis ut interim ratio quaepiam inveniretur quae ad Germaniae pacem conferret: deligendos esse paucos quosdam bonos et doctos viros qui hoc negotium tractarent et omni deposito affectu de conciliandis animis unice cogitantes et doctrinae et caeremoniarum et emendationis ecclesiasticae capita conscriberent. Talem formulam pacificationis iam antea conscripserat Iulius Pflugius episcopus Numburgensis: quae deinde accitis duobus aliis theologis, altera ex parte Ioanne Agricola, vulgo Islebii nomine cognito, tum temporis Ioachimi II. electoris Brandeburgici praedicatore aulico, ex altera Michaele Heldingio, episcopo Sidonis in partibus et coadjutore Moguntino, diu multumque retractata et sub incudem revocata, tandem Caesari tradita est et ab eo recepta. Bucerum quoque elector ille Augustam accersiverat qui huic operi nominis sui autoritatem adderet minime spernendam; verum is, alioquin ad concordiam et pacem inter dissidentes theologos componendam omnium paratissimus, quum libelli tenorem perspexisset, approbare eum firmiter recusavit. Scilicet illa triumvirorum formula minime eo pacto conciliationem aliquam quaerebat ut concessionibus utrinque factis quasi in medio rerum docendi et agendi normam statueret, sed, ut uno verbo rem absolvamus, fere in omnibus doctrinae et disciplinae capitibus pontificiorum placita vindicabat et traditiones servabat, paucissimis exceptis in quibus, dum concilium generale aliter statuerit, pro tempore Protestantium postulatis acquiescebat. Quum enim multi passim ministri uxores haberent quas repudiare nollent,

neque sine gravi turba mutari hoc posset, concessum est ut de his concilii decretum exspectaretur; idem placuit de usu calicis in coena Domini, ita tamen ut adderetur conditio ne quis eos reprehendere auderet qui ecclesiae catholicae consuetudinem sequi maluerint. Caetera nunc sigillatim attingere non attinet. Caesar talem formulam catholicis Imperii statibus secure proponere et commendare poterat; quid quod ex Protestantium numero aliquot eosque non minimae autoritatis principes in suam sententiam traxerat. Res ergo Idibus Maiis in solenni ordinum omnium coetu raptim et satis perfunctorie transacta est, assentiente catholicorum nomine electore Moguntino, tacentibus caeteris. Quorum pauciores demum comitiis dimissis in suis ditionibus constitutionem imperatoriam recipere recusarunt, maxime etiam liberae civitates plures et insignes. Sed Caesar consilio suo exsequendo unice intentus alios persuasione, alios minis, nonnullos armis subegit et per aliquot annos legem suam novam Germaniae imposuit. Theologorum plurimi tam sermonibus quam scriptis evangelicam suam et suorum fidem vindicare conati sunt; multi quoque, inter quos et Bucerus noster, solum vertere coacti, et exsilio voluntario conscientiae libertatem tueri.

Ipsi quoque Helvetii non sine causa sibi timere coeperunt praesertim ex quo urbs et viciniae et religionis vinculo ipsis proxima Constantia, ob repudiatum Interim proscripta et obsessa tandem in domus austriacae ditionem redacta fuit, et ecclesiae et rei publicae libertatem simul amisit. In epistolis Calvini et amicorum mutuis multa legisse meminimus quae anxiam mentium et rerum conditionem, qualis erat mensibus illis aestivis, vivide depingunt, verum et firmum consilium ostendunt hominum periculo non cedere sed audentius obviam ire paratorum. Plures in Calvinum oculos converterunt, utpote optimum in tali discrimine veritatis evangelicae ὑπερασπιστήν. Qui iam die 10. Augusti ad Farellum haec scribit (Cod. Genev. 106, fol. 224 autogr.): Bullingerus me hortatus erat ut scriberem adversus adulterinam reformationem. Ante eram accinctus quam literae redderentur. Sed opus etiam e manibus abieceram. Petii consilium a Bucero. Si ille approbabit nonnihil tentabo. Mense Novembre vergente typographus editor oblato Senatui Calvini libro licentiam typis eum mandandi sollicitavit. Quam tamen non statim impetravit; senatus enim, cauturus ne quid contra principes Genevae ederetur, duos e gremio suo ad autorem misit qui eum de consilio libri sui audirent, de abusibus pontificiorum disserentem neutiquam impedituros. Haec ex archivis senatus eruta publici iuris fecit Vir doctissimus Amadeus Roget Genevensis, libello recens edito: L'église et l'état de Genève du vivant de Calvin 1867, pag. 46. Paucis post diebus, d. 12. Dec. 1548, Noster ad eundem Farellum sic scribit: De rebus nostris vix habeo quod scribam, quia mihi adeo sunt obscurae ut de exitu valde sim perplexus. Fracti sunt eorum animi qui se aliquos esse iactabant .... et paulo post: Libelli editio, quum pudorem multis incussissem, tandem permissa. Quin etiam exemplar ad me fuit allatum, ut fide mea iudicioque excuderetur caett. (Epp. Calvini ed. Genev. pag. 92, ed. Laus. pag. 180, ed. Han. pag. 202, ed. Amst. p. 56.)

Iam de apparatu critico, qui nobis in edendo hoc libello ad manus fuit, nonnulla pro more adiiciemus. Editionem principem et authenticam agnovimus genevensem cui titulus est:

INTERIM | ADVLTERO | GERMANVM: | Cui adiecta est, | VERA CHRISTIANAE | PACIFICATIONIS, ET | ECCLESIAE REFOR- | mandae ratio. | Per Ioan. Caluinum. | *(Emblema)* | MARC. VIII. | Cauete a fermento Pharisaeorum, et | fermento Herodis. | 1549.

Forma octonaria minor. Quaterniones tredecim (a—n) paginae numeratae 203; duas sequentes obtinent allegata nonnulla biblica, duae penultimae vacuae sunt, ultima denique exhibet emblema typographi maiori forma expressum, quod titulus minori dederat, scilicet palmam cum puero et adagio utrinque adscripto: PRESSA VALENTIOR. In hac editione Interim ipsum, absque speciali titulo, legitur pag. 3—74, Calvini scriptum incipit pag. 75; hoc posterius typis paulo minoribus exaratum. Cuius editionis,

minus infrequenter in bibliothecis obviae, ipsi duo possidemus exemplaria; alterum quod olim Iac. Guil. Feuerlini fuisse videtur, quum is in sua Bibliotheca symbolica II, pag. 143 sub n. 1920 illud ipsum volumen recenseat, quod ex pluribus variorum opusculis colligatis constans in nostra nunc collectione asservatur: redemimus verum ex libris doctissimi nostri collegae et amici Tim. Guil. Roehrichii. Alterum nomen exhibet αὐτόγραφον viri studiis in saeculi XVI. rebus collocatis clarissimi Georgii Veesenmeyeri Ulmensis.

Eodem anno ex eadem officina prodiit alia editio, priori simillima, cuius exemplaria duo habuimus, alterum ex bibliotheca Collegii Wilhelmitani Argentoratensis, alterum ex bibliotheca Guelferbytana. Distinguitur a praecedenti inter multa alia et his indiciis: in ipso titulo omittuntur verba: et formento Herodis; in fine textus subsistit in pag. 202 et adduntur, post allegata illa biblica de quibus modo diximus, errata nonnulla corrigenda. Utra harum editionum alterius ἀπόγραφον sit, haud facile statueris. Textus idem plane, menda operarum utrobique rara et varia. Fortasse nomen Herodis omissum respectu Caesaris.

Tertiam eiusdem anni editionem eamque pluribus numeris attentiore cura dignam communicavit nobiscum Vir clarissimus inclytae Guelferbytanae bibliothecae praefectus, C. L. Bethmannus. Titulus est:

INTERIM | ADVLTERO | GERMANVM. | Cui adiecta est. | Vera Christianae pacificationis, | et Ecclesiae reformandae ratio. | Per Iohannem Caluinium. | [sic] | MARCI. VIII. | Cauete a fermento Pharisaeorum. | 1549.

Forma eadem ac supra. Quaterniones octodecim (A—S) folia 144 non numerata, tres ultimae paginae vacuae. Typi grandiores in utraque libri parte iidem. Errata typographica innumera. Totus operis habitus Germaniam patriam prodit. De Basilea vel Argentina nostra cogitare vetat appendix de quo iam plura dicemus. De Germania ipsum Calvinum testem producemus in medium. Haec editio sola inter omnes exhibet in fronte Caesaris Caroli V. Declarationem qua in comitiis Augustanis a. 1548 habitis Imperii statibus Interim propositum fuit. Hoc ipsum incipit fol. A. 6 v. praemissa inscriptione: Sequitur consultatio cuius prius mentio facta est, quae a caeteris editionibus abest. Calvini refutatio incipit fol. G. 2 desinit fol. S. 5 v. Pagina sequenti media, post allegata illa biblica, absque omni intervallo vel distinctione ulla leguntur haec:

Typographus ad Lectorem.

Quum hunc librum quorundam consilio, a quibus obiter tantum inspectus erat, typis excuderem, inter corrigendum deprehensus est in eo crassus error Pelagii, scilicet a fidelibus parentibus sanctam generari progeniem, et foetum nondum in lucem editum in foedus aeternae vitae cooptatum esse.

Porro interroganti: si pueri in utero matris sancti sunt, cur a Christo iubentur renasci? quid enim renasci aliud est quam sanctificari? respondet autor, errorem errore defendens, baptisari pueros tantum, ut aggregentur ad corpus Christi ad quod pertinebant antequam in lucem ederentur etc. Quid igitur vult sibi, quod Iohannes evangelista scribit: Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt? Item quod ait Christus: Quod natum est ex carne caro est? Item S. Paulus: Nascimur filii irae? etc. Nam quod Iohannes Baptista in utero matris sanctificatur, inter caetera eius loci miracula referendum est.

Postea hic error rursus tertium parit errorem: nempe, profanari baptismum ab iis qui alienos pueros baptisant. Qui sunt isti alieni? Annon et nos fuimus alieni et ex gentibus peccatores? et tamen sumus baptisati, idque mandato Christi, qui non dixit: Ite ad sanctos vel sanctorum filios: sed iubet baptisari gentes et dicit sanis non opus esse medico. Si Turca aut Iudaeus (qui alieni sunt) peteret baptisma, num reiiciendus esset? num propterea, si baptisaretur, baptisma profanatum esset? Et si piorum tantum pueri debent baptisari, cur baptisamus papistarum pueros? Multi vocantur Christiani qui Christiani non sunt, atque adeo alieni

a Christo sunt. Ne igitur profanetur baptismus, pseudochristianorum pueri baptisandi non sunt? Annon impii hominis filius pius fieri potest? Quid est hoc errore crassius? Pater est impius, ergo filius ipsius non debet baptisari, ne videlicet profanetur baptismus. Quomodo sanctificatio potest dici profanatio? Perinde est ac si dicas: Medicus non debet curare infirmum. Quare? Quia infirmus est. Imo medicus propter infirmum medicus est.

Quarto, a mulieribus infantes in casu necessitatis baptisari, errorem vocat, toto errans ipse coelo.

Quum autem paulo ante in hoc libro scriptum sit, remissionem peccatorum in baptismo nobis offerri, et paulo inferius, Christum a nobis in baptismo indui, et baptismum esse ingressum in regnum Dei: existimo hos errores a quodam fanatico spiritu in autoris invidiam sicut zizaniam inter bonum semen aspersos esse. Ne me igitur istorum errorum participem facerem, et simplices lectores offenderem, reieci errores, inserviens gloriae Christi. In quo vale.

Haec sane non typographi, verum theologi alicuius Calvino infensi (P. Henry Flacium fuisse suspicatur, Loescherus Unsch. Nachr. 1712, pag. 46 coniecturam non audet proponere) diatribe, hunc non diu latere potuit. Iam anno proxime sequenti editori suo genevensi pagellas aliquot tradidit excudendas quibus pelagianismi crimine se purgat, sententiam suam de baptismo, quatenus minus bene intellecta fuerat, adeoque falsissime repraesentata, accuratius declarat vindicatque, denique passim editionem germanicam istam mutilam, laceram, corruptam dicit, in quo tamen polemicus ardor eum ultra quem debuit observare limitem abripuisse videtur. Nos quidem textum huius libri qua maxima potuimus cura relegentes et cum authentico exemplari conferentes, unicam lacunam, nullam vero corruptelam iure sic dicendam deprehendimus, quamvis ex oscitantia correctoris multis et frequentissimis mendis foedatum minime negemus. Omissa est simpliciter pagella una in articulo de baptismo tractante, ubi Calvinus de salute puerorum ante acceptum sacramentum defunctorum minime desperandum esse docet et baptismum obstetricibus permittendum negat. Quidquid sit prodiit haec Calvini responsio hoc titulo:

APPENDIX LIBELLI ADVERSVS INTERIM ADVLTERO-GERMANVM, IN QVA REFVTAT IOANNES CALVINVS CENSVRAM QVANDAM TYPOGRAPHI IGNOTI DE PARVVLORVM SANCTIFICATIONE ET MVLIEBRI BAPTISMO.

Qui tamen titulus non in peculiari folio textui praemittitur, verum eiusdem ipsam primae pagellae partem superiorem occupat. Totum opusculum viginti quatuor foliis absolvitur, signatis a—c, absque ullis paginarum numeris, quarum quinque ultimae in albis. In fine legitur anni nota 1550 sine loci et typographi nomine. Typi multo maiores quam in prioris tractatus editionibus, ita ut ab autore quidem, non vero a typographo Appendix dici potuerit hic libellus, quippe quem si cum illo altero iunctim edere voluisset, sane iisdem formis describi curasset. Caeterum rarissimus esse videtur. Apud nos exstat cum ipso Interim eius editionis, quam primam supra recensuimus, colligatum, editioni secundae iunctum reperimus in exemplari Guelferbytano.

Exstat uterque Calvini libellus, omisso textu consultationis caesareae, apud Gallasium pag. 742—801; eodemque addito in collectione Bezae 1576, pag. 419—488; 1597, pag. 349—408; in Stoeriana pag. 301—351; in editione Amstelodamensi pag. 260—303. Possidemus etiam aliam separatim excusam Lausannae 1579. 8. sine appendice.

Ad castigandum textum Constitutionis imperatoriae ipsius adhibuimus duplicem editionem principem, alteram germanicam, alteram latinam, utramque Augustae a. 1548 per Philippum Ulhardum excusam, illam ex bibliotheca nostra civica, hanc ex Stuttgardiana regia repetitam. Titulus latini exemplaris est: Sacrae Caesareae Maiestatis declaratio quomodo in negotio religionis per Imperium usque ad definitionem concilii generalis vivendum sit, in comitiis Augustanis

XV. Maii anno M. D. XLVIII. proposita et publicata et ab omnibus Imperii ordinibus recepta, e germanica lingua in latinam quam proxime fieri potuit versa, et ipsius Maiestatis iussu typis excusa caett. Habuimus praeterea editionem eiusdem anni Moguntinam, apud Ivonem Schoefferum forma maxima impressam, Goldasti Constitutiones Imperiales Tom. I, et ed. bilinguem Lipsiae a Teubnero a. 1855. 8. vulgatam, curante C. T. Hergang. Atque his libris inspectis duplicem textus recensionem exstare didicimus, quum editiones genevenses plurimis in locis ab authenticis exemplaribus Augustanis recedant: cum his faciunt Moguntina et ed. Calvini illa spuria, quam nos simpliciter germanicam vocabimus, tum versio gallica, denique et recentissimus editor Hergangius. Goldasti textus vero genevensem sequitur. Declarationis imperatoriae praeliminaris duae exstant recensiones vel potius versiones omnino diversae germanici archetypi, quarum alteram praebet exemplar Augustanum, alteram Moguntinum; illam referunt etiam Calviniani libri, germanica et Hergangii editio, hanc Goldastus. Ulterius in originem et causas huius discrepantiae inquirere supersedimus, quum id ad nostram provinciam pertinere non videretur. Miramur tamen illam viros doctos, si ex recentissimi editoris silentio coniecturam facere licet, hucusque fugisse.

Versio libelli Calviniani gallica primum prodiit anno 1549, et iterum 1559. Prioris exemplar accepimus e bibliotheca S. Genovevae parisiensis, posterioris unicum, quod sciamus, ipsi possidemus. Inter se ne uno quidem iota neque apice uno differunt, sola anni nota in titulo excepta, quae res nobis suspicionem movit, nostrum exemplar olim ab aliquo male feriato sciolo falsatum fuisse, qui nescio quo proposito ludens eraso numero 4 calamo 5 substituerit. Nam hoc siglum 5, secunda vice positum, forma paulo a praecedenti discrepat et atramento scribis usitato pictum videtur, quod tamen ob chartae tenuitatem neque aquae neque cultelli ope examinare ausi sumus. Quidquid sit, librum semel descripsisse sufficiet. Titulus est:

L'INTERIM. | C'EST A DIRE, | PROVISION FAI- | CTE SVR LES DIFFE- | RENS DE LA RELI- | gion, en quelques villes et | pais d'Allemagne. | AVEC LA VRAYE FACON | de reformer l'Eglise Chrestienne, | et appointer les differens qui | sont en icelle. | Par M. Iean Caluin. | (*Emblême du Palmier avec l'épigraphe.*) | S. MARC VIII. | Donnez vous garde du leuain | des Pharisiens. | 1549.

Forma octonaria minor. Quaterniones quindecim cum dimidio (a—q) paginae numeratae 248. Interim legitur p. 3—88, caetera Calvinus habet. In fine unicus tantum locus S. S. allegatur 1 Cor. 5: Vn peu de Levain enaigrist toute la paste. Declaratio praeliminaris abest. Folio tituli verso haec inscripta reperies:

INTERIM.

Huictain, par

I. B.

Maintesfois on pense trouver
Beaucoup de grains en belle gerbe:
Mais quand ce vient à l'esprouver,
Il n'y a rien souvent que l'herbe.
Le monstre donc de cest adverbe,
Ne t'esmeuve, Lecteur, encor:
Car, ainsi que dit le proverbe,
Tout ce qui reluict n'est pas or.
I'attens le temps.

F*

Legitur haec versio gallica in Corpore tractatuum Bezano 1566, pag. 1009—1118; et in Stoeriano 1611, pag. 1149—1274. Appendix gallice non exstat.

CAPUT XXV.

CONSENSIO MUTUA IN RE SACRAMENTARIA. 1549.

Quam longae quamque deplorandae de sacra coena controversiae primum inter ipsos clarissimos sacrorum instaurandorum coryphaeos olim exortae sint, quam acriter postea et quam implacabili animo ab eorum asseclis continuatae, nemo est qui nesciat. Ipsum nostrum Calvinum nova aliqua et media via ingressum vidimus, tam in Institutione sua quam in aliis scriptis, et typum doctrinae ab eo propositum, in quo acquiescere possent omnes quibus Zwinglii sententia de mystica sacramentorum virtute nimis tenuiter iudicasse videbatur, neque minus ii qui Lutheranorum dogma, utpote rationis simplicitati minus conveniens, amplecti recusabant.

Lutherus ipse biennio ante obitum suum controversiam illam aliquamdiu per formulam Wittebergensem sopitam instauravit: cuius acerrimis insultibus Turicenses non minus vehementer responderunt, antesignani quondam sui et magistri memoriam et doctrinam simul enixe tuentes. Quos tamen Calvinus tam in iudicio de Lutheri meritis in medium prolato quam in ipsius argumenti tractatione rei minime satisfecisse questus est. Iam illo praeclaro Germaniae lumine exstincto et theologorum saxonicorum studiis in alia certamina conversis, ipse pacis conciliandae et occasionem et copiam sibi datam ratus, cum Turicensibus primum et coram et per literas agere coepit, in eum finem ut inter eos et Genevensem ecclesiam, apud quam ipsius docendi ratio unice valebat, consensus aliquis in articulo de sacramentis et speciatim de coena pararetur. Quae studia per integrum annum nunquam cessante ardore continuata, sigillatim omnia recensere hoc loco supersedemus, thesauro epistolico olim edendo plura reservaturi quae huc pertinent quibusque historia rerum gestarum illustrari poterit. Pro tempore in paucioribus subsistemus quae sufficient ad declarandam originem eius documenti de quo anno 1549 inter Genevenses, Turicenses et Neocomenses pastores convenit, cuique mox plures aliae ecclesiae helveticae adstipulatae sunt, imo et exterae pleraeque, apud quos Consensus Tigurini, qui vocabatur, fama et autoritas ad hunc usque diem valuit. Merito quidem illum Beza corpori tractatuum Calvini theologicorum inseruit, genuinum scilicet ingenii eius foetum, verum ea tantum forma expressum, qua post plures retractationes tandem in publicum prodiit. Nos aliud quoddam molimur et maius: ac non solum varia ex mutuis autorum literis decerpta huic praeviae nostrae narrationi addemus, sed ipsi textui suo loco recudendo ineditas nonnullas formulas praemittemus quas primas consensus postremo utrinque accepti adumbrationes seu delineationes dixeris, iisque eorundem autorum criticas adnotationes subiungemus, ex quibus, quantae fuerit molis hanc talem condere pacem, facile perspicietur.

His tanto magis nobis insistendum videbatur quo brevius adeoque levius in enarranda Calvini vita ipsius amici rem attigerunt. Ex quibus Beza ad annum 1549 non nisi haec habet: *Hoc ecclesiis Germanicis inflictum vulnus* (controversiam adiaphoristicam innuit) *contrario beneficio Dominus apud Helvetios compensavit, Farello simul ac Calvino Tigurum profectis, ut, quum visus esset quibusdam Calvinus consubstantiationi nonnihil favere, de communi in ea re omnium Helveticarum ecclesiarum consensu omnibus liqueret. Neque vero difficile factu fuit ut inter bonos et veritatis amantes conveniret. Scripta est igitur summa omnium Helveticarum et Rhaeticarum ecclesiarum approbatione consensio, quae praesertim D. Bullin-*

gerum cum Calvino Tigurinamque ecclesiam cum Genevensi arctissimo vinculo magis ac magis colligavit, in qua etiam omnes adhuc perstamus et ad extremum usque, favente Deo, perstituros nos speramus. Quae quam parum accurate dicta sint, nimirum a scriptore summa tantum rerum fastigia sequuto, non est quod pluribus evincamus. Nam si eius narrationi pressius institeris, omnino tibi persuadebis consensionis istius compositionem nullius negotii rem fuisse, neque alia ulla praeparatione indiguisse, nisi ut alter ad alterum inscenso equo accurreret et inter prandium raptim conscriptae formulae calculum uterque et nomen adiiceret. Verum et illud minus recte dictum est, quod Beza profert de Calvino apud quosdam in lutheranismi suspicionem delapso, quasi scilicet ille, tantum ut famae suae prospiceret et se ab iniusta accusatione vindicaret, Turicenses adiisset. Quae omnia mox suae luci et veritati restituere conabimur. Etiam Colladonus certiora non praebet, imo aperte falsa addit memoria deceptus. Sic enim scribit (ed. Franklin. pag. 74): *Au moys de May luy et M. Guillaume Farel firent de compagnie un voyage à Zurich, afin de coucher par escript un bon accord entre les ministres, pasteurs et docteurs de l'Eglise de Zurich, et ceux des Eglises de Geneve et Neufchastel, touchant la nature, vertu, fin, usage et fruict des sacremens. Car combien qu'il eust traicté de la matiere de la Cene en telle sorte que nul n'avoit occasion de s'offenser contre luy, ce neantmoins Sathan s'efforça, tant qu'il luy fut possible, de l'attirer en ceste contention, voire mesmes avec l'Eglise de Zurich, laquelle entre autres il a tousiours estimée et honorée. Mais ce fut en vain. Car au contraire, ayans en presence conferé ensemble, ilz demeurerent entierement d'accord, et avec eux aussi toutes les Eglises de Suisse et des Grisons. Lequel accord un peu apres fut imprimé en latin et en françois, assavoir au premier iour d'Aoust, et depuis en d'autres langues aussi, avec grande edification parmi tout le monde.* Quae hic de consensione iam calendis Augusti typis descripta dicit, quantum a vero absint mox patebit.

Sed, age, ne longius repetamus quae per plures menses ab utraque parte per epistolas disputata sunt, et quae fusius enarrant viri doctissimi C. B. Hundeshagen (Conflicte des Zwinglianismus etc. 1842) et C. Pestalozzi (Bullinger 1858, cf. eiusdem syngramma in Herzogii Encyclopaedia XXI. 574), initium faciemus a literis a Calvino ad Bullingerum datis a. d. VI. cal. Iulii 1548 quibus inter alia continentur propositiones aliquot breves et succinctae, quas ille cum amico velut concordiae de sacramentis ineundae fundamenta communicavit. Leguntur hae literae apud Henry Tom. II, pag. 128 in appendice, olim a nobis ex duplici autographo Turic. Arch. eccl. Cod. XXIV, fol. 6 et Genev. Cod. 106, fol. 220 accuratius edendae. Propositiones ipsas sigillatim exscriptas et annotationibus suis auctas et illustratas Bullingerus paulo serius mense Novembri ad Calvinum remisit. Autographon exstat Turici in bibliotheca publica Epp. Tom. XLV, fol. 242. Quod documentum, quum et Calvini textum primarium et genuinum contineat, et quam parum consonae fuerint tum temporis utrorumque docendi rationes, vel saltem loquendi formulae, aperte demonstret, haudquaquam negligendum nobis visum est, ideoque ipsum primo loco infra exhibebimus.

Sequutum est duplex Calvini responsum mense Ianuario anni 1549 editum. Scilicet Bullingeri annotationibus supra memoratis novas opposuit observationes quibus sententiam suam ab amico minus bene perspectam planius declarat, impugnatam vindicat, dubia solvit, praemissa epistola cuius autographon exstat in Archivis eccl. Turic. cod. XXIV, fol. 9, apographa duo habentur in Cod. Genev. 111, fol. 206 et 210. Ex hac epistola nonnulla quae ad rem nostram faciunt hoc loco decerpere libet. Scribit inter alia haec: *Annotationes tuas legi: ex quibus animadverti quid in nostra docendi ratione desideres. Breviter satisfacere conatus sum, quia neque res ipsa longum sermonem flagitabat. Quid profecerim tunc sciam quum responderis. Hoc certe abs te impetratum non immerito velim, ne vanis suspicionibus te implices. Frustra enim ideo te in multis laborare video quae nihil alioqui difficultatis habent, quod pleraque mea aliorsum*

convertis quam oporteat. Hoc facit concepta de me opinio ut quae nunquam in mentem venerunt mihi affingas. Praeterea dum totus in hoc es ut tua, qualiacunque sint, ad extremum usque tuearis, magis interdum quid cum illis congruat, quam quid verum sit, reputas. Si tibi placet simplicitas, ego certe nec fucis nec ambagibus delector. Si liberam veritatis professionem amas, nunquam mihi in animo fuit, quae scripsi, ad hominum gratiam inflectere. Si qui Luthero vel aliis blanditi sunt, non sum ex eorum numero... caett. Ipsas vero observationes ex autographo in iisdem archivis Epp. Tom. IV, fol. 458 asservato verbo tenus describemus, ita ut fusius de illarum tenore nunc disputare non attineat. Ipse tu, benevole lector, perlecto illo documento, autoris animum, quum illas conscriberet, a conciliandi studio alienissimum fuisse credideris: talis est stili acrimonia, tam stomachose vel modestissimas Bullingeri obiectiones reiicit, tam superbe deridet si quid ille mutandum proponit aut distinctius explanandum, tam denique indignanter ferre videtur quod idem suam mentem non ubique assequutus sit. Miraberis totum negotium non protinus abruptum fuisse post tam asperum et inclementem impetum. Verum Bullingerus bimestri spatio interiecto placidissime, imo submisse, respondit, nova iam annotata ad Calvini animadversiones huic transmittit, eaque ita conformata, ut omissa quavis contentione et discrepantia pedibus et manibus in huius sententiam abiisse videatur, et ipsum, non vero Calvinum, consensionis tandem feliciter compositae promotorem et autorem fuisse dixeris. Epistola Bullingeri, qua suam mentem humanissime exprimit et ab amico petit, ut sibi suam quam vocat rusticitatem condonet, quod eius placita non statim bene intellexerit, exstat in Archivis eccl. Turic. Epp. Tom. XXX, p. 233; annotata ipsa ex iisdem archivis Epp. Tom. III, p. 318, ubi autographon habetur, descripta in hoc ipso volumine edemus.

Interea, antequam haec posterior Bullingeri responsio Genevam fuerit allata, quum Bernae mense Martio medio synodum celebratum iri rescivissent ministri Genevenses (de qua adeas si placet Halleri ephemerides in Museo helvetico Part. V, pag. 85 seqq.) confessionem suam de sacramentis scripto conceptam collegis Bernensibus transmittendam censuerunt, sperantes fore ut hi addito suo calculo eandem formulam sancirent. Quae eo minus a nobis silentio praetereunda est quod iam multo propius accedit ad eam quae postea sub nomine Consensus Tigurini edita est, pluresque articuli huius postremi libelli simpliciter ex illo Bernensibus oblato exemplari descripti fuerunt. Cuius confessionis plura exstant apographa, Bernae, Genevae et Turici: unde suum habuerit P. Henry (Vol. II. App. pag. 133) ipso tacente nescimus. Nos eam cum variantibus quibusdam lectionibus, ipsius Calvini manu scriptis, ex Archivis eccl. Turic. Epp. Tom. I, p. 390 caeteris documentis huc pertinentibus subiungemus. Haec tamen confessio Genevensium ad Io. Hallerum missa synodo exhibita non fuit, quum Bernenses quaecunque ex Gallorum partibus veniebant non sine invidia et suspicione excipere solerent illo tempore, adeoque quodammodo perhorrescere: cuius rei innumera nobis testimonia occurrerunt in epistolis coaetaneorum, maxime ubi de rebus ecclesiasticis Lausannensium agebatur, quorum ingenia minus tractabilia illi deprehendebant et ad populares suos, imo ad ipsum Calvinum, plus quam par sibi videbatur, inclinantia. Legimus Halleri epistolam ad Calvinum datam a. d. III. Cal. Maias, in Cod. Genev. 114, fol. 35 asservatam ex qua hoc loco nonnulla decerpere libet: *Quod vestram attinet*, inquit, *confessionem sive declarationem de coena Domini, licet D. Viretus sine dubio exposuerit tibi rationes quare non visum fuerit ipsi et D. Musculo et mihi ut proponeretur fratribus alias plus satis efferis et commotis atque contentiosis, nihilo minus tamen ego meas quoque tibi non gravabor significare rationes, quare consultius mihi visum fuerit supprimere quam proponere. Hic vero, pro tuo candore et iam satis cognita et perspecta mihi pietate et benevolentia qua me complecteris, benigne meas rationes iudicabis. Non ea enim ratione visa fuit celanda fratribus quod ego impiam aut adversam nobis iudicem aut iudicare possim, sed quia quaedam propositiones viderentur duriores continere loquutiones quam quibus ecclesiae nostrae, maxime etiam rudiores et minus exercitati usi sint, aut*

diiudicare queant. Quae suspicionem fortassis plus augere quam elevare potuerunt, quum ego hoc unum quaeram ut suspicio cesset, quum videam nos re ipsa parum vel nihil dissidere et dissentire, et facile in re convenire posse si in dicendi modo formulis possimus. Quibus praemissis singulos percurrit articulos suasque animadversiones modo longiores, modo brevissimas proponit, nonnunquam etiam simpliciter assensum profitetur. Has quoque cum caeteris documentis publici iuris facere decrevimus, etsi minoris momenti fuisse non ignoramus, quum Bernenses in toto hoc consensionis promovendae negotio partes aliquas suscipere pertinaciter recusarint, etiam postquam Turici inter caeteros convenerat.

Sexto loco tibi dabimus, benevole lector, confessionem Vireti calvinianae coaevam, verum, quod mireris, sin minus sensu, forma tamen ab eadem diversam. Invenimus eam in bibliotheca Turicensi Epp. Tom. XLV, pag. 231 seqq. cum illa altera in Bullingeri usum ab amanuensi descriptam. Iussus enim erat (Bullingeri sunt verba textui praemissa) Viretus a synodi Bernensis deputatis doctrinae suae de ministerio verbi et sacramentis summariam comprehendere et exhibere confessionem, ex qua colligere liceret quid sentiat ac doceat, quid denique de his in libris suis gallicis ediderit. Scilicet eadem suspicio, quae Calvini propositiones, utpote extranei, vel audire recusabat, nedum recipere, Viretum, ditionis propriae ministrum adeoque magistratui Bernensi subiectum, doctrinam suam palam et latine exponere coegit, ne cui forte fraudi essent quae idiomate plerisque reipublicae civibus ignoto tam ex suggestu quam libris editis tradere solebat. Ediderat etiam anno 1548 scriptum de origine ministerii verbi Dei et sacramentorum, propter quod apud Bernenses male audiebat, atque haec quoque fuit causa cur debuerit peculiarem synodo offerre declarationem, non circa sola sacramenta, verum de aliis praeterea doctrinae articulis, quos Genevenses pro tempore attingere neutiquam sibi proposuerant. Denique etiam ideo hanc Vireti confessionem praeterire noluimus, quod autor, quamvis intima cum Calvino et Farello amicitia coniunctus, consensui turicensi paulo post constituto nomen suum subscribere non potuit invitis Bernensibus.

Iam ineunte mense Maio Calvinus literis ad Bullingerum datis, quarum autographon exstat in Archivis ecclesiae Turicensis Epp. T. XXIV, p. 11, gratissimas sibi eas fuisse testatur, quibus nuper ille quam proxime ad ipsius sententiam accedere se affirmaverat. Plurimum se gaudere ait, quod fere nihil restet quin verbis etiam inter se consentiant. Et sane erat quod gauderet, quum Bullingerum, nisi minus asperae indolis fuisset, epistola mense Ianuario scripta ad quidvis aliud potius quam ad concordiae studium potuisset incitare. Quid, quod fortasse Nostrum scriptae poenitebat. Addit, si ita expedire censeat ille, se non recusaturum data opera Turicum venire, ut omnibus animi sui sensibus melius compertis in solidam pacem tandem coalescant. Etiam Farellus, rem coram et inter praesentes facilius tractatum iri ratus, amico ut iter susciperet auctor fuerat. Cui Calvinus, eodem fere tempore quo Bullingero, se omnino paratum esse scribit, laborem itineris non refugere, verum multa obstare quominus tam longam profectionem secure adeat. Quis foret apud senatum praetextus, a quo petenda sit missio? Si quid fingeret, id ad paucos tantum dies illos placaturum. Magis etiam se Bernae respectu deterreri: ibi animos valde exasperatos, ac verendum ne gravem sibi tragoediam moveant. Simul atque audierint se illuc profectum, quidvis potius suspicaturos quam quod sibi sit in animo. Denique et ipsos Turicenses sibi non certos videri, quorum alta pectora mulceri quidem se literis passura sint, nullo teste nec conscio; verum adventu suo forte vano aliquo metu abripi se sinant. Talia et plura in hunc sensum Calvinus ad Farellum in epistola cuius autographon descripsimus ex Cod. Genev. 107 a, fol. 8.

Nihilominus eodem mense Maio vergente ambo Turici adfuerunt et intra paucos dies totum suum perfecerunt negotium. Accipe quid ipse Calvinus de hoc itinere ad Myconium scripserit, quem propter formulam Basileensibus inconsultis Turici compositam nonnihil offensum resciverat. *Inter me et D. Bullin-*

gerum, inquit, *ultro citroque privatim haec quaestio agitata fuerat. Quum Farello nostro spes illuxerat concordiae, ut Tigurum proficiscerer coram acturus, subinde hortari non destitit. Ego, qui vel naturae vitio, vel ignavia tardior sum, non ante potui adduci ut eius monitis obsequerer, quam alia se occasio praeter opinionem obtulit. Iter subito arripui de quo nihil biduo ante cogitaveram. Norunt intimi familiares quam repentinum consilium fuerit. Iter deinde Neocomo faciens, non difficulter Farello persuasi ut periculum ipse mecum faceret, an possemus in sanctam concordiam coalescere. Primum nostrum congressum, quod minime speraveram, et quod nemo ex ipsis primordiis sperasset, Deus benedixit, ut intra duas horas constitutum inter nos fuerit quod nunc legitis. Ergo sicuti Farellus iure gloriari potest, se unum huius actionis fuisse autorem, aliis nihil tale curantibus, ita culpam, si qua est, solus sustineat* caett. Legitur huius epistolae mense Novembri scriptae autographon in Archivis ecclesiae Turicensis Epp. Tom. VI, part. I, fol. 1462. Exstat quoque Genevae in Cod. 107 a, fol. 28. Quod Calvinus hic conventus turicensis sive honorem, sive culpam in Farellum defert, ut se apud Basileenses excuset, hoc penes ipsum esto. Verum in eo quod de itinere ex improviso suscepto affirmat, minime a vero recedit. Exstat enim Bullingeri epistola ad Calvinum data d. 21. Maii (Arch. eccl. Turic. Epp. T. XXX, p. 230) in qua ille sibi gratulatur, hactenus mutua scripta optime cessisse, imo rectius rem intellectam quam coram verbis utrinque propositis potuisset. *Proinde*, addit, *non est quod deseras ecclesiam tuam in hisce turbis, ac ad me concedas, magnos item sumptus facias et temet ipsum molestia itineris fatiges.* Quo tempore hae literae Genevam perveniebant, Calvinus sine dubio iam inde abierat. Nam d. 2. Iunii, ergo altera hebdomade nondum elapsa, Bernenses iam Turicensibus de consensionis formula interim sibi missa responderunt, declarationem ipsam quidem approbantes, ut exoptatissimae concordiae testimonium, sed eidem publice nomina dare recusantes. Quid quod sibi videri consultum aiunt, ut hac quidem tempestate confessio ista omnino in lucem non exeat. Calvinum et Farellum plerisque Bernensis reipublicae senatoribus et notos et suspectos esse, et perniciosam motum iri camarinam si quidquam de hac re ad senatum referretur. Proinde se malle prudenter dissimulando pia concordia frui, quam divulgando imprudenter pro concordia commutare discordiam maximam. Haec semel et iterum Hallerus et Musculus tam privatim ad Bullingerum, quam nomine collegarum ad symmystas Turicenses omnes scripserunt, neque ut se illis socios profiterentur potuerunt adduci. Idem et Calvino postea Hallerus significavit. Quae hoc loco fusius et sigillatim recensere supersedemus, plurimas olim et mutuas illustrium virorum epistolas de hoc negotio scriptas edituri.

Verum utique ad historiam documenti nostri literariam pertinent quae Turicenses ad Calvinum scripserunt d. 7. Iulii, quaeque depromimus ex Arch. eccl. Turic. Epp. Tom. I, p. 409 et T. XXX, p. 215. Cuius epistolae tenor, nonnullis omissis, hic est:

Non nostra quidem culpa factum est . . . . quod serius quam ipsi putaveramus ad te hasce damus literas. Semel et iterum scripsimus fratribus nostris Bernensis ecclesiae ministris, atque hi nobis responderunt. Ita factum est ut tardius processerit negotium. Exposuimus illis diligenter quid inter te et Farellum et nos sit actum. Adiunximus expositioni scriptum, in quod ab utrisque est consensum . . . . Responderunt illi amice et copiose, ac, ne omnia eorum commemoremus, visum est illis scriptum hoc nostrum longius petitum habere principium ac conclusionem non admodum necessariam et proinde multis improbandam. In ipsis articulis nihil improbarunt. In publicationem vero aut subscriptionem nullo modo consenserunt . . . . Iam vero non putamus consultum ut quidquam publicemus illis invitis et reclamantibus, ne, dum consensum communem omnibus declarare volumus, novam dissensionem aut simultates inter nos ipsos excitemus. Neque putamus te diversum a nobis sentire, quem sensimus hactenus paci et concordiae studere ex animo. Interim non videtur committendum ut consensio illa nostra vel lateat, vel abeat in spongiam. Cogitamus itaque de alia forma qua publicetur, idque cum bona fratrum Bernensium gratia. Fortassis non erit his grave consentire in

publicationem, si resecetur praefatio atque epilogus, si non fiant subscriptiones, si in locum praefationis tale quidpiam subiiciatur: Scribat Calvinus ad ministros Tigurinae ecclesiae epistolam, in qua exponat, esse apud exteros quibus videatur Calvini doctrina de sacramentis non per omnia congruere cum doctrina ministrorum Tigurinae ecclesiae aliorumque per Helvetiam ministrorum: ea de causa te Farello comite Tigurum concessisse ac contulisse nobiscum amicissime, iis maxime de capitibus, de quibus quondam, non inter nos ipsos, sed inter nos et alios quosdam, quorum aliqui migrarunt ad Dominum, fuit controversum. In ea autem collatione, allatis et excussis utrinque sententiis nostris, deprehensam nullam inter nos etiam hodie esse discordiam. Sed quoniam multis e magna ecclesiarum utilitate futurum videatur, si etiam alii, illi in primis qui nos dissidere arbitrantur, intelligant nos concordes esse in Domino, paratosque expositam illam veritatem et confiteri publice et iunctis copiis constanter defendere, conscripsisse te breve quodpiam compendium, illorum duntaxat capitum de quibus fuit collatum inter nos, et in quae utrinque consensum, atque illud ipsum eo potissimum consilio conscripsisse ut aliis quoque communicari possit fratribus, nisi intelligas id nobis fore ingratum et adversum prorsus. Ad ista tua vero liceret respondere tibi in hanc fere formam: Agnoscere nos primum quidem, consignata illa capita illa ipsa esse de quibus facta sit collatio, deinde in illa consensum esse unanimiter ab utrisque, ideoque publicationem nobis non improbari, sed per nos quidem licere illa et aliis communicare fratribus, neque de aliis nos addubitare symmystis, ministris ecclesiarum per Helvetiam, quin et ipsi haec sint approbaturi, praesertim quum ante multos annos habitae sint apud eos disputationes publicae, et exhibitae ab illis, nobis quoque non reclamantibus, fidei communis confessiones, cum quibus quum haec nostra faciant, istique illis suis inhaereant, non posse eos haec nostra non amplecti et approbare per omnia etc. Tuum ergo iam fuerit nobis vel melius dare consilium, vel tuam scribere epistolam, ad eam formam quam modo adumbravimus. Eam ubi miseris praefigemus, praefationis loco, declarationi consensionis et huic mox subiungemus, epilogi aut clausulae vice, nostram epistolam tuae respondentem, ad eum modum quem modo delineavimus. Porro illam formam novam, aut si quid melius suggesseris, rursus mittemus fratribus Bernensibus, tentaturi si in hanc citra subscriptionem consentire possint. Quod si consenserint, mittemus eandem et aliarum ecclesiarum ministris. Postremo quid effecerimus, tibi bona fide et mature significabimus . . . . . .

Quibus literis acceptis Calvinus, invitus quidem, sed ut qui aliter iam non posset, Bullingeri consilium sequutus epistolam illam conscripsit, quam postea editae Consensioni praefixam hodieque legimus, quaeque Calendas Augusti diem natalem refert. Cui Turicenses, prout se facturos polliciti erant, die trigesima eiusdem mensis responderunt, responsionemque epilogi vice Articulis subiunxerunt, resectis in fronte et in calce quae antea adfuerant, praefatione et epilogo, quas partes Bernenses maxime sibi impedimento esse dixerant quo minus publice adstipularentur communi declarationi. Cuius exemplar quum Turici manu Bullingeri scriptum exstet in Archivis saepius iam memoratis Epp. Tom. I, pag. 397 utrumque additamentum hodie suppressum continens, hae quoque celeberrimi documenti partes, saecularibus tenebris sepultae, si tandem aliquando in lucem protraherentur, haud abs re futurum rati, eas hoc loco tibi, benevole lector, exhibemus, et quidem utroque, quo eas Bullingerus descripsit, sermone, latino scilicet utpote primario et authentico, germanico vero, ut speciminis loco sit talium curiosis.

PRAEFATIO.

Quia nostra haec de sacramentis confessio non omnia complectitur quae utiliter apteque dici pote-

Dise vnsere Bekantnus von den heiligen Sacramenten begryfft nitt alles das das sunst zu irem

rant, et maxime alioqui ad veram eorum intelligentiam conveniunt, operae pretium est pauca de consilio nostro praefari.

Si quis ex professo tractandam sacramentorum doctrinam suscipiat, is, si quam partem necessariam omittat, merito quasi instituti sui oblitus reprehendetur. Verum alia hic fuit nostra ratio. Plus satis notae sunt concertationes quae de re sacramentaria hoc tempore non modo exstiterunt, sed nimis acriter et odiose a quibusdam fuerunt exagitatae. Hae fecerunt ut plerique boni viri aut aliud nos sentire putent quam sentiamus, aut aliquid inter nos esse dissensionis falso sibi persuadeant.

Quum utrique suspicioni vellemus occurrere, nihil expedire magis censuimus, quam si brevem formulam conscriberemus, quae quum calumnias omnes, quibus indigne gravamur apud imperitos, dilueret, tum etiam nostrae in Domino consensionis locuples testis foret.

Porro hoc agentibus multa consulto fuisse praetereunda nemo sanus non videt: sed ea modo attingi debuisse, in quibus vel suspectos illi quos diximus nos habebant, vel aliqua dissidii aut obscurae simultatis species hactenus apparuerat. Quare si, omissis quae extra controversiam erant quaestionibus universis, haec duo capita rite et ad plenum, pro huius compendii modulo, explicata fuerint, mutilum scriptum non erit, quod habebit quantum ipsa res postulabat.

raechten Verstand mitt nutz vnd kommlich haette mœgen fürgebracht werden. Dorumb vonnœten ist das wir ettwas vnd kurtz von vnserm fürnemmen in diser vorred sagind.

So imm iemandts fürnaeme imm grund vnd eigentlich von stuk zu stuk von h. Sacramenten zu reden, würde er billich geschulten, als einer der sines fürnemmens vergaessen, wenn er ettliche nodtwendige stük vszgelassen haette. Wir aber habend hie vil ein andere raechnung: nemlich ist menklichen wol zu wüssen, was traefflichen spanns vnd kriegs imm handel der Sacramenten diser zyt nitt nur vff die baan kummen sunder ouch findtlich vnd haefftig wider einander gefürt worden. Vsz welchem geuolgt ist das ettliche, ouch guttwillige lüth, vermeint habend, wir halltind anders von den heiligen Sacramenten dann wir aber thund: ettliche sind des beredt das ettwas zwyspallts ouch vnder vns selbs sye.

Alls wir nun disen beyden argwhœnen willens warend zu begegnen, hat vns darzu nüt kundichers vnd füglichers syn beducht, dann das wir ein kurtze geschrifft oder formm steltind, mit deren wir zum teyl den valschen whan, die verkerungen vnd das zutrüchnen, mit denen wir by den vnberichten beschwert werdent, von vns thätend vnd ableytend: zum teyl ouch das sœliche geschrifft heytere kundtschafft gaebe das wir einhaellig imm herren einerlei meinung sind.

Diewyl dann sœlichs vnser fürnemmen zin, ist nieman so vnverstaendig der nitt saehe das wir vil bedachtlich vnd mitt flysz fürgan oder vnderlassen vnd die stük alein anrüren soellen in denen vns die obgemœllten verdaechtig gehallten habend, oder in welchen ettwas zweyung oder ouch ein gstallt vnd schyn eines verborgnen heymlichen miszhaells oder widerwillens bishar erschinen ist. Derhalben, ob wir glich hierinn alle die vragen vnd stük dorumb kein spaan vnder vns ist vnderlassen, aber doch die zwey obgedachte houptstük raecht vnd voelliklich (so vil ein kurtzer begriff zulast) erklaert habend, wird das frylich nitt ein vnuolkomne oder gestükte geschrifft verraechnet werden, welche alles das gnugsam begryfft das fürnemmlich zu diser sach gehœrt.

POSTFATIO.

Quoniam haec pars doctrinae de sacramentis hactenus per multos annos certaminibus agitata fuit, unde non modo graves multae offensiones exortae sunt, sed hodie quoque variae suspiciones et scrupuli in multorum animis haerent, conati sumus his paucis verbis, quoad licuit sincere et perspicue, quod nobis a Domino datum erat profiteri. Certe dedimus operam ne quid huius formulae brevitas vel obscuri vel ambigui haberet. Nam quum omni in re colenda est ingenuitas, tum vero in explicandis doctrinae controversiis ab omni astutia et fuco abhorrere Christiani debent.

Diewyl von disem teyl der Sacramenten biszhar durch vil iar haefftig gestritten worden ist: vsz welchem nitt alein vil vnd schwere verletzungen entstanden sind, sunder argwhoen vnd zwyfel in viler hertzen noch hütt by tag noch hafftend, habend wir vnderstanden mitt disen wenigen worten, so vil mœglich xin, vffraecht, rein vnd verstaendtlich das wir vom herren habend zu bekennen. Vnd zwaren habend wir flysz angewaendt das dise kurtze formm nüt dunkels oder zwyfelhafftigs haette. Dann wie man in allen dingen soll fry vnd vffraecht handlen, also sollen Christenlüth fürus imm zerlegen oder erkleren der spaennen in der leer an allem valsch, list, oder gschwindikeit vnd betrug ein grosz abschühen haben.

Caeterum ita mutuae inter nos concordiae studuimus, ut prima tamen retinendae purae atque integrae veritatis cura fuerit, et pii fratres hoc nobis fuisse propositum agnoscant, ne quid hic conscriberemus, nisi sacro Dei verbo proditum. Fidei enim nostrae confessionem edimus, quae non aliunde quam ex solo Dei ore petenda est. Itaque omnes Dei servos, per sanctam illam unitatem quae Christi sanguine sancita fuit, obsecramus, ut, si nihil nos sentire ac loqui vident nisi quod accepimus a Domino, ipsi quoque communiter nobiscum coelestis magistri doctrinae, qua decet obedientia, subscribant. Quod si aliquid melius quispiam adferat, nos ad id amplexandum promptos ac dociles fore promittimus, ut clare appareat, nihil aliud nos quaerere quam ut placide et sedata omni contentionum turba ab omnibus audiatur una Dei veritas.

Der einikeit aber habend wir vns hierinn also beflissen das wir vor allen dingen die lutere warheit rein gantz vnd vnzerbrochen behieltend. Es werdent ouch alle Gottsfœrchtigen Brüder erkennen das wir das fürnemmen gehapt habend nützid hie zu schryben dann das was durch das heilig Gottswort angaeben ist. Dann wir thund hie ein bekantnus vnsers gloubens welche nienan anderschwo har dann vsz dem mund Gottes soll genommen werden. Dorumb bittend wir alle Gottes diener, durch die heilige einikeit die mitt dem blut Christi erworben vnd vffgericht ist, das wenn sie saehend das wir nüt anders haltend noch redend dann alein das wir vomm herren empfangen habend, das sy ouch mitt vns gehorsam syend, wie billich ist, des hymelischen meisters leer vnd vns mittstimmind. So aber yemandt ettwas bessers herfür bringt, so verspraechend wir das wir vns berichten vnd das besser annemmen wœllend, vff das yedermann heyter spüre das wir nüt anders suchend dann das hingelegt werde aller spaan und zangg gütlich, vnd rüwklich von yedermann gehœrt werde die einig Gottes warheit.

Reliqua quae facere possunt ad illustrandam Consensus Tigurini historiam, mox a plerisque Helvetiac ecclesiis recepti, Bernensibus usque in sua sententia persistentibus, ultra persequi huius loci non est. Sunt tamen nonnulla quae, quum ad ipsius textus fata pertineant, silentio minime praetereunda videntur. Manu scriptus exstat et a nobis collatus est Turici Neocomi et Genevae, fortassis et aliis pluribus in locis. Genevense exemplar (Cod. 145, fol. 86 seqq.) manu Caroli Ionvillaei est scriptum quo Calvinus quondam amanuensi usus est, habetque annotationes ab eodem additas, hinc inde tamen ipsius Calvini manum prodentes. Quas omnes editionis nostrae margo exhibebit. Caeterum textus tam manu scripti quam typis editi varietas fere nulla est, et, nisi de tam praeclaro documento ageretur, vix talis cuius rationem aliquam habendam esse duxissemus.

Est tamen quod moneamus, textum postea impressum non plane et per omnia eundem fuisse atque illum de quo mense Maio Turici inter Calvinum et Bullingerum convenerat. Incidimus enim in epistolam ab illo ad hunc datam a. d. VI. Cal. Iul. 1549. (Cod. Genev. 107 a, fol. 13 autogr. et Arch. eccl. Turic. Epp. Tom. I, p. 407), ubi inter alia haec dicit: Scriptum quod a vobis retulimus (ipsum innuit Consensum) fratribus legi summa omnium gratulatione. Lausannae quoque transiens Vireto et collegis non modo recitaveram sed describendum permiseram. Quidam tamen monuerunt, si quando in publicum exiret, pauca desiderari posse caett. Porro nonnullos articulos retractat, quaedam addit, in aliis orationem expolit, quibus ita curatis aliquid lucis, simul et gratiae accessurum existimat. Tu pro certo habeas illum has correctiones proprio motu proposuisse, minime vero ab aliis ipsi commendatas cum Bullingero communicasse. Quas hic omnes in suum exemplar simpliciter retulit, nos in edendo textu diligenter respiciemus. Caeterum his additamentis effectum est ut in exemplari postea impresso plures numerarentur articuli quam in eo quod primum autor Turicum attulerat, neque concinant numeri qui passim in epistolis occurrunt vel ante vel post Calendas Augusti illius anni scriptis.

Restat ut de libris impressis dicamus quibus instructi textum Consensionis primae suae et authenticae formae restituimus, addita sequentium editionum variata lectione. Postquam aliquamdiu, monentibus maxime Bernensibus, utrinque autores cunctati sunt articulos suos typis mandare, primi Turicenses eos prelo permisisse videntur, quod infra allatis argumentis demonstrare conabimur. Eorum editio, quam nos principem dicemus et textus a nobis constituendi normam sequemur, hunc prae se fert titulum:

CONSEN | SIO MVTVA IN RE | *SACRAMENTARIA MINI-* | strorum Tigurinae ecclesiae, et D. Io- | annis Caluini ministri Geneuen- | sis ecclesiae, iam nunc ab | ipsis authoribus | edita | | 1 Corinth. 1. | *Obsecro autem uos fratres, per* | *nomen domini nostri Iesu Christi,* | *ut idem loquamini omnes, et non* | *sint inter uos dissidia, sed sitis inte* | *grum corpus, eadem mente, et* | *eadem sententia.* | | *TIGVRI EX OFFICINA* | Rodolphi Vuissenbachij.

Forma octonaria minor. Quaterniones duo (a. b.). Paginae numeratae 26. Tria ultima folia in albis. Epistolae duae Calvini (pag. 3—5) et Turicensium (pag. 20—26) literis cursivis expressae. Singuli consensionis articuli a linea incipiunt, sed nulli adsunt numeri. Annus libri natalis neque in fronte neque in calce notatur. Usi sumus exemplari e ditissima bibliotheca Guelferbytana allato quum ipsis aliquod venale nancisci nondum contigerit.

Altera editio fuit Genevensis ex qua deinde omnes posteriores fluxerunt fere invariatae. Huius exemplar habuimus ex ipsa Genevensium bibliotheca nobis transmissum, alias rarissimum. Titulus est:

CONSENSIO | MVTVA IN RE SA- | CRAMENTARIA MINI- | STRORVM TIGVRINAE EC- | clesiae, et D. Ioannis Caluini ministri | Geneuensis Ecclesiae, iam nunc ab | ipsis authoribus | edita. | | 1 Cor. 1. | Obsecro vos fratres per nomen | Domini nostri Iesu Christi, vt idem | loquamini, et non

sint inter vos dis- | sidia, sed sitis integrum corpus, eadem | mente, et eadem sententia | | GENEVAE, |
Ex officina Ioannis Crispini. | M. D. LI.

Forma octonaria minor. Constat libellus quaternione uno et uno ternione (A. B.), paginis numeratis 26. Epistolae Calvini (p. 3—6) et Turicensium (p. 17—26) maioribus typis expressae sunt, articuli ipsi minoribus. Hic quoque numeri singulis nulli praefiguntur. Ad calcem Epistolae posterioris legitur: ACT. 4. Multitudinis credentium erat cor unum et anima una. — IER. 32. Dabo eis cor unum et viam unam ut timeant me cunctis diebus, quod eis bono cedet, et filiis eorum post eos. — Folio ultimo typographus inscripsit haec: GENEVAE | EXCVDEBAT IOAN. CRISPINVS, | SEPTIMO CALEND. APRILIS | M D LI.

Iam quum inter utramque editionem, quarum altera sine die et consule prodiit, plurimae reperiantur textus varietates, leviores quidem omnes, adeoque nullius momenti quantum ad ipsum rei argumentum attinet, verum tamen evidenter de industria illatae, quaeritur utram priorem fuisse statuamus. Produnt passim lectiones genevenses manum de castigando sermone magis sollicitam, et stili elegantioris maxime in disponendis verbis curiosiorem, et sic correctoris, scilicet ipsius Calvini, studia referre videntur, quae Turicensis editor vel neglexisse vel potius ignorasse censendus est. Quae quum ita se habeant, olim vero simillimum nobis videbatur formulam consensionis primum Turici impressam fuisse vel exeunte anno 1549 vel proxime sequenti, Calvinum autem, quum integro anno elapso libellum divenditum resciret, denuo eundem diligenter perlegisse et expolivisse, antequam Crispino recudendum traderet. Non quidem latebat nos trita et vulgata opinio, secundum quam duumviri illustrissimi, eodem tempore et ex communi consilio, in utraque urbe consensui edendo operam navasse perhibentur. Verum vix probabile nobis videbatur, eosdem, alioqui concordiae inter se firmandae publiceque declarandae studiosissimos, adeo ut vel de simplicissimis formulis sedulo disquirerent et singula fere vocabula anxie expenderent, in evulgando textu tam operose constituto tam leviter egisse, ut simul duobus locis longe inter se distantibus eum prelo subiicerent, et quidem liberius utrinque retractatum. Accedebat quod Farellus in epistola quadam ad Bullingerum scripta d. 12. Dec. 1549 (Arch. eccl. Tig. Epp. T. 24, p. 332) satis ambigue quidem, de iam edita formula loqui videbatur, quam prodiisse in lucem dicit, quod sane aliter etiam ac de impressa intelligi posse non negamus. Tum etiam quod in epistola illa ad Bullingerum data, de qua supra diximus, inter alia addenda et corrigenda Calvinus, ad articulum qui nunc octavus est, phrasi cuidam minus concinne dictae aliam substituendam proponit, quae deinde in editionibus genevensibus omnibus expressa est, in turicensi vero simpliciter priori addita legitur, insulsum ita pleonasmum et intolerabilem referens, quod sane non accidisset si ad Crispini exemplar Wissembachius suum conformare potuisset. Habuit hic textum quem excuderet manu scriptum, in cuius margine Bullingerus aut alius quispiam Calvini emendationes notaverat; genevensis typographus postea, Calvino operi attendente, errorem facile vitavit.

Attamen re accuratius perspecta aliam potius sententiam nunc amplectimur eamque tralatitiae propiorem. Permovent nos epistolae inter Calvinum et Bullingerum mutuae primis mensibus anni 1551 conscriptae. Primus Bullingerus d. 4. Februarii Calvino transmittit exemplar confessionis a Io. a Lasco in Anglia editae, additque haec verba, quae iam per se sola rem totam conficere videntur: Porro conabimur iam Consensionem nostram apud nos imprimi. (sic!) Si ergo tibi commodum fuerit visum, fac ut apud vos quoque imprimatur. Neque enim putamus calcotypum nostrum suum hic nobis denegaturum officium. (Autogr. cod. Genev. 114, fol. 91.) Ad quae Calvinus a. d. XIII. Cal. Martii i. e. 17. Febr. haec respondit: *Quoniam nonnulli, vel maligni, vel morosi, vel sinistri homines concordiae nostrae obstrepunt, si ita visum fuerit vobis, editam esse cuperem .... Si edita fuerit consensionis forma, saxonicis ecclesiis id valde profuturum spero. Vos tamen pro vestra*

prudentia, quid melius sit, statuite. Ego, quum plurimi exemplaria peterent, nunquam eo me adduci passus sum ut prelo daretur, donec permissu vestro fieret. Qua de re iam ante scripseram, sed ex silentio conieci nondum vobis maturum videri tempus. Velim tamen iudicium vestrum mihi significes. (Epp. Calvini edit. Genev. pag. 278; Laus. pag. 387; Hanov. pag. 434; Amst. pap. 174). Paucis diebus interiectis, nempe Februarii penultima Bullingerus Calvinum certiorem facit Consensionem iam Turici excudi, cuius primum folium nondum absolutum ei mittit. (Arch. eccl. Turic. Epp. T. XXX, p. 270 autogr.) Hactenus ergo libelli Wissembachiani natales accuratissime definiuntur. Quid quod idem Myconio iam sexta Martii integrum opusculum tradit, teste epistola quae exstat in eodem tomo pag. 256, et die sequenti ad Calvinum (ibid. pag. 271) haec scribit: *Gratulor nobis pulcherrimum illum consensum divina haud dubie providentia sic temperatum, ut, dum tu editionem Consensionis postulas, nos in edenda illa laboremus, atque iam nostra sponte vulgaverimus. Ex his et multis aliis auspicatis signis ominamur, illam non sine magno fructu esse editam. Nuper miseram tibi primum folium ex altera tantum parte excusum: e prelo enim subripueram, iam integram consensionem mitto.*

Cui Calvinus a. d. IV. Idus Martias: *Plurimum gaudii attulit, non mihi solum, sed etiam Farello et reliquis fratribus consensionis nostrae editio. Utinam quindecim diebus citius venissent tuae literae, nam his nundinis francfordianis exiisset.* (Epp. Calvini ed. Genev. pag. 98; Laus. pag. 217; Hanov. pag. 242; Amst. pag. 59.) Constat igitur, quo tempore Turicensis editio prodibat, Calvinum de Genevensi ne cogitasse quidem, etsi a Bullingero de ea procuranda sollicitatus fuerit. Vergente eodem mense Farellus ad Calvinum scribit (Cod. Genev. 115, fol. 96 autogr.) se à Bullingero exemplar unum Consensionis accepisse, in qua edenda nihil festinatum esse dolet. Simul expedire censet ut gallice vertatur. Sequitur ex his omnibus nos in eo tantum errasse quod Turicensem editionem Genevensi integro anno antiquiorem fuisse putavimus, viros doctos vero, qui ante nos de hac re verba fecerunt, aperte falsos fuisse in eo quod utramque simul impressam affirmarunt. Imo nos verum vidimus, qui alteram alterius apographon diximus, ab ipso Calvino emendatum. Sed hic sine ulla mora operi manum admovisse dicendus est, quum Crispinus iam a. d. VII. Cal. Apriles suum absolverit.

Consensus Tigurinus qui dicitur, qualis tandem anno 1551 editus est, in XXVI articulos digestus, cum utraque epistola, et Calvini et Turicensium, legitur praeterea apud Gallasium pag. 822—828; tum in libello recentiori cui titulus est: Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de Sacramentis, quem Calvinus vergente anno 1554 conscripsit et sequenti apud Stephanum edidit, pag. 11—22. Apud Bezam exstat ed. 1576, pag. 1035—1039, ed. 1597, pag. 871—875; apud Stoerium pag. 752—755; denique in editione Amstelodamensi pag. 648—651. Exstat etiam in Lavateri et Hospiniani scriptis de controversia sacramentaria notissimis, et in Niemeyeri Collectione confessionum in reformatis ecclesiis publicatarum.

Versionem gallicam Calvinus eodem tempore prodire iussit quo latinum archetypum, atque ex eadem officina. Cuius editionis principis unicum exemplar invenimus in bibliotheca Genevensi, ut supra memoravimus. Titulus est:

L'ACCORD | PASSE ET CON- | CLVD TOVCHANT LA | MATIERE DES SACREMENS, | entre les Ministres de l'Eglise de Zurich, | et Maistre Iehan Caluin Ministre de l'E- | glise de Geneue. | | I. COR. I. | Ie vous prie mes freres, au nom | de nostre Seigneur Iesus Christ, | que vous parliez tous d'vne sorte, | et qu'il n'y ait point de partialitez | entre vous: mais que soyez vniz en | vn mesme sens et propos. | | A GENEVE, | De l'imprimerie de Iehan Crespin. | M. D. LI.

Forma octonaria minor. Quaterniones duo (A. B) paginae numeratae 29. Ultimum quod adesse

debuerat folium, idque vel vacuum, vel subscriptione typographi insignitum, in exemplari Genevensi desideratur. Epistolae duae (pag. 3—7 et pag. 19 med. ad 29) typis maioribus excusae ut in latino. Articuli hic numeris distincti sed negligentius appositis. Ab initio quidem recte se habent usque ad vigesimum primum. Tum vero sequuntur duo (22 et 23) numeris suis destituti, finem faciunt tres (24—26) ad quorum marginem denuo apparent sigla 14, 15 et 16. In fine legitur: ACT. 4. Il y avoit un cueur et une ame en toute la multitude des croyans.

Textum hunc gallicum exhibet Corpus Tractatuum ed. 1566, pag. 1137—1145, ed. 1611, pag. 1297—1306.

De versione Bullingeri germanica, quae eodem anno 1551 prodiit v. Pestalozzii scripta supra laudata. Textum impressum habes in L. Lavateri historia controversiae sacramentariae 1563.

Habes iam, benevole lector, de Consensus tigurini, qui vulgo dicitur, origine et fatis quae ex schedis nostris excerpta usui tui accommodare visum est: pro libelli mole, paucissimis pagellis absoluti, satis amplam notitiarum congeriem, multo sudore multisque vigiliis conquisitam. Quibus olim, si Deo placuerit, in thesauro epistolico calviniano a nobis edendo plura etiam neque minus notatu digna accedent.

ARTICULI

A

FACULTATE SACRAE THEOLOGIAE PARISIENSI DETERMINATI

SUPER

MATERIIS FIDEI NOSTRAE HODIE CONTROVERSIS.

CUM ANTIDOTO.

M. D. XLIV.

Decanus et facultas theologorum Parisiensium, omnibus in Christo fidelibus, Salutem.

Quum hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem videamus plerosque fidelium, iuxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam parvulos fluctuantes ad omnem ventum cuiusvis doctrinae circumferri et agitari: nostra autem intersit, quod in nobis erit, dissidentes opinionum fluctus componere: de sanctissimo christianissimi Regis proposito abunde persuasi, quidnam circa articulos hodie a plerisque controversos, et christianis doctoribus concionatoribus praedicandum, et caeteris Christi fidelibus cum universa sit ecclesia credendum, paucis hoc ordine visum est annotare.

Quia haec est magistralis definitio, notandum est quod probationes non sunt additae: quia hoc derogaret antiquis scholae Parisiensis privilegiis. Sed propter quosdam nimis curiosos, qui nihil hodie credere volunt, nisi bene probatum: ego de superabundanti aliquid hic transeunter dicam pro confirmatione, sive pro supplemento determinationis suprascriptae et infra scribendae. Principio, locus ab autoritate plurimum valere debet in ecclesia. Quanquam autem magistri nostri deficiunt in scripturae testimoniis, compensant tamen hunc defectum in alia autoritate quam habent: ecclesiae scilicet, quae aequipollet scripturis, vel etiam secundum doctores praevalet in certitudine. Quod autem magistri nostri in unum congregati sint ecclesia, probatur sic quia sunt sicut arca Noe. Est enim ibi multitudo ex omni genere animalium. Deinde quum in schola Pythagorae tantum unius hominis valuerit autoritas, ut ad probationem sufficeret illud Ipse dixit, quanto magis sufficere debet, quod tot magistri nostri simul una voce dixerunt. Praesertim quum ante resolutionem factam cantata sit illis bassa missa de spiritu sancto. Et quum ex parte fuerint illuminati post ientaculum, ex parte vero zelosi propter choleram in ieiuno stomacho dominantem.

ANTIDOTUM.

Quum vetat apostolus nos similes esse pueris (Eph. 4, 14), qui fluctuemus, et circumferamur quovis vento doctrinae, rationem simul, qua possit hoc caveri, praescribit: ut coalescamus omnes in unitatem fidei, quam agnitionem filii Dei esse definit. Porro fidem alibi idem testatur concipi ex verbo Dei (Rom. 10, 17). Qua ratione, alio quoque loco (Eph. 2, 20), fideles superstrui debere docet, super fundamentum apostolorum et prophetarum. Et Colossenses hortatur, ut permaneant in fide fundati ac stabiles, neque dimoveri se patiantur a spe evangelii, quod audierant (Col. 1, 23). Unde et a Luca (Act. 17, 11) merito laudantur Thessalonicenses, qui quum amplexi essent magna promptitudine Pauli doctrinam, eam tamen ad scripturae examen exigebant. Neque vero aliter stare potest, quod idem Paulus alibi (1 Cor. 2, 4) tradit, fidem nostram non in sapientia hominum consistere, sed in potentia Dei, nisi a solo Deo pendeamus. Sicut scriptum est: Audite me, et vivet anima vestra (Is. 55, 3). Atque hoc est quod praecipit Dominus per Ieremiam: Propheta, cui revelavi sermonem, annunciet sermonem meum bona fide (Ier. 23, 28). Item per Petrum: Si quis loquitur, loquatur ut eloquia Dei (1 Petr. 4, 11). Proinde si quid controversiarum inciderit, non hominum arbitrio transigi aut decidi, sed una Dei autoritate componi, aequum est. Atque hoc significat Paulus, quum adversus Satanam non alio nos gladio armat, quam verbo Domini (Eph. 6, 17). Hoc quoque ipsum suo exemplo nobis ostendit Christus: quum a Satana impetitus, non aliud ad resistendum opposuit, quam scripturae testimonia (Matth. 4, 4 ss.). Alioqui non verum esset elogium, quo eam Paulus commendat, quum utilem esse testatur, non ad docendum modo, et ad monendum, sed etiam ad redarguendum (2 Tim. 3, 16). Ergo quum nunc opinionum varietate tumultuetur mundus, hoc unico remedio nobis utendum est. Ad scripturam dico, vel, ut ait Isaias, ad legem et testimonium (Is. 8, 20), tanquam ad sacram anchoram, confugiendum, ut secundum apostoli praeceptum, unum sentiamus omnes, sed in Christo (Rom. 15, 5). Praeclare enim Augustinus: ubi de re obscura disputatur, non adiuvantibus scripturae divinae certis clarisque testimoniis, cohibere se debet humana praesumptio, nihil faciens alteram in

partem declinando.[1]) Itaque in quaestionibus hodie controversis sequamur regulam, quam teste Theodorito[2]) Constantinus in synodo Nicena episcopis dedit, ut ex puris Dei oraculis earum petamus definitionem.[3])

ARTICULUS I.

De Baptismo.

Certa et firma fide credendum est baptisma omnibus etiam parvulis ad salutem necessarium esse: ac per ipsum dari gratiam spiritus sancti.

Probatur sic: Quia alias baptisma per mulieres datum, nihil valeret, quod est expresse fundatum in hac fide, quia baptismus sit de necessitate salutis: Utcunque sit prohibitum in concilio Carthaginensi, quod mulieres baptizare non praesumant, sine aliqua exceptione. Imo quod est fortius, ventilatur ardua quaestio inter doctores, utrum infans in periculo mortis, si non adsit aqua, debeat potius proiici in puteum quam commendari Deo cum exspectatione eventus. Hoc autem esset homicidium dignum morte, nisi diceretur quod baptisma sit de necessitate salutis. Sunt etiam aliae quaestiones, utrum infans, in defectu aquae naturalis, debeat potius baptizari cum lotio, vel cum aquis artificialibus, alias stillatitiis, quam relinqui sic, donec habeatur aqua. Item, utrum non sit verus baptismus, conspuere super faciem, in casu necessitatis. Quae omnes quaestiones non tantum essent supervacuae, sed etiam stultae, nisi teneremus hoc principium.

ANTIDOTUM.

Offerri nobis in baptismo, ac exhiberi tum remissionem peccatorum, tum spiritus sancti gratiam, pii omnes confitentur. Eo quoque agnoscunt opus habere infantes: non tanquam adiumento ad salutem necessario, sed tanquam sigillo, ad obsignandam in illis adoptionis gratiam, divinitus ordinato. Sanctos enim fidelium liberos nasci tradit Paulus (1 Cor. 7, 14). Et sane nequaquam illis conveniret baptismus, nisi iam in hac promissione salus eorum inclusa esset: Ero Deus tuus, et Deus seminis tui (Gen. 17, 7). Non enim filii Dei per baptismum fiunt. Sed quia promissionis beneficio haeredes sunt adoptionis, ideo ad baptismum eos admittit ecclesia. Et sicut olim Israelitarum liberis, si ante diem octavum mortui essent, nihil nocebat, quod circumcisionis sacramento carerent, ita hodie, modo nulla, aut contumacia parentum, aut negligentia intercedat, sufficit infantibus fidelium ad salutem sola promissio, qua in societatem ecclesiae ab utero adoptantur. Fit enim Christo iniuria, si imminutam Dei gratiam eius adventu putemus. Atqui filios suos vocabat Deus olim, quicunque ex Israele nascerentur (Ezech. 18, 4). Nec legimus baptizatum fuisse Ioannem, qui tamen aliis baptismi minister erat. Sic ergo habendum est, quemadmodum in patre fidelium Abraham praecessit iustitia fidei circumcisionem, ita in fidelium liberis hodie baptismo priorem esse adoptionis gratiam, sicut promissionis verba sonant: Ero Deus seminis tui. Huius autem gratiae baptismum esse confirmationem, ut fidei nostrae adiumentum.

ARTICULUS II.

De libero Arbitrio.

Eadem fidei constantia est tenendum, homini inesse liberum arbitrium, quo potest bene vel male agere, et per quod, si etiam in peccato mortali fuerit, Deo adiuvante, ad gratiam resurgere valet.

Probatur sic: Quia magistri nostri sic determinarunt post Aristotelem et omnes philosophos, qui rationem in homine dominam constituunt loco spiritus sancti.[1]) Et hoc etiam est fundatum in ratione invincibili: quia alias non esset meritum, quod est opus elicitum ex potentia liberi arbitrii, concurrente Dei gratia. Et nisi voluntas esset effectiva volitionis, non bene staret ordo moventium et motorum. Praeterea non essemus cooperatores Dei in facienda salute nostra, nisi concurreret motus et actio voluntatis, cum auxilio gratiae. Nam quod Lutherani dicunt, ipsam cooperationem esse ex dono Dei, quia voluntas sit reformata ut consentiat Deo, et adducunt pro se scripturam, et formalia verba Augustini, qui dicit in principio libri De bono perseverantiae, quod Deus dat talem gratiam suis, ut sibi perseveranter adhaereant: Item in libro De correptione et gratia,[2]) ubi dicit, dari nobis gratiam qua non tantum possimus, sed etiam velimus, idque efficaciter: Item, gratia Dei indeclinabiliter et inseparabiliter agi fideles: Responsio est facilis, quod determinatio facultatis est supra opinionem unius doctoris, iuxta illud: Plus vident oculi, quam oculus. Similiter quod adversus fundamentale princi-

---

1) Libr. 2. de peccat. meritis et remissione in fine.
2) Libr. 1. histor. eccl. cap. 7.
3) *Versio gallica addit haec:* Car comme dit sainct Hilaire, c'est un grand desordre quand on determine de la doctrine Chrestienne selon le iugement des hommes ou par leur authorité (au livre des Synodes contre les Arriens au commencement).

1) *Gallus:* au lieu que les Lutheriens disent que c'est le sainct Esprit.
2) *Versio habet*: De cooperation et grace.

pium, quod posui, scilicet meritum esse effectum potentiae liberi arbitrii, adducunt aliud dictum Augustini: quod gratia sanctis est omne meritum. Solutio est, Augustinum nescivisse quid magistri nostri super hoc resolutive dicturi essent.

ANTIDOTUM.

Quum omne figmentum humani cordis ab infantia malum esse pronunciet Dei spiritus (Gen. 6, 5 et 8, 21; Ps. 14, 3; Rom. 3, 10); quum nullum esse iustum, nullum intelligentem, nullum qui Deum exquirat, omnes vero esse inutiles, corruptos, vacuos timore Dei, plenos fraude, amarulentia, et omni nequitiae genere, destitutos gloria Dei tradat: quum omnem sensum carnis inimicitiam esse adversus Deum clamet: nec quidquam nobis faciat reliquum, ne ad bene cogitandum quidem (Rom. 8, 6; 2 Cor. 3, 5): nos cum Augustino [1]) pronunciamus, hominem libero arbitrio male usum, et se, et illud perdidisse. Item, [2]) victa vitio in quod cecidit voluntate, carere libertate naturam. Item, [3]) non esse liberam voluntatem, quae cupiditatibus vincentibus ac vincientibus subdita sit. Item cum Ambrosio, [4]) non esse in potestate nostra cor nostrum, nec cogitationes nostras. Similiter quum opus suum esse testetur Deus, innovare cor, ex lapideo facere carneum, inscribere legem suam cordibus, et visceribus nostris eam insculpere, facere ut in praeceptis suis ambulemus, dare et bonam voluntatem et operis effectum, ponere in cordibus nostris timorem nominis sui, ne unquam a se recedamus, perficere denique opus bonum quod incepit in nobis, usque in diem Christi (Psal. 51, 12; Ez. 36, 26; Ier. 31, 33; Phil. 2, 13; Ier. 32, 39; Ez. 11, 19; Phil. 1, 6); constituimus iterum cum Augustino agi filios Dei eius spiritu, ut quod agendum est agant. [5]) Item trahi ab eo, ut volentes ex nolentibus fiant: [6]) item, post casum hominis non nisi ad Dei gratiam pertinere, ut homo ad eum accedat, nec pertinere nisi ad eandem gratiam, ut ab eo non recedat. [7]) Item, nos nescire quid in voluntate nostra boni inveniri possit quod sit nostrum. [8]) Item, quia liberum arbitrium primi peccati magnitudine perdidimus, ut in Deum credamus et pie vivamus: non esse volentis, neque currentis, non quia non velle debeamus et currere, sed quia Deus utrumque efficit. [9]) Item cum Cypriano in nullo esse gloriandum, quando nihil nostrum sit. [10])

1) Libr. 3. ad Bonifac. 2) De perfect. iustorum.
3) Homil. in Ioann. 53. 4) De fuga saeculi.
5) De corrept. et gratia c. 2. 6) Libr. 1. ad Bonifac. 19.
7) De bono pers. c. 7.
8) Libr. 2. de peccat. meritis et remiss. cap. 18.
9) Epist. 107 (217) ad Vital. 10) Cit. saepe ab Augustino.

ARTICULUS III.

De poenitentia.

Nec minus certum est adultis et ratione utentibus, post peccatum mortale admissum necessariam esse poenitentiam: quae in contritione et confessione sacramentali vocaliter sacerdoti facienda, similiter et satisfactione consistit.

Notandum est quod Lutherani non loquuntur doctrinaliter de poenitentia, quando dicunt quod sit conversio ad Deum, quae nascatur ex odio et displicentia peccati et amore iustitiae. Item, quod homo debet abnegare propriam voluntatem, ut a Deo gubernetur. Item, quod debet humiliari sentiendo iram Dei et horrores mortis. Nam sufficit contritio pro peccatis mortalibus: ita ut sint pro singulis peccatis singulae contritiones ad mensuram. Quantum vero pertinet ad confessionem: notandum est, quod materia sit de iure divino: forma autem de iure positivo: in quo non tantum Lutherani errant, sed etiam canonistae, qui tenent legem de confessione esse mere positivam. Probatur autem sic, quod materia sit de iure divino: quia dicit Iacobus, Confitemini alterutrum. Haec est rudis materia: quia nisi ab extra formaretur, sequeretur quod sacerdotes deberent confiteri laicis, quoniam alterutrum significat reciproce: vel quod laici non essent capaces ad confitendum, quia non possent audire aliorum confessiones: sed forma superaddita fuit per Innocentium papam, quod hoc deberet fieri proprio sacerdoti. Haec est magistralis distinctio totius scholae. Quod autem oporteat satisfacere Deo, probatur sic: Quia alias nihil esset quod dicitur de operibus supererogationis. Deinde falsum esset quod tenet schola, de remissione culpae et retentione poenae. Et ita haberent Lutherani quod volunt, nos nihil posse facere quod non debeamus Deo. Item, Deo nos reconciliari gratis, per satisfactionem Christi. Nunquam autem debemus hoc illis concedere, quia trahit nimis longam caudam, sicut infra videbitur, in tantum quod non esset amplius purgatorium. [1])

ANTIDOTUM.

Poenitentiam ubique requirit a nobis Dei spiritus in lege, in prophetis, in evangelio: simul etiam

1) *Add. versio:* D'avantage si les pechez estoyent pardonnez sans recompense, cela seroit pour lascher la bride aux meschans, tellement qu'ils ne feroyent que la figue d'offenser Dieu. Ce que les Lutheriens disent, que la penitence qu'ils enseignent, emporte beaucoup plus que les satisfactions dont nous usons, qui ne gisent qu'en patre-nostre, en ieusnes, et autres choses semblables: ie di que c'est une chose dangereuse de laisser cela à la devotion d'un chacun. Et qu'il est mestier de persuader au monde que Dieu accepte en payement telles choses, autrement on n'en tiendroit conte.

definit, quid hoc nomine intelligat: dum iubet innovari corda, circumcidi Domino, auferri praeputium, lavari, et cessare a malis studiis, solvere fasciculum iniquitatis intus ligatum, scindere corda et non vestimenta, exuere veterem hominem, renunciare propriis desideriis, et renovari in imaginem Dei: praeterea, fructus etiam poenitentiae commemorat, caritatis officia, et exercitia piae ac sanctae vitae (Ez. 18, 31; Ier. 4, 4; Is. 1, 16 et 58, 6; Ioel 2, 13; Rom. 6, 6; Col. 3, 10. 14; Eph. 4, 22 etc.). De confessione ad aurem sacerdotis facienda, nulla usquam mentio. De satisfactione multo minus. Quin etiam constat ante Innocentium tertium, nullam confitendi necessitatem impositam fuisse christiano populo. Exstat enim decretum eius, factum in concilio lateranensi.[1] Ergo per annos mille circiter et ducentos incognita fuit christianae ecclesiae haec theologia, quod ad poenitentiam necessario requiratur vocalis confessio. Et clara sunt verba Chrysostomi:[2] Non dico, ut conservo tuo confitearis: dicito Domino. Item: Non est necesse coram testibus confiteri; cogitatione fiat delictorum exquisitio: sine teste sit hoc iudicium: solus Deus te confitentem videat. Item: Non te voco in hominum theatrum; ostende Deo optimo medico tua vulnera, qui ea curet. Confitendi quidem morem non nego vetustissimum esse. Sed dico fuisse liberum, sicut Sozomenus refert in Historia ecclesiastica,[3] qui etiam abolitum fuisse Constantinopoli testis est, quod sub hoc praetextu matrona quaedam deprehensa fuisset cum diacono rem habere. Quod autem pauci tantum confiterentur, ex eo apparet, quod unum tantum presbyterum, in unoquoque episcopatu, ad eam rem destinatum fuisse narrat. Unde etiam colligere promptum est, hunc morem ex solenni publicae poenitentiae ritu fuisse natum. Poenitentia vero publica, non Deum in foro conscientiae respicit, sed ad ecclesiae iudicium spectat: ut peccator coram hominibus profiteatur aliquo signo, quid animi coram Deo habeat. Quod ad satisfactiones pertinet scriptura hanc laudem Christo in solidum vindicat, quod sit expiatio pro peccatis, quod correctio pacis nostrae sit super eum, quod per solum eius nomen, obtinenda sit peccatorum remissio (1 Ioann. 2, 2; Is. 53, 5; Act. 10, 43; Rom. 4, 6). Quantum ad nos, gratuite et sine operibus impleri, testatur Paulus, in nobis hanc beatitudinem, quod nobis non imputentur peccata. Satisfactiones autem quas in poenitentiae testimonium ecclesia a peccatoribus exigit, non improbamus.

1) Can. Omnis utriusque sexus.
2) Homil. 2. in Psal. 50. sermon. de poenit. et confess. Homil. 5. contra Anomoeos. Homil. 4. de Lazaro.
3) Trip. histor. libr. 9.

ARTICULUS IV.

De iustitia operum.

Ad haec peccatorem non sola fide, sed et bonis operibus iustificari: quae adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur aeternam.[1]

Probatur sic: Primum ratione philosophica, quia[2] iustitia est qualitas, ideo nullus est iustus extra se, sed propter qualitatem operum. Item, eadem ratio partis quoad partem, quae totius quoad totum. Sed perfecta obedientia legis est iustitia. Ergo partialis obedientia est portio iustitiae. Quod autem Lutherani ponunt iustificationem fidei in praedicamento relationis, dicentes quod ideo iusti sumus, quia Deus habeat nos gratos in Christo, secundum quod Paulus docet ad Ephesios, illud est contra omnem rationem philosophiae. Item, quod negant illud principium de proportione totius et partis in hac materia valere: quia Deus non promittat mercedem, nisi implentibus legem suam, maledictos pronunciet, qui transgrediuntur in aliquo: dico, quod contra negantem principia, non est arguendum. Item, nos habemus pro nobis unam aliam demonstrationem. Contrariorum eadem est disciplina: sed nos damnamur propter mala opera: ergo iustificamur propter bona. Quod autem Lutherani replicant, unum solum malum opus sufficere ad damnationem, sed ad salutem requiri perfectionem iustitiae: respondeo, quod sufficit nos pro parte iustificari operibus, ut supra. Nam quod Paulus dicit, Stipendium peccati, mors; gratia autem Domini, vita aeterna: supplendum est in secundo membro: cum meritis operum. Sequitur etiam alia demonstratio, quia merces et meritum sunt correlativa. Sed Deus promittit nobis mercedem pro bonis operibus: ergo opera merentur vitam aeternam. Et per consequens iustificant hominem. Quod autem Lutherani derident hoc argumentum, quia dicunt opera ideo remunerari a Deo, quia accepta sint illi postquam gratis iustificavit hominem: et ideo dicunt hoc praemium pendere a gratuita acceptatione, et propterea debere subordinari iustitiae fidei, tanquam effectum causae suae: respondeo, quod hic modus argumentandi semper fuit practicatus. Et ideo est authenticus per longam consuetudinem: quod si Deus remuneratur opera, ergo iustificant.

ANTIDOTUM.

Haec sunt Pauli verba (Rom. 4, 14): Si ex lege haereditas, exinanita est fides, et abolita pro-

1) aeternam *om.* 1576 *seqq.*
2) quia *om.* 1576 *seqq.*

missio. **Ideo ex fide** datur; ut secundum gratiam firma sit **promissio.** Dixerat autem prius, absque lege **manifestatam** esse iustitiam Dei per fidem Christi **in omnes et** super omnes qui credunt (Rom. 3, 21). **Item, destitui** omnes gloria Dei, iustificari autem **gratis per** illius gratiam (Rom. 3, 22. 23). Nunc **coniunge** quod postea ipse scribit: Si per gratiam, iam **non** ex operibus; si ex operibus, ergo non per **gratiam** (Rom. 11, 6). Ratio est, sicut alio loco **docet**: Quia merces operanti non imputetur **secundum gratiam**, sed secundum debitum (Rom. 4, 4). **Eandem** sententiam repetit ad Ephesios: Gratia estis salvati, non ex operibus, ne quis glorietur (Eph. 2, 8). Quid autem his verbis significet, exponit ad Romanos inquiens: Quemadmodum et David beatitudinem definit hominis, cui Deus imputat iustitiam, absque operibus legis: Beati quorum remissae sunt iniquitates (Rom. 4, 6). Item ad Corinthios: Erat Deus in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans hominibus peccata (2 Cor. 5, 19): eum enim qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut efficeremur iustitia Dei in illo. Videmus, ut doceat Deum iustificare homines, remittendo illis peccata. Unde et Zacharias hanc salutis scientiam nominat (Luc. 1, 77). Quod autem de lege caeremoniali vulgo has omnes sententias intelligunt, frivolum est, quia ubique propriam hominis iustitiam fidei iustitiae opponit: sicut ad Romanos: Volentes propriam iustitiam statuere, iustitiae Dei non sunt subiecti (Rom. 10, 3). Et rationem subnectit, quia lex dicat: Qui fecerit haec, vivet in ipsis (ib. v. 5). Sicut etiam ad Galatas utitur hoc argumento: Iustus ex fide vivet. Lex autem non est ex fide, sed qui fecerit haec, vivet in ipsis (Galat. 3, 11. 12). Christus autem redemit nos a maledictione legis, ut promissio Abrahae facta impleretur in nobis per fidem. Item ad Philippenses: Non habens meam iustitiam ex lege, sed eam quae ex Deo est per fidem Christi (Philipp. 3, 9). Constituimus ergo cum Augustino, non secundum merita nostra, sed secundum Dei misericordiam firmam esse promissionem salutis. [1]) Item cum Bernardo, [2]) meritum omne nostrum esse miserationes Domini: vel, ut clarius loquamur, concludimus, post Basilium Magnum, [3]) hanc esse perfectam et integram gloriationem in Deo, quando propriae iustitiae inopes nos agnoscimus, sola autem fide in Christum iustificari: sicut Paulus gloriatur, ob iustitiae propriae contemptum, ut ita cadat omnis superbia et altitudo, dum nihil homini reliquum fit ad iactantiam.

1) Aug. in Psal. 88. Tract. 1.
2) Bern. serm. 6. super cantica.
3) Basil. serm. de humil.

ARTICULUS V.

De transsubstantiatione panis in corpus.

Quilibet Christianus tenetur credere, in consecratione eucharistiae panem et vinum converti in verum Christi corpus et sanguinem, remanentibus tantum panis et vini speciebus, sub quibus realiter verum Christi corpus continetur, quod ex virgine natum est et in cruce passum.

Probatur sic: Quia est resolutiva conclusio generalis concilii, quod habitum est ab Hildebrando, alias Gregorio septimo. Quod autem Lutherani derident factum Gregorii, allegantes quendam Brenonem cardinalem, [1]) qui fuit eius contemporaneus, dicentem quod ipse indixerit triduanum ieiunium, et iusserit fieri processionem solennem, ut haberet signum e coelo pro certitudine eius rei: et tamen sine aliqua revelatione concluserit, tenendum pro articulo fidei, de quo erat incertus: Respondeo, illum cardinalem fuisse papae invidum: et ideo ex malo animo scripsisse. Praeterea Ambrosius hoc dicit in libro De sacramentis. Nam quod Lutherani librum illum ineptum vocant, et indignum Ambrosio, et Erasmus etiam id demonstrat multis rationibus: respondeo, satis esse, quod nomen Ambrosii fuerit ibi diu immatriculatum: et quod Magister sententiarum sic allegat pro certo: cuius citationes debent haberi authenticae. Quod autem Lutherani scripturam pro se adducunt, facilis est solutio, de virga Moysi. [2]) Difficilius est solvere loca quae allegant ex patribus: nisi quod patres loquuti sunt ante determinationem concilii. Nunc autem sic non licet. Intelligas tamen, quod si contingeret sacramentum rodi a vermibus [3]) aut tineis, aut alio modo corrumpi, tunc esset substantia panis, quae miraculose rediret.

ANTIDOTUM.

Natura sacramenti est, ut sub visibili signo exhibeatur nobis invisibilis veritas. Iam vero si fallax fuerit signum, quid de re figurata sentiendum nobis erit? Hanc proportionem rei cum signo indicavit Paulus his verbis: Unus panis, unum corpus sumus omnes, qui de pane uno participamus (1 Cor. 10, 16 ss.). Ergo ut ex coena discamus carnem Christi esse animae nostrae cibum, necesse

1) *Gallus vertit:* ie ne say quel Cardinal.
2) *Idem habet:* de la verge de Moyse qui est nommée verge combien qu'elle fust convertie en serpent.
3) *Gallice:* que le Sacrement fust mangé des souris ou corrompu des tignes ou qu'il s'engendrast quelque vermine dedans ou autre corruption.

est panem illic proponi, qui eius rei imaginem demonstret, sicut idem Paulus loquitur: Panis quem frangimus, communicatio est corporis Christi. Quod si tantum inanis species panis illic appareat et non substantia, perit vis et efficacia sacramenti. In hunc quoque modum loquuti sunt omnes sancti patres. Irenaeus: [1]) Quemadmodum qui est a terra panis, percipiens vocationem Domini, non iam communis panis est, sed eucharistia ex duabus rebus constans, terrena et coelesti. Et canon Nicenae synodi sic habet: Ne humiliter intenti simus ad propositum panem et poculum: sed elevata mente fide consideremus in sancta illa mensa agnum Dei. Cyprianus: [2]) Quando Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione congestum, populum nostrum quem portat, indicat adunatum. Et quando sanguinem suum vinum appellat, de botris atque acinis expressum, gregem item nostrum significat commixtione adunatae multitudinis copulatum. Sic etiam Fulgentius[3]) sacramentum panis et calicis nuncupat. Denique, sicut ait Augustinus,[4]) si sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quas figurant, non haberent, utique sacramenta non essent. Unde et panem in Christi corpore sanctificatum vocarunt aliqui ex patribus. Ipsa autem corporis Domini exhibitio qualis sit, ex Augustino discere licet, cuius verba sunt: [5]) Noli dubitare nunc esse hominem Christum, unde venturus est eadem visibili forma atque substantia, qua visus est ascendere: cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Cavendum est enim, ne sic divinitatem adstruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Haec eo spectant, non ut putemus inane symbolum nobis offerri, sed ut, dum volumus Christum recipere, sicut re ipsa nobis datur, sursum corda erigamus.[6])

ARTICULUS VI.

De sacrificio missae.

Sacrificium missae est ex Christi institutione, valens pro vivis et mortuis.

Probatur sic: Quia Christus dicit: Hoc facite. Facere autem est sacrificare, iuxta illud Vergilii: Quum faciam vitula pro frugibus ipse venito. De qua significatione vide Macrobium. Quod autem Lutherani derident istam subtilitatem: quia Christus loquebatur cum apostolis lingua syriaca vel hebraica vulgari, et evangelistae graece scripserunt: ad hoc responde, quod communis translatio latina praeponderat.[1]) Et notum est quod sensus scripturae peti debet ex ecclesiae determinatione. De valore autem sacrificii pro vivis et mortuis, habemus approbationem ab experientia. Nam multae visiones factae sunt quibusdam sanctis monachis dormientibus, quod animae per missas liberatae fuerant de purgatorio. Imo sanctus Gregorius animam Traiani redemit ex inferno.[2])

ANTIDOTUM.

Institutio Christi sic habet: Accipite et manducate, non autem offerte (Matth. 26, 26; Marc. 14, 22; 1 Cor. 11, 24). Ergo sacrificium non ex instituto Christi est, sed palam cum eo pugnat. Praeterea constat ex scripturis, hoc peculiare ac proprium fuisse Christi officium, se ipsum offerre, sicut dicit apostolus, ipsum una oblatione in perpetuum sanctificasse suos (Hebr. 9, 26). Item, semel apparuisse per oblationem sui (ibid. 10, 12). Item, hac sanctificatione perfecta nullam amplius restare oblationem (ibid. 10, 26). Nam et in hunc finem consecratus fuit sacerdos secundum ordinem Melchisedech, sine successore, vel socio (Hebr. 5, 6 et 7, 21). Sacerdotii itaque honore spoliatur Christus, quum ius ipsum offerendi transfertur ad alios.[3]) Postremo nemo usurpare debet hunc honorem, nisi a Deo vocatus, teste apostolo. Nemo autem praeter Christum vocatus legitur. Rursum quum promissio ad eos solos destinetur, qui sacramento communicant: quo iure ad mortuos pertinebit?

ARTICULUS VII.

De communione sub una specie.

Non est laicis ad salutem necessaria communio sub utraque specie: recteque certis ac iustis de causis olim ab ecclesia sancitum est, ut illis sub una tantum panis specie communicetur.

Probatur sic: Quia periculum esset, ne sanguis effunderetur. Quod autem interrogant Lutherani, utrum sapientior fuerit ecclesia Christo ad prae-

1) Libr. 4. advers. Valent. 2) In Epist. ad Magnum. 3) Fulgentius ad Monymum. 4) Epist. 23. ad Bonifac. 5) In epist. ad Dard. 57.

6) *Haec gallice sic vertuntur:* Et ainsi nostre intention n'est point de dire que nous ayons un signe vuide, ou un spectacle frustratoire en la Cene, comme si Iesus Christ n'accomplissoit point ce qu'il nous y promet: mais seulement de destourner les cœurs de toute superstition et imagination charnelle.

1) *Gallus habet:* l'emporte comme estant de plus grande authorité que l'Ebrieu ne le Grec.

2) *Idem addit:* ainsi qu'il est escrit en sa legende.

3) *Addit translator:* non seulement pour reiterer le sacrifice qu'il a fait, mais aussi pour le renouveler ou ratifier, ou en faire application.

videndum hoc inconveniens, quod Christus non bene caverat: respondeo, quod Christus bene praevidit, sed tacuit: quia volebat experiri sapientiam ecclesiae suae in hac parte. Est etiam alterum inconveniens. Quia debet asservari in ciborio corpus Domini ad dandum aegrotis. Si autem sanguis servaretur, fieret acetum: et ita propter corruptionem non esset amplius sanguis. Imo Lutherani nos deriderent, dicentes: Nonne bene videtur quod est ibi vinum? Et ita hoc esset contra opinionem transsubstantiationis. Tertio, hoc est rationale, quod sacerdotes habeant aliquod privilegium ad deprimendam laicorum superbiam. Quarto, hoc etiam valet ad probandam opinionem de concomitantia: quidquid garriant Lutherani, quod debemus sequi et servare Christi dispensationem, quam ipse pro nostra infirmitate instituit. Item, esset aliud periculum si sanguis ad bibendum daretur: quia sapor posset generare suspicionem laicis, quod esset ibi vinum. Et inde multa scandala orirentur. Quod si arguatur, ecclesiam non habere potestatem dispensandi super Christi praecepta: respondeo, quod verbum Bibite, debet accipi in modo hortandi: ita erit consilium, et non praeceptum. Vix audeo allegare unum, quod tamen est valde ponderandum. Nam sunt aliqui abstemii qui vinum non bibunt, qui tamen non essent privandi altera specie. Ego autem differebam hoc adducere, quia Lutherani subsannant, dicentes, quod si opinio nostra est vera, non est amplius vinum, sed sanguis.

ANTIDOTUM.

Mandatum est Christi: Bibite omnes (Matth. 26, 27). Quin etiam quum de pane simpliciter dixisset: Accipite, manducate, quum ad calicem ventum est, iubet nominatim ut omnes bibant. Hoc se Paulus tradidisse Corinthiis, sicut acceperat a Domino, testatur (1 Cor. 11, 23). Ratio quae adduci solet de concomitantia, locum hic non habet. Neque enim quid nobis det Christus intueri solum convenit, sed etiam qualiter: aut, si mavis, modus inspiciendus est, quo Dominus se ipsum nobis vult communicare. Quemadmodum ergo sub pane dat nobis corpus, ita etiam sub calice sanguinem. Proinde nihil nobis aliud restat, nisi ut obediamus eius mandato, ex eius manu sumendo signa quae porrigit nobis, ut rerum veritate fruamur. Nam quia corporei sumus, quemadmodum Chrysostomus[1]) admonet, sub visibilibus, pro captu moduli nostri, spiritualia nobis dispensat. Hic ritus observatus fuit in ecclesia ultra annos mille, sicut testantur omnium patrum scripta. Caro, inquit Tertullianus,[2]) corpore et sanguine Christi pascitur, ut anima de Deo saginetur. Et Theodoritus[1]) verba Ambrosii refert ad Theodosium imperatorem: Quomodo huiusmodi manibus sacrum Domini corpus suscipies? qua audacia poculum pretiosi sanguinis ori tuo admovebis? Hieronymus:[2]) Sacerdotes qui eucharistiam conficiunt, et sanguinem Domini populo distribuunt. Item Chrysostomus:[3]) Non sicut in veteri lege partem comedebat sacerdos, partem vero populus: sed ea quae sunt eucharistiae, communia sunt omnia inter sacerdotem et populum. Omnibus unum corpus proponitur, et calix unus. Sed de observatione non est controversia: quam omnes talem fuisse fatentur. Quod autem sic fieri omnino oportere censuerint, constat ex decreto Gelasii,[4]) qui arceri iubet a toto sacramento, qui a calice abstinent, quoniam divisio huius mysterii, inquit, grandi sacrilegio non careat. Cyprianus[5]) vero fortiter contendit, nullo modo admittendum esse hoc sacrilegium.[6])

1) Homil. 60. ad popul.
2) De resurr. carnis.

ARTICULUS VIII.

De potestate[7]) consecrandi.

Porro, solis sacerdotibus, secundum ecclesiae ritum ordinatis, data est a Christo potestas consecrandi verum Christi corpus, et in foro poenitentiae a peccatis absolvendi.

Probatur sic: Quia haec verba per episcopum in ordine dando proferuntur: Damus tibi potestatem consecrandi, et offerendi Deo placabiles hostias. Sed quaeritur de quo ecclesiae ritu magistri nostri intelligant: quum caeremoniae quibus utimur, non fuerint factae in apostolis,[8]) nec in eorum coaequalibus. Ad hoc respondeo, quod privilegium fuit illis datum per specialem dispensationem.[9]) Si quis autem replicet de successoribus, qui etiam per multos annos non fuerunt uncti, nec ordinati nostro more aut forma, dico quod illud totum tempus de-

1) Libr. 3. eccles. hist. c. 8.
2) In Sophon.
3) In 2. ad Cor. c. 9.
4) Refertur Can. Comperimus de consecr. dist. 2.
5) Epist. 2. de lapsis.
6) Et S. Cyprian debat par vives raisons que nullement on ne doit denier à un Chrestien le sang de Iesus Christ, lequel doit espandre son propre sang, pour signer la verité d'iceluy.
7) *Gallasius habet:* De intentione, *quod ad sequentem articulum pertinet.*
8) *In versione h. l. additur:* tellement qu'ilz n'ont iamais esté ordonnez de telle façon que les prestres de nostre temps, ne pareillement les autres disciples.
9) *Ibidem:* qui ne compete point à tous et qu'on ne doit tirer en consequence pour en faire loy commune.

bet relinqui in dubio, et bene meretur, quia non erat adhuc conclusum de transsubstantiatione.

ANTIDOTUM.

Sacerdotes fatemur dispensatores esse mysteriorum Dei (1 Cor. 4, 1) ideoque legitimos coenae administros: sed ordinatos Christi et apostolorum ritu, atque etiam veteris ecclesiae, in qua sola impositio manuum usitata erat, sine unctione, et aliis nugis. Quanquam in ordinatione finis potissimum spectandus est, atque officium cui destinantur sacerdotes (Act. 13, 3; 1 Tim. 4, 14; 2 Tim. 1, 6). Constitui porro ex Dei mandato et regula scripturae debent, non ad immolandum, sed ad regendam ecclesiam, pascendumque gregem verbo Domini, et sacramenta administranda. De absolvendi potestate sic habendum est, datum quidem ministerium reconciliationis veris pastoribus, ut sua doctrina, hoc est, evangelii praedicatione, homines reducendo cum Deo in gratiam, a peccatis absolvant (2 Cor. 5, 20). Hoc tamen non alligatum esse personis, sed verbo: adeoque verbo potius quam hominibus esse datum, ut a quocunque proferatur gratiae remissio, certam absolutionem in foro conscientiae adferat.[1]) Tametsi enim peculiariter apostolis dicitur: Quorum remiseritis peccata, remittentur (Ioann. 20, 23), tamen claves universae ecclesiae datas esse agnoscunt sancti patres, nominatim Cyprianus et Augustinus,[2]) quibus alii assentiuntur. Nam remissio peccatorum in Christo, per quemcunque annuncietur, vera est absolutio.

ARTICULUS IX.

De intentione consecrandi.

Quos certum est, etiam si mali fuerint, et in peccato mortali, consecrare verum Christi corpus, siquidem illud consecrare intendant.

Probatur sic: Quoniam alias supervacanea, imo irrationabilis esset cautio, quod sacramentum adorari a laicis fide implicita debet, hoc est, sub ista conditione:[3]) si sacerdos celebrans missam habuerit intentionem consecrandi, non tantum habitualem, sed etiam actualem praesentialiter, et in ipso actu.[4])

1) *Gallus addit:* et devant le iugement de Dieu.
2) De simplic. praelatorum; Homil. 50 et 124 in Ioann.; item de doctr. christ. libr. 1. cap. 18.
3) sous telle condition qu'il le tienne pour Dieu.
4) Car s'il advenoit qu'un prestre en prononçant les parolles Sacramentalles, eust quelque pensée extravagante pour divertir sa fantasie ailleurs, tellement qu'il ne pensast point à convertir le pain en Dieu, alors la consecration ne seroit point iuridique ne deuement faite.

Sed opponitur contra, quod ita sacerdos posset annihilare sacramentum.[1]) Ad hoc respondeo, quod non est sacramentum, ubi non est intentio. Probatur secundo: Quia supervacuae, imo etiam stultae essent quaestiones doctorum: si sint centum hostiae, cum una: et sacerdos non intendat consecrare nisi centum, quid iuris tunc esset? et utrum una non remaneat panis? Item, quae ex omnibus debeat illo casu separari pro pane? vel potius, utrum, quia fuit abusiva intentio, fuerit inefficax similiter in omnibus,[2]) et oporteat iterum incipere? Quod autem Lutherani dicunt, debere clare et alta voce pronunciari verba, hoc nihil est, quia magis convenit dignitati mysterii bassa voce recitare.

ANTIDOTUM.

Christus non uni dicit: Si volueris, habebis corpus meum, et aliis dabis: sed suos simul omnes alloquitur, quum promittit se daturum suum corpus. Siquidem ad eos destinatur promissio, quibus dictum erat: Accipite, manducate. Ergo neque in hominis quantumvis impii, neque in diaboli etiam potestate est, hanc promissionem facere irritam. Atque huc pertinent patrum sententiae,[3]) quum dicunt, sacramento nihil detrahi, neque perire quidquam de eius virtute, qualiscunque sit minister. Constituimus ergo nihil esse absurdius, quam relinquere hoc in arbitrio, vel potius libidine impii ministri, ut ecclesiam privet Christi beneficio, quoties visum fuerit. Neque vero minus absurdum est, hac potestate praeditos fingere sacerdotes, ut quoties placuerit consecrare, illis liceat, etiam praeter Christi institutum. Subest enim promissio mandato, cui annexa est. Ideo Christi corpus non habent, nisi qui secundum regulam ab ipso positam coenam celebrant. Constituimus ergo, frivolam et nihili esse consecrationem, ubi sacerdos sibi soli, seorsum ab aliis, consecrare audet. Neque enim magicae incantationis verba sunt: Hoc est corpus meum: sed promissionem continent, actioni a Christo institutae servientem. Unde et illud perperam fieri constat, quod levi susurro demurmurantur, quum palam clara voce pronunciari debeant: sicut etiam ex contextu patet: Accipite, manducate, hoc est corpus meum. Qua ratione Augustinus[4]) consecrationis verbum appellat, verbum fidei quod praedicatur.

1) et qu'on en seroit privé toutes fois et quantes à son credit.
2) et qu'il les faille faire passer ensemble sous un *fidelium*.
3) Aug. in omnibus libris contra Donatistas et alibi.
4) Homil. in Ioann. 80.

ARTICULUS X.

De confirmatione et unctione.

Caeterum confirmatio et unctio extrema duo sunt sacramenta a Christo instituta: per quae datur gratia spiritus sancti.

Probatur sic: Quoniam aliter blasphemaret concilium aurelianense,[1] quando dicit, quod nunquam erit christianus plenus, qui consecratione episcopali non fuerit chrismatus. Item blasphemaret Melciades papa, quum dicit, quod baptismo regeneramur ad vitam: in confirmatione armamur ad pugnam. Multo etiam magis quum dicit, maiore veneratione venerandum et tenendum hoc sacramentum, quam baptismi. Sed est una alia probatio peremptoria, quod nihil fit in ecclesia maiori pompa nec solennitate, quam sancti chrismatis consecratio. Unde apparet, quod tam extrema unctio, quam confirmatio, in maximo honore haberi debent: nec revocari in dubium, quasi sint ex hominum inventione.

ANTIDOTUM.

Legimus apostolos, impositione manuum, visibiles spiritus gratias contulisse (Act. 19, 6). Sed hoc fuisse temporale donum, experientia demonstrat. Imo statim post mortem apostolorum desiisse, vetustissimi scriptores testantur. Caeremoniam imponendi manus retentam a successoribus fuisse fatemur, quum fidei suae confessionem ederent adulescentes: sed non hoc fine, ut sacramentum haberetur a Christo institutum. Nam Augustinus nihil aliud esse affirmat, quam orationem.[2] Eadem ratio est extremae unctionis. Fuit enim symbolum temporalis doni: quod scimus non diu post apostolos durasse. Apostoli ungebant in nomine Domini eos, quibus vim spiritus sancti praesentem in dono sanationis exhibebant (Marc. 6, 13). Hoc fieri iubet Iacobus (Iac. 5, 14). Sed nunc ubi sanatio? ubi unguntur semimortui homines, dum animam exhalant. Ergo, qui nunc symbola sine re usurpant, non imitatores, sed simiae sunt apostolorum.

ARTICULUS XI.

De miraculis sanctorum.

Nec dubitandum, sanctos et in hac mortali vita, et in paradiso agentes, miracula operari.

1) Refertur de consecrat. dist. 5. cap. ut ieiunii.
2) Libr. 3. de Bapt. contra Don. c. 16.

Probatur sic: Nam apparet quomodo beatissima virgo resuscitet infantes,[1] ut sepeliantur in loco sacro: qui alias haberent sepulcrum cum canibus. Quod autem Lutherani dicunt, Deum hoc modo punire idololatriam mundi, quando diabolus, sub nomine sanctorum, facit miracula, et pro hoc adducunt Hieronymum,[2] qui refert, Aegyptios sanatos fuisse a morsu serpentum, ad sepulcrum Ieremiae, quem tamen pro Deo colebant: respondeo, quod non colimus sanctos pro diis, quia non adoramus eos, nisi adoratione duliae. Est etiam alia probatio validior ab antiquitate: quia semper hoc fuit factum, sicut Ambrosii tempore, ad sepulcra Gervasii et Protasii caecus fuit illuminatus. Quod autem Lutherani ex Augustino replicant, hoc fuisse ad confirmandam rectam fidem, et non ad superstitionem: respondeo, quod recta fides est colere sanctos, et eorum basilicas visitare, sicut ex subsequentibus patebit.

ANTIDOTUM.

Scimus ex scripturis, ad quid valeant et in quem finem conferenda sint miracula. Nempe ad confirmandam evangelii doctrinam, sicut habetur apud Marcum: Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis (Marc. 16, 20). Item apud Lucam in Actis, quod Dominus reddebat testimonium sermoni gratiae suae, quum ederentur signa per manus apostolorum (Act. 14, 3). Proinde hic legitimus est miraculorum usus: ut recipiantur tanquam doctrinae evangelii sigilla (Rom. 15, 19), eoque non hominum vel angelorum, sed unius Dei gloriae serviant: quemadmodum dicebat Petrus (Act. 3, 12): Viri Israelitae, quid nos intuemini, quasi nostra virtute aut pietate hoc fecerimus? Nomen Christi, et fides, quae per eum est, contulit huic sanitatem. Quum autem praedixerit Christus, regnum Antichristi miraculis stabilitum iri (Matth. 24, 24), et hoc Christi vaticinium confirmarit Paulus (2 Thess. 2, 9): constituimus cum Augustino,[3] Dominum cautos nos reddidisse adversus mirabiliarios (sic enim loquitur) qui signorum praetextu orbem abducunt ab unitate fidei. Duplex vero hic tenenda est cautio. Nam et multis praestigiis illudit Satan hominibus: et multa etiam designari patitur Deus, ad vindicandam hominum ingratitudinem, sicut Paulus testatur (2 Thess. 2, 9), et post Paulum Augustinus.[4])

1) les petis enfans morts-nays.
2) In Prooem. Prophet.
3) Homil. in Ioann. 13.
4) De unitate eccl. c. 119.

ARTICULUS XII.
De orandis sanctis.

Sanctum est, et Deo maxime gratum, orare beatam Dei genitricem, et sanctos qui in coelo sunt, ut sint pro nobis advocati et intercessores apud Deum.

Probatur sic: Quid enim sancti facerent in coelo, si non orarent pro nobis? Quod si orant, ergo orandi sunt. Negant hanc consequentiam Lutherani. Sed probatur ex eo, quod sancti Deo sunt similes. Deus autem vult coli a nobis, igitur et sancti. Quod autem dicunt Lutherani per derisionem, nos facere sanctos valde auritos, solutio est facilis. Quia vident quae aguntur in mundo, per lumen reflexum, quod habent ex irradiatione Dei. Secunda probatio: quod omnes pagani semper habuerunt minores deos pro suis intercessoribus. Non est autem rationabile, quod Christiani habeant minus privilegii quam gentiles. Unde et hoc modo correctus fuit error illorum, quum ad sanctos translatus fuit honor, quem idolis suis faciebant: sicut quando papa mutavit nomen templi, quod vocabatur Pantheon, et vocavit Pantagium. Et ex multis festis similiter factum fuit, ut in despectu gentilium Christiani in honorem sanctorum inebrientur. [1])

ANTIDOTUM.

Scriptura fidem in oratione requirit. Et Paulus nominatim addit, hanc fidem esse ex verbo Dei (Marc. 11, 24; Rom. 10, 17). Et Iacobus haesitare nos prohibet in precibus (Iac. 1, 6). Iam vero, si verbo Dei obedire volumus, solum Deum invocare convenit in Christi nomine. Nam et Deus hunc spiritualem esse cultum nominis sui perhibet (Psal. 50, 15 et 91, 15; Ioel. 2, 32; Ier. 29, 12), et mediatorem unum nobis proponit, filium suum: quo intercessore docet Paulus patere nobis facilem accessum ad Deum cum fiducia (1 Tim. 2, 5; 1 Ioann. 2, 1; Ephes. 3, 12; Hebr. 4, 16). Et alter apostolus nos hortatur, ut freti tali advocato adeamus ad thronum gratiae. Mandatum igitur nullum quum exstet de quaerenda sanctorum mortuorum intercessione, quum nulla promissio usquam reperiatur, constituimus pugnare hoc orationis genus cum scripturae regula. Ad haec, nullum eius rei exemplum prodiderunt vel prophetae, vel apostoli. Nunc apud se quisque pius expendat, quam sit periculosum, non tantum absque verbo Dei, sed etiam praeter exemplum, tentare novum orationis genus. Quod autem iubet spiritus nos mutuo alios pro aliis intercedere, hoc mutuae caritatis est exercitium in hac vita, sicut ex omnibus locis constat. Videmus autem quantopere abominetur ubique Deus Baalim, quo nomine intelligebant patronos, quorum praesidio adiuvarentur (Ier. 9, 13 et 11, 13; Os. 2, 8). Huc postremo accedit, quod asserere nemo potest an tam longae sint sanctis aures, ut ad eas usque pertingant orationes nostrae. Quin etiam parum consentaneum cum ratione id videtur.

1) *Gallus addit:* Et de faict, d'où viennent la sainct Martin, la sainct Pansart, c'est à dire, Caresme-prenant, et les Rois, et la Chandeleuse; sinon qu'en changeant l'idolatrie, on a voulu abolir la façon ancienne?

ARTICULUS XIII.
De veneratione sanctorum.

Itaque sancti, beatam cum Christo vitam degentes, non solum sunt imitandi, sed et venerandi et orandi.

Si verum est brocardicum illud, quod communis error facit ius, sufficienter iam probata est veneratio sanctorum: tamen quia Lutherani replicant, transferri hoc modo ad sanctos Dei gloriam, teneas semper in memoria distinctionem scholae: quod non colimus eos nisi oratione duliae. [1])

ANTIDOTUM.

De oratione iam dictum est. Eorum autem veneratio non alia nobis commendatur in scripturis, quam quae in universum debetur fidelibus, iuxta Psalmum 15. et 139. Sic tamen ut unicuique habeatur honor pro mensura gratiae. Ergo de sanctis, prout quisque eorum excellit Dei donis, aut in altiore gradu collocatus est a Domino, honorifice sentiendum est, ac loquendum. Cultum vero illis exhibere, sicut solet mundus, profana est superstitio, et quae gentium potius insaniam redolet, quam ecclesiae Dei conveniat. Quin etiam palam repugnat praecepto: Dominum adorabis, et illum solum coles (Deut. 6, 13; Matth. 4, 10).

ARTICULUS XIV.
De peregrinationibus.

Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dicata ex devotione visitant.

Probatur sic: Quia esset magna ingratitudo, si minus honoris fieret sanctis quam idolis gentilium;

1) *Idem:* Cela est pour repousser tous les argumens qu'on nous saura faire de l'Escriture, laquelle parle en confus sans distinguer.

quorum tamen quaedam templa habebant singularem devotionem prae aliis, sicut Delphis Apollo, et Proserpina Ennae in Sicilia.[1]) Deinde argui etiam potest a probabili, quod sancti magis frequentant loca, ubi sunt eorum sepulcra et reliquiae, vel ubi magis honorantur, quam alia.[2])

ANTIDOTUM.

Christus discrimen omne locorum sustulit, quum diceret: Venit hora, quando veri cultores, non in monte hoc, neque Ierosolymis, sed ubique adorabunt Deum in spiritu et veritate (Ioann. 4, 23). Neque enim illic de praepostero studio paucorum loquitur, sed quid differamus a patribus veteris testamenti, ostendit. Cum hac sententia convenit ista Pauli: Viros iubeo, in omni loco tollere puras manus (1 Tim. 2, 8). Iudaismum ergo revocant, qui locis affingunt novam sanctitatem: ut pietatis officium censeatur, hunc aut illum locum invisere: quanquam superstitio haec iudaismo deterior, quod locus adorandi Ierosolymis designatus aliquando fuit. Isti autem idololatrarum exemplo lucos et fana sibi pro libidine erigunt.[3]) Deinde Ierosolymis adorabatur solus Deus. Hi autem hominibus templa consecrant.

ARTICULUS XV.

Quod sancti rite prius quam Deus invocari possint.

Si quis in templo, aut extra templum, prius sua oratione ad beatam virginem, aut sanctorum aliquem recurrat, non peccat.

Probatur ex proverbio vulgari quod non cognoscitur Deus inter sanctos.[4]) Deinde impetuosa devotio, etiam si sit inordinata, potest bene excusari per ecstasim.[5])

ANTIDOTUM.

Si omnino ad sanctos in precibus confugere fas non est: frustra disputatur ante, an post. Quum autem Christus nobis sit propositus mediator unus, per quem ad Deum debeamus accedere: qui illo praeterito, vel posthabito, ad sanctos se conferunt, nihil habent, quo suam pravitatem excusent. Salomon in solenni templi dedicatione, hunc usum exprimebat: Hic invocabitur nomen tuum Domine (1 Reg. 8, 29). Extra templum, dicunt omnes fideles: Hi in curribus, alii in equis: nos autem in nomine Domini invocabimus (Psal. 20, 8).

ARTICULUS XVI.

De adoratione crucis et imaginum.

Nec ullo modo addubitandum est, quin genu flectere coram imagine crucifixi et beatae Mariae et sanctorum ad rogandum Christum et sanctos, opus sit pium ac bonum.

Quod crucifixi et sanctorum imagines genu flexione coli debeant, probatur autoritate concilii Niceni ultimi. Nam utcunque Gregorius concedat, Serenum Massiliae episcopum bene fecisse, quod illas adorari prohibuerat: tamen concilium quod postea subsequutum est, potuit hoc infringere: sicut decreta posteriora derogant prioribus. Probatur secundo, ratione: Quia si reliquiae et vestes[1]) coluntur in eorum memoriam, non est minor ratio de imaginibus. Antecedens patet ex communi usu.[2]) Tertio probatur a simili: Quia statuas principum, etiam ethnicorum, veneratur populus. Quarto, probatur ex miraculis. Quia multae sanctorum imagines riserunt, vel fleverunt ad devotionem precantium. Aliquae etiam loquutae sunt. Quinto, probatur ab experientia sensus nostri. Quia orantes ante imaginem magis ad devotionem accendimur, et zelus noster excitatur ipso aspectu. Sexto probatur, quia sic oportuit corrigi errorem gentilium, qui ante sua idola genu flectebant, sicut nunc facimus ante sanctorum imagines.

ANTIDOTUM.

De imaginibus ac simulacris praeceptum Dei est: Non adorabis, neque coles (Exod. 20, 5; Deut. 5, 9). Porro genu flectere, hoc ipsum est, quod adorandi verbo indicatur. Atque hanc fuisse gentilium opinionem, ut deos coelestes precarentur, quum se ad imagines converterent, ex libris eorum

---

1) *Sic legendum pro Gallasii* Silicia, *caeterorum* Cilicia. *Gallus h. l. addit haec:* Et y couroient de bien loin, voire d'outre mer, comme maintenant on va à sainct Iaques et à nostre dame de Laurette.

2) *Additur:* car il y doyvent prendre plus de plaisir. Et pourtant qui veut trouver faveur d'eux il les doit là cercher.

3) *Gallus addit:* qui ne sont que cavernes d'abomination.

4) entre les Apostres.

5) *Versio gallica habet:* en disant que l'homme est ravi. Comme pour exemple: Qui voudroit examiner les oraisons que fait Nicolas de Clery, il est certain qu'il ne sait pas qu'il dit ne qu'il pense: mais il suffit qu'il sait transporté comme par extase: car ainsi tout ce qu'il fait est bon.

1) on adore de dulie leurs reliques et ossemens, leurs robbes, leurs chausseures et leurs souliers . . . .

2) *Additur:* Et mesmes il y en a bien qui tiennent que quand il y auroit un retrait [*i. e. latrina*] de quelque sainct, il le faudroit honorer, tant pource que sa chair y auroit touché à nud, que pour la matiere qui seroit sortie de son corps.

palam est. Refert etiam Augustinus,[1]) quas excusationes praetexere solebant sui temporis idololatrae. Dicebant enim vulgares, se non visibile illud colere, sed numen quod illic invisibiliter habitabat. Qui vero purgatioris, ut ipse loquitur, religionis erant, nec simulacrum, nec daemonium se colere aiebant, sed per effigiem corpoream intueri eius rei signum, quam colere deberent. Idem ex Eusebio et Lactantio licet intelligere. Quum ergo nihil a veteribus idololatris differant, qui hodie se prosternunt coram statuis, constituimus ex verbo Dei, et veterum patrum sententia, morem hunc aperte damnari. Et certe verum est quod ait Augustinus, neminem orare, vel adorare intuentem simulacrum, quin ab eo exaudiri se putet. Hoc enim facit et quodammodo extorquet illa membrorum figura, inquit, uti animus in corpore vivens, arbitretur sentire corpus, quod suo simillimum videt. Proinde quum in loco eminenti locantur, ut a precantibus videantur, ipsa similitudine animatorum membrorum et sensuum, quamvis sensu et anima careant, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur. Hac ratione decretum fuit olim,[2]) ne qua pictura in templis esset, ne quod colitur vel adoratur in parietibus sit depictum. Ideo Ambrosius[3]) de Helena loquens: Invenit titulum, inquit, regem adoravit, non lignum utique, quia hic gentilis est error, et vanitas impiorum.

ARTICULUS XVII.

De purgatorio.

Ad haec firmiter credendum est et nullatenus dubitandum purgatorium esse: in quo animae detentae oratione, ieiunio, eleemosyna aliisque bonis operibus iuvantur, ut citius liberentur a poenis.

Probatur sic: Quia multis sanctis monachis, et devotis matronis factae sunt variae apparitiones, ubi animae hoc dixerunt: sicut habetur in dialogis Gregorii ad longum, imo per totum. Quod si Lutherani pro nihilo reputent tales revelationes, sicut ipsi dicunt, vel esse phantasias cerebri male dispositi, vel spectra et praestigias, quibus Satan illusit hominibus: respondeo, authenticas fuisse factas per autoritatem Gregorii, qui fuit papa. Probatur deinde, per longi temporis praescriptionem. Quia omnes ecclesiae sunt fundatae super opinionem purgatorii: vel saltem locupletatae, quoad anniversaria. Imo etiam pagani iam habebant istam notitiam, sicut apparet tum ex poetis, et praesertim ex Ovidio.

1) In Psal. 113.
2) Concil. Eliberit. c. 36.
3) Orat. habita in funere Theodosii.

Probatur similiter ratione:[1]) Quia si satisfaciendum est pro peccatis in hac vita mortali, sequitur quod qui praeventus est morte, debet satisfacere in alio mundo, et per consequens est locus destinatus ad solvenda debita quae restant. Probatur etiam ex philosophia naturali: quia animae, quae ex crassa corporis natura traxerunt humorem ponderosum, non possent statim in coelum evolare, nisi prius desiccarentur per ignem. Quod autem magistri nostri asserunt firmiter credendum, et nullatenus dubitandum, quod habet tantum apparentiam probabilitatis, in eo sequuti sunt regulam iuris: Dubius in fide, infidelis est. Satius est tamen dicere, quod sit res indubitabilis. Nam dato quod rationes quae adducuntur sint dubiae, autoritas tamen ecclesiae superveniens eas certificat. Hoc autem posito quod sit purgatorium, sequitur infallibiliter alterum: quod miserae animae, quae ibi torquentur,[2]) adiuvandae sint vivorum suffragiis: et tenendum est, quod non sine causa missa pro defunctis instituta fuit, quae praesupponit animas sacrificio illo iuvari posse. Ideo pia mater ecclesia, quum nihil haberet in scripturis, maluit abuti Psalmis, et lectionibus ex libro Iob, et multis locis prophetarum, quam relinquere miseras animas sine sublevatione.

ANTIDOTUM.

De purgatorio in scripturis perpetuum silentium: et Augustinus,[3]) qui in ea re consuetudini cedit, agnoscit tamen nullo scripturae testimonio hanc opinionem adiuvari, nisi historia illa de oblatione Iudae Machabaei: quam tamen non esse canonicam, nec certae autoritatis, et ipse fatetur, et Hieronymus admonet, et omnium consensu proditum est. Nam locum qui citari solet ex priore ad Corinthios (1 Cor. 3, 13), ipse aliter exponit: quemadmodum sani omnes aliter exponendum vident. Sicut enim metaphora est in nominibus stipulae, foeni, et ligni: ita procul dubio nomen ignis metaphorice capitur pro examine spiritus, quo humanae doctrinae pereunt: Dei autem veritas instar auri probatur. Tametsi autem Augustinus, ut dixi, vinci se a consuetudine passus est, ut purgatorium non negaret: nihil tamen audet asserere. Quin etiam dubitanter loquitur, dicens incredibile non esse, et, utrum ita sit, quaeri posse. Ad haec nequaquam sibi constat. Siquidem alio loco animas, quum de saeculo exierint, diversas receptiones habere tradit, ubi boni gaudio fruantur, torqueantur mali. Requiem porro, quae continuo post mortem

1) Probatur similiter ratione. *Haec interciderunt in edit. Bezae et seqq.*
2) qui sont là rosties.
3) De cura pro mortuis ag. cap. 1.

datur, tunc quemque accipere, quum moritur, si ea dignus est.[1]) Verum, quum in nullius hominis arbitrio sit statuere de animis mortuorum, nihil tutius est, quam unum Deum de ipsarum statu audire loquentem, cuius ipse potestatem habet. Quando autem scriptura beatos esse mortuos testatur, qui in Domino moriuntur, quia requiem exinde a laboribus suis habeant; quando consolationem eas recipere docet; vivere cum Christo, et frui Dei praesentia (Apoc. 14, 13; Luc. 16, 25; Phil. 1, 23; 2 Cor. 5, 8): in hac doctrina, quae nihil habet controversiae, pedem figamus. Architectura vero purgatorii tantum habeat firmitudinis, quantum habere potest, quod de rebus incognitis fabrefactum est in hominis cerebro, extra verbum Dei. Orationes certe, quibus iuvare eas vulgo student, quum nullo praecepto Dei, nulla etiam promissione fulciantur, fundamentum illud fidei, quod requirit Paulus in precibus fidelium, non habent (Rom. 10, 14). Nihil nobis diligentius praecipitur in scripturis, quam ut omnia caritatis officia erga vivos exerceamus. De iuvandis mortuis, nulla mentio. Huc accedit, quod ne unum quidem exemplum exstat: quum tamen multorum sepulturas scriptura commemoret:[2]) quorundam etiam exsequias referat, longo sermone. Porro non est credibile quod fuisset praecipui momenti, spiritum Dei omisisse, quum leviuscula illa recenseret.

ARTICULUS XVIII.

De ecclesia et eius autoritate.

Tenetur et quilibet Christianus firmiter credere, unam esse in terris universalem ecclesiam visibilem, in fide et moribus errare non valentem: cui omnes fideles, in iis quae sunt fidei et morum, obedire astringuntur.

Probatur sic, quod ecclesia possit videri: Quia hierarchia est signum infallibile ipsius. Ea est[3]) autem omni tempore visibilis. Ergo ecclesia etiam videtur. Quod autem non possit separari ecclesia a hierarchia, ego sumo tanquam unum ex principiis fidei. Probatur secundo, ex perpetua successione. Perpetua autem successio a tempore apostolorum nota est, ex catalogo paparum, quem refert Platina. Quod autem variant doctores, in secundo successore Petri, quoniam alii Clementem, alii Linum ponunt, quum hic error sit in individuo, non impedit certitudinem generalitatis. Illud est magis difficile: quod Ioanna creata fuit in papam. Nam tunc videtur fuisse facta aliqua interruptio. Sed dicas, quod tunc sedes supponebat in defectum hominis.[1]) Ita etiam dicendum est de tempore schismatis: quum Gregorius, et Ioannes, et Petrus, erant antipapae. Item, quum electus fuit Amedeus, deposito Eugenio in concilio generali et postea abdicatus, quia Eugenius fuit potentior. Hoc modo remanebit perpetuus ordo successionis. Secundum membrum, quod ecclesia errare in fide et moribus non valeat, difficulter probatur in ecclesia visibili, tamen hoc satis esse debet ad probationem, quod ratum est quidquid determinavit ecclesia romana. Sed ratione adhuc melius probatur, quia immediate regitur a spiritu sancto. Sed spiritus sanctus non potest errare. Ergo per consequens, neque ipsa. Tertio probatur ex articulo sequenti. Quia, quum ad ipsam spectet determinare in omnibus, nihil esset certum in fide, nisi essemus resoluti de ipsius infallibilitate. Sicuti nunc, si non esset hic invincibilis clypeus pro nobis, essemus iam centies victi a Lutheranis: quum habeant pro se apparentiam veritatis et fortibus argumentis nos premant.

ANTIDOTUM.

Ecclesiam universalem esse et fuisse ab initio mundi, et fore usque in finem, confitemur omnes. De aspectu, unde agnosci queat, quaestio est. Eum constituimus in verbo Dei. Vel, si quis malit, quum Christus eius sit caput: quemadmodum agnoscitur homo ex facie, ita illam in Christo intuendam esse dicimus. Sicut scriptum est: ubi erit corpus, illuc congregabuntur aquilae (Matth. 24, 28). Item, erit unum ovile, et unus pastor (Ioann. 10, 16). Quum ergo non semper emineat pura verbi praedicatio, nec semper conspicua sit Christi facies, inde colligimus, non semper ecclesiam oculis hominum subiectam esse: quemadmodum multorum saeculorum exempla testantur. Nam prophetarum tempore sic praevalebat multitudo impiorum, ut oppressa esset vera ecclesia. Sic etiam Christi tempore, videmus absconditum fuisse ab hominibus exiguum Dei gregem: quum impii nomen ecclesiae sibi usurparent. Qui autem tam perspicaces habent oculos, ut ecclesiam sibi visibilem semper esse iactent, quid facient Heliae, qui se solum restare ex ecclesia putabat (1 Reg. 19, 10)? Falso id quidem. Sed is[2]) argumento est, ecclesiam Dei posse nos non

---

1) August. in Enchir. ad Laurent. cap. 68. Idem in eodem libro cap. seq.; Homil. in Ioann. 49.
2) In historia veteris testamenti praesertim in libris Mosis et libris Regum.
3) *Sic legendum cum Amst. Caeterae habent:* Et est.

1) *Hoc Gallus sic vertit:* que le siege supposoit en defaut de la personne, *quod vide an significet, sedem ipsam tamen substitisse vel deficiente persona sedentis. Ita paulo infra ubi de schismate agitur:* car alors le siege suppleoit.
2) *Sic princeps. Caeterae scribunt:* id.

minus latere: praesertim quum sciamus ex vaticinio Pauli praedictam fuisse defectionem (2 Thess. 2, 3). Statuamus ergo, videri ecclesiam ubi apparet Christus, ubi verbum eius auditur, sicut scriptum est: Oves meae vocem meam audiunt (Ioann. 10, 27). Sepulta autem doctrina veritatis, ecclesiam simul evanescere ex oculis hominum. Hanc ecclesiam fatemur cum Paulo columnam et firmamentum esse veritatis (1 Tim. 3, 15): quia custos est sanae doctrinae eamque propagat suo ministerio ad posteros, ne intercidat in mundo. Nam quum sponsa sit Christi, subiectam illi esse par est (Ioann. 3, 29; Ephes. 5, 24). Et haec est eius castitas: non abduci a Christi simplicitate, sicut testatur Paulus (2 Cor. 11, 2). Non errat ergo, quia Dei veritatem pro regula sequitur. Ab ea si recedit, sponsa esse desinit, et fit adultera. Qui vero ordinariae potestati et aliis externis pompis ecclesiam affigunt, audiant, quid de eo pronunciet Hilarius.[1] Male, inquit, nos parietum amor coepit; male ecclesiam Dei in tectis aedificiisque veneramur: anne ambiguum est, in his Antichristum esse sessurum? montes mihi et sylvae, et lacus, et carceres, et voragines sunt tutiores: in his enim prophetae, aut latentes, aut demersi prophetabant.

ARTICULUS XIX.

Quod ad ecclesiam visibilem pertineant definitiones in doctrina.

Quod si quid in scripturis sacris controversiae aut dubii oriatur, ad praefatam ecclesiam definire spectat et determinare.

Probatur sic: Quia alias nasceretur horribilis confusio, nisi ecclesia haberet ius pronunciandi definitivam sententiam in dogmatibus litigiosis. Sicut hodie Lutherani vellent habere vocem in capitulo, et iactarent verbum Domini: nisi opponeretur illis haec replica sine exceptione, quod ad ecclesiam spectat determinare ultimate, sine contradictione. Aliter non possemus illis claudere os.[2] Deinde sciendum est, quod scriptura est tanquam nasus cereus; quia flecti potest hinc inde. Sed ecclesiae determinatio est fixa et stabilis. Nam si haeretici cavillari velint unam, potest altero die fieri alia, quae eos magis constringat.

1) Contra Auxentium.

2) *Haec ita vertuntur:* que c'est à l'Eglise seule qu'il appartient de definir, comme par arrest irrevocable, sans appel ni opposition, ni contradictions quelconques, et qu'on leur rabatist leur caquet par ce moyen: autrement iamais on ne les feroit taire, car ilz ont le bec trop aigu, et iamais raison ne leur faut.

ANTIDOTUM.

Definitionum regula praescribitur nobis a Paulo, quantum ad particulares ecclesias, quum dicit: prophetae duo aut tres loquantur: alii diiudicent. Si loquente uno fuerit quid melius alteri revelatum, surgat (1 Cor. 14, 29). Si quod inter ecclesias dissidium exortum sit, fatemur hanc constituendae concordiae legitimam esse rationem, quae semper observata fuit, ut coeant pastores, atque ex verbo Dei definiant, quid sequendum sit. Caeterum, si visibilis ecclesiae definitiones pro oraculis habere libet: visibilis erat ecclesia, cui solus Micheas resistebat (1 Reg. 22, 10). Visibilis etiam erat ecclesia, quae dicebat: Venite, cogitemus adversus Ieremiam cogitationes. Non enim peribit sapientia a sapientibus, nec a senibus consilium, nec lex a sacerdotibus (Ier. 18, 18). Denique visibilis ecclesia erat, Christi tempore, penes summum pontificem et collegium sacerdotale. Erat enim hierarchia multo melius fundata, et certiore testimonio confirmata, quam haec sit cuius praetextu superbiunt, qui ecclesiae titulum hodie usurpant. Qui ergo audiendas visibilis ecclesiae definitiones, sine delectu et exceptione volunt, simul hanc necessitatem imponunt fidelibus, ut abnegato Christo, et relicta Dei veritate, impietati saepe adhaereant.

ARTICULUS XX.

De articulis fidei per ecclesiam traditis.

Est et certum, multa esse credenda, quae non sunt expresse ac speciatim tradita in scripturis sacris: quae tamen per traditionem ecclesiae sunt necessario recipienda.

Probatur ab inconvenienti, vel absurdo. Quia alias oporteret ferme facere novum mundum: quum vix centesima pars eorum, quae firmiter tenemus et nihil dubitationis apud nos habent, expresse probari queat ex scripturis. Sed quia est elicitum a longe per subtiles deductiones doctorum, ideo manent in sua certitudine. Probatur etiam a verisimili. Quia credibile est quod apostoli, quamvis essent pleni spiritu sancto, et haberent mandatum perfecte instruendi ecclesiam, tamen voluerint aliquid relinquere suis successoribus: ne in omnibus eos praeoccupando, alas illis nimium decurtarent. Probatur item a simili: quia, sicut apud legistas est ius scriptum et non scriptum, ita debet esse in theologia.

ANTIDOTUM.

Multifariam, inquit apostolus, multisque modis loquutus est olim Deus per prophetas: novissime

loquutus est per filium suum dilectum (Hebr. 1, 1). Doctrinae vero Christi qualis fuerit exspectatio in populo israelitico, ostendit vox mulieris samaritanae: Messias, quum venerit, annunciabit nobis omnia (Ioann. 4, 25). In hac ergo doctrina standum est, in qua scimus perfectum coelestis sapientiae complementum inclusum esse. Bene ergo Augustinus,[1]) qui iudicat, non esse necessarium ad salutem, quidquid proditum scripturis non est. Quia si cognitu fuisset necessarium, Deus non omisisset. Insignis etiam est sententia Chrysostomi,[2]) ubi dicit: Sicut Christus non a se ipso loqui se testatus est: quia ex lege loquebatur et prophetis, ita si quid praeter evangelium, sub titulo spiritus obtrudatur, ne credamus. Quia ut Christus legis et prophetarum impletio est, ita spiritus evangelii. In summa, quum certa fidei veritas non nisi ab uno Deo peti debeat, constituimus, rectam fidem in solis scripturis fundatam esse, quae ab ipso prodierunt: quum illic non dimidia ex parte, sed ad plenum docere nos voluerit, quidquid scire nos volebat, et utile esse noverat.

ARTICULUS XXI.

De iure excommunicationis.

Eodem veritatis firmamento recipiendum, potestatem excommunicandi esse de iure divino immediate a Christo ecclesiae concessam, et ob id magnopere timendas esse censuras ecclesiasticas.

Multae sunt scrupulosae quaestiones inter doctores. Utrum ad exercendam excommunicandi potestatem requiratur clavis scientiae et discretionis. Sed tu dicas expresse: posito quod ecclesia non potest errare, hanc potestatem esse plenariam. Sicut etiam videtur fuisse intentio magistrorum nostrorum, qui loquuntur absque distinctione. Si autem quaeratur utrum is qui excommunicatus est per iniuriam, sit excommunicatus potestate Christi, dicas quod satis est eius nomine.[3])

ANTIDOTUM.

Quemadmodum ecclesiae commissa est excommunicandi potestas, ita etiam rite utendi praefixa est ratio. Primum, ne iudicet, nisi ex ore Domini: deinde, ut aedificationi studeat, non destructioni (Mal. 2, 7; 2 Cor. 10, 8). Si secus faciat, nota est sententia Gregorii: Privilegium meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Loquimur autem de externa ecclesiae facie. Nam vera ecclesia, sicut Christi spiritu gubernatur, ita nunquam a regula verbi ipsius in iudicando recedet. Sed quia saepe contingit, ut qui ordinaria potestate funguntur in ecclesia tyrannidem pro legitimo iudicio exerceant: tenenda est diligenter illa distinctio. Alias frustra diceret Christus apostolis: Ex synagogis suis vos eiicient. Non est igitur timendum, ne ab eo coetu excommunicemur, a quo et Deus, et ipsius veritas exsulat. Ab ea ecclesia ne excommunicemur, quae unitatis suae vinculum habet, purum Dei doctrinam, non tantum magnopere timendum, sed praecipuo etiam studio cavendum est. Non enim est salus extra eius communionem (Ies. 2, 3; Ioel. 3, 5).

ARTICULUS XXII.

De autoritate conciliorum.

Certum est concilium generale legitime congregatum, universalem repraesentans ecclesiam, in fidei et morum determinationibus errare non posse.

Probatur sic: Quia concilium universale semper et sine exceptione repraesentat ecclesiam: alias non esset visibilis. Sed intellige in quo praesideat papa. Nam quod in concilio Niceno legati beati Sylvestri non habuerunt primum locum, sed quartum, hoc fuit ex ruditate temporum, quum non bene formata esset ecclesia. Quod si quis opponat concilium Basiliense, dicas quod nec tenere nec valere debuit: quum Eugenius mandatum suum revocasset, et ius praesidentiae abstulisset cardinali sanctae Crucis. Quod autem magistri nostri dicunt de legitima congregatione, notandum est, ad hoc ut concilium legitime congregetur, sufficere quod solennitas et forma iuris decenter sit servata. Quia si quis vellet trahere hoc in disputationem: utrum praelati, qui ibi sedent, habeant rectam intentionem, et utrum sint docti, et utrum habeant scientiam sacrarum literarum et animum obediendi sanae doctrinae, esset processus in infinitum.[1])

ANTIDOTUM.

Promittit Christus, se fore in medio eorum qui fuerint congregati, sed in nomine suo (Matth.

1) Libr. 2. de peccatorum meritis et remiss. cap. ult.
2) De sanct. et ador. spiritu.
3) *Gallus addit:* car encore qu'il se sente innocent, quant au faict precedent, si est-ce que s'il ne s'humilie et ne se rend coulpable, pour la reverence de nostre mere saincte Eglise, desia par sa contumace et par son orgueil il encourt peché mortel: et ainsi la disputation en est superflue.

1) *Versio addit:* Tant y a qu'il faut coupper la broche tout court à fin de ne donner point occasion aux heretiques de contreroller les Conciles, et mettre en doute qui les a meus de parler ainsi ou ainsi: comme si l'authorité des Conciles estoit subiette à examen.

18, 20). Ergo non quibuslibet conciliis indifferenter habenda est fides: sed illis demum, quae congregata fuisse in nomine Christi constabit. Clamant prophetae: A propheta usque ad sacerdotem quisque sequitur mendacium (Ier. 6, 13). Item: Speculatores eius caeci omnes, pastores nihil intelligunt (Ies. 56, 10). Item: Coniuratio prophetarum in medio eius, sicut leonum rapientium praedam: sacerdotes eius violaverunt legem, profanaverunt sancta (Ez. 22, 25). Quum huic malo obnoxia fuerit ecclesia israelitica, quae vera erat ecclesia Dei, cur non idem nobis contingeret? Quin etiam hoc futurum denunciarunt apostoli: Quemadmodum fuerunt in veteri populo pseudoprophetae: ita in vobis erunt falsi doctores (2 Petr. 2, 1). Sic ergo constituimus: concilium, quod in Christi nomine congregatum est, gubernari a spiritu sancto, et eius directione duci in veritatem. Quibus autem non praesidet Christus, ea regi proprio sensu: et ita nihil posse quam errare, et in errorem ducere. Constituimus praeterea, quaedam sic regi Dei spiritu initio, ut postea obrepat carnis studium, quo a veritate deflectant. Solus enim Christus est, in quo residet plenitudo spiritus: unicuique hominum datur gratia ad mensuram (Ioann. 1, 16; 1 Cor. 12, 5. 27; Ephes. 4, 7).

ARTICULUS XXIII.

De primatu sedis Romanae.

Nec minus certum, unum esse iure divino summum in ecclesia Christi militante pontificem, cui omnes Christiani parere tenentur: qui quidem potestatem habet et indulgentias conferendi.

Probatur sic: Quia dictum est Petro: Tu es Petrus, et super hanc petram, etc. Quod autem Lutherani dicunt, Petrum illic laudari tanquam unum ex numero fidelium: et petram, quae debet esse fundamentum ecclesiae, dicunt esse Christum, quia Petrus non fuisset bonum fundamentum, quando Christum abnegavit, et quia secundum Paulum, nemo potest aliud fundamentum ponere a Christo: nunquam illis concedas. Quia quum diversa interpretatio sit in favorem Romanae sedis, nota est regula iuris, quod favores debent ampliari.[1]) Habent quoque aliam replicam. Scilicet quod posito casu, quod dedisset Christus primatum Petro, non sequitur tamen, quod dederit successoribus: nisi velint etiam omnes vocari Satanae. Quia dictum est Petro: Tu es Satan. Dicunt enim, quod si succedunt in uno titulo, etiam in alio pariter. Sed responde ad hoc per regulam iuris, quod odia sunt restringenda. Vel da aliam solutionem: quod primo loco Christus Petro loquutus est, tanquam futuro vel fiendo papae; in secundo tanquam privatae personae. Argumentantur praeterea hoc modo: Cur Petrus contulerit haereditatem primatus Romanae sedi, potius quam Antiochenae, quum in utraque fuerit episcopus. Responde ad hoc: quod locus acquirit dignitatem ex morte hominis: praesertim quum sanguis martyrum, qui pretiosus est in conspectu Domini, ibi funditur: secundum antiphonam quae canitur in eius festo.[1]) Opponunt etiam aliud: cur non simili ratione Iacobus et Ioannes acquisiverunt suis ecclesiis, in quibus praesidebant, secundum et tertium gradum primatus, vel dignitatis, quemadmodum Petrus acquisivit primum Romae, quum Paulus dicat illos tres fuisse habitos tanquam columnas? Ad hoc responde: quod si alii non fuerunt satis zelosi, vel magnanimi in manutenendo suo iure, non sequitur tamen quod hoc Romae praeiudicare debuerit. Ergo Hierosolyma et Ephesus merito propter negligentiam, vel stultum pudorem, retro fuerunt pulsae. Roma autem, quae firmiter zelavit pro honore suo, debuit manere prima.[2]) Habent etiam derisiones: quod si Roma debet esse prima sedes, quia ibi praefuit et mortuus est Petrus, pari colore desertum debuisset esse prima sedes in populo veteri, quia ibi Moses princeps prophetarum praedicaverat et erat mortuus. Item: quod etiam Aaron, primus summus sacerdos, ibi exercuerat suum officium usque ad mortem. Imo dicunt, quod potius Hierosolyma deberet praecedere Romam et omnes alias, quia Dominus noster ibi functus est episcopatu suo et ibi est mortuus. Sed responde, quod ad vetus testamentum: successionem sacerdotii fuisse personalem, nunc vero esse realem, et ita deberi loco. De Christo ita solve: quod ipse noluit fundare primatum in sua persona, sicut ipse dicit: Non veni ministrari, sed ministrare (Matth. 20, 28). Sed post omnia etiam obiiciunt: quod etiam si fuisset primatus Romae, hoc non debuit durare, nisi quamdiu ibi maneret ecclesia, et quamdiu papa esset episcopus. Nunc autem negant ibi esse ecclesiam, propterea quod sit confusio maxima: et negant papam esse episcopum, quia nihil faciat episcopale. Sed dic hanc obiectionem non esse admittendam, quia sit impossibilis: propterea quod scriptum est: Oravi pro te, Petre, ne deficeret fides tua[3]) (Luc. 22, 32).

---

1) les faveurs doyvent estre estendues au long et au large.

1) *Additur:* que Rome a esté bien-heureuse de ce qu'elle a esté arrousée de son sang.

2) comme de faict elle est et sera en despit des heretiques.

3) *Hic versio gallica longius habet additamentum:* Car c'est l'un de nos bons bouclicrs que cestuy-là. Pour le se-

ANTIDOTUM.

Saepe de Christo universali capite meminit scriptura (Ephes. 1, 22 et 4, 15 et 5, 23; Col. 1, 18 et 2, 10); de papa nusquam. Et quum nobis pingit Paulus ecclesiae imaginem, non facit universalem unius episcopatum: sed dicit Christum gubernare ecclesiam per suos ministros (Ephes. 4, 11). Et tamen locus maxime requirebat, unum prae aliis nominari, si res ita haberet. Modum unitatis, quo fideles cum capite suo Christo cohaerent, illic exprimit. Ad commendationem unitatis nominat unum Deum, unam fidem, unum baptisma (Ephes. 4, 4): cur non addit unum papam caput ministeriale? Ad hoc hierarchiam, quam papae adulatores constare potissimum fingunt romanae sedis primatu, illic ex professo describit. Cur ergo praetermittit quod ad rem maxime facturum erat? Alibi dicit, se gratiam apostolatus parem habere erga gentes, cum ea quae Petro data erat erga Iudaeos (Gal. 2, 8). Unde duo colligimus: non fuisse Petrum ipsius caput, et Petri apostolatum proprie ad nos non pertinere.[1]) Illic quoque refert, societatem se pactum fuisse cum Petro: non autem ut illum agnosceret superiorem. Et Petrus ipse, quum ad pastores scribit, non mandat ex imperio, sed collegas suos facit, et comiter hortatur, ut inter aequales fieri solet (1 Petr. 5, 1). Quum accusatur, quod ad gentes ingressus fuerit, etiam si id fit immerito, tamen coram ecclesia se purgando subiectionem profitetur (Act. 11, 4). Iure autem a Paulo reprehensus, non exemptionem causatur, sed obedienter se patitur corrigi (Gal. 2, 14). Iussus a collegis ire in Samariam cum Ioanne, illorum decreto paret (Act. 8, 14). Teneamus ergo quod ait Paulus (Ephes. 4, 15), Christum esse caput, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura cuiusque membri, augmentum corporis facit in Domino. Nam illic universos mortales, usque ad unum, in corpore collocat: honorem et nomen capitis soli relinquit Christo. Praeterea singulis membris certam mensuram tribuit, et finitam limitatamque functionem: quo summa gubernandi potestas penes Christum unum resideat. Cyprianus[1]) quoque quum unitatem ecclesiae describit, Unus, inquit, episcopatus, cuius a singulis in solidum pars tenetur: quomodo multi radii sunt, et lumen unum, et rami arboris multi, robur autem unum radice sua fundatum: et quomodo de fonte uno rivi plures fluunt, et licet numerositas diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur integra in origine: sic et ecclesia Domini luce perfusa, per totum orbem radios suos porrigit: unum tamen est lumen quod ubique diffunditur. Ramos suos per universum orbem extendit, perfluentes largitur rivos. Unum tamen caput est et origo una. Videmus ut Christi unius episcopatum faciat universalem, cuius partes a ministris eius teneri docet. Hanc ob causam vetitum fuit in Carthaginensi concilio,[2]) ne quis princeps sacerdotum vocaretur, aut primus episcopus, sed tantum primae sedis episcopus. Et Gregorius,[3]) nomen universalis episcopi tanquam profanum, imo sacrilegum, et praenuncium Antichristi, exsecratur: dicitque a diabolo inventum. Romanum vero episcopum non alia appellatione ornat Cyprianus, quam fratris, et coepiscopi, et collegae. Ad Stephanum romanum episcopum dum scribit, non modo eum sibi et reliquis facit aequalem, sed durius quoque eum compellat, arrogantiae et inscitiae illum accusans. Quin etiam Hieronymus[4]) presbyter romanus, sedem illam in ordinem redigere non dubitat. Si autoritas quaeritur, inquit, orbis maior est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? Quid paucitatem, de qua ortum est supercilium, in leges ecclesiae vindicas? Ubicunque fuerit episcopus, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, eiusdem

---

cond membre: que le Pape ait puissance de conferer indulgences, ie le prouve: car d'où l'auroyent les Evesques, sinon qu'il la leur donnast? Qu'ainsi soit, l'escolle tient que la garde et dispensation radicalle du thresor de l'Eglise luy appartient à luy seul, et qu'il en communique à chacun, selon que bon luy semble. Car il a esté dit à S. Pierre: Ie te donneray les clefs du royaume des cieux. Les Lutheriens repliquent, que la puissance des clefs consiste en la predication de l'Evangile: et pourtant qu'elle est commune à tous Ministres et Pasteurs. Et pour cela alleguent ce qui est dit au 20. Chapitre de sainct Iean, à tous les Apostres, apres leur avoir commis la charge de precher: A ceux à qui vous aurez remis les pechez, ilz seront remis. Mais il leur faut respondre qu'elle s'estend bien plus loin: c'est à dire, à la confession et aux indulgences, et cela seul est pour les rembarrer: car nous sommes fondez en droit commun, et sommes en possession, et pourtant c'est à eux à prouver la negative. Ie le prouve aussi par la raison. Car puis qu'il est chef de l'Eglise il faut bien qu'il ait preemiennce, tant en ceci qu'en tout le reste. Quant à ce que les Lutheriens obiectent, que de mesler le sang de Iesus Christ avec celuy des Martyrs, pour y establir la remission des pechez, c'est tout confondre. Ie respon à cela que non, quant à la remission qui se fait apres le Baptesme: car dequoy serviroit ce que les saincts Martyrs ont fait de superabondant, outre ce qu'ilz devoyent à Dieu, et outre ce qui estoit requis à leur salut, si le profit n'en redondoit sur nous? Nos Maistres aussi ont avisé, que tout ainsi qu'une fontaine peut tarir quand on y puise trop d'eau, aussi que la grace de Iesus Christ se pourroit bien espuiser, si on ne tirait que de là. Parquoy ont adiousté les Saincts pour suppleer.

1) à nous qui sommes Gentils, mais est destiné plustost aux Iuifs.

---

1) De simplicitate praelatorum.
2) Cap. 47.
3) Epist. 76. ad Mauritium Augustum; Epist. 78. ad Const. August.; sequenti ad Evodium; Epist. 83. ad Anian.
4) Epp. ad Cornel. et ad Evagr.

meriti est, et eiusdem sacerdotii. Potentia divitiarum et paupertatis humilitas superiorem vel inferiorem episcopum non facit. Postremo, etiam si dentur omnia Romanensibus, non tamen summus episcoporum esse potest, qui non sit episcopus.[1]

ARTICULUS XXIV.

De constitutionibus humanis.

Constitutiones ecclesiasticae, ut de ieiunio, de delectu ciborum, de abstinentia a carnibus, aliisque multis, vere obligant in foro conscientiae, etiam omni secluso scandalo.

Probatur primum a simili vel ab exemplo. Quia hoc etiam dicunt Rabini Iudaeorum, quod praecepta sapientum debeant servari sicut leges Dei, et hoc sine dubio. Probatur secundo, ratione. Quia ecclesia est vicaria Christi, et repraesentat eius personam. Ideo debet tantum posse quantum Christus. Probatur tertio, ab autoritate: quia dictum est: In cathedra Moysi sederunt scribae et Pharisaei: quaecunque dixerint vobis, facite. Quod autem replicant Lutherani, hoc dici de lege, quam Pharisaei docebant, quum essent in illa cathedra: et pro confirmatione adducunt, quod alibi Dominus iubet cavere ab illorum fermento, id est, doctrina, et expositionem Augustini, ubi dicit: Quid aliud significat Dominus, nisi per mercenarios vocem pastoris audire? Sedendo enim in cathedra, legem Dei docent: ergo per illos Deus docet. Sua vero si illi docere velint, nolite audire, nolite facere. Responde quod est impossibile, ecclesiam aliud docere quam voluntatem Dei: quia regitur a spiritu sancto. Probatur et alia autoritate. Quia dictum sit: Obedite praepositis vestris. Quod autem dicunt Lutherani, limitari hoc debere ad regulam quae tradita est praepositis per Petrum, ut non exerceant dominium in cleros, et quam Paulus se servasse dicit ad Corinthios, quod non dominatus sit fidei ipsorum, hoc nihil est. Quia, etiam si male faciant praepositi iubendo, tamen subditos manet obsequendi necessitas. Deinde semper oportet redire ad principium illud: Quia sunt ecclesia, non possunt errare in determinationibus morum. Finaliter probatur ab utilitate. Quia scandalosum est facere magnas mutationes. Et Solomon vetat transferri antiquos terminos, quos posuerunt patres nostri. Maior autem pars observationum, quibus hodie gubernatur mundus, sunt ex traditionibus ecclesiae. Ergo non esset conveniens neque utile, facere tantam confusionem, omnia mutando. Adde quod faciunt ad decentiam et honestatem morum. Si dicat aliquis, quod per hoc non ligant conscientias, respondeo, hoc fieri per accidens, propter ratificationem. Quia ecclesia hoc intendit, et populus consensit.

ANTIDOTUM.

Unus est legislator, inquit Iacobus, qui potest salvare et perdere (Iac. 4, 12). Ratio autem duplex est: quod et Dei voluntas nobis perfecta est omnis iustitiae et sanctitatis regula: et ipse unus imperium habet in animas, quod nemini resignat. Itaque Dominus ubique obedientiam urget, utque sibi soli pareamus. Unde sunt illae voces: Obedientia melior, quam victimae (1 Sam. 15, 22). Item: Quod praecipio tibi, hoc observabis, ut facias. Non addes quidquam, nec minues (Deut. 4, 2; 12, 8. 32). Item: Non faciat quisque quod sibi bonum videbitur: sed quod praecipio tibi, hoc tantum facito. Item: Numquid praecepi patribus vestris, ut mihi offerrent sacrificia, et non hoc potius, audiendo audite vocem meam (Ier. 7, 21)? Conscientias autem ullis hominum legibus obstringi, nefas esse pronunciat Paulus. In libertate, inquit, qua Christus vocavit vos, state, et ne rursus iugo servitutis implicemini (Gal. 5, 1). Rationem reddit alibi. Quia etiam quae speciem habent sapientiae, frivola sunt et inania: si sunt secundum praecepta et traditiones hominum (Col. 2, 23). Proinde testatur, se nolle iniicere laqueum fidelibus, quum tractat de coniugio (1 Cor. 7, 35). Violatur ergo spirituale Christi regnum, et suum illi ius in animas eripitur, quum hoc usurpant homines, ut sibi liceat conscientias suis ipsorum legibus obstringere. Praeterea abominatio est coram Deo, cultum illi

---

1) *Hic quoque additamentum legitur in versione gallica:* Quant au second membre il est vray qu'anciennement, pour ce qu'on imposoit peine aux penitens, qu'il estoit en la discretion de chacun Evesque de remettre ou changer les peines imposées: mais cela estoit seulement pour la police et ordre de l'Eglise. Depuis par ignorance on a translaté cela à la conscience, faisant accroire que c'est la remission des peines que nous devons à Dieu. Or c'est une grande impieté d'attacher au parchemin ou au plomb et à la cire la grace de nostre Seigneur Iesus Christ, qui nous est appliquée par l'Evangile, et laquelle nous recevons par foy. Il y a encore une impieté plus meschante: c'est qu'ilz disent que telle remission se fait en vertu de la mort des Martyrs, comme s'ils eussent esté nos redempteurs, pour nous reconcilier à Dieu, ou pour faire la satisfaction de nos pechez. Or S. Paul testifie que ne luy ni autre, sinon Iesus Christ, n'est point mort pour les Corinthiens (1 Cor. 1, 13): et S. Iean dit que tous les Saincts ont lavé leurs robbes au sang de l'Agneau (Apoc. 7, 14). Pourtant nous concluons avec Leon Evesque de Rome, premier de ce nom, que iasoit que la mort des Saincts ait esté precieuse devant Dieu: toutesfois que la passion de nul n'a esté la redemption du monde. Item, que les fideles ont acquis couronnes en mourant et non pas donné: et que leur constance nous est en exemple, non point un don de iustice. Item, que nul ne paye la dette des autres en mourant. Item, avec S. Augustin, qu'il n'y a sang de Martyr qui soit espandu pour la remission des pechez: et que c'est luy seul, qui a enduré la peine, estant innocent, à fin que nous obtenions par luy la grace qui ne nous est point deue.

fingere, quem non requirat, vel ab hominibus absque eius verbo confictum amplecti, sicut testatur Isaias: qui hac de causa, horribilem Dei vindictam denunciat populo israelitico, quia Deum colebat mandatis hominum (Ies. 29, 13). Et nota est Christi sententia: Frustra me colunt, docentes doctrinas, praecepta hominum (Matth. 15, 8). De ciborum delectu habemus Pauli doctrinam: Nemo vos iudicet in cibo aut potu (Col. 2, 16). Item: Regnum Dei non est esca et potus (Rom. 14, 17). Et Christi vocem: Quod ingreditur in os, non coinquinat hominem (Matth. 15, 11). Et Paulus alibi ex spiritu sancto praedicit, venturos impostores, qui diaboli instinctu prohibeant usum ciborum, quos Deus creavit, et usum sancti coniugii (1 Tim. 4, 3). Neque vero audiendum est cavillum illud: Paulum cum Iudaeis disputare in prioribus locis. Hoc autem vaticinium spectare ad Tatianos et similes. Nam si Deus ciborum discrimen sustulit, quod lege sua posuerat, hominumque potestati indifferenter subiecit omnes cibos, quis nunc tantum sibi sumat, ut leges ipse novas fingat, quibus libertas a Deo permissa aboleatur? Quod si iure conquerebatur sua iam aetate Augustinus, ecclesiam, quam Dei misericordia liberam esse voluit, sic premi, ut tolerabilior fuisset Iudaeorum conditio: quibus querelis deplorabimus eam, quae nunc est, servitutem?

ARTICULUS XXV.

De votis et eorum valore.

In eodem conscientiae foro vota obligant, etiam si monastica sint: perpetuae scilicet continentiae, paupertatis et obedientiae.

Probatur primum, per illum versiculum authenticum: Verba ligant homines, taurorum cornua funes. Nam arguendo a minori ad maius: Si debemus servare promissa hominibus, quanto magis Deo? Quod autem Lutherani obiiciunt, contractum non esse ratum, nisi ex utriusque partis consensu; item: pacta contra leges non valere: responde, quod quidquid fit bona intentione, placet Deo. Et si quis mala intentione voveat, tamen propter honorem votorum, perinde est, ac si bona intentione vovisset, quantum ad ligamen. Praesertim hoc valet in votis monachatus, propter dignitatem professionis, quia est instar secundi baptismi, sicut dicit beatus Thomas. Quod etiam afferunt Lutherani aliam replicam de perpetua continentia, quod nemo tenetur ad eam servandam, nisi cui datum est desuper: responde, quod votum non propterea desinit esse obligatorium, quia deficiat facultas, secundum doctores. Sed quaeritur, utrum sit melius monacho vel sacerdoti fornicari, vel uxorem ducere? Ad hoc profertur autoritas Cypriani, qui dicit de sacris virginibus vel monialibus, epistola undecima: quod si perseverare nolunt, vel non possunt, melius est ut nubant, quam ut in ignem deliciis cadant. Sed ratio est in contrarium, quemadmodum etiam determinant canonistae, propter contumaciam, et magis directam voti infractionem. Probatur etiam praeterea, vota obligatoria esse, ex dispensatione et solutione illorum. Quia papa non dispensat de votis, nisi beneficio clavium. Unde sequitur, quod ligent conscientiam. Restat unum dubium super eo, quod magistri nostri dicunt, etiam si sint monastica: quia videntur innuere, quod minus habeant firmitatis quam alia. Sed nota, hoc fuisse positum propter difficultatem, quae posset tentare monachos ad resiliendum, sine hoc fraeno.

ANTIDOTUM.

In votis tria haec sunt spectanda. An in potestate nostra sit, quod vovemus; deinde, an finis vovendi rectus sit; tertio, an quod vovemus, Deo placeat. Ubi haec desunt, vel unum ipsorum, vota esse irrita nulliusque momenti constituimus. Porro non esse in cuiusvis manu perpetuam continentiam, docet scriptura. Christus enim testatur, non omnes capere hoc verbum (Matth. 19, 11). Et Paulus admonet, distributa esse dona Dei, loquens de hoc ipso dono, ut singulare esse intelligamus, quod non omnibus sit concessum (1 Cor. 7, 7 s.). Ideoque ad coniugii remedium confugere iubet omnes, qui uruntur. Qui non potest continere, inquit, uxorem ducat. Item: propter scortationem vitandam, quisque uxorem suam habeat. In vovenda autem obedientia monachali, vitiosum esse finem, hoc uno verbo Pauli palam est: quod omnes ἐθελοθρησκείας, id est, cultus voluntarios, quos homines suo arbitrio instituant, damnat. Hoc enim verbo utitur ad Colossenses, ubi interpres reddidit superstitionem (Col. 2, 23). Sic autem vovent monachi obedientiam suis patribus,[1]) ut hominum figmentis Deum colant. Paupertatem hanc, quam vovent, Deo nequaquam esse acceptam, imo prorsus displicere, dicimus. Iubet enim Deus suo quemque labore vivere. Et Paulus dicit: Qui non laborat, non manducet: vitamque inordinatam vocat, quum quis ex alieno sudore otiosus vivit: ac tales excommunicari praecipit (2 Thess. 3, 10). Deinde voluntaria paupertas, quam nobis commendat Deus, haec est, ut qui dives est, elargiendo sua ad sublevandam fratrum inopiam, exemplo Christi, sicut dicit Paulus, pauperem se faciat (2 Cor. 8, 9). Sic autem paupertatem monachi profitentur, ut in otio nunquam esuriant, devorent bona pauperum, bene faciendi facultate se privent. In summa constituimus, vota,

1) à leurs Abbez, Prieurs et beaux-peres gardiens.

quae ex superstitione concepta fuerint, nihili esse: nec quidquam valere ad ligandas conscientias. Deinde votis temere, ex stulta carnis confidentia, conceptis mature esse renunciandum, antequam Deus obstinatam arrogantiam puniat.

NOVA STATUTA FACULTATIS.

Inhibet autem Theologorum facultas, iis qui de grege suo sunt magistris, baccalaureis, ac caeteris gradum theologicum nunc et in posterum profiteri volentibus: ne quoquo pacto supradictis propositionibus contraria, aut in concionibus praedicent, aut in lectionibus, vel alibi doceant. Quin potius, quando se materia et occasio offeret, eas populo sincere annuncient et aperte declarent. Porro etiam decrevit, ut praefatas propositiones singuli magistri et baccalaurei chirographi sui approbatione confirment. Et quum in suo grege lupos, et immorigeros, contentiososque alere tutum non sit: qui huic decreto parere noluerint, et contrarias praefatis propositiones docuerint, aut in posterum praedicaverint, e suo consortio eximendos in perpetuum privare decrevit. Caeterum quia contradicendi studio, et a maiorum institutis discedendi, plerique novarum rerum et doctrinarum studiosi, laudabilem illam consuetudinem, qua per intercessionem beatissimae Virginis spiritus sancti gratia imploratur, negligunt: monemus, ne tantopere a salutatione illa angelica, quam nobis evangelium praescripsit, abhorreant: neve, ut plerique solent, quoties Domini salvatoris nostri mentio occurrit, salutiferum illud Iesu nomen praeponere dedignentur, contenti dicere, le Christ, praesertim quum, teste Petro, non sit aliud nomen datum hominibus, in quo nos salvari oporteat. Similiter quum divorum apostolorum, evangelistarum, aut sanctorum doctorum mentio inciderit, ne, uti consueverunt, sine ulla honoris praefatione nominent, Paul, Iacques, Matthieu, Pierre, Hierosme, Augustin, neque sit eis grave addere vocabulum sancti, et nominare sainct Pierre, sainct Paul, etc. Et postremo ne defunctorum animas populi precibus commendare negligant. Anno Domini 1542. die 10. mensis Martii. Facultas Theologiae congregata per iuramentum in collegio Sorbonae, super articulis praecedentibus, probavit hos articulos, sub forma qua scripti sunt. Sic signatum, de mandato Domini decani et facultatis. Fournier cum parapho.

ANTIDOTUM.

Prohibet Iesaias omnibus Dei discipulis, ne dicant: conspiratio, quoties multitudo conspiraverit (Ies. 8, 12). Quo verbo significat, nullis impiorum consiliis aut parendum aut assentiendum esse. Sequamur ergo quod deinde praecipit: hoc est, sanctificemus Dominum exercituum, cum timore illi adhaerendo, ut nobis sit sanctificatio. Quicunque ab hoc timore abducere nos tentaverit, sit nobis anathema. Neque horreamus cum caeco illuminato, exterminari e synagoga impiorum (Ioann. 9, 34) quo Christus obviam nobis occurrat, nosque recipiat in corporis sui communionem. Centies moriendum potius, quam ut manus polluamus nefaria subscriptione, qua Dei veritas a nobis abnegetur. Nam quod toties gregis sui faciunt mentionem Sorbonistae, se certe gregem porcorum esse hic prodiderunt. Invocationem Virginis, qua usi sunt antehac, ad petendam spiritus gratiam, quis non videt exsecrabilem blasphemiam esse? ut elogia illa anathematis plena omittamus, quibus dum Virginem volunt honorare, gravissimo probro afficiunt, quum reginam coeli et thesaurariam gratiae appellant. Audimus quid doceat Christus: missurum se a patre spiritum veritatis: illum ut petamus in suo nomine, iubet (Ioann. 14, 26 et 15, 26). Haec igitur iusta petendi regula, et certa obtinendi ratio est. Ad Virginem autem confugere, Christo praeterito, eamque in precatione compellare, non Deum, quis non profanum esse morem videt? A verbo sane Dei prorsus est alienus. Quin etiam exstat decretum concilii Carthaginensis quarti: quod vetat sanctos ad altare invocare. In eo quoque suam insulsitatem apertius etiamnum produnt, quum dicunt salutationem hanc nobis ab evangelio praescribi. Missus est quidem Gabriel, ut Lucas narrat, qui hoc modo Virginem salutaret: sed an sumus Gabrieles? Ubi hoc nobis unquam mandatum est? Quis ad Virginem nobis accessus patet, ut cum ea colloquamur? Ad haec, quorsum tunc salutatio, quum spiritus gratiam implorant, nisi ea precationis vice abutantur? Quantum ad Christi nomen, unde tam delicatae sunt asinis aures, ut mos loquendi spiritui sancto usitatus eas offendat? Christi nomen ubique occurrit in scripturis. Sic omnes ecclesiae scriptores loquuti sunt: magistris nostris non sapit. Et ne careant praetextu, magicum illud Iudaeorum commentum obtendunt, quasi salus hominum in duabus syllabis sit inclusa. Nihil ergo mirum est, si in sanctorum nominibus adeo sint morosi, quum in Iesu nomine adeo turpiter delirent. Hanc vero legem concionatoribus, ut mortuorum animas commendent populo, qua ratione, aut quo exemplo imponunt? Exstant multae veterum homiliae: nihil tale fuisse unquam factum in veteri ecclesia, illic reperietur. Videmus ergo eos facere quod tyranni solent: ut quum dominationem amplius tenere, moderate imperando, nequeunt, ad barbaram ferocitatem et truculentiam decurrant. Verum quid Dominus ex adverso? Inite consilium, et dissipabitur. Constituite decretum, et non fiet. Munite vos, et vincemini (Ies. 8, 10). Non enim est sapientia, non est prudentia, non est consilium adversus Dominum (Prov. 21, 30).

BRIEVE INSTRUCTION

POUR ARMER TOUS BONS FIDELES CONTRE LES ERREURS

DE LA SECTE COMMUNE

DES

ANABAPTISTES.

PAR M. IEHAN CALVIN.

A GENEVE

PAR IEHAN GIRARD.

1544.



Icy premierement sont reprouvés cinq articles, contenuz en une resolution composée par les patriarches de la secte, qu'ilz ont commune entre eux. Assavoir:

Du Baptesme des petiz enfans.
De l'excommunication.
Du droit de porter armes.
De la puissance des Princes.
Du iurement.

Item deux autres.

De l'incarnation de IESVS CHRIST.
De la vie et condition des ames entre la mort et le iour de la resurrection derniere.

IEHAN CALVIN AUX MINISTRES [1]) DES EGLISES DU CONTÉ DE NEUF-CHASTEL.

[page 3] Si quelcun s'ebahit, mes treschers freres et compagnons en l'œuvre du Seigneur, comment ie m'amuse à respondre à un livre, qui n'est pas digne qu'on en parle, ne qu'on en face quelque mention: veu que ie me pourrois employer, comme il semble, à choses meilleures, et de plus grand fruict: il me suffiroit bien pour toute excuse, d'alleguer que c'est à la requeste et instance de plusieurs bons fideles, qui me l'ont envoyé de bien loing, avec tesmoignage, qu'il estoit bien mestier, pour le salut de beaucoup de povres ames, que i'y misse la main. Car ie pense bien, que cela doit estre assez, pour contenter ceux qui voudront prendre raison en payement: [2]) que i'aye voulu acquiescer, tant au iugement, [page 4] qu'au desir de ceux [3]) que ie congnois estre zelateurs de la gloire de Dieu et de l'edification de son peuple. Mais encor, i'ay une autre response, pour me excuser envers ceux qui pourroyent penser que c'est folie à moi de m'occuper à chose si maigre et frivole, comme à ce livret, lequel il appert avoir esté composé par gens ignorans: c'est que nous n'avons pas plus de privilege qu'ont eu les Prophetes de Dieu, et que nostre peine n'est pas plus precieuse que la leur. Or, nous voyons que Ezechiel (13, 17) a esté contrainct de parler et escrire; non seulement contre les seducteurs de nul savoir, ou reputation: mais aussi contre les femmes, qui vouloyent faire des prophetesses. Puis que le prophete ne s'est pas espargné à disputer contre les femmes; et mesme qu'il luy a esté commandé par nostre Seigneur de ce faire, d'autant que en induisant le peuple par leurs mensonges à superstition et erreur elles empeschoyent [page 5] le cours de la verité: ce seroit une presumption à nous de ne daigner nous soubmettre à faire le semblable. Il est vray que ce livre, lequel on m'a prié et exhorté de reprouver, n'auroit mestier envers gens savans et bien entendus, d'aucune resolution: veu que de soymesme il se redargue suffisamment, tant il est inepte et sotement escrit. Mais d'autant qu'il a quelque couleur, pour abuser et circonvenir les simples, qui n'ont pas le iugement pour discerner: nostre devoir est de leur ayder, et les advertir des cauteles malicieuses de Sathan, à ce qu'ilz ne soyent pas seduictz par imprudence. Nous sommes debteurs aux uns et aux autres, dit sainct Paul (Rom. 1, 14). Pourtant il nous faut servir à tous, entant qu'en nous est, quand la necessité le requiert. Ie proteste donc, que mon intention est seulement de remonstrer en brief à tous povres fideles, qui sont rudes et sans lettres, quelle et combien dangereuse poison c'est que la doctrine des [page 6] Anabaptistes: et de les armer par la parolle de Dieu [1]) alencontre d'icelle, afin qu'ilz n'en soyent point surprins. Ou bien s'il y en avoit quelques uns, qui desia fussent enveloppez en leurs filetz, de les ramener au droit chemin. Pourtant, ie prie tous ceux qui ont desir de s'entretenir en la pure congnoissance de Iesus Christ, et en l'obeissance de son Evangile, d'avoir la patience de lire attentivement ce present livret, comme il leur est dedié de par moy: et mettre peine de bien poiser les raisons que ie leur allegueray; afin de s'arrester à la verité, quand elle leur sera declairée. La raison qui m'a esmeu de vous adresser ce present traicté, est double. Premierement, afin qu'il soit comme un tesmoignage publiq de la conionction que i'ay, et desire tousiours avoir, avec vous: et que chacun congnoisse comment nous sommes unis tant en doctrine, comme en affection de cueur. Secondement afin que la lecture en soit plus [page 7] recommandée à tous ceux ausquelz vous avez la charge de porter la parolle de Iesus Christ: tellement que les

1) ministris et pastoribus.
2) illud cordatis viris satisfacturum.
3) de ceux . . . . peuple. *Le traducteur a mis simplement:* piis viris.

1) *Le traducteur ajoute:* tanquam certissimo antidoto.

Eglises, ausquelles ce prince des pasteurs vous a commis ministres, soyent entretenues en pure doctrine, et preservées de toutes perverses opinions, contrevenantes[1]) à la verité du sainct Evangile. Il est vray, que vous eussiez bien peu, mes treschers freres, me descharger de ceste peine. Et mesme desia nostre frere, maistre Guillaume Farel, selon la grace qu'il a du Seigneur,[2]) et comme il est exercé de long temps, et par continuel usage, à batailler contre tous les ennemis de verité, et resister à toutes faulses doctrines, pour maintenir le regne de Iesus Christ, avoit bien satisfaict en partie[3]) à ce que vous requerez à present de moy, comme i'ay veu par les actes d'une conference faicte à la bonne ville.[1]) Tellement que des poinctz qui sont là traictez, nul n'en pourroit demander plus suffisante declaration, pour se resoudre [page 8] en sa conscience, qu'elle est là donnée. Mais puis que ceux ausquelz ie desire et suis tenu d'obtemperer, me font à croire, qu'il faut que ie prenne ceste charge; i'acquiesceray à leur demande, sans faire plus longues excuses. Le Seigneur Iesus vous ait tousiours en sa saincte protection, et ses Eglises, qu'il vous a commises: vous conduise tousiours par son sainct Esprit, pour se servir de vostre ministere à son honneur, et au salut de son povre peuple.

De Geneve. Le premier de Iuing 1544.

1) *Le dernier membre de cette phrase manque dans le latin.*
2) a spiritu sancto.
3) satis superque praestitit.

1) à la Bonneville 1611; colloquii Bonevillani. *G. Bonneville (Neuenstadt) est un bourg du canton de Berne situé sur la rive gauche du lac de Bienne.*

BRIEVE INSTRUCTION POUR ARMER TOUS BONS FIDELES CONTRE LES ERREURS DE LA SECTE COMMUNE DES ANABAPTISTES.

[page 9] D'escrire contre toutes les faulses opinions et erreurs des Anabaptistes, ce seroit une matiere trop longue: et quasi un abysme, dont ie ne pourrois sortir. Car ceste vermine differe en cela d'avec toutes les autres sectes d'heretiques: qu'elle n'a pas erré seulement en certains poinctz, mais a engendré comme une mer de folles resveries. Tellement qu'à grand' peine sauroit-on trouver une teste d'Anabaptiste, laquelle n'ait quelque phantasie à part. Ainsi de vouloir esplucher, ou mesme raconter toutes les meschantes doctrines qui ont esté en ceste secte, ce ne seroit iamais faict. Mais en la fin, tout est revenu en deux sectes principalles: dont l'une, combien qu'elle soit pleine de beaucoup d'erreurs mauvais et pernicieux: toutesfois elle se contient en plus grande simplicité. Car pour le moins, elle reçoit l'Escriture saincte, comme nous. [page 10] Si on vient à traicter avec les sectateurs d'icelle, on sait en quoy on differe d'avec eux: ilz donnent à entendre leur conception: et en la fin on sait en quoy on est demeuré d'accord, et quelle controversie il y reste. La seconde est un labyrinthe non pareil de resveries tant absurdes, que c'est merveille, comment creatures qui portent figure humaine, peuvent estre tant deprouveues de sens et de raison, que de se laisser ainsi decevoir, iusqu'à tomber en des phantasies plus que brutalles. Ceste secte se nomme des Libertins. Et contrefont tant les spirituelz, qu'ilz ne tiennent conte de la saincte parolle de Dieu, non plus que de fables, sinon quand bon leur semble, et quand ilz la peuvent depraver, pour la faire servir par force à leurs opinions diaboliques. D'avantage, ilz ont un gergon, comme gueux de l'hostiere,[1]) qu'on ne sait que c'est qu'ilz veulent dire, et aussi ne s'entendent-ilz pas: sinon qu'ilz ont bien ceste astuce, de couvrir par ce moyen la turpitude de leur doctrine. Car leurs principes sont de confondre toute difference de bien et de mal: de mesler Dieu avec le Diable, tellement, qu'on ne sache discerner entre l'un et l'autre, et de rendre les hommes non seulement stupides devant Dieu en leurs consciences: [page 11] mais aussi effrontés devant le monde. Voila donc pourquoy ilz se cachent en ces cavernes de parolles obscures et douteuses: afin qu'on n'apperçoyve pas leur villainie, pour les avoir en horreur et execration. Comme de faict le sens humain repugne à ces monstres qu'ilz mettent en avant. Ainsi pour escrire en somme contre les erreurs des Anabaptistes, le plus court et le plus expedient est de tenir ceste division: et de recueillir à part en un traicté les erreurs de ceux qui ne sont pas du tout si enragez et desesperez: en un autre descouvrir la malice venimeuse de ces malheureux, qui soubz couleur de spiritualité, veulent faire les hommes semblables aux bestes brutes. Or est-il bien vray, qu'encore ceux de la premiere secte ne sont pas si accordans ensemble, qu'on puisse aisément faire un recueil de leurs erreurs, pour les reprouver par certain ordre. Mais pource que les principaux docteurs, et comme les patriarches de toute la Synagogue, apres avoir bien ravaudé, ont faict une conclusion finale, où ilz ont enclos la somme de ce qu'ilz tiennent aucontraire, tant de nous, que des Papistes, en sept articles, ausquelz tous Anabaptistes adherent communement: et aussi qu'ilz ont trouvé moyen de faire imprimer ceste belle [page 12] resolution qu'ilz ont prins ensemble, pour semer leur poison par tout, et infecter le povre peuple: ie me contenteray pour le present, et me semble aussi qu'il suffira, de remonstrer la faulseté contenue en la pluspart de ces sept articles: afin qu'ilz ne se plaignent pas, que ie leur impose à tous la faute d'aucuns particuliers, pour diffamer

1) habent praeterea peculiare quoddam genus sermonis (eorum more quos gallice Gueυs hostiariae vocamus). *D'après Littré le mot français* gueux *vient de* coquus, *mais a fini par signifier:* mendiants, *notamment dans la phrase de notre texte qui parle de mendiants allant de porte en porte* (ostium).

iniustement toute la secte. Cela faict, si i'ay quelque fois loisir, i'escriray quelque autre petit traicté, contre l'autre bende seconde, dont i'ay parlé: assavoir, des Libertins.[1]) Mais comme i'ay dict, il suffira pour le present, d'avoir remonstré à tous amateurs de verité, que ce que tiennent ces povres gens d'un commun accord, pour fondement invincible de leur Foy, est une abusion mortelle, de laquelle il se faut garder comme d'une peste: ie dy à tous ceux qui desirent de se rendre obeissans à la verité. Car il y en a d'aucuns en ceste malheureuse sequelle, et principallement ceux qui veulent contrefaire les Docteurs: lesquelz estans preoccupés d'orgueil et presumption, ne voyent goutte à tout ce qu'on leur dit: ou plustost par obstination et malice deliberée ferment les yeux afin de ne voir la clairté, quand elle leur est presentée toute evidente. Tellement que ce seroit battre l'eaue, que de [page 13] vouloir proceder avec eux par raisons, pour les reduire, sinon que pour le moins ce profit en revient, que les bons congnoissent leur impudence desesperée, afin de se retirer arriere d'eux, et les fuyr comme poison.

Or, pource qu'il n'y a nulle plus belle couleur, pour seduire les povres Chrestiens, qui ont zele de suyvre Dieu, que de pretendre sa parolle, les Anabaptistes, contre lesquelz nous escrivons maintenant, ont tousiours ceste preface en la bouche. Et certes quand on nous dit, que c'est Dieu qui parle, toutes creatures doyvent estre esmeues, pour la reverence de son Nom, d'escouter en humilité ce qui se dict. Quand nous entendons que c'est vrayement la parolle de Dieu qui nous est mise en avant, il n'est pas question de plus repliquer, ne mesme d'ouvrir la bouche, pour disputer à l'encontre. Nous ne disons pas comme les Papistes, qu'il faut là laisser la saincte Escriture, pour s'arrester à l'authorité des hommes. Car nous tenons ce subterfuge comme un blaspheme execrable. Mais voulons que tout ce qui apparoistra estre venu de Dieu, et puisé de sa saincte parolle, soit receu de nous tous, humblement, sans controverse, ne difficulté aucune.[2]) Qui plus est, nous n'entendons [page 14] pas que nulle autre doctrine soit recongneue pour vraye et certaine, sinon qu'elle vienne de ceste fontaine de toute verité. Pourtant, soyent Anabaptistes ou autres, qui nous disent, que ce qu'ilz nous apportent, ilz l'ont receu de Dieu, et prins de sa bouche: c'est à dire qu'ilz le tiennent de la saincte Escriture: donnons ceste gloire à Dieu, d'entendre et escouter modestement, pour voir si ainsi est. Mais comme nostre office est, de prester l'oreille à ce qui se dict iusque à ce que nous ayons congneu que c'est, aussi devons nous avoir ceste prudence de discerner entre la verité et le mensonge: et iuger si c'est à bon droit, où à faulses enseignes, qu'on nous allegue la parolle de Dieu. Car il nous est commandé de esprouver les esprits, savoir s'ilz sont de Dieu (1 Iehan 4, 1). Et de faict, nous voyons combien cela est necessaire: veu que le Diable mesme s'est armé de la parolle de Dieu, et en a faict son baston pour assaillir nostre Seigneur Iesus (Matth. 4, 6). Et nous experimentons, qu'il use iournellement de ceste pratique par ses instrumentz à depraver la verité, pour mener les povres ames à perdition. Touchant de ces povres phantastiques, qui se vantent si fort d'avoir la parolle de Dieu pour eux: le faict demonstre comment il en va. Il y a [page 15] desia long temps que nous sommes apres à travailler continuellement que ceste saincte parolle soit remise au dessus: et soustenons un combat contre tout le monde pour ce faire. Eux, quel advancement[1]) ont ilz faict, ou en quoy ont ilz aydé[2]) à cela? Mais plustot au contraire ilz nous ont empeschez et destourbez. En sorte qu'on ne sauroit dire, de quoy ilz ont profité, sinon de reculer icelle parolle, d'autant qu'elle estoit advancée par nous. Qui plus est, en d'aucuns poinctz principaux de la Chrestienté, ilz s'accordent tresbien avec les papistes, tenans une opinion directement repugnante à toute la saincte Escriture. Comme du franc arbitre, de la predestination et de la cause de nostre salut. C'est donc faulsement qu'ilz abusent de ceste couleur, faisant à croire aux simples, qu'ilz se veulent gouverner totalement selon l'Escriture: veu que ilz n'en tiennent du tout rien, mais de la seule phantasie de leur cerveau. Venons maintenant au premier article des sept, qui sont contenus en ceste belle resolution cornue,[3]) laquelle ilz tiennent pour revelation descendue du ciel.

LE PREMIER ARTICLE DU BAPTESME.[4])

[page 16] *Le Baptesme doit estre donné à ceux qui sont enseignez à penitence, croyans que leurs pechez sont effacez par Iesus Christ, et qui veulent cheminer en la resurrection d'iceluy. Pourtant on le doit*

---

1) *Ici on lit en marge de l'édition de* 1545 *ces mots imprimés:* Ce qu'il a faict. *L'ordre chronologique de ces trois publications se trouve donc établi d'une manière authentique. La première édition du Traité contre les Libertins se place entre les deux éditions de celui contre les Anabaptistes.*

2) ne difficulté aucune, *manque dans le latin.*

1) *Les éditions de* 1544 *et* 1545 *mettent:* adnoncement. *Le traducteur dit:* quid promoverunt.

2) nous ont ilz aydé, 1566 *ss. et Gallas.*

3) ceste belle resolution cornue, *clarae illius definitionis.*

4) *Dans les éditions françaises postérieures* (1566 *ss.*) *il y a:* Article I. Du Baptesme.

distribuer à ceux qui le demandent par euxmesmes, non pas aux petis enfans: comme on a faict au Royaume du Pape.

Refutation.[1]

2) Hic mihi Athalia venit in mentem. Nam sicut impudica illa canis, quum regem Ioas cerneret in solio collocatum, quia tyrannidem suam videbat concidisse, clamabat seditionem esse factam: ita putidum hoc scortum, quum tyrannidi suae, quam Deo et hominibus invitis, sibi per summum nefas arrogat, vel minimum derogari videt, coelum terrae miscet, quasi nihil amplius sit in mundo salvum.

3) O quam multis et quam insignibus documentis compertum habet Caesar paternum hunc amorem. Quod nisi sibi ab hoc idolo, tanquam a Deo sinistro metuerent christiani principes, possent mira paternae caritatis officia, quae pro se quisque experti sunt, recensere. Sed quid principum arcana excutere opus est? quasi vero non omnibus etiam infimis palam sit, qualem se hactenus patrem illis exhibuerit.

4) Hic quidem olim speciosus erat fucus romanae meretricis, iactare ecclesiae unitatem:[1]) sed iam cum longo quasi attritu obsolevit, tum [pag. 46] flatu oris Domini toties discussus, et claris scripturae testimoniis abstersus ita fuit, ut ad colorandam eius deformitatem apud oculatos parum valeat. Christus enim unicum sanctae unitatis vinculum est: ab eo qui discedit, violat turbatque unitatem: extra eum vero, non nisi sacrilega conspiratio est. Vocat nos ad se romanus Antichristus, praetextu unitatis: et quicunque tyrannidis suae iugo non sponte alligari se sustinent, eos schismaticos iudicat. Nos autem ex adverso audimus Christi vocem: Ubi erit corpus, illuc convolabunt et aquilae. Audimus apostolum hortantem, ut consentiamus, et simus concordes: sed in Christo. Audimus piam Hilarii admonitionem: Speciosum quidem nomen est pacis, et pulchra opinio unitatis: sed quis ambigat eam solam ecclesiae et evangeliorum unitam esse pacem, quae Christi est? Ostendat ergo a parte sua Christum Frenesius, et unitatem ecclesiae penes se esse probabit. Sed quum adhaerere illi non possimus, nisi Christum abnegando, qui ab eo dissilit, non facit ab ecclesia discessionem, sed veram ecclesiam ab adulterina et fictitia discernit.

5) En ordo, en disciplina, en christianismi perfectio ex Frenesii definitione, si illibata sedis suae [pag. 47] tyrannis maneat. Valeant alia: nam prae hac una nihili omnia reputat. Iam ergo Helenam agnoscimus pro qua depugnat, simul causam timoris illius agnoscimus, de quo initio loquutus est. Non enim ruinam solio suo tantum impendere praevidet, sed sedem illam abominationis iam collabi cernit, si pigrescat. Hoc si illi detur, ut securus pro suo more in tranquilla possessione suae tyrannidis lasciviat, hoc uno contentus erit, et tanquam rite composito ecclesiae statu, sibi et aliis benedicet. Ergo utcunque Romae nihilo minor sit scelerum omnium colluvies, quam in ipsis inferis, utcunque passim sanctus ille papalis clerus, laxis habenis, perruptis legibus omnibus, abiecta omni honestatis cura, ad quamlibet impietatem se prostituat, utcunque totus orbis horrendum in modum sit corruptus, bene ordinata erit disciplina, si modo nihil contra sedis romanae maiestatem quis audeat.

---

1) *Sic scribimus cum Beza et seqq. ipso textu iubente; quod princeps, Gallasius et versio Gallica habent:* veritatem *manifesto errori debetur.*

divina et humana iura, approbante tot saeculorum consensu, (6) [pag. 10] *supremam quum cogendi concilia, tum statuendi de his,* (7) *et ordinandi quae ad ecclesiae unitatem utilitatemque spectant, autoritatem dederunt. At vero neque haec sola sunt, in quibus conquerimur ecclesiae et maiorum abs te morem atque institutiones divinas minime servatas fuisse: sed alia praeterea, et ea quidem non pauca, peracti iam conventus decreta*

6) Grande scilicet piaculum, quod de congregando concilio quum ageretur, suppressum est papae nomen. Quasi vero Sylvestro autoritatem convocandae nicenae synodi detulerit Constantinus, ac non eam iure suo, pro imperatoria potestate coegerit. Quasi non etiam ipsi Sylvestro edixerit, ut veniret. Quasi vel arbitrium vel nutum [pag. 48] romani episcopi exspectaverit olim Theodosius, in synodo aquileiensi cogenda, cui praefuit Ambrosius. Ecce habetur in Italia concilium universale, cui non adest romanus episcopus, nec quisquam eius nomine, imo nulla eius in actis concilii fit mentio. Sed condonandum est Frenesio, si personam agit impurae illius Iesabel, quum similem habeat causam. Quemadmodum enim fremebat illa, quod Achab pro regia potestate populum convocasset, ut statueretur semel, Deusne an Baal invocandus foret, ita haec bestia, quasi rebus omnibus perditis, grande nefas admissum esse conclamat, quia Caesar sibi curae fore receperit, ut concilium cogeretur. Atqui hanc sibi soli potestatem iure divino et humano competere allegat. Facile quidem iactare est, sed probatio quaeritur. Quid enim hoc mendacio impudentius? Divini iuris quam omnino syllabam proferet, nisi forte se faciat Deum? Sed humanum forte illi suffragatur. Nihilo magis. Quis enim primam synodum nicenam, quis ephesinam, quis constantinopolitanam, quis chalcedonensem coegit? Et ne in colligendo numero sim longior, quis totis quingentis annis synodos universales, quae multae habitae fuerunt inter id tempus, congregavit, praeter unum Caesarem? At [pag. 49] forte id fiebat, interposita pontificis autoritate? imo ne consensu quidem. Ubi enim ostendet Frenesius, exspectatum aliquando fuisse Papae nutum in hac re, aut petitum ab eo consilium? Atqui non tantum nunc sibi arrogat hoc privilegium, ne quid se inconsulto tentet imperator, sed vult omnia simul posse et agere. Id si vult impetrare, omnia conciliorum acta, omnes veteres historias aboleat necesse est. Neque enim illic papa imperatori edicit, sed imperator episcopis omnibus. Et quum episcopi loquuntur, non romani episcopi mandato aut nutu se vocatos, sed imperiali edicto testantur. Olim quidem in procuranda synodo chalcedonensi partes suas interposuit Leo. Sed qualiter? iubendone vel decernendo? Nihil tale in eius epistolis habetur, quae in promptu exstant, sed Caesarem suppliciter rogando, ut pro more episcopos omnes advocaret. Ergo quod tunc precibus fieri orabat Leo, Frenesius hodie factum esse tam graviter accusat, ut speciem propemodum faciat apostasiae. Patrocinium ergo fictitiae suae potestatis aliunde quaerat, quam a Deo et hominibus.

7) Quum tale quiddam aliquando captaret in concilio carthaginensi, fortiter, ut par erat, Africani episcopi tam improbae ambitioni restiterunt. [pag. 50] Quum obtenderet praerogativam in alias ecclesias, nicenae synodi decreto, sibi permissam esse, non habuerunt fidem: sed Constantinopolim, et in alias urbes graecas miserunt, ut veritatem investigarent. Compertum tandem fuit, acta concilii a sanctissimo patre corrupta fuisse, ut illis ad erigendam suam tyrannidem abuteretur. Saltem quae proferebantur ex eius archivis exemplaria, cum veris et certis non congruebant. Ita repudiatum fuit eius postulatum, non absque manifesto falsitatis probro. Atqui iura divina et humana hic quoque sibi suffragari clamat. Quis unquam Deus, obsecro, papam constituit causarum omnium ad ecclesiam vel fidem pertinentium cognitorem, arbitrum et iudicem? Quas etiam hominum leges, aut quae placita de hac re ostendet? Dicit quidem Ambrosius, fidei causas debere in templo coram plebe tractari: et tunc de summo fidei nostrae capite agebatur. Non dicit, coram papae tribunali. Dicit, fateor, iudicandas esse a sacerdotibus: sed nequaquam uni papae defert iudicium. Alioqui graviter peccasset quum ad cognoscendam maximam causam, aquileiensi concilio non interfuit modo, sed etiam praesedit. Invehatur Frenesius in Ambrosium, quod [pag. 51] concilium quum vocandum ab imperatore procurasset, habere ausus est, et quidem absente romano episcopo, illicque [1]) de Christi divinitate, quid sentiendum foret, statuere. Ubi tunc erant humana iura, quibus gloriatur Frenesius, quum in Italia synodus universalis de summa religionis tractaret, vocato quidem romano episcopo, sed nemine eius loco comparente? Quid quum a Melchiade romano etiam episcopo devoluta est causa maximi momenti ad episcopum arelatensem? Litigabat Donatus a Casis nigris cum Caeciliano. Non erat civile negotium, sed causa ecclesiastica, et quae non leve caput christianae doctrinae continebat, nempe de ecclesiae unitate et communione sanctorum. Constantinus Magnus Melchiadem primo iudicem

1) illicque *om. princeps.*

legantur, quae maxime et pietatem laedunt, et omnem legum ordinem confundunt. (8) *Nam quod laicos de rebus spiritualibus iudicare vis posse: neque laicos modo, sed nullo discrimine laicos,* (9) *et damnatarum haeresium assertores:* (10) *quod de bonis ecclesiasticis, et de eorum futuris controversiis statuis, quod eos* (11) *qui extra ecclesiam sunt, et per edictum tuum pridem damnati, honoribus pristinis in iudiciis ac tribunalibus restituis, atque hoc* [pag. 11] *pro tua et imperatoria potestate facis,* (12) *minime approbantibus caeteris, qui antiqua et sancta obedientia perseverant.* (13) *Quid tandem horum cum divinis institutionibus ac legibus, quibus perpetuo ecclesia est gubernata, convenit? Quae omnem potius disciplinam, omnem ordinem, sine quo nullus hominum coetus regi potest, ab ecclesia prorsus tollunt. Haec vero quo magis ab omni recta disciplina et consuetudine maiorum sunt aliena, eo minus nobis persuadere possumus, e tuo ipsius sensu illa unquam emanare potuisse, sed eandem pietatem animo tuo suppressam quidem ad tempus malorum consiliis, qui huic sanctae sedi sunt rebelles, putamus: qui si a te impetrare non potuerunt, ut quae contra eam volebant facere, probares, saltem ut eiusmodi edictis aliquam abalienati animi tui* [pag. 12] *significationem dares, abs te contendisse facile possumus existimare: impetrare vero tanto magis debemus, quanto id tibi et ecclesiae, nisi cito ad te ipsum redeas, maiori damno et detrimento fore, nobis maxime est persuasum: quod non possumus non indies magis magisque timere, quo attentius consideramus, quibuscum amicitiam inieris. Si enim, ut inquit apostolus, corrumpunt bonos mores colloquia mala, quanto gravius,* (14) *si quis cum malis coniuncta consilia et foedera habeat, hoc de eo timendum erit. Quanquam quidem non dubitamus, sub spe pietatis, utilitatis,*

tulerat: quum ille pronunciasset, provocante Donato, cognitio ad arelatensem episcopum delata fuit, ut testis est Augustinus. Cur non clamitabat Melchiades, omnia perperam confundi, quod sibi eriperetur summa iudicandi potestas? Restat ergo ut hoc persuadeat Frenesius iis, qui sine difficultate pro oraculo recipiunt, Cepham esse caput.

8) Quasi vero pro libidine cuiusque statui voluerit imperator, ac non potius legitima ultro citroque [pag. 52] habita disceptatione, ex sacrosancto Dei verbo sumi definitionem. Quasi etiam laicis mandarit istas partes, ut definiant ipsi, ac non potius ut sciscant, quod ex Dei verbo constiterit. Hoc si novum est Frenesio, valde est omnis antiquitatis imperitus.

9) Nempe si huic Frenesii iudicio stetur, ne concilio quidem opus fuerit. Res enim iam expedita hoc modo erit, si indicta causa iam censeantur damnatarum haeresium assertores, qui se ad reddendam doctrinae suae rationem offerunt. Neque vero imprudenter agit sanctissimus pater. Quid enim optabilius, quam hostes suos voce una iugulare? Sed hoc est incommodi, quod qui tam atrociter hic damnantur, praeclare et strenue ab hac calumnia se purgant; papam vero ipsum interim non modo impietatis ac scelerum omnium reum peragunt, sed antichristum esse convincunt, impiorum omnium caput.

10) Quid, an non spiritus sancti elogio praedicatur sanctus rex Iosias,[1]) quod quum oblationes ingurgitari videret a sacerdotibus, scribam suum exigendis rationibus praefecerit? Quid ergo piaculi erit, si hodie eius exemplo christiani principes, dum a papae gurgitibus ecclesiae opes vorari, et per summam nequitiam turpiter dissipari [pag. 53] vident, ad vindicandum hoc sacrilegium manus admoveant? Hoc primum quaeritur, in quem usum destinata sint ecclesiae bona: deinde, quorum sit dispensatio: tertio, si vitium sit in ordinaria dispensatione, quod severa correctione opus habeat, a quibus adhibendum sit remedium. De hoc postremo cogniturum se imperator de ordinum sententia promisit. Nunc iudicare promptum est, quam tumultuandi causam habeat Frenesius.

11) Subaudiendum est epitheton: sunt enim Protestantes extra ecclesiam, sed papalem. Damnati, sed causa incognita. Si autem verum est esse veram ecclesiae unitatem, ubi est sincera Christi veritas, ubi integer et doctrinae et animorum in Christo consensus cum omnibus piis: ab ecclesia certe alieni non sunt Protestantes.

12) Imo quis vel princeps, vel privatus, si modo scintillam christiani zeli habeat, non cupiat quam primum rebus ita misere collapsis succurri? Quis autem non intelligat, frustra a papa exspectari quidquam opis? Suam ergo impietatem prodat oportet, qui tam necessarium remedium a Caesare quaesitum esse aegre ferat. Sed bene habet, quod se de conductis quibusdam mancipiis loqui continuo post declarat.

[pag. 54] 13) Ego vero scire velim, quid tandem istorum pugnet cum Christi institutis, et recto ecclesiae ordine. Audio quidem hoc dici, sed a quo? Si diabolus pater est mendacii, quis eius vicario fidem habebit?

14) Miram vero metamorphosin. Tam enim religiosus coepit[2]) esse papa, ut datam Protestantibus pacem esse quum audit, totus horreat. Sed

---

1) *Sic scripsit editio princeps, quam sequuntur Gallasius et versio gallica, et quidem bene, quum autor historiam 2 Regg.* 22, 3 *seqq. respiciat. Beza correxit:* Ioas, *aliud factum respiciens quod narratur 2 Regg.* 12, 4 *ss. et sic habent edd. recc.*
2) *Princeps habet:* cupit.

honoris ad haec eos te sollicitasse: sed nullum prorsus est tam malum consilium, quod non specioso aliquo eiusmodi nomine quasi veste pretiosa se ornet. Tu vero, fili, interroga potius patrem tuum, et annunciabit tibi: maiores [pag. 13] *tuos, et dicent tibi. Si enim omnes una voce te ad unitatem ecclesiae atque honorem et obedientiam huius sanctae sedis hortantur, atque iam pridem factis ipsis sunt hortati, si vero sanctissimum quemque et in divinis legibus peritissimum consules, gravissimas in eos divinae irae vindictas proferent, qui quacunque de causa, quacunque pietatis specie adducti,* (15) *summi sacerdotis munera sibi sumere voluerunt: est vero ea maxima, quam rebelles adducere solent, quum principes, ut eius cathedram ascendant, atque ut ius et autoritatem cognoscendi causas religionis et iudicandi sibi assumant, hortantur.* (16) *Sacerdotum enim negligentia pro stimulo ad impellendum eos utuntur, ut ecclesiae curam in componendis religionis controversiis et in ordinandis ecclesiae rebus in se suscipiant. Quis enim* [pag. 14] *hoc factum non dignum summa laude iudicet? Nemo quidem, si factum tantum respiciatur. Sed ut in domo bene instituta, in qua divisa officia et munera non licet unicuique pro suo arbitratu omnia exercere, etiam si singula in suo genere sint praeclara: quod qui tentant, quamvis bono id animo faciant, a patre tamen familias merito reprehenduntur, quippe qui suo intempestivo zelo, quod pulcherrimum est in domo,* (17) *nempe ipsum ordinem, sine quo nulla domus diutius stare potest, quantum quidem in ipsis est tollunt, et prudentiae eius qui illum instituit summam iniuriam faciunt:* (18) *sic prorsus in ecclesia Christi, quae est domus Dei, in qua omnia munera sunt dispertita, et singula singulis ita distributa, ut inferiores superiorum officiis non fungantur, eo minus licet ordinem perturbare,* [pag. 15] *quo maiore prudentia est ordinata ecclesia, quam de ulla domo cogitari possit. Estque ea semper gravissima in Dei prudentiam ac sapientiam iniuria. At non omnes hoc vident, sed nec te etiam satis adhuc videre arbitramur, Caesar, quantum iniuriae inferas divinae providentiae, in hac domo Dei, in qua supremum munus sacerdotibus est commendatum, quum horum tibi partes et honorem sumis.* (19) *Nec*

mirum est ex adverso eum secure pacisci cum meretricibus, nec contaminationem ex lenocinii pretio horrere, annua pensione decidere cum Iudaeis, ut impune non modo christianam religionem despiciant, sed foenerando palam latrocinentur: denique nec Turcas aversari. Sed in eo potissimum elucet eius sanctimonia, quod cum apostolo Paulo timet, ne bonos mores colloquia prava corrumpant. Quid tibi cum hac sancti apostoli voce, sceleste apostata, imo omnis apostasiae princeps? Qui quum dies in machinandis proditionibus, in fraudibus excudendis, in bellis conflandis, in excogitandis novis rapinarum generibus, in moliendo innocentium exitio, in destruenda ecclesia, in dissipanda religione cum nequissimis consultoribus tuis consumas, reliquum tempus vel cum Epicureis suaviter te oblectas, vel in medio scortorum grege [pag. 55] te volutas instar porci, nec aliud audis vel loqueris, quam quod vel exsecrandam impietatem spiret, vel sua obscoenitate incitet istam tuam effoetam libidinem, quae tamen nondum prurire desinit.

15) Arrigamus aures, neque enim videtur iam de nihilo conqueri. Fateor sane, tanti esse ecclesiae ordinem coram Deo, ut qui involat in alienum munus, non evadat suae temeritatis poenam.

16) Si qua ratio foret conservandae eius tyrannidis, pro qua nunc decertat Frenesius, haec in primis firma est prae aliis, et valida, ne quis corrigendis sacerdotum vitiis se interponere audeat. Ergo si Frenesio concedimus, esse hanc illicitam usurpationem, esse grande sacrilegium, quum principes, torpente papa, toto clero oscitante, pereunti ecclesiae subvenire conantur, actum est. Quid ergo habet Caesar, quo tantum crimen diluat? Primum, tametsi non est cuiuslibet, se ad repurganda ecclesiae mala ingerere, et restituendum eius statum, quo tamen iure christianis principibus hoc negabitur? Excipit Frenesius, quia sic agendo cathedram sacerdotalem invadunt. At sanctis patribus semper aliter visum est, quibus nihil fuit antiquius, quam ut principum autoritate in ordinem redigerentur [pag. 56] mali et improbi sacerdotes, indigni autem honoris gradu abdicarentur. In hoc itaque hallucinatur Frenesius, quia inter ista duo quantum intersit, non videt, cathedram occupare, et rite collocare iustos sessores, qui sedem ratione iureque gubernent.

17) Hoc concedunt omnes, non perturbandum esse in ecclesia ordinem. Tota igitur quaestio in ordinis definitione posita est. Requirit ordo, ut sint distinctae functiones, et hoc concedimus: verum coniunctioni distinctio non repugnat. Nec quidquam obstat, quo minus qui diversis officiis praesunt, communibus tamen studiis multa simul procurent, quo minus volvant coniuncti munum lapidem, denique quo minus alter, pro necessitate praesenti, in alterius vicem quandoque subeat.

18) Det ergo nobis Frenesius ordinatum ex Christi voluntate ecclesiae statum: et libenter dabimus, qui minimo digito attingere eum ausit, ut convellat, impia audacia id tentare. Sed quum procul absit barbara ista, vel potius beluina papatus confusio a sancta Christi regula, facessat hinc providentiae divinae titulus, cui gravis irrogatur iniuria, quum ad fucandam a Christi regno prorsus tam alienam tyrannidem perperam et impudenter obtenditur.

19) Punitus est Osas, quod manum arcae Dei

vero vidit Ozas, quum honoris causa arcam Dei curru boum vectam prosequens, illis calcitrantibus, manu admota, dum ruinam timet, sustentare voluit. Quis vero hominum hoc factum improbare ausus esset? Vel quis non potius illud summopere laudaret quod sacerdotibus absentibus in praesenti periculo ruinae ipsius arcae, quam bos lasciviens (ut inquit scriptura) iam inclinaverat, manum ut eam sustineret [pag. 16] *admoverit. Nemo quidem hoc non ut pie factum laudasset, nisi severitate vindictae minime id sibi gratum fuisse Deus ostendisset, cuius quidem ultio Ozam statim e vita sustulit, nullam aliam ob causam (scriptura testante) nisi quia temere quod ad sacerdotum et Levitarum officium pertinebat supplere ipse ausus esset. Tantum vero peccatum in hoc facto fuisse, quis unquam cogitasset? Sed ex hoc exemplo Deus nos admonere voluit, ne in eundem divinae irae laqueum incidamus. De quo nunc, fili, te admonere voluimus, ne fallacibus illorum persuasionibus adductus, qui in ore semper habent reformationem ecclesiae, in tanto non boum, sed sacerdotum quasi lascivientium coetu, quorum illa humeris sustentatur, tu manus temere admoveas. Est enim hoc sacerdotum Dei munus atque officium.* [pag. 17] (20) *In eundem vero laqueum inciderunt Dathan et Abyron atque Core, qui aegre ferentes in sancto populo, unum pro caeteris dignitate summi sacerdotii fulgere, se tam Moysi quam Aaroni opposuere, quum dicerent: Sufficit vobis quod omnis multitudo sanctorum est, et in ipsis est Dominus, quid elevamini super populum? Licet vero haec verba contra ambos dicta videantur, tamen Moyse interprete didicimus, omnis eorum indignationis causam, summum sacerdotium Aaronis fuisse. Non enim ubi omnis multitudo est sancta, virum aliquem eminere dignitate aequum esse censebant. Quam vero graviter haec res displicuerit Deo, insigne in eos divini iudicii et severitatis exemplum ostendit, quos terra dehiscens una cum universa supellectili et omnibus* [pag. 18] *bonis vivos absorpsit. Haec vero vetera nunc recito, quia (ut inquit apostolus) in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt, ut discant omnes,* (21) *si in sacerdotio quod deserviebat tabernaculo et umbrae, quodque una cum tabernaculo abolendum divina providentia statuerat, tantam curam Deus ostenderit, ut ne minimam quidem in ea mutationem ab humano ingenio inultam permiserit, quanto maior reverentia tribuenda sit illis sacerdotibus, qui non amplius serviunt typo et umbrae abolendis, sed ipsi vero tabernaculo quod nunquam transferetur? quantove minus de mutatione, vel minimae ordinationis quae ad eos pertinet, cogitare debeant? Quanto denique gravius, et magis intolerabili superbia putabimus* [pag. 19] *eos in divinam providentiam peccare, qui vel hanc confundere vel ad se transferre postulant, vel alio modo de illa statuere volunt,* (22) *quam longa ecclesiae consuetudo, fundata in testimoniis scripturarum, permittit et declarat? Quocunque vero modo,*

admovere ausus fuerit, bono quidem, sed inconsiderato zelo, nempe quum partes sacerdotum arriperet, praesto illi astantibus, et ad officium paratis. Ubi nunc ex toto papali clero sacerdos unus est, qui arcae Domini sustinendae sit intentus? Punitus est Osas, quod et praeter suam vocationem et adversus claram Dei prohibitionem ad tactum arcae perruperit. Ubi Dei interdictum? ubi finita vocationis ratio, quae imperatorem ab omni ecclesiae cura arceat? Atqui reges omnes vocat Isaias ad eam suscipiendam. Punitus est Osas, quod ante tempus importuno fervore se ad sustinendam arcam ingesserit. At quam dissimilis erit causa, si arcam Domini humi proiectam, demersam in luto, impiorum probris expositam erigere conetur David, et sacerdotes ad eam in sua sede collocandam edicto suo vocet? Tu vero monstrum qualiter denunciare aliis audes, ut manus removeant ab arca, qui eam impuro tuo rostro prostratam pedibus ignominiose conculcas? Licebitne tibi arcam Domini sordibus implere, profanare cum summa contumelia, prostituere ad quodvis Satanae ludibrium, lacerare in frusta, eius [pag. 58] sanctitati insultare: et principibus simul ac universo christiano populo ad eam repurgandam, coaptandam, reparandam accedere nefas erit?

20) Quid non audeat hic phreneticus, quem Moysi et Aaroni se conferre nihil pudet? Dathan, inquit, et Chore et Abyron, quod adversus Domini sacerdotes murmurassent, horrendo exemplo perierunt. Sed quid tu simile cum Moyse habes? Tune Domini sacerdos, o sacrorum omnium profligator? Non modo tumultuatus est Iehu in sacerdotes Baal, sed armata manu eos persequutus, omnes in templo idoli sui occidit. Praeclarum facinus, et quod Dei testimonio commendatur. Voce tantum Moysen vulnerant Dathan, Chore et Abyron, et eos terra vivos absorbet. Tu igitur alius sis, ut sacerdotii iure et honore, a te violando principes deterreas.

21) Umbrae serviebat Aaronis sacerdotium, sed continebat non inanem veritatis figuram, et sacrosancta erat Dei autoritate fundatum. Quid autem praeter larvam nobis ostentat Papa? Quo fundamento suffulta est eius tyrannis? Quo denique autore a summo usque ad minimum ad sacrilegam suam functionem, magico potius quam christiano ritu, initiantur? Etiam si crepare [pag. 59] debeant, nulla scripturae syllaba unquam hoc, quo superbiunt, sacerdotii genus approbabunt.

22) Perversa quidem consuetudo nihil aliud est, quam erroris vetustas. Sed quis pro ecclesiae consuetudine hoc recipiat, ut qui praesulum nomen habent, qualescunque sint, quidquid agant, etiam si nihil minus sint quam quod vocantur, pro libidine

quacunque specie pietatis proposita haec tententur, radicem quidem mali, superbiam, Deo semper odiosam esse non est dubium. (23) *Id quod maxime declarat Oziae regis exemplum, in quo simul et radicem huius mali, et gravem illius vindictam scriptura nobis exprimit. Hic autem rex alias laudatissimus, idque testimonio scripturae, in hoc tantum superbiae arguitur, quod incensum ad altare thymiamatis adolere voluerit. Quis vero hanc voluntatem non piam potius, quam superbam iudicasset? Sed spiritus Dei in scriptura, quum ad huius facti* [pag. 20] *narrationem pervenit, elevatum (inquit) est cor Oziae. In quo vero elevatum? nempe quod alieno ministerio fungi voluit, de quo postquam a sacerdotibus admonitus, nec illis paruisset, statim a Deo lepra est percussus. Haec vero nunc, carissime fili, recensemus, ut intelligas, si superbum fuit Oziae factum, in adolendo incenso, super altare thymiamatis, quanto superbius esse hoc tantum adolere incensum super altare corporis Christi, caeteraque quae religionem ipsam comitantur, persequi? Quid autem? an non putas hoc incensum esse coram Deo, leges de religione sancire? Est quidem incensum, idque omnium Deo gratissimum (nullum enim odorem tibi persuade Deum gratius suscipere), sed non est tuum munus illud, Imperator, est sacerdotum Domini,* (24) *est nostrum in primis, quibus* [pag. 21] *Deus potestatem ligandi et solvendi dedit. Vide vero, in quam tum partem templi intras, quum hodie tibi ministerium sumis: non quidem in atrium aut in sancta, ut Ozias, non enim tantum sanctum est hoc factum, sed sanctissimum. Quum ergo prudentia tua huc tu penetras, in domum Domini tu penetras, et in sancta sanctorum, atque ipsum corpus Christi penetras, eius officium tibi arrogans: nec te excusat quod sanctum sit factum, vel quod non perpetuas, sed ad tempus, hoc est, usque ad futurum concilium duraturas leges laturum te esse dicas. Ut enim id per se pium sit, tamen in eo, cui Deus hoc ministerium non dedit, maxime est impium.* (25) *Sumis enim tibi iam personam, quae propria est Dei, cui solum de sacerdotibus iudicium relinquitur, quam ne ad tempus*

grassentur ad devorandum Christi gregem: et se nemo eorum latrocinio opponere audeat? In qua, obsecro, Barbaria valeret haec consuetudo, ut solo titulo protecti latrones, impune perderent, mactarent, vastarent, dissiparent omnia: quod si quis mussitaret de cohibenda ipsorum truculentia, sacra profanis misceri clamitarent?

23) Ubi liquido constiterint haec tria: non necessitate, sed superbia Caesarem reformationem ecclesiae suscepisse: deinde hanc ita commendatam esse sacerdotibus, ut ab ea prohibeantur, quicunque unctas manus non habent, sicut ab adolendo thymiamate: postremo sacerdotium papale instar levitici a Deo habere originem, praesenti causae forsan conveniet Uziae exemplum. Rursus si nihil istorum constat, quin potius si evincere promptum est, necessario ad id cogi Caesarem, [pag. 60] nisi ad ecclesiae exitium sciens ac videns connivere velit: nec quidquam magis esse proprium eius personae, et sacerdotium papale non nisi sacrilegio et anathemate dedicatum esse, quid Uziae exemplum Frenesio suffragatur? Ostendat, inquam, convocandi concilii, et restituendae in verum statum ecclesiae, solis sacerdotibus, sicut adolendi thymiamatis, attributam esse potestatem, regibus autem vetitam. Atqui veritas palam reclamat. Ostendat Caesarem frustra insolescere, et rebus bene compositis, ambitione tantum et pravo novitatis studio lascivire. Ostendat ipsum deiecto legitimo sacerdote, altare sibi interdictum per vim occupare. Sed ubi sacerdos qui ad officium peragendum sit accinctus? Quibus cancellis circumscripta est pia haec sollicitudo, quam in se recipit Caesar, ut perrumpere non liceat? Quae temeritas aut libido in aggrediendo opere, a quo cessare, summa esset non tantum socordia, sed etiam perfidia? Quanquam operae pretium est expendere, quam argutus sit ratiocinator Frenesii scriba. Sacrificium est, inquit, leges de religione sancire, et quidem Deo gratissimum. Ergo a Caesaris persona hoc abhorret. Hoc vero est non argumentari, sed porcorum more omnia turbare. [pag. 61] Quid enim erogare eleemosynas? Quid impendere se publicis commodis? Quid populos in puro Dei cultu continere? Quid denique se ipsum dedicare Deo? Non sunt haec etiam sacrificia, non suavis gratique odoris? Et tamen piorum omnium communia sunt. Quid praeterea blateras, placere Deo, ut leges de religione sanciantur, quod a diabolica audacia proficisci scriptura clamat? Nam et Caesaris et omnium mortalium est, unum audire legislatorem, quod ad spirituale animae regimen spectat, et quascunque ille sciverit leges, ratas sine exceptione habere.

24) Non contentus communi sacerdotum praerogativa, singulare fastigium conscendit. Nostrum, inquit, in primis. Quo autem iure? Quia data nobis est ligandi et solvendi potestas. Quid aliis? Omnibus enim simul apostolis dictum est: Quodcunque ligaveritis. Quod omnibus Christus communicat, tu praedatoria violentia tibi rapies? Tu ecclesiam nudabis, ut eius te spoliis vestias?

25) Eximium sane privilegium, ut impune ruant in omne scelerum genus sacerdotes, et soli Deo iudicium relinquatur. Quod si ita est, quorsum illa vetus disciplina cleri, quae in chartis [pag. 62] nunc exstat, olim in ecclesia locum habuit? Nam si iudicium sibi in sacerdotes sumunt episcopi, gigantum more Deum a sede sua disturbare moliuntur. At episcopis est permissum. Quid, si Deus sibi hoc asseruit soli, tu ad sacerdotes trans-

quidem cuiquam [pag. 22] *sumere licet. Dei enim vox est ad malos sacerdotes: Ego ipse (inquit) super pastores requiram gregem meum de manu illorum: quod ut suo tempore penitus facturus est Deus, ita si quis interim* (26) *quasi de manu eius praeripere hoc tentaverit, is semper pro tali ausu gravissimas poenas dedit. Veluti contra nullo unquam saeculo intermisit certis quibusdam signis testari, illos maioribus gratiis tum interius, tum exterius, et omni genere bonorum dignos esse, qui augendo et ornando sacerdotum genus, ecclesiae suae unitatem ac principem sedem auxilio et gratia foverunt,* (27) *ut in Constantino Magno, in Theodosiis, in Carolo Magno accidisse videmus, quibus nulli unquam christiani imperatores vel divinis gratiis, vel victoriis illustriores fuere. Contra vero Deus, eos qui sacerdotibus* [pag. 23] *restitere, non solum passus est in omne genus turpitudinis labi: sed saepe et insignibus quibusdam poenis in testimonium divinae irae suae castigavit. Nec vero nunc de illis loquimur, qui ecclesiam nascentem adhuc exstinguere sunt conati, Neronibus, Domitianis, et eiusdem generis reliquis: sed de iis qui illam persequuti sunt, iam adulta aetate, incipientem in principes autoritatem sui muneris exercere, postquam constituta iam et confirmata est Petri sedes in oculis omnium principum. Qui vero huius autoritati restitere, a Deo sic castigatos constat, ut manifeste appareat, quam grata sit ac semper fuerit Deo huius sedis obedientia, contra autem quam ingrata et odiosa in eandem inobedientia.* (28) *In primis eum ex imperatoribus, qui in apertam defectionem et contemptum* [pag. 24] *huius sanctae sedis erupit, legimus fuisse Anastasium primum, quem a Gelasio pontifice romano admonitum, ne Acatii episcopi constantinopolitani a sede apostolica damnati partes foveret, quum nec monitis eius paruisset, et Hermasdae*[1]) *eiusdem successoris legatos, ad eum ea de causa missos, ut a communione cum haereticis desisteret, contemptim primum auditos contumeliosius dimisisset, divina tandem ira fulmine e vita sustulit.*

ferendo nonne illos facis deos? Hic quoque acumen est mirabile: Requiram super pastores ego ipse, inquit Dominus. Ergo propria est Dei haec cognitio, quam ne ad tempus quidem sumere cuiquam licet. Quid? non requiret etiam ipse Dominus sanguinem innoxium de manu homicidarum? Non furta, non rapinas, non iniurias quaslibet requiret? Non requiret ab impiis, quidquid malorum perpetraverint? Ergo secundum cubicularem hanc Frenesii dialecticam tollantur e medio iudicia, facessant scelerum poenae. Soli enim Deo relinquendum est iudicium. Solius certe Dei iudicium est, non in sacerdotes modo, sed etiam infimos quosque. Sed cur dii vocantur principes, nisi quia mandatum est illis iudicium?

26) Quis Frenesio hoc angelus vel potius daemon revelavit? Variis enim ex causis quum proveniant Dei iudicia, quis certam causam ex proprio capite definiet? Solomon certe negat, humano sensu discerni posse, quem amore vel odio [pag. 63] prosequatur Deus, quia eadem accidant bonis et malis. Ex Dei verbo igitur definiendum erat, sed probe meminit Frenesius, cuius personam sustineat. Sic enim ante cum Christo egit diabolus, cui servit: Haec omnia tibi dabo, si prostratus adoraveris me. Sic etiam antesessores[2]) eius: Quum serviebamus reginae coeli, affluebamus bonis omnibus. Sed iam audiamus, quae ob sedis suae cultum repensa praemia, et quas ob contemptum poenas irrogatas referat.

27) Constantinum Magnum adducit, ut fictitiae, quam iactat, donationis fidem nobis faciat. Adeo nihil eum pudet, ut nugas quae iam pueris sunt ludibrio, imperatori pro certis oraculis obtrudere non dubitet. Olim quidem magno supercilio de hoc figmento garriebant stulti canonistae, sed iam talibus ineptiis desiit esse locus. Qua porro causa tam fidelem sedis suae cultorem facit Theodosium? qui quum Ambrosio singularem reverentiam detulerit, quod[3]) unquam in pretio habuerit sedem romanam aut eius sessores, nusquam legitur. Mirum certe, quod non et Traianum addiderit. Caroli Magni victorias huic uni vel superstitioni, vel astuto consilio acceptas referre, quod sedem illam abominationis extulerit, quem omnino colorem habet? Perinde [pag. 64] facit, dum ex tot heroicis et memorandis Caroli virtutibus vitium hoc decerpit, quod laudet, atque ii qui in auro non nisi scoriam legunt.

28) Quis non fustibus magis et lapidibus, quam verbis compescendum hunc impuri canis latratum dicat? quod Dei vindictam Iustiniano inflictam non manifestae eius impietati, quam in sustinenda eutychiana haeresi prodidit, sed ad unam contumaciam transferat, qua sedis romanae maiestatem imminuerit? En palam Anastasius fidem orthodoxam impugnat. Exsecrabilis in Christum blasphemiae fautorem se et vindicem profitetur. Piam et salutarem de incarnationis mysterio doctrinam labefactat, quantum potest. Ecclesiam universam turbat, ac dissipat perniciosis dissidiis, fulmine tandem ictus misere perit. Nullam eiusmodi interitus aliam causam fuisse pronunciat Frenesius, quam quod Hormisdae et Gelasio rebellis fuit. Quis autem credet?

---

1) *Sic libri nostri fere omnes, non* Hormisdae.

2) *Sic princeps et Gallasius. Beza et seqq.* antecessores (*Gallus:* predecesseurs). *Haec posterior lectio magis quadrat cum loco quem laudat ex Ieremia* (44, 17).

3) *Princeps sola male legit:* qui.

Sequuntur huius impietatis successores, sed per intervalla, multi alii imperatores, (29) *quales fuere Mauritius,* (30) *Constans secundus Iustiniani Constantini Pogonati filius, Philippus, Leo. Sed hos numerare longum esset, qui diverso quidem genere mortis, sed omnes aut violento, aut ignominioso spoliati antea imperio et omni dignitate perierunt, ut manifeste appareat* [pag. 25] *in eis ultrix inobedientiae vindicta divina.* (31) *Quae series usque ad Henricum illum perduci posset, qui quum gravissime sedem apostolicam vexasset, tandem eum a suo filio captum Leodii ultio divina in carcere mori fecit: iustissimam quidem inobedientiae poenam ab ipso repetens, ut a filio castigaretur, qui eum, quem patris loco divina ei providentia in ecclesia constituerat, tot modis vexaverat, eiusque autoritatem neglexerat.* (32) *Id quod et de Friderico secundo dici potest, nisi quod infeliciori mortis genere est sublatus, qui filio suo ipso carnificis munere fungente, strangulatus interiit. Tametsi Deus non semper hoc modo rebelles castigare soleat, quandoquidem nonnullos sic desideriis suis frui permittat, ut, quod ad externam castigationem attinet, impune peccare, et in magna* [pag. 26] *rerum omnium affluentia quasi felices vivere videantur. Id ea ratione factum a divina providentia sancti patres pie existimarunt, ne si omnes hic impii castigarentur, nullum aliud tribunal divinae iustitiae reliquum esse homines iudicarent. Quosdam ergo hic in aliorum exemplum Deus, ut iustus agnoscatur, aperte castigat: quosdam vero dum hic castigare dissimulat, ad tribunal suum futurum severius iudicandos reservat. Nullum vero peccatum impunitum dimittit divina iustitia. Ea autem omnium est gravissima castigatio, quum ii qui Deum gravissime offendunt, impune id se facere existimant. Omnes enim tales caecitate mentis sunt percussi,*

29) Mauritius iam senex, quum annis viginti imperium administrasset, a Phoca milite suo per insidias et summam perfidiam sublatus fuit. Hanc fuisse contemptae sedis romanae poenam interpretatur Frenesius, quasi Dei consilio tunc interfuerit. Utinam quidem se non immiscuisset [pag. 65] placidus alioqui et quietus princeps pravis episcoporum factionibus, aut reprimere Ioannis ambitionem, quam fovere maluisset. Verum quid tunc petebat Gregorius, quam ne permitteret Mauritius, unum aliquem censeri universalem episcopum, quia esset hic titulus, ut loquitur, nefarius, scelestus, profanus, abominabilis, et Antichristi praenuntius? Sed ut hoc quoque omittam, quaenam ista est Frenesii aequitas principem scelerate occisum damnare, quia sedi romanae se obsequentem non praebuerit, et laudibus vehere parricidam, qui in dominum optime de se meritum gladium strinxerit, qui ad imperium per talem perfidiam, ac tantum nefas pervenerit, quia ad ornandum romanum idolum, et evehendam eius potentiam fuerit propensior? Quanquam quid aliud spectabat Phocas omnia romanae sedi largiendo, nisi ut hac quasi nefaria pactione romanae urbis favorem emeret, quod se Graecis sciebat esse suo merito infestum?

30) Mirum est, in tam pingui mercede non esse Frenesio doctiores scribas. Quanta enim historiarum inscitia est, primum in nominibus turpiter labi, et ex Iustiniano facere Constantem: deinde, quum omnes fere graeci imperatores in [pag. 66] eadem fuerint causa, pauculos hic nominare? Nisi hoc forsan arte faciat, quia poenam, quae pro terriculamento esset, invenire in aliis non poterat.

31) Henrichi vitia, quibus laboravit, hic excusare nihil attinet. Quae autem fuerint contentionum inter ipsum et Hildebrandum semina si quis quaerat, et qualiter depugnatae fuerint, reperiet profecto, Hildebrandum hominem vafri et malitiosi ingenii, ad haec inexplebili ambitione ardentem, instructum vero et gladiatoria confidentia et extrema crudelitate, quum Henrichum videret luxuria diffluere libidinibus deditum, praeterea insolenter ferocire, statim quasi oblata occasione, ad dissipandum imperium animum applicuisse. Quibus porro machinis Henrichum aggressus est, quibus deinde armis usque ad finem usus est ad ipsum opprimendum? Quum sacramento solvisset principes germanos, hoc est, peierandi licentiam illis dedisset, alios adegisset falsis terroribus, alios minis perpulisset, alios corrupisset blanditiis, Bavarum traxisset ad spem imperii, obtinuit ut subito tota Germania bello intestino, tanquam uno incendio, conflagraret. Quum suppliciter ad eum venisset Henrichus, ac prostratus ad eius pedes iaceret, [pag. 67] superbissime eum contempsit. Nec ante statuit suae tam impotenti et intolerandae superbiae modum, quam sibi imperatorem subiugavit una cum imperio. Nam parum videbatur, si Caesarem tanquam dedititium haberet, nisi diruto imperio solus dominaretur. Et audet hic Frenesius eius historiae facere mentionem, quae luculentum testimonium reddit, vel potius illustre documentum est, nulla unquam vel ex ipsis inferis tam tetra monstra exstitisse, quorum foeditas romanae sedis flagitiis non obruatur.

32) Cur non et Fridericum Primum recensuit in hoc numero? Imo, cur non longum catalogum imperatorum contexuit? Nam quo quisque Caesarum placidius se gessit, ita eo petulantius eius mansuetudine abusi sunt romani antichristi, pudendis adversus eos ludibriis non abstinentes. Si qui autem paulo animosiores eorum ferociae restiterunt, senserunt, quid esset furiosas beluas provocasse. Quum plus quam effraeni libidine, quum plus quam tyrannica saevitia, quum importuno furore ultro, non provocatos, insultasse ut plurimum Caesaribus constet tuos antecessores, phrenetice: si quid illo-

et in passiones, ignominias ac in reprobum sensum traditi, quae ceu propria impiorum flagella apostolus numerat. Quum autem haec omnibus [pag. 27] *impiis sint communia, tum vero maxime illorum propria, qui suam impietatem* (33) *in oppugnanda principe sede, et in ecclesiae unitate scindenda exercuere. Hoc quidem in quibusdam animadvertimus, qui quo pluribus (dum sanctam erga illam obedientiam servarunt) virtutibus splendere sunt visi, eo magis post impiam ab eo defectionem in prodigiosas animi passiones avaritiae, libidinis et crudelitatis fuerunt traditi: id quod Anastasio X. de quo supra mentionem fecimus, evenisse historiae narrant. Similibus vero exemplis in hac nostra aetate utinam quidem careremus. Nec vero in singulos tantum homines haec ultio divina, castigans eorum inobedientiam erga hanc principem sedem est pervagata, sed in nationes etiam et provincias, in quibus videmus, quum gravissime* [pag. 28] *omnium ii sunt castigati, qui Christum Dominum habere recusarent, proximum miseriae locum eos sortitos esse, qui vicarii Christi autoritati restitere. Duas vero nationes a Deo in primis castigatas atque afflictas videmus, quae olim florentissimae fuere. Quarum una pertinax in negando Christo permansit, altera aliquamdiu cum vicario eius prae caeteris omnibus contendit. Illa est Iudaeorum, qua nulla maiori miseria est oppressa:* (34) *haec vero Graecorum, quae proxime ad miseriam Iudaeorum accessit, quia proxime ad impietatem accesserat. Quare si Christus ipse in caeteris imperatoribus, regibus, populis et nationibus nunquam inultam tulit vicarii sui spretam autoritatem, ea interim perpetua successione conservata: si tum severis iudiciis eorum inobedientiam castigando* [pag. 29] *odiosos sibi semper fuisse huiusmodi conatus ostendit, quanto in te, Caesar, si (quod Deus avertat) hanc oppugnares, quum apud Deum, tum apud homines, hoc odiosius iudicaretur, qui ex illis imperatoribus originem ducis, qui non plus honoris sedi apostolicae detulerunt, quam ipsi ab ea receperint. At*

rum cuiquam acciderit calamitatis, statimne reum coram Deo perages, [pag. 68] quod se tam immanibus bestiis conculcandum non prostituerit? Itane, furcifer, Deum nequitiae vestrae ministrum simul et assertorem facies?

33) Fateor sane, diram imminere Dei ultionem omnibus, qui ad scindendam ecclesiae unitatem animum applicuerint. Quae autem maior unitatis dissipatio, quam dum adulterata doctrinae puritate, et everso in eam consensu, Christus quasi in partes discerpitur? Quis autem praeter unum te, o carnifex, huius dissipationis autor est atque antistes? Scio per te non stare, quominus praedicemus omnes unum in terris caput, unam romanam sedem matrem ac reginam: sed quis praeter te obstat, quominus omnes ex animo confiteamur Deum unum, et fidem unam, sicut unum est inter omnes baptisma? Principem vero sedem quid nominas, quae iam per annos plus quam octingentos vero episcopo vacua, mortuis primum simulacris locum praebuit, nunc ab impietatis principe, et crudelissimo animarum tyranno, a capitali Christi hoste, a praecipuo ecclesiae vastatore occupatur?

34) Quin Iudaei meritas contempti et oppugnati Christi poenas luant, minime dubium. Graecos videmus misera et acerba servitute [pag. 69] premi: causa obscura est, nisi ex verbo Dei petatur. Hoc inde accidisse divinat Frenesius, quod rebelles fuerint sanctae sedi. Ego, si coniicere licet, potius id factum interpretor, quia eo usque superbierunt, ut universae ecclesiae dominatum priores appeterent, quem nunc sibi usurpat papa, quod novitatis cupidiores, in varias sectas fuerunt distracti, quod prava ambitione, dum melius aliquid excudere volunt sacris Christi institutis, degenerarunt a sincera evangelii regula. Utra ex his duabus verisimilior coniectura est? Illa certe vitia, quibus ego causam imputo, Dei iudicio damnata esse constat. Quod si audiendi sint homines, dum causas ex cerebro proprio quaslibet comminiscuntur, non minus specioso colore Graecia, stante adhuc illic salva imperii maiestate et potentia, Romanis exprobrare poterat, poenam eos pendere suae rebellionis, quod sedi constantinopolitanae in primatus controversia restitissent. Etsi, quemadmodum superius retuli, non tunc ambiebat primatum romanus episcopus, quum agitari coepit contentio, sed ne inferior constantinopolitano foret, locum suum tuebatur. In summa, unum esse peccatum in mundo dignum ira Dei, dignum omnibus poenis, malorum [pag 70] denique omnium fontem, persuadere vult Frenesius, quod sibi non obsequantur omnes, quod non a suo nutu pendeant, quod non suum adorent numen loco Dei. Quis nisi mente abalienatus, persuaderi sibi sinat? Quod si ad fidem habendam paratos habeat omnes, primum ostendat, oportet, quid commeriti fuerint Hungari, quorum nihilo melior est, quam Graecorum conditio. Expone, inquam, nobis, phrenetice, quo suo delicto in eandem cum Graecis servitutem coniecti fuerint Hungari, quibus non aliter semper abusus es, atque vilissimis mancipiis, et qui perinde ac servi ergastulis inclusi, vincti compedibus, nullum tuum imperium recusarunt. Quam ergo pueriliter ineptis, dum quasi re confecta, superciliose pronuncias, nunquam sedis tuae impune spretam fuisse tyrannidem? At certum est, non leviter moveri Christum vicarii sui contemptu. Pergesne igitur, os putidum, ita Christo illudere? Primum, quis te ad hunc honorem evexit? Nemo enim, teste apostolo, sumere sibi honorem debet, nisi vocatus. Dictum est Petro: Pasce oves meas. Excipio, omnibus idem esse dictum. Veteres illi fumi,

neque haec, carissime fili, scribimus, quasi ullo modo nobis persuadere possimus, huiusmodi te consilia in animo rata et confirmata habere: sed ut amans pater salutis filii et honoris, ac de utroque sollicitus, simul atque edictum ipsius spirensis conventus vidimus, te admonendum duximus, eo quidem gravius quo magis exploratum periculum, in quo versaris, habemus. Denique si pluribus dissuasimus, ne in disceptationes super his, quae ad religionem pertinent, componendas, [pag. 30] *ius tibi vel autoritatem sumeres: non ob id scripsimus, quod disceptationes componi non maxime optaremus* (35) *qui (teste nostra conscientia) ut hoc rite fieret, vitam et sanguinem libenter effunderemus: sed ut exemplis quum ex divina scriptura, tum ex ecclesiasticis historiis citatis te admoneremus, ne, quod ad tuum ministerium non pertinet, ipse tibi arrogares, et pro tua et imperatoria dignitate iuberes: sed potius Constantini Magni servi Dei maximi ac felicissimi imperatoris exemplo te hortamur, quod tantum facimus, ut eos primum* (36) *suo iudici et suis iudicibus iudicandos et corrigendos relinquas. Ille vero, quum rogatus esset ab ipsis sacerdotibus, ut in eorum disceptationibus se iudicem praeberet, prorsus recusavit.* (37) *Cuius verba in hanc sententiam ab historiarum* [pag. 31] *scriptoribus, qui affuerunt, citantur: Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem vobis dedit de nobis quoque iudicandi, et*

quibus antehac perstringere solebas hominum oculos, pridem evanuerunt. Qua fronte tam superbum titulum [pag. 71] arrogare tibi audes, quem si quis angelorum sibi assereret, anathemate esset feriendus? Gregorio tuo, sicuti iactas, antecessori, scelestus, impius, sacrilegus, Satanae vicarius, praecursor antichristi fuit, qui se episcopum universalem faceret, sive romanus, sive alius quispiam. Elige nunc, utrum voles. Aut enim Gregorium damnes, [1]) oportet, tanquam sedi tuae blasphemum, aut tam gravem sententiam sustineas. Iam vero ut parcamus huic tam exsecrandae blasphemiae, ut, inquam, fingamus vanum esse, quod post apostolos et prophetas docet Cyprianus, unum esse in ecclesia Christi episcopatum, cuius partes in solidum singuli teneant, et hanc dignitatem ad unum quempiam hominum transferri sinamus, quo tamen iure, aut qua specie tibi, perdite et deplorate latro, conveniet? Tune Petri successor, qui nihilo plus similitudinis cum eo habes, quam Nero quisquam, aut Domitianus, aut Caligula? Nisi forte Heliogabalum mavis, qui sacerdotium novum imperio adiunxit. Omnes certe illi summi pontifices nomine erant, quod in superstitione eius temporis licebat: tu id nomen hodie usurpas in populo christiano contra ius et fas, contra inviolabile Christi placitum, contra omnia sanctorum patrum instituta. [pag. 72] Tu Christi vicarius, cuius omnes cogitationes, studia omnia et facta huc spectant, ut aboleatur Christus, modo nomen inane maneat, quo tanquam meretricio fuco abuteris? Tu Christi vicarius, quem iam pueri omnes noverunt certum esse antichristum? Qualem nobis Christum fabricabis, si velis eius imaginem in tyrannide tua agnosci? Videmus omnis impietatis antistitem, Satanae antesignanum, ferocem animarum tyrannum, saevum carnificem, quod ad vitam spectat, monstrum ex omnibus flagitiis conflatum: illum denique perditionis filium, quem nobis depingit apostolus, et Christi vicarium iudicabimus? Videmus, inquam, lupum, a quo devorantur Christi oves, videmus furem, a quo abiguntur, videmus praedonem, a quo mactantur, et hic nobis Christi vicarius erit?

35) Themistocles olim Iustitiae sacrum facturus exclamasse fertur: O dea, si qua usquam es! nos de conscientia papae non rogabimus, ubinam sit, dum eam testem citat? Excitare interdum ab inferis solent rhetores, quorum personam causae suae aptam iudicant. Sed ubique [2]) hoc in papa locum habet, cui neque coeli sunt neque inferi. Qui ergo hanc chimaeram manibus tenebit, ille Frenesium pro ecclesiae pace libenter sanguinem [pag. 73] profusurum credat. At si rem ipsam intuemur, quid sit alienum sanguinem fundere, novit Paulus, suo parcere didicit. Certe etiam si hactenus creditum fuisset, aliquam conscientiae particulam in papa adhuc manere, hoc tamen tam manifesto periurio apparet, quam omnem Dei timorem et hominum reverentiam abiecerit.

36) Aequa sane conditio, ut papae tradantur iudicandi Protestantes. Quidni? Ego enim, inquit, sum eorum iudex. Solusne? Adiutores sibi in concilium assumit venerandos fratres suos, quos etiam honoris parte aspergit. Tot lupis ut tradatur grex ovium? At qualescunque sint, ipsorum tamen est cognitio. Si olim Paulo dicere licuit de pariete dealbato: Nesciebam fratres, quod pontifex esset, quid nobis de atris istis vulturibus hodie dicendum erit? Sed ne longior sim, tantum hoc dico, sacerdotes Domini se esse ostendant, et iudicandi potestatem mox illis sine difficultate ulla concedam. Quales autem video, merito sciscitari possum, quisnam eos constituerit arbitros aut iudices.

37) Quo elogio principes et magistratus civiles ornat spiritus sanctus, sicuti quum ex loco ipso constat, tum etiam ex Christi interpretatione, illud Constantinus, homo non valde exercitatus [pag. 74] in scripturis, et si verum narrant historiae, tunc

1) *Princeps habet:* dabis.
2) *Locus hic corruptus videtur. Quod princeps praebet:* ubique, *sensum commodum non affert. Caeterae omnes emendant:* neque. (Cela n'a point de lieu au Pape.)

ideo nos a vobis recte iudicamur, vos autem non potestis ab hominibus iudicari: propter quod Dei solius inter vos exspectate iudicium, et vestra iurgia, quaecunque sint, ad illud divinum reserventur examen. Haec ille Magnus non tam imperio, quod erat maximum, quam pietate et caeteris virtutibus dixit: cui te, Caesar, in omnibus persimilem esse cupimus et optamus. Quod vero prae te fers studium et desiderium, ut componantur controversiae in religione, et ut aliqua disciplina morum in universa ecclesia renovetur, te in hoc quidem magnopere laudamus, et abs te petimus, ut in hoc operam tuam praebeas, et cui Deus curam huius ministerii commisit. Ut [pag. 32] *enim te tanquam caput in rebus huiusmodi tractandis minime ferendum censemus, ita tanquam brachii accommodatissimi tuam in primis opem desideramus. Hoc vero nostrum desiderium fecit,* (38) *ut ad minimam quamque spem cogendi concilii oecumenici non solum nos semper promptos praebuerimus, ad illud indicendum, sed ubi vel minima spei scintilla eluxerit, cogi posse, eo statim legatos miserimus: quemadmodum ultimo loco etiam fecimus, quanquam non cum eo fructu, quem assidue optamus: sed maluimus sane omnia tentare, quam vel minimae occasioni deesse, quam a divina bonitate semper exspectamus. Quum autem universalis ecclesiae utilitatis causa concilium fieri summopere cupimus, tum vero praecipue illius inclytae nationis germanicae, quae iampridem discordiis,* [pag. 33] *in his quae ad religionem pertinent, plurimum vexata dissidet, cuius saluti (ut tua etiam Maiestas fatetur) commodissime per generale concilium opitulari nos posse, semper speravimus.* (39) *Horum autem consiliis, qui iam ab hac sede sunt damnati, te usum esse (quod nunc conquerimur) non ob id quidem conquerimur, quod semper hos remotos a tua amicitia esse cupiamus, aut id quaeramus, quia semel damnati sint, ut semper damnati maneant. Testis enim nobis est Deus quam nihil magis in votis habeamus, quam ut oves perditas ad dominicum ovile reducamus, et ut illam nobilem provinciam universam in fide et religione* (40) *cum capite et reliquo corpore in omni amore atque amicitia coniunctam videamus, idque ob eas, quas diximus, causas. Sed tu nunc, dum ii in discordiis cum capite et reliquo* [pag. 34] *corpore manent (de iis qui tales sunt loquimur) dum extra ecclesiam sunt, per edictum etiam tuum damnati, eorum amicitiam pluris quam par est facis, dum indulgentius eos tractas: quum haec tua indulgentia et praeteritorum edictorum declarationes separatim a te factae, non solum hactenus illis non profuerint, ut ad saniorem mentem redirent, sed potius, quod re ipsa compertum est, occasionem dederint ut insolentiores sint facti, et ad occupanda vicinorum bona animosiores, dissidium certe ipsum magis hoc modo fovere, quam tollere videris. Sed haec quae ad meliorem formam, non iis quidem viis alienis ab omni more et consuetudine maiorum, atque ab ipso iure divino, sed per generale concilium optime perduci potuisse,*

adhuc catechumenus, errore ad sacerdotes transtulit. Frenesius Achillis clypeum se invenisse putat, dum inde patrocinium mutuatur. Nunc statuendum est, utri plus fidei sit habendum, Deone, an Constantino. De sensu illius sententiae loquor: Ego dixi, dii estis. Alioqui prudenter egisse Constantinum fateor, qui quum episcopos cerneret, fatali quadam rabie in mutuam lacerationem inflammatos Ario parcere, et deserere Christi causam, ut suae cupiditati morem gererent, probrosos eorum libellos consciderit. Caeterum quam procul a mente Frenesii abfuerit Constantinus, ne falso amplius eius nomen obtendat, ex illius ad Nicomedenses epistola, quam Theodoritus libro primo refert, iudicium facere promptum est. Si castos, inquit, habemus, et orthodoxos et modestos episcopos, gaudemus. Quod si quis audacter ac inconsulte ad fovendas pestes exarserit, illius audacia ministri Dei, hoc est, mea exsequutione coercebitur. Quando in omnibus Constantino persimilem esse Carolum Caesarem optat Frenesius, manu eius non suam audaciam, sed efferatam rabiem coerceri patiatur.

38) Speciem quidem cogendi concilii iam aliquoties [pag. 75] praebuit Frenesius, sed qui serio eum cogitasse unquam de habendo concilio putat, micam sani cerebri non habet. Mundum quasi famelicum ingenti concilii desiderio hiare iamdudum novit. Extremae se crudelitatis damnari ab omnibus intelligit, quod tamdiu variis ludificationibus tempus extrahat. Cur non igitur, quoad citra suum dispendium potest, satisfaciat imperitis, concilium subinde indicendo, quod nunquam habeat? Si quis autem miretur, cur tantopere concilium reformidet papa, in quo nulli bono patebit locus, inde reputet, quam sit prodigiosa tyrannidis species, quae non nisi per terrorem et metum retineri potest.

39) En quid premat sanctissimum patrem. Non audiendo aut disceptando tractari vult causam Protestantium, sed hoc commodissimum fore putat, si ab illis damnandis exordiatur. Quanquam vix isto honore etiamnum eos dignabitur, ne rem actam agere iterum incipiat, sed exsequendam in eos sententiam mandabit. Et certe non male consulit suis rationibus, dum, ne causa tam dubia et sibi periculosa retractetur, sollicite cavet. Quid ergo, si audiatur, Protestantibus reliquum est, nisi ut causae suae defensione omissa, se illi suaque omnia dedant?

[pag. 76] 40) Utinam quidem vere coalescant Germani omnes in verum fidei consensum, sibique mutuo sub uno capite adhaereant, nempe Christo. Imo totus in hanc unitatem reducatur orbis, quo impleatur illud, quo certum est solidam ecclesiae perfectionem contineri, hoc est, ut fiat unum ovile, et unus pastor: sed reclamat papa, qui pro nihilo

semper in Domino speravimus, et nunc etiam speramus: ideo nos [pag. 35] *plus illius provinciae commodis, quam ullius alterius consulentes,* (41) *ad Germaniae fores, Tridentum usque, legatos nostros miserimus. Sed vocavimus, et non erat qui audiret, venimus, et non erat vir. Verum nec propterea desistimus, sed adhuc vocamus et clamamus ad te et ad caeteros principes. Clamamus vero cum propheta Davide:* (42) *Venite, ploremus coram Deo: nec enim aptius principium concilii esse poterit. Et cum Daniele: Oro pro peccatis meis et populi, accuso, confiteor, obsecro: Domine, peccavimus, iniquitatem fecimus, et impie egimus et recessimus, nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus et patribus nostris, quia peccavimus: tibi autem Domine misericordia est et propitiatio. Ad tale ergo concilium te vocamus,* (43) *in quo angelos ipsos assessores habere* [pag. 36] *speramus, qui si super uno peccatore poenitentiam agente gaudent, quanto magis super universa ecclesia, cuius ipsi pars sunt, ad poenitentiam congregata, gaudebunt? Huc accedit, quod saluti christiani populi ab imminente potentissimo et perpetuo nominis christiani hoste, Turcarum tyranno, quo pacto nisi per*

ducit, Deum agnosci unum ab omnibus, pura Christi doctrina et auspiciis gubernari totum mundum, nisi ipse pro capite adoretur. Ergo utcunque Deum, nisi falso, invocare testem nequeat, qui Deum nullum habet, ne tamen semper mentiri eum putes, unum hoc vere affirmat, sibi nihil esse magis in votis, quam sub iugum suum omnes redigere qui avolarunt, et quos pro indomitis habet.

41) Quasi vero vocaverit spe colligendi, ac non potius de industria tempus elegerit, quod esset ab omni pacata consultatione alienissimum. Quum satis compertum haberet, bello distineri duos praecipuos christiani orbis monarchas, et iam pluribus locis classicum propemodum canere, concilium habere se velle simulavit. Quis tam stultum fuisse credat, ut speraverit? Unde etiam coniecturam facere licet, nihil eum nisi per simulationem gerere. Nam qui factum [pag. 77] est, ut tranquillis rebus cessaverit, et quum aliquamdiu volitasset concilii mantuani indictio, et postea veronensis, utrumque in bullam evanuerit, nunc autem in medio armorum strepitu, et tempore turbulento, se tanquam in optima opportunitate commoveat?

42) O prostitutam impudentiam! Mirum, nisi scribae suo mandaverit, ut inter scribendum ingemisceret, ac lacrymulam unam extorqueret ab oculo sinistro. Sed non minus stultus est quam improbus, qui coram Caesare hanc fabulam agit, quasi sit illi incognitus. Quaerat ergo peregrinum. Tametsi quis reperietur ab oriente in occidentem usque, qui eum Deo hic et hominibus illudere nesciat? Sed pergamus. Locum quem indicit concilio? Tridentum. Valde est idoneus, siquidem tam fatui erunt Germani, ut in medias lupi fauces ultro se ingerant. Qualis erit consessus? Milesiorum scilicet, qui ne imaginem quidem boni viri inter se ferre possint. Qualis in cognoscendo aequitas aut moderatio? Forte ad placidam piamque deliberationem integri, nec ullis praeiudiciis occupati accedent. Imo iam dicit causam Frenesius, quae in disputationem vocatur, iam damnatam esse. Supervacuum ergo foret, in ea discutienda vel horulam [pag. 78] consumere. Ne tamen vel morosi nimium vel crudeles appareant, ad audiendum se component. I apparitor, Protestantes accerse, si quid cupiunt concilio propositum, supplici libello perstringant, ne delicatis sanctorum patrum auribus sint molesti. Auditis supplicum postulatis, ante omnia tentare conveniet, num summam absque provocatione potestatem de se suaque doctrina iudicandi sanctis patribus concedant: deinde num omissa, quam apud se iam constitutam habent, reformatione, abnegataque, quam amplexi sunt, doctrina, fidem ritusque omnes sanctae romanae sedis quasi postliminio suscipere sint parati. In priore si haesitaverint, schismatici extemplo pronunciabuntur: secundum si facere recusaverint, iam bis haeretici erunt. De illorum ergo contumacia vindicanda statuendum continuo erit. Quidquam enim attingere nefas erit, nisi ecclesia in integrum restituta. Interim ergo dum intestino bello distinebitur christianus orbis, ad persequendos opprimendosque Protestantes, ecclesiae reformatio differetur. Neque tamen interea cessabit venerabilis clerus. Flabellis enim multis ad ignem inflammandum passim opus erit. Quod si in tranquillam possessionem semel redierint, si quis ullam amplius convocandi concilii [pag. 79] mentionem facere audebit: turbator et seditiosus, et unitatis inimicus uno omnium ore proclamabitur. Certe, autore Frenesio, ne imperator quidem ipse impune id tentaverit. Tamen ut imperatori concilium petenti detur venia, liberum tamen erit papae recusare. Repulsam autem passus, ulterius progredi caveat, nisi velit, Usiae exemplo, arrogantiae suae poenam luere, aut alio quovis horribili exitio perire. Sed de ordine concilii alias, si tempus dabitur.

43) Quis iam miretur, papam sibi in universum mortalium genus primatum vendicare, quum se angelorum quoque praesidem hic faciat? Sed reor,[1]) ne ambiguitate nominis falsus erraverim, et certe erravi. Quos enim angelos intelligeret, nisi

---

1) *Sic libri latini veteres. Vide tamen an cum Amst. legendum sit:* Vereor. *Gallus vertit:* ie crain.

Christianorum coniuncta in fide et caritate auxilia consuli possit, non videmus. Quare sterne viam, dilecte fili, ad tale concilium. Hoc enim tui muneris proprium erit. Sternes autem si vel pacem reddas, quantum in te est, Christiano populo, tantopere ab omnibus expetitam: vel saltem arma cohibeas, dum ecclesia in concilio congregari possit, ubi aequius est quam per vim vestras disceptationes decidi. Hoc vero tu et caeteri christiani principes, quos etiam atque etiam [pag. 37] *de eadem hac re admonebimus, praesertim vero eum, quocum bellum geris, faciatis. Iam concilium adest: iampridem enim indictum est: neque vero abruptum est, etsi bellorum causa in commodius tempus dilatum. Itaque huc, carissime fili, incumbe, et hanc laetitiam primum populo christiano, qui iampridem intestinis bellis est attritus, redde. Deinde vero nobis, qui te nihil carius in terris nos habere iudicamus, qui primogeniti apud nos locum in amore tenes, idque specimen divinae in te virtutis praebe, ut non modo patrem, te pie monentem, non averseris: quod faciunt ii, quos Deus in signum abdicationis suis desideriis tradit:* (44) *sed ut eundem ad te, tanquam Deo iubente, tali tempore missum, qui labantem sustineat, et magno animae salutis periculo liberet, omni pietate amplexeris, eius* [pag. 38] *vocem libenter audias, monitis obtemperes: satis vero obtemperabis, si quum te a semita sancta, ut appellat propheta, quae eadem est regia via, maiorum tuorum religiosissimorum principum, humana consilia ut hominem deflectere potuere: huc statim de ea qualis sit admonitus, divinam indolem proferens videas, atque ita in animum inducas, nullum ut in iis quae ad religionem pertinent, tibi ius et autoritatem vindices,* (45) *si divinam institutionem et ecclesiae consuetudinem sequens, ab ipsis conventibus imperialibus, a quibus absunt qui autoritatem de eiusmodi rebus cognoscendi habent, omnes de sacerdotibus atque de religione disceptationes prorsus excludas, et ad eorum proprium tribunal reiicias:* (46) *si de bonis ecclesiasticis, quorum iudicium ab*

quibus uti consiliariis semper assuevit? Ex quibus unus est ille, qui olim ad perdendum Achab [1]) spiritus mendax in ore omnium prophetarum fuit. Si tantum illic potuit unus, quid hic facient aliquot millia? In hoc tamen iure reprehendi Frenesius potest, qui ad subsellia relegat eos, qui concilio supra ipsius tribunal praesidebunt. Neque enim ipse tam magnus est Deus, quin patri mendacii serviat. Certe qui magicis divinationibus se vitamque suam subiicit, diabolo, quem invocat, minorem se esse profitetur. [pag. 80] Etsi quid profiteatur, non moror, dum quid faciat video.

44) Pater est, qualem fuisse Saturnum tradunt poetae, qui filios scilicet devoret. Quicunque tamen dicto non fuerint audientes, eos e numero filiorum Dei abdicat. Sed bene habet, quod Salmonei sunt, non Dei fulmina.

45) Hoc primum est, ne qua doctrina, nisi ex tripode romanae sedis profecta, recipiatur, quo impetrato, quae amplius ambigendi causa erit? Proinde quin de examinanda doctrina, de repurgando corrigendoque ecclesiae statu agatur, non abnuit, modo id fiat se iudice, et tota controversia solo suo nutu transigatur. Nec eo contentus, sibi eatenus cavet, ut quae volet ipse cum angelorum suorum cohorte, ea duntaxat in quaestionem veniant ut modum actionis praescribat, ut silentium iniungat, quoties libuerit, ut simulatque concrepuerit omnes contremiscant. Itane? Corruptum Dei cultum, exstinctam eius gloriam, vel saltem valde obscuratam, eversum Christi regnum, pessumdatam religionem, doctrinam veritatis partim vitiatam, partim sepultam, vastatam misere ac laceratam ecclesiam, sacramenta ad turpem foedumque quaestum prostituta, animas Christi sanguine redemptas [pag. 81] sacrilegae nundinationi expositas esse, ministerium vel pastorale munus, quo nihil mundo magis salutare esse debuerat, in exitialem tyrannidem conversum conqueruntur Protestantes. Horum omnium malorum papam cum suis reum faciunt, parati sunt digito monstrare, ipsum esse Antichristum. Quod si non probaverint, non calumniae modo poenam, sed atrocissima quaeque supplicia sustinere non recusant. Tantum audientiam sibi dari coram aequo tribunali postulant, et quidem hac lege, ut causa ex sacro Dei verbo definiatur, neque tamen negligantur vetusta patrum instituta. Quid ad haec sanctissimus pater? [2]) Cognitionem quidem recipit, sed his, quas retuli, legibus. Hoc vero perinde est agere, ac si quis latro de caedibus ac furtis a se perpetratis accusatus, iudicium se non recusare dicat, sed hac lege, ut sibi tribunal erigatur, ex quo de sua causa pronunciet, ne quid se invito proferatur, ne qua contumelia laedatur, ne quibus urgeatur testimoniis, sed totam causae actionem sic temperet, ut scelerum impunitatem citra ullam molestiam sibi confirmet. En cur imperiales conventus audiendae huius causae non sint capaces.

46) Secundum est de bonis ecclesiasticis, ut si [pag. 82] quid hactenus fuerit in eorum administratione vitii, si qua illicita usurpatio, non nisi papae iudicio corrigatur. Quis frustra papam in eo insistere neget? Qualis enim aditus patefieret principibus ad res novandas, si huc admitterentur? Palam

1) *Sic bene emendavit Gallasius ad mentem historiae* 1 *Reg.* 22, 21 *seqq. Princeps habet:* Achas.
2) *Princeps minus concinne:* Quid ad haec, sanctissime pater? (Que respond à cela le tres-sainct pere, le Pape?)

ipso Domino, cui sunt conservata, sacerdotibus [pag. 39] *relinquitur et commendatur, et ipse nihil statuas, et sepositis armis aut studeas paci, aut si aliter pax conciliari non potest, concilio generali iudicandi de iis, quae tam perniciosa bella in populo christiano tamdiu alunt, potestatem facias:* (47) *si denique ea quae per nimiam indulgentiam rebellibus huic sanctae sedi, et contumacibus concessisti, ipse rescindas ac tollas. Haec enim, carissime fili, quum ita sint, quae tuam ipsius animam in magnum salutis periculum adducant, et ecclesiae pacem magis magisque perturbent, facile videre potes, nisi per te quam primum his malis remedium adhibeatur (quod te facturum speramus) in quas angustias sis nos compulsurus: ut aut officio aut muneri nobis a Deo per eius filium dato deesse cogamur, cum maximo ecclesiae detrimento: aut iterum severius* [pag. 40] *agere, quam vel consuetudo nostra, vel natura, vel voluntas ferant. Quanquam in officio quidem deesse, in tanto ecclesiae* [1] *discrimine, nec debemus prorsus, nec volumus, quantum per eius gratiam, cuius vices, licet indigni, in terris gerimus, de nobis polliceri possumus. Insidet enim in animo, et ob oculos nobis obversatur illud idem, de quo principio diximus, divinae severitatis in Heli sacerdotem exemplum: quem non ob id quidem damnatum legimus, quod in filiis corripiendis prorsus abstinuerit. Corripuisse enim eos satis constat ex scriptura, sed quod in corripiendo, ut inquit divus Hieronymus, lenitate patris, non autoritate pontificis agebat. Nos lenitate patris, integris prope adhuc rebus, usi sumus, quibus ex edicti forma transactis, quod Deus avertat, in Heli exemplo* [pag. 41] *satis video, in quam nos necessitatem sis adducturus. Quare tecum considera, Caesar, quid te magis deceat, quid ad tuum in primis officium erga Deum et ecclesiam magis pertineat, quid honori et rebus tuis magis expediat. An ut brachium nostrae severitati, in iis quae ad unitatem ecclesiae pertinent, praebeas, an potius illis faveas, qui hanc semel ruptam in plures adhuc partes scindere miserabiliter laborant et optant. Deus pacis, pro immensa misericordia sua, tuam Maiestatem ab iniquorum consiliis liberet, ac pacis consilia in tuo corde confirmet, ut unanimes uno ore honorificemus Deum patrem per Iesum Christum,*

est, quam effrenata luxuria diffluant hodie episcopi, abbates, et qui ordine sequuntur. Audirent principes opulentiam istam, quae hodie tam perdite dilapidatur, pauperum esse patrimonium. Quis non insurgeret adversus eos, si non ipsi priores occuparent, in ordinem se cogendo? Audirent ex antiquis canonibus, qualis sit et ad quos pertineat dispensatio. Diaconiam illam veterem omnes requirerent. Audirent, neminem esse ex ecclesiae proventu alendum, nisi qui functioni suae satisfacit. Clamarent abigendos igitur esse omnes otiosos ventres. Et quotusquisque ex tot legionibus maneret? Quis hodie episcopus officio fungitur, imo fungi se simulat? Quis parochus? Nam canonici et alii ad veterem presbyterii formam revocarentur. Neque alias tantum ecclesias pervagaretur profana ista, hoc est, laica, ut loquuntur, correctio, sed ad ipsam romanam sedem hactenus inaccessam pertingeret. Porro quid aliud hoc esset, quam coelum terrae miscere? Indignum [pag. 83] vero facinus, ut Deo terreno dicantur vivendi leges, ut eius mensae sumptus praescribantur, exigatur annuatim ab eo ratio. Neque id modo, sed quae aliis vel per vim iniustam rapuit, vel fraude furatus est, ab eo extorqueantur. Quin etiam, et quae imperio pridem ablata quasi iure possidet, restituere: denique rapinas omnes, quas ingurgitavit iam tot annis, evomere cogatur. Quod si qua maior urgeret necessitas, concedi id forte posset. At nunc cur invaderent principes alienum munus, quum tam aequa alioqui ratio hic a Frenesio praescribatur? Quis enim ad remedium afferendum aptior, quam cui bene perspectus est morbus? Tollendae sunt ac repurgandae corruptelae, quae veterem diaconiam prorsus sustulerunt. Quibus potius iniungi hoc onus convenit, quam qui malorum omnium non modo penitus sunt conscii, sed etiam autores? Exspectemus qualis futura sit emendatio, si sacerdotibus libera vel agendi, vel cessandi potestas relinquatur. Non sic prius rex Iosias, qui non proventui tantum ad victum destinato, sed etiam sacris oblationibus scribam suum praefecit. Et tamen Frenesium nihil pudet sacrilegii accusare imperii ordines, si cohibendis sacrilegiis se interposuerint.

[pag. 84] 47) Quid sit concessum Protestantibus, dicere supersedeo: quanquam huc summa redit, ne quibus iniustis praeiudiciis, nisi causa rite cognita et iudicata, ante tempus graventur. Hoc totum rescindi iubet sanctus pater. Durum id quidem, prima specie, sed ratio subest. Quid enim, si ad concilium integri veniant Protestantes, quantum sanctae sedi decesserit, ut quasi de re dubia ineatur disceptatio? Non abs re ergo est, quod tam strenue contendit papa, ne quo privilegio subleventur. Quid enim aut commodius illi, aut magis expeditum quam ut damnati illuc pertrahantur, vel poenas luant suae absentiae? Quin ergo illi expediat, non dubium, sed num etiam aequum ac rectum sit, quaeritur. Valeat honestas, inquit Frenesius, utilitas praevaleat. Hoc quidem iure romano est usitatum, sed non meminit se in Germania loqui, ubi et fidei datae religio colitur, et pudoris

1) ecclesiae *omittitur in omnibus edd. praeter principem. Deest etiam in versione gallica.*

cui cum sancto spiritu sit honor per aeterna saecula. Amen. Datum Romae apud S. Marcum, XXIV. Augusti, M. D. XLIV.

habetur ratio. Germaniae, inquam, hoc novum est ac insolens, rescindere promissa, a fide semel data resilire, nihil habere firmi nec rati, nisi quantum sit tibi utile. Quod si a communi Germaniae usu abhorret, quod promiseris pro nihilo ducere, ut retractes quum libeat, a Caesaris persona quid alienius?

CONCLUSIO.

[pag. 85] Finis est, ut quidquid cum Protestantibus pactus fuerit imperator, transegerit, constituerit, irritum sit ac inane. At fide inter homines nihil sanctius. Pridem decretum est, non esse haereticis servandam fidem: quid si interpositum sit iusiurandum? Quasi vero non sit pontificium, sacramento solvere, quoties visum est. Ius est imperii perpetuum ac inviolabile, ut promissis stetur. Quid tum? annon legibus superior est papa? Imo quid illi cum legibus? At maiestate Caesaris indignum a decreto [pag. 86] discedere. Satis est, quod omnis turpitudo papae sanctitate abstergitur. At confectum est diploma. Quasi vero non omnibus diplomatis abolendis una papae absolutio sufficiat. Sic quidem antehac agere solebat. Cuius rei insigne documentum est Ioannes Hussius, quem Romanenses fide publica Constantiam illectum crudeliter necarunt. Aderat imperator Sigismundus, mansueti ingenii princeps, ac minime sanguinarius. Quum sibi ac toti imperio turpissimum duceret, quem in fidem tutelamque suam receperat, in conspectu suo, adeoque ex protectionis suae praesidio, a carnifice ad mortem rapi, ac tam [pag. 87] barbarae immanitati pro virili intercederet, compositum a sanctis patribus fuit decretum, non esse haereticis servandam fidem. Quo liberata omni religione fuit Caesaris conscientia, eius autem verecundia et ingenuitas derisa est, quod sibi a violatae aut saltem neglectae fidei probro adhuc metueret: sed alia nunc est aetas. Mundus qui tunc caecus erat, oculos aperuit. Residet etiamnum in animis Germanorum tantae foeditatis recordatio, quae eos satis admonet, ne se amplius Romanensium perfidiae comites adiungant. Praesertim vero is est Caesar, qui famam dignitatemque suam ut Frenesio mancipet adduci [pag. 88] nunquam poterit. Scitur, quoties ad saevitiam instigatus fuerit ab isto satana, quibus flabellis fuerit incitatus. Constanter tamen stetit in proposito, ut haec una sit ex multis eius praeclaris et heroicis virtutibus maxime admiratione digna, quod inter istos imperii motus nunquam se aut a moderatione et clementia, aut fidei suae religione dimoveri passus fuerit.

FINIS.

PRO G. FARELLO

ET COLLEGIS EIUS

ADVERSUS PETRI CAROLI CALUMNIAS

DEFENSIO NICOLAI GALLASII.

1545.

ADVERSUS P. CAROLI CALUMNIAS.

Quum nuper libellum ediderit Petrus Carolus sorbonicus theologaster suo nomine inscriptum, licet alieno artificio compositum, in quo omnes quidem piae sanaeque doctrinae ministros, tres tamen praecipue; Farellum scilicet, Viretum et Calvinum atrocibus calumniis proscindit, optandum esset ut unus horum responderet ad eius maledicta. Nam utcunque liber ille puerilibus ineptiis refertus sit, et adeo impudenter mentiatur ille nebulo adversus optimos viros ut indignus sit refutatione, quia tamen semper reperiuntur multi nimis faciles ad credendum, qui rectum iudicium non adhibeant, nisi diligenter admoniti, et illic quasi de re gesta narrationem instituit, unde suspicari possint, vel docti et intelligentes, non prorsus de nihilo eum loqui, etiam sicubi aperta eius mendacia perspiciantur: venenum est, quod incautis, adeoque mediocriter peritis nocere possit, nisi oppositum fuerit antidotum. Huc accedit quod qui hominis ingenium non noverunt, moveri possent aetate. Nec enim credibile est hominem extrema fere senectute tam prostitutae, imo perditae esse frontis, ut sciens et volens totum mundum faciat testem suae vanitatis. Omnium autem maximum est quod non usitatis ac tritis [pag. 4] calumniis gravare eos conatur, qui restituendae pietatis doctrinae fidelem operam hoc tempore navarunt, sed quo infames et exosos reddat ipsos bonis omnibus, arianismi eos insimulare audet. Optarem igitur aliquem ex illis non detrectare hunc laborem reprimendae eius proterviae. Et ego cum Calvino egi, ut has partes susciperet, quum alias ob causas, tum quia ipsum sibi antagonistam in fictitia sua disputatione Carolus delegit. Verum quia excusat se melioribus studiis occupari (quod verum esse agnosco) et negat se tantum honoris habiturum esse huic porco, ut eum suis scriptis celebret; et idem reliqui duo affirmant, restat ut quispiam magis otiosus subeat in eorum vices. Inprimis movit me Calvini responsio, ne ulterius eum urgerem: quum diceret his clandestinis artibus satanam hoc moliri ut ipsum abstraheret a scriptionibus, quas novit quum huic saeculo necessarias, tum vero utiles in longum tempus posteris fore. Facturum ergo se negavit ut his tricis impediri se, aut remoram sibi iniici ad retardandum cursum suum sineret. Ego porro, cui probe noti sunt omnes Caroli sensus, scio nihil aliud eum venari, quam ut videatur Calvinum ad certamen impulisse: ardet enim ieiuna quadam ambitione. Et quum iam ultra vicesimum quintum annum hunc lapidem frustra volvat, ut famam sibi nonnullam acquirat apud homines, putat hoc optimum esse compendium, [pag. 5] si Calvinus eum alicubi nominaverit; nec vero magnopere curat, si interim insigni ignominia notetur. Hoc enim unum illi satis est, si mundo innotuerit, fuisse aliquem Carolum qui Calvinum et similes exercuerit, et ultro eos impetere non dubitaverit. Obsequar itaque eius cupiditati aliqua ex parte, sed ita ut testatum omnibus relinquatur, tales viros ne uno quidem verbo eiusmodi bestiam dignatos esse; et certe haec gravitas eos decet, ut cum Socrate dicant: Si asinus nos calce feriret, numquid ei diem diceremus? Adde quod minime opus est magno aliquo et eximio patrono, ad hanc causam agendam. Refellendae enim sunt improbissimi hominis futiles calumniae, et refellendae non subtilibus argumentis et ex intimo artificio depromptis, sed simplici nudaque rei, de qua agitur, narratione. Ipsa autem narratio confirmanda, non rationibus magna cura et arte excussis, sed actis publicis, Caroli ipsius testimonio, quod eius manu consignatum exstat, et aliis probationibus non minus planis quam solidis. Ergo neque acumen singulare, nec recondita doctrina, nec exquisita eloquentia, neque anxium studium hic requiritur, sed sola fides in proferenda veritate, et mediocris in digerendo rerum contextu prudentia. Ex adverso, si respicimus quis sit Carolus, quicunque vel tenuem christianae doctrinae gustum habet, eum valde infelicis ingenii esse oportet, nisi par sit [pag. 6] ad illum sustinendum. Nec me latet quantum sibi placeat. Verum sibi intus canat et plaudat ut volet; omnes

tamen qui micam rectae intelligentiae habent, agnoscunt hominem barbarum prorsus et indoctum solaque audacia instructum, nisi forte quis argutiolas, quibus ludere cum aliqua ingenii specie solet, ac sophisticae theologiae mediocrem usum verae ac liberalis doctrinae loco habet. Sed ego inscitia ipsum tam audacem reddi existimo: quod etiam evenire perpetuo solet, et veteri proverbio notatum est. Proinde non sum facturus quod multi, ut mihi veniam dari postulem, quod arduam difficilemque provinciam susceperim. Non enim aliud hic esse meum institutum profiteor, quam ut simpliciter et absque fuco narrem quae ad causam Caroli, pertinent, narrationem confirmem perspicuis et firmis testimoniis, postea, quasi defunctus, iudicium lectoribus permittam.

Quoniam autem Carolus in praefatione sua meminit qualiter Avenione migraverit in Lotharingiam et simul profectionis suae causam exponit, initio autem libri suum in Sabaudiam adventum refert, et ordinem suorum gestorum prosequitur, donec ordinatus fuit Lausannae minister, postea venit ad commentitiam disputationem illam de trinitate, in qua Calvinum inducit loquentem pro suo arbitrio, et monstra oppugnat quae ipse fabricatus est, tandem multa [pag. 7] commemorat in quibus dissenserit a Farello et aliis, idque ut magistris nostris gratificetur, ego quoque hanc responsionem in quatuor membra partiar: primo quidem describam iter illud, sed longe alio modo quam fecit; altero, res eius gestas inter id tempus paucis verbis patefaciam; tertio, quaestionem de trinitate ab eo agitatam tractabo; quarto, reliquam farraginem breviter expediam: sic tamen ut appareat quanta mentiendi licentia ipse in scripto suo abusus sit.

Ac primo quidem hoc risu dignum est quod a Molendino Sadoleti Iametium [1]) usque uno saltu transvolat; hoc autem frontis penitus ferreae, quod istud sibi consilium migrandi fuisse testatur, ut ad ducem Lotharingiae veniret, a quo fuerat invitatus. Nec minus ridiculum, quod se cum Sadoleto consultasse fingit. Sic autem res habet: Avenione profectus recta venit Agathopolim, [2]) quod est oppidulum sub ditione episcopi basiliensis, immune tamen et ideo Helvetiis foederatum. Simulatque appulit, per quosdam suos fautores indicari curavit Farello et reliquis eius collegis qui in comitatu Neocomensi Christum annunciant, cupere se cum illis redire in gratiam. Pii fratres, quanquam nihil aut minimum bonae spei habebant de homine, quem iam experti erant tam sceleratum et impium, tamen ne viderentur nimium morosi ac rigidi, si periculum facere recusarent, locum et diem condicunt colloquio. [pag. 8] Summa porro colloquii fuit, quod fratres de illis immanibus calumniis, quibus immerito ab eo gravati fuerant, modeste quidem, sed tamen severe cum eo expostularunt. Quaesitum est an vocem unquam audiisset in eorum concionibus quos accusabat, quae arianismi ipsos suspectos redderet, aut sabellianismi. Negavit se audiisse, sed solis certorum hominum delationibus se fuisse commotum ut eam accusationem instrueret, nunc vero se melius intelligere mentem fratrum, ac ideo sinistras omnes suspiciones deposuisse. Quid enim? dicebat: an me censetis huc ad vos fuisse reversurum, si vos pro haereticis haberem? Actum est etiam de abiuratione quae in bulla romani antichristi continebatur, et de conviciis, quibus ille fratres asperserat. Asseruit, tametsi bullam confici postulasset, fuisse tamen multa in eam congesta se inscio vel invito. Ne tamen hanc infamiam subiret, quasi nulla causa vel saltem nulla occasione impulsus ad antichristum defecisset, causatus est se fuisse offensum una loquendi formula, quae in confessione genevensis ecclesiae habebatur: nempe Christum esse aeternum Deum, qui a se ipso essentiam haberet; sed addebat audita commoda explicatione se acquievisse, nec amplius sibi ullam controversiam esse cum fratribus quin agnosceret ministerium eorum sanctum esse et Deo probatum, semperque fuisse, et quin paratus esset id [pag. 9] apud omnes palam confiteri. Tametsi autem magna erat improbitas, praetextum illum obtendere, quando simulatque dubitationem illam moverat, solutus fuerat illi nodus, tamen fratres ignoscere maluerunt quam rigidius eum persequi. Ventum est deinde ad contumelias quibus evangelium omnesque eius ministros tam Soloduci [1]) quam in Gallia post reditum prosciderat. Petiit ut illud totum locorum vitio imputaretur. Addidit tamen se, quoad licitum fuisset, semper hunc scopum spectasse ut a pura evangelii doctrina quam minimum recederet; quin etiam se iterum e Gallia ideo fuisse pulsum quod doctrinam, quam fratres profiterentur damnare nollet. Postremo admonitus fuit de perfidia, quam in uxorem admiserat, quum eam repudiaret, ac simul de exsecranda blasphemia qua sacrum coniugium in bulla affecerat, quum negaret sacerdotibus permissum esse. Respondit neutrum istorum sibi unquam venisse in mentem; sed quae de hac re in bulla habebantur, ab officiali lugdunensi supposita

---

1) *Iamets* oppidum est in diœcesi Metensi, hodie *Dép. Meuse.* Molendinum conferri potest cum oppido *Moulins* in eadem diœcesi. Textus vero illud in loco longe diverso quaeri iubet, ut videtur. Verum nescimus utrum de urbe *Moulins* (*Dép. Allier*), an de oppidulo aliquo in Delphinatu (*Molines en Queyras, Molines en Champsaur, Dép. Hautes Alpes*) cogitandum sit.

2) Agathopolis, *Bonneville, Neustadt, in agro Neocomensi.*

1) *Sic in impresso, sed sine dubio legendum:* Soloduri.

fuisse. Conclusio sermonis fuit, se ideo rediisse ad fratres ut pie cum ipsis Deo serviret quieta conscientia, quoniam in Gallia id non liceret, unde Christus cum suo evangelio exsulat. Nam quod missam, postquam variis tergiversationibus evadere non poterat, tamquam horrendum sacrilegium abominatus est, quia ad causam praesentem non facit, nunc omitto.

[pag. 10] Quis haec omnia, quae narravi, affirmat, ne autoritate careat historia? Nempe acta extemplo communi omnium consensu confecta fuerunt, quae apud fratres hodie exstant. Nec dubito quin exemplar secum abstulerit ipse Carolus. Redarguat me falsi in verbulo uno si potest. Hic iam ergo convictus tenetur cum meretricia sua protervia, atque hoc ut specimen ingenuitatis eius diligenter expendant lectores, etiam atque etiam mihi monendi sunt. Tertio versu praefationis suae inflatis buccis gloriatur se ad ducem Lotharingiae profectum esse, ut Lutheranos, sicuti vocat, e vicino loco propius urgeret. Ego autem contra digito ostendo recta illum ad eos ipsos cucurrisse, suppliciter confessum ac deprecatum fuisse culpam, quod illis maledixisset, approbasse totam eorum doctrinam, locum denique apud eos vivendi rogasse, quia ab impietate papatus eximere se vellet.

Interea quum adventus eius Bernam nunciatus foret, missi sunt legati duo Agathopolim, qui iniuriarum cum eo agerent, quod Bernatium religionem in supplicatione bullae damnasset. Protinus iniecta est illi manus; ventum est ad tribunal; elabi conatus est, nescio quibus subterfugiis, quod formula bullae dictata fuisset alterius arbitrio, consensum vero suum nunquam intercessisse. Quum frivolae istae excusationes non admitterentur, tandem damnatus est ad publicam solennemque [pag. 11] calumniae confessionem cum ignominiae nota, nec ante dimissus est quam sententiae fuit satisfactum. Ergo, sicut pronunciatum fuerat coram tribunali, confessus est se impie ac nequiter adversus Deum, illustre dominium Bernense ac Bernensis ecclesiae ministros egisse, quod sacrosanctam evangelii doctrinam, quae illic pure ac fideliter traderetur, falso criminatus fuisset. Quem huius rei testem citabimus? Nempe acta authentica fori Agathopolitani, ex quibus bona fide retuli hanc summam. Mirum est, quum profectionis suae narrationem institueret Carolus, hanc partem non attigisse; et hinc etiam apparet quam strenuus sit athleta, qui loco tam facile cedat. Quanquam adeo severe ac duriter tractatus a Lutheranis quos vocat, ne sic quidem locum apud eos manendi ambire destitit. Illinc enim concessit Monsbelgardum, ac Petrum Tossanum fidelem eius ecclesiae pastorem adiit, periculum facturus, num eius opera promoveri ad aliquam conditionem posset. Postquam intellexit nihil se illic posse consequi, Basileam reflexit iter, longius a Lotharingia recedens, ubi literas commendatitias eblanditus est a Grynaeo, quibus onustus Argentoratum se, tanquam in ultimum asylum, recepit. Literas quum reddidisset Capitoni, Bucero et Calvino, tempus sibi ad colloquium dari petiit. Quod concessum est, tametsi Calvinus interesse noluit, quo liberius effutire auderet Carolus [pag. 12] si quid haberet adversus eum, quemadmodum biennio ante praetexuerat. Quia autem compluribus diebus prolixus de rebus variis habitus fuit sermo, quem recensere supervacuum foret, summam tantum complectar. Carolus quum purgare se deberet de sua discessione, omni autem honesto colore cerneret se destitui, ad hoc artificium confugit. Simulavit se in hac opinionum varietate, quibus hodie turbatur mundus, se quoque multis dubitationibus abreptum fuisse, ut incertus fluctuaretur. Ita de singulis quaestionibus hodie controversis illum tanquam novitium aliquem doceri oportuit, quanquam non multum in hac re exhibuit molestiae fratribus, libenter enim universam eorum doctrinam amplexus est, damnatis papistarum erroribus. Quum putaret se effugisse longis ambagibus, ne defectionis suae crimen in cognitionem veniret, illuc tamen demum retractus fuit. In his angustiis sudans ac haesitans, initio culpam derivare, vel saltem culpae partem in alios volvit, ut se aliquo modo extricaret: dicebat enim occasionem sibi fuisse datam, propter motam de nonnullis dogmatibus concertationem, sed quum hoc illi negaretur, expungi passus est. Restabat ut extremae perfidiae reus teneretur qui nulla iusta causa, relicta Christi ecclesia desertoque ministerio, ad Antichristum transfugisset. Hoc ergo defectionis crimen agnoscere coactus est. Acta [pag. 13] de his rebus confecta, quibus perscriptum fuit: Carolum ipsum se in apostasiam lapsum esse confiteri, quum a vera Christi ecclesia ad antichristianam ecclesiam descivisset; huius peccati veniam cum lacrymis petere a pastoribus ecclesiae Argentinensis. Aliam constantiam in fide, quam hactenus praestitisset, in posterum polliceri, ac nominatim in perpetuum eiurare sacerdotium papisticum, et missas quae ex eo dependent; postremo consentire, ut rata essent ac firma quaecunque Agathopoli acta cum fratribus fuerant; a ministris porro Argentinensis ecclesiae tanquam poenitentem recipi ac illum absolvi a reatu in nomine Domini, hac conditione ut papae in perpetuum renunciaret. Quis fidem horum actorum faciet? Ipsa Caroli manus. Sicut enim exemplar unum habuit ab illis subscriptum, ita alterum manu sua consignatum apud eos reliquit, quod hodie quoque servant. Proferat si volet, ac convincat me falsitatis, si mentior.

Iam conferant lectores cum hac historia, quod de consilio profectionis suae ad iuniorem Lotharingiae

principem scribit. Ego, inquit, ad patrem tuum veni ut ex eius ditione propius Lutheranos lacesserem. At chirographo iam ante annos quinque testatus est se ideo venisse ut cum Lutheranis rediret in gratiam, eorum doctrinam amplecteretur, eorum communionem tota vita coleret. Si Agathopoli necessitate se [pag. 14] fuisse adactum causatur ut confessionem eiusmodi susciperet, cur sponte hoc posterioribus actis non in foro, sed intra privatos parietes ratum vult haberi. Nec iactare potest blanditiis se fuisse illectum. Nam etsi non merebatur tam humaniter tractari quam fuit tractatus, tamen non alius illi honor habitus fuit quam quod mulus eius in ptochotrophio nutritus fuit, cum famulo quem secum adduxerat; ipse autem a pastoribus alebatur, ita ut qui eum prandio exceperat, alio ad coenam ablegaret. Quo tempore tantam mendicandi impudentiam sibi acquisivit, ut Calvini Institutionem ab autore importunis flagitationibus, bis aut ter repulsam passus, extorserit. Sed redeo ad eius narrationem. Ex hoc specimine coniecturam facere promptum est qualis sit toto libro, quum a prima statim pagina adeo impudentiae suae fraena laxaverit. Eiusdem farinae est, quod se cum cardinali Sadoleto de itinere suo communicasse dicit. Nam quum Argentoratum venisset, hoc captandae benevolentiae aucupium prae se ferebat, quod Sadoletum habuisset sibi infestissimum. Proferebat enim et suas et Sadoleti literas, unde constabat displicuisse Sadoleto eius doctrinam. Quid plura? Praesentissimum sibi periculum impendisse iurabat, nisi maturo discessu antevertisset. Id enim argumento volebat esse, nunquam ita se fuisse versatum in papistarum castris, quin eorum impietati resisteret, ac qualecunque susciperet [pag. 15] piae doctrinae patrocinium. Si Sadoletus eum Avenione quietum esse non patiebatur, quin illi capitis periculum crearet, an passus fuisset a suo Molendino salvum abire? Horum quidquam si negat, adhuc proferentur schedae illae, quibus gratificari Argentinensibus voluit. Quid ultra hominem insequar, de cuius tam foeda impudentia cogitare sine pudore nequeo? Et tamen ipsum nihil pudet, quin os suum illud impurum adhuc mundo ostentet. Sed hanc excaecationem iustum Dei flagellum esse interpretor, qui turpitudinem eius in obscuro latere non vult. Nam et innumera eius flagitia posthac suo loco recensebimus, quibus in medium producendis ipse occasionem dabit. Haec sunt paralipomena, quae adiungi ad historiam profectionis eius oportuit, ne quis momento uno saltasse eum Avenione in Lotharingiam putaret.

Quod autem postea subiicit, se Metim venisse, ut Farello obsisteret, in eo perfidiam suam prodit aut certe turpissimam levitatem. Quid enim erat impugnare doctrinam, quam biennio ante sibi per omnia probari toties fuerat testatus? quam se semper sequuturum aperta professione chirographis confirmaverat? Quid erat bellum gerere cum eo, quem verum ac fidelem Christi ministrum agnoverat? cui titulum detulerat legitimi pastoris? Ubi iusiurandum illud quo promiserat se a partibus nostris semper staturum? Ubi lacrymae, [pag. 16] quibus culpam deprecatus fuerat, quod non semper stetisset? Aut ergo agat poenitentiam illius poenitentiae suae, aut sciat se hic manifestae perfidiae convictum teneri. Levitatem vero qua tandem purgatione eluet? Totum papatum qui paulo ante damnavit, ac Antichristi esse tyrannidem confessus est, qua fronte eum propugnat? Qui Farellum fidelem Christi ministrum praedicavit et eius doctrinam per omnia recepit, quo nunc colore haereticum appellat? Et quae mutationis est causa? Quis enim eum vel blandimentis pellexerat vel fraude induxerat, vel minis ac vi coegerat, ut eorum communionem appeteret, a quibus nunc abhorret tanquam haereticis, ut eam doctrinam, cui nunc maledicit, sacrosanctam Dei veritatem esse assereret? Quis vero interea eum docuit, rem secus habere? Quis spiritus ei revelavit, papatum esse Christi regnum? puram evangelii praedicationem esse nefariam perturbationem orbis? En quo zelo ad Farellum impetendum fuerit impulsus. Nam quod ductu et auspiciis abbatis sancti Vincentii Metim se venisse dicit, hoc libenter illi concedo: bonus enim ille Abbas culinae suae nidore eum attraxit. Nam quum canem ubique quaereret cuius latratu doctrina Farelli obturbaretur, hunc reperit sibi valde appositum. Erat enim famelicus, ita ut quidvis facere et pati, ventris causa, non recusaret. Atque, ut uno verbo dicam, sicut haec illi causa a nobis [pag. 17] discedendi fuerat, quod nulla illi conditio dabatur in qua se laute et molliter pro consuetudine sua tractaret, ita fames illi flabellum fuit, quo adversus Christi doctrinam inflammaretur. Non dicam quod olim Cato de procaci tribuno plebis, frusto panis conduci posse ut loquatur vel taceat: nec enim pane contentus est; sed hoc dico: in eorum potestate semper fore eius linguam qui pinguiter ac delicate saginare eum volent. Quanquam, sicut iam dixi, quum Metim venit, eo redactus erat ut fames propemodum ad rabiem eum accenderet, nam suis flagitiis hoc profecerat, ut non tantum summo odio, sed etiam exsecrationi esset, in ea domo in quam, quum alius putaretur, nimis benigne receptus fuerat. Ipse quid dicam intelligit. Intelligunt et alii permulti. Abbatialis ergo culina spiritus sanctus fuit, cuius impulsu adversus Farellum se armavit.

Praefatione [1]) tam feliciter absoluta librum or-

1) *In margine hic legitur:* Secunda pars.

ditur. Ac initio multum in eo laborat ut appareat factam sibi esse iniuriam ab iis qui ex contubernio venerandae facultatis theologiae Parisiensis eum iampridem expulerunt. Quod ego credi facile patior: tantum abest ut multum laboris in refellendo sumam. Nam et tali sodalitio dignus erat; et si illic mansisset, non inquinasset ecclesiam Dei adventu suo. Quanquam si quis totam eius vitam compertam habeat, agnoscet eum vere alterum esse Ismaelem, cuius manus contra omnes, et contra quem sint manus omnium. [pag. 18] Qui diligentius inquiret, reperiet hanc solam fuisse causam cur ab aliis hostiliter vexatus fuerit, ab aliis contemptus, ab aliis calcatus, nunquam autem ad ullum honoris gradum, oblatis saepe ad manum praeclaris occasionibus, pervenire potuerit, quum tamen maiore contentione quam ullus alius ambiret, interea autem plerique sodales eius, qui nullis aut tenuibus adiumentis videbantur instructi, nullo negotio emergerent. Tanta semper in homine arrogantia fuit tantusque fastus, ut omnes boni simul ac mali ab eius consuetudine abhorrerent, simul ac gustum aliquem illius ceperant. Deinde quantum potest placare studet magistros nostros, quod aliquando ad Lutheranos transierit, et reditionem in gratiam paulatim molitur. Quod si obtinuerit non equidem invideo: miror magis eum adhuc sperare aliquid, re toties frustra tentata, praesertim quum iam tot experimentis didicerint perfidum esse transfugam et proditorem. Nam quod Christi doctrinam rabiose nunc insectatur, gaudent ipsi quidem et libenter abutuntur eius improbitate, sed inde magis ac magis perspiciunt quam sceleratus sit nebulo, qui in hominum gratiam instar Prothei subinde se transformet. Quin etiam nunquam efficiet, etiam si se in omnes formas verterit, ut hanc persuasionem revellat ex eorum animis, ipsum interiore animi sensu probare Lutheranorum, ut vocant, doctrinam. Meminerunt [pag. 19] ut iam ante annos viginti labefactare sanctae matris Sorbonae dogmata conatus sit; ut deinde, quia exterminatum se ab eorum sodalitio dolebat, recantare paratus fuerit ac veniam omnium petere, quo se illis reconciliaret. Meminerunt semper suspectam sibi fuisse eius simulationem, et postea evidentibus signis deprehensam. Meminerunt quam professionem e Gallia expulsus ediderit. Meminerunt in Galliam per cuniculos reversum lacerare pro suggestu eam doctrinam, cuius professor ac defensor triduo ante fuerat. Iam intelligent quibus conditionibus se iterum ad nos receperit. Ut sint valde stupidi, non tamen adeo sunt faciles, ut sibi illudi ab eo patiantur. Quid quod iam ante decennium, quum suam nequitiam ex decima parte nondum prodidisset, inexorabiles adversus eum fuerunt? Nunc utriusque partis ter desertorem, ter transfugam, ter proditorem in sinum suum reciperent? Neque haec dico ut eum excludam. Scio enim nos omnes, qui puram evangelii doctrinam sequimur, in tanta esse gratia apud Sorbonicos, ut potius in odium nostri eum recepturi sint. Utinam vero iam sederet in eorum gremio, ut domi haberent qui eos exerceret, ne otio suo, sicuti faciunt, ad pios vexandos tam prolixe abuterentur. Sed non facient, scio. Nihilo enim minus quam ego eum pro Ismaele habent, cui sit fatale omnes habere adversarios quocunque accesserit. Nam [pag. 20] et Abbas sancti Vincentii, quo duce gloriatur, nihil non tentavit, quo eum domo sua abigeret: tanto eius fastidio captus fuerat; et quum strenue operam suam venditaret papistis, vix reperiebatur in tota urbe qui calceos illi daret. Sed tamen quoquo modo illi cedat suum studium, incipiamus eius mendaciis nudam ac simplicem veritatem opponere.

Genevam se venisse dicit, et inde mox transsilit ad disputationem quae longo post tempore habita est. Quid autem interea rerum egerit, vel oblivione praetermittit vel data opera, quum tamen multa sint quae non parum ad rem faciunt. Statim enim vulgatum in urbe fuit quemdam Galliae episcopum adventasse. Si negat hoc fuisse a se profectum, negare tamen non poterit quin illo vulgi errore sibi valde placuerit. Dum autem falsae illius gloriae usura fruitur, ecce nunciatur ecclesiae puellam in eius cubiculum nimis familiariter intrare, famulum eius, veritum ne quid turbarum oriretur, de ea re clam fuisse conquestum. Iam primo congressu graviter eum admonuerat Farellus, ut Christo vere aliquando servire inciperet, ac compensare vitae integritate, sancto zelo et bonis exemplis, studeret ante actae vitae defectus. Sciebat enim qualis fuisset in Gallia. Tunc autem accitus fuit et serio cum eo expostularunt fratres, quod ne coactus quidem assuescere posset ad bene vivendum. Ac se quidem [pag. 21] purgavit fortiter deierando. Sed quia facere non poterat quin suspecta esset bonis puellae consuetudo, improbis autem obtrectandi ansam praeberet, denunciatum fuit ut ab ea abstineret. Atque ut omnibus innotescat quam pura eius conscientia fuerit, signum unum proferam, unde facile cuivis erit iudicium facere. Semel accidit ut Viretus pro concione in scortationem inveheretur. Quum institutus esset iam de ea re sermo, forte Carolus templum ingreditur. Audit scortatores parum blande tractari. Fremit tacitus, dissimulat tamen iracundiam usque dum redierit domum. At vixdum ingressus ita bilem aliquamdiu suppressam uno impetu totam effudit, ut stuperent qui aderant. Nam oculis inflammatis, ore spumante, prope deficiente anhelitu, exclamare coepit: Itane? ut me semper pungant? ut semper lancinent? Ego vero me ulciscar. Nam ut illis stomachum moveam,

nunquam cessabo a signaculo crucis; et eodem momento plus centies manum in crucem torsit. Quum omnibus mirum esset unde tanta intemperies, rogavit unus qua in re lacessitus esset a Vireto. Quid me rogas, inquit, quasi de re dubia? Ego enim vixdum pedem in templum intuleram, quum audio ipsum in scortatores vociferari. Vident nunc lectores quam bene sibi conscius fuerit, qui simulac scortationis mentio facta erat, digito se putavit monstrari. Ego autem saepius de Vireto audivi, quum sancte assereret, [pag. 22] nunquam sibi tum Caroli [1]) venisse in mentem, sed in genere modeste dixisse quantum locus et res postulabat. Haec tantum breviter attigi. Ab aliis consulto supersedeo, ne foetorem nimium commoveam: nisi quod uno verbo admoneo ut recordetur quo nomine pecuniam corrogaverit a primariae dignitatis hominibus ut eam solus ingurgitaret: atqui pauperibus eam rogabat, non sibi. Atque has fuisse primas offensionum causas inter ipsum et Farellum certo certius est: quod Farellus primo congressu illi adulari non sustinuerit, quod deinde liberius eum increpuerit de impudicitia, quod postremo hoc eius sacrilegium fortiter insectatus sit ut debebat, et longius detulit quam ut privatis eius rationibus expediret.

Sequuta est disputatio, quae frigebat, quantum audivi, nisi eam calefecisset. Pauci enim aderant antagonistae, et illi non sat bene instructi. Prodit ergo Carolus in coenam [2]) vel rogatus vel sua sponte. Nihil enim hoc moror. Exordium fecit a frivola quaestione: utrius naturae intuitu Christus dominium coeli et terrae haberet: nam si divinae, inquit, ergo illi non est datum ex quo carnem induit; si humanae, ergo iure haereditario devolutum fuit ad matrem, ex quo Christus sine liberis decessit. Farellus ad obiecta illa respondit quantum satis erat. Verum ut ansam praecideret talibus ineptiis: Cur hic, inquit, sedemus? [pag. 23] an non ut palam fiat huic populo, doctrinam quam profitemur veram esse et ex verbo Dei sumptam, papistarum vero religionem impiam esse et plenam multis abominationibus. Eas igitur quaestiones excutiamus, de quibus nobis controversiam movent. Extra haec septa ne vagemur. Alioqui enim ludemus auditores qui suspensi definitionem aliquam de causis propositis exspectant. Non referam ordine quid actum sit postea aut dictum. Satis enim habeo, quum duo dicat Carolus in libello suo, in utroque eum mendacii palam convincere. Rogatum se fingit a Farelli sectatoribus, ne tam acris et vehemens esset in certamine, quia nonnullos in papistarum partes retraheret. Quis huius rei nobis testis erit? Nempe Carolus ipse, quem nuper in tot, tam crassis foedisque mendaciis deprehendimus. Sed quis fidem habeat, etiam si caput suum diris omnibus, aram tenens, centies devoveret? Quo autem testimonio ostendemus ipsum mentiri? Nempe vivunt adhuc complures probi viri, qui sciunt non rogatum modo, sed obsecratum saepius a Farello et Vireto fuisse, ut strenue susceptam papistae personam tueretur. In suggestu hoc saepius publice dictum fuit. Sed privatim etiam de hac re serio interpellatus fuit. Et quid opus fuit mitigari a Farelli studiosis eius vehementiam? Causam reddit. Quia Farellus et Viretus sibi solvendo non essent. Huius rei, quia idoneus [pag. 24] iudex non est, iudicium, opinor, penes auditores esse debet. Illi autem tenent memoria, adeoque pueri et mulierculae adhuc hodie narrant, ut saepius hians obmutuerit, quum a Vireto provocaretur. Porro, an ullo in apiculo restent adhuc illi debitores Farellus et Viretus, ex actis constat, quae, ne statim publicarentur, solus Carolus obstitit. Estne credibile viros illos, non stupidos nec nullius iudicii ac prudentiae, scientes ac volentes suam inscitiam voluisse mundo prodere? Alterum mendacium est quod subiicit, se bona fide certasse pro catholicis adversus Farellum et Viretum. Fatetur autem a notariis exceptam totam disputationem fuisse. Est autem in actis perscriptum, quacunque de re movisset quaestionem Carolus, praefatum semper fuisse, non ideo se contendere, quod doctrinam Farelli et Vireti improbaret: sanctum enim esse et orthodoxum quod posuerant, seque toto animo amplecti absque controversia eorum sententiam: sed tantum ut clarius innotesceret quam fortis sit ac invicta Christi veritas adversus omnia papistarum tela. Si pro catholica fide certabat cum haereticis, talis praefatio exsecrabili in Deum blasphemia non carebat. Si sentiebat aliquid esse in axiomatis tunc propositis dissentaneum a verbo Domini, qua conscientia omnibus assentiebatur, seque in illo consensu victurum ac moriturum asserebat? Quid ad haec respondebit? [pag. 25] Arguetne falsitatis iuratos scribas? Acta authentica repudiabit? Sed quid tali improbitate consequetur, nisi ut magis ac magis infamiam suam augeat? Vivunt etiam hodie plus quam mille testes, qui solennem illam protestationem subinde ab eo repetitam fuisse dicent. Eat nunc, et gratiam hac mentiendi impudentia a suis Sorbonicis aucupetur. Quin etiam, quum ad missam ventum esset, confitebatur opinionem sacrificii, quam habent papistae, abominandum esse sacrilegium et mortis Christi abnegationem, commentum de corporali praesentia falsum esse et alienum a scripturis, adorationem sacramenti horrendam esse idololatriam. Quem nunc papistis blandiendi locum habet, quos tam atrociter damnavit et quorum praecipuum Deum, hoc est sacram missam, tot probris affecit?

1) *Sic. Intercidisse videtur aliquid.* 2) scenam (?).

Tandem finis disputationi impositus fuit. Quo tempore, ut disputationem totam iuxta Farelli mentem concluderet, sibi minaciter a Farellistis denunciatum et se a syndicis rogatum fuisse mentitur. Petitum quidem est, idque tam publice quam privatim, ut consensum illum, quem toties ore testatus erat, subscriptione approbaret, non ut iudex aut arbiter, nec denique ut autoritate ulla praeditus, sed ut constaret etiam posteris fuisse illi satisfactum. Id se facturum negavit, fateor, sed nequaquam hac ratione usus est quam nunc obtendit. Hanc enim excusationem attulit, [pag. 26] quod nollet sibi reditum in Galliam ante tempus praecludere, veniamque sibi dari petiit, si ad alia se reservaret. Sed quum illinc Basileam venisset, addidit alteram sibi negandi causam fuisse, quod nollet hanc palmam concedere Farello et Vireto, eos in certamine fuisse superiores. Ita ipsum, propria eius confessione, vel metus indignus homine christiano, vel stulta ambitio ab officio impedivit. Et adhuc hic furcifer dignus tribus suspendiis de saevitia Farelli queritur, quod eum literis notaverit. Nec contentus hac calumnia crimen impingit Farello, quod etiam inimici improbe confictum esse agnoscent. Farellum enim principem sicariorum facit, a cuius satellitio confodiendus fuerit, nisi clam et cito aufugisset. O nequitiam. Et hic mihi argumentis refellendus est, qui nullum turpitudinis suae sensum habet? Quod si quid iudicii habent papistae, male profecto rebus suis consuli agnoscent, si eum sustineant ad causam suam aggregare. Quis enim recipiat, Farellum caedibus et latrociniis grassari? satellitibus cinctum esse qui homines in lectulis suis confodiant? Quis vel improbissimus inimicorum eius, quum plurimos habeat, et quidem ad mentiendum plus satis audaces, hoc unquam in eum fingere ausus est? Vita enim hominis adeo abhorret ab hoc crimine, ut etiam qui eum capitaliter oderunt, non possint non respuere, si illi obiectum esset. Nisi forte [pag. 27] quempiam moveat Caroli autoritas, ut persuadeatur album esse nigrum eo loquente, quem tertio quoque verbo mendacium aliquod effutire iam ante demonstratum est. Et unde tantum Farelli scelus compertum habere se dicit? Delatum, inquit, ad me est per quemdam, cuius nomini parco. Ita etiam sine teste et sine ulla coniectura sibi fidem vult haberi. Quanquam ne tam stupidum quidem esse puto ut persuasurum se speret, sed hac tantum spe ducitur, nisi fallor, quod similes fore aliquos sui non dubitat qui Farello maledici, etiam absque ullo veritatis colore, gaudeant. Quid si etiam testem refellendo Caroli mendacio, Carolum ipsum advocemus? Et certe praestat, ne cui haereat ullus scrupulus. Vivunt enim hodie complures graves et honesti viri, qui Basileae tunc erant, quum venit Carolus. Causam relictae Genevae non aliam adduxit, nisi quod tunc a latronibus obsidebatur et periculum in dies crescebat. Nam et subsidiis paene omnibus erat destituta et hostes habebat bene munitos. Constabat nihil esse certius; et si Carolus ipse tacuisset, nemo tamen non potuisset per se coniicere hanc fuisse causam profectionis. Sed ipse omnibus ita narrabat. Subsequutae sunt aliquanto post Farelli literae quibus Carolus depictus erat veris elogiis. Illic enim eius proditiones, clandestini et nocturni cum papistis congressus, nefaria consilia, scelestae quoque pactiones aperiebantur. [pag. 28] De his literis admonitus a Carolstadio, tanta furia extemplo correptus fuit, ut per urbem instar fanatici discursaret, Farello, in quemcunque incidisset, ferociter minitans. Quin etiam eo usque progrediebatur furoris impotentia, ut se concitaturum arma regis Galliae adversus Farellum diceret. Redeat paulisper ad se et recordetur quibus tum verbis eius intemperiem cohibuerit Calvinus, quum ad eum, accusandi Farelli causa, venisset. Eo primum die natum est hoc factae in eum coniurationis crimen. Nam quum muliebriter evomeret in Farellum quidquid veniebat in buccam, hoc inter alia permiscuit, de se occidendo conspirasse quosdam Farelli asseclas, ut vocabat. Iam hoc me tenere arbitror, non tantum ut omni veri specie nudata sit Caroli calumnia, sed ut ipse suis verbis ostendat ab animo irritato et ultionis cupido fuisse fabrefactam. Quamobrem ad alia pergamus.

Alia etiam quae narrat transsilire libet, quia Farellum nihil laedunt. Iactat se Munstero per octo menses assiduam operam dedisse in discenda lingua hebraica, ut persuadeat eius linguae se esse peritum, quam olim in Gallia discere meditatus non ultra alphabetum perrexit, quum tamen in eo studio tres menses elaborasset. Itaque Basileae sapientior fuit quam prae se ferat. Noluit enim operam et tempus perdere. Quia, quum paucis diebus tentasset, mox destitit. Gloriatur Erasmi familiaritate, [pag. 29] ad quem salutatum quum semel aut iterum a Grynaeo se deduci impetrasset, quod aditus illi alioqui non patebat, intelligere potuit quo loco haberet Erasmus sorbonicos theologos. Et tamen hanc larvam induit, ut doctus habeatur, Erasmo se fuisse familiarem. Quem tam puerilium ineptiarum, praeter ipsum, non pudeat? Eiusdem notae sunt gloriolae, quas subiungit de stipendio, de honorifica Lausannam deductione, de aedium elegantia et hortorum. De his dicere supersedeo, quia facile patior ut se deridendum omnibus propinet. Narrat postea qualiter Lausannam accitus fuerit. His, inquit, atque aliis argumentis Bernatibus gratior effectus, soluta synodo, priusquam abirem, honorifice rogatus sum, mihine sederet in animo Lausannae verbi ministerium suscipere. At-

qui satis scitur, per quos ministerium illud impetraverit, qui ambiendo nervos omnes intenderunt, ut in eum locum eveherent. Ac ne videatur nimium fuisse superbus, dicit se Bernatibus annuisse, sed dedisse illis certam conditionem, ne sibi quidquam a Farello praescriberetur. At vero illustris senatus Bernensis primum, quam ambitiose et suppliciter rogatus fuerit ut Carolum in eum locum promoveret, optime novit. Memoria enim tenet quo audaciae, hoc impetrato, prosilierit haec bestia: nempe ut sibi ius inspectionis in ministros agri vicini daretur. Verum repulsus cum severa obiurgatione Lausannam [pag. 30] missus est ac Vireto commendatus in hunc modum: Collegam tibi et adiutorem in verbi ministerio doctorem Carolum destinavimus. Eum tu, quia novitius est, consilio reges ac monstrabis ut se gerere debeat, pro tua prudentia et usu quem in illa ecclesia habes. En quo recidant magnae illae ampultae, quas inflat insulsus hic Thraso, dum aliquid opinionis conciliare sibi studet. Sed quo autore, dicet quispiam, id confirmabis? Quod recitavi sumptum est ex publicis senatus Bernensis literis. Haec autoritas si non sufficiat Carolo, in toto orbe satis habebit ponderis.

Sequitur iam quibus curis aestuarit sanctus vir, ex quo Lausannensi ecclesiae praefuit. Dicit se anxium dubiumque animi haesitasse, quod ecclesiasticae unitatis cupidus videret multa quae sibi displicerent; atque hic suspiria et gemitus commemorat quibus Dominum interpellavit. Tune, scelestе apostata, unam unquam precationem ex animo concepisti? Sed hoc omitto. Dicit se cum fratribus aliquot subinde contulisse. Ipse vero sibi tales fratres habeat, si qui tamen sunt, qui unam hic nobiscum doctrinam profiteantur, animo interim ab ea dissidentes. Nam bonis et malis peraeque certum est, eos Satanae ministros esse et prorsus Epicureos, carentes omni fide ac conscientia, qui doctrinam nostram taciti apud se damnent et in ea ecclesias retineant, qui nos iudicent [pag. 31] ab ecclesia alienos et communi ministerio nobiscum fungantur. Sed audiamus quam gemendi materiam habuerit. Videbam, inquit, sectas innumerabiles suboriri. Dicas eum voluisse nobis parcere, quod ex infinito numero unam tantum patefaciat, reliquis suppressis. Quod enim unquam verbum de sectis innumeris fecit? Videbam, inquit, sacra subverti universa, omnes veterum sanctiones antiquari, ecclesiarum opes sub evangelicae reformationis praetextu ad privata rapi commoda, pauperes negligi, omnem religionis cultum impiis haberi ludibrio, nullam pietatem, nullum ordinem, nullam servari ecclesiasticam politiam. Tu, cui pro suggestu libera erat reprehendendi facultas, si quod vitium cernebas in tua ecclesia, defunctum te putabas coram Deo, si tacitus gemeres? interea esses canis mutus? Quod unquam ex ore tuo verbulum auditum est de his rebus? Quanquam inepte facio qui talem zelum requiro ab eo, qui susque deque omnia reputat, modo habeat ventrem bene refertum et aliquo loco censeatur.

Ad istas porro criminationes, quando magna ex parte sunt maledici conviciatoris temere iactata probra, nihil respondeo, nisi quod provoco ad rem ipsam, ut inde fiat iudicium de nobis et papistis. Et nostri abunde variis scriptis tales calumnias diluerunt. Et propero ad praecipuam quaestionem et quasi omnium certaminum caput. Quum viderem, inquit, exsecrandas in Christi [pag. 32] divinitatem blasphemias et sacrosanctam personarum trinitatem inter sciolos quosdam fraterculos passim palamque proscindi in quotidianis congressibus, in concionibus publicis, libris editis, synodis, epistolis, zelo sincerae fidei succensus amplius dissimulare non valui, quin Bernates de tantis blasphemiis, idque certis fultus testimoniis suo loco producendis, commonefacerem. De testimoniis mox videbimus, et ita ut palam fiat quam bene instructus hanc accusationem susceperit, nisi quod hic obiter monitos velim lectores, ut considerent, quam bene haec criminatio cum ea quam retuli testificatione congruat, in qua asseruit nullam se unquam impiam vocem ex ore fratrum audiisse, nullum impium verbum legisse in eorum scriptis. Mirum est autem eum tam familiariter assuetum esse mendaciis, ut tria verba contexere nequeat, quin vel in tota re vel in aliqua parte mentiatur. Zelo, inquit, sincerae fidei succensus amplius dissimulare non potui. Mirificum fidei zelotem, si credimus eius testimonio. Sed operae pretium est intelligere ut res habeat. Quum nugas illas quas postea suo loco excutiemus de novo purgatorio, quod comminiscebatur, protulisset, et Bernam vocatus esset ad reddendam rationem, tandemque causa audita ad palinodiam damnatus, postea autem flenti et submisse deprecanti haec ignominia permissu atque adeo rogatu Calvini et Vireti remissa fuisset, liberatus [pag. 33] omni cura exorsus est altis cothurnis hanc tragoediam ex insperato. Tale autem fuit orationis initium prope ad verbum: Pro gloria Dei, pro honore dominorum Bernensium, pro sinceritate fidei, pro unitate ecclesiae, pro tranquillitate publica, pro officii mei debito, habeo aliquid, venerandi domini, quod vobis exponam, quod diu tacui ac dissimulavi. Nam multi concionatores tam Genevae quam in ditione vestra Ariana impietate infecti sunt. Ac simul longum catalogum recensuit piorum fratrum non absque magno omnium stupore. Res in consistorio, hoc est iudicio ecclesiastico, agebatur latina lingua. Probationes nullae audiebantur, nec ipse etiam eo pervenire volebat, contentus hoc venenum evomuisse sui ulciscendi causa. Sed Calvinus subita respon-

sione sic excepit hominem, ut eum suae petulantiae valde poeniteret; ac tali quidem usus est exordio: Nuper quum me coena exciperet Carolus, ego eram illi integerrimus frater: Farellum iubebat amanter salutari; omnes, quos nunc haereticos nominat, habebat pro fratribus; fraternam coniunctionem se perpetuo nobiscum velle colere profitebatur: Arianismi nulla mentio. Ubi tunc erat gloria Dei? ubi honor dominorum Bernensium? ubi fidei sinceritas? ubi unitas ecclesiae? Aut te perfidum fuisse Deo et hominibus scelestumque veritatis proditorem fatearis necesse est, aut omnibus palam est te alio affectu ad hanc criminationem impelli quam prae te feras. [pag. 34] Cuius enim conscientiae est coenam Domini iam bis celebrasse cum collega Ariano? Si scintillam ullam haberes aut verae pietatis aut recti zeli, sustineres, te conivente, abnegari filium Dei a fatribus et collegis tuis? Sustineres cum illis communicando tantae impietatis contagio te polluere? Sed fingamus nihil interesse, quis te zelus instiget. Quaero unde scias me Ariana haeresi infectum esse? Nam de fide mea luculentum testimonium reddidisse mihi videor, nec reperies qui vehementior sit in asserenda Christi divinitate. Lucubrationes meae versantur in hominum manibus, quibus saltem hoc consequutus sum, ut omnes ecclesiae recte sentientes me ac fidem meam approbent. Tu quod unquam fidei tuae documentum edidisti, nisi forte in lustris et cauponis? Haec enim fuit tua militia in qua te hactenus exercuisti. Dic ergo, agedum, quo iure me Arianismi insimules? Hac enim infamia volo me liberari, nec patiar tam indignam suspicionem in me residere. Quum acrius urgeretur a Calvino, veritus poenam calumniae, extemplo retractavit coram consessu quod dixerat, seque Calvinum missum facere testatus est, nec ullam illi maculam aspergere, si modo causam Farelli non susciperet, pia enim esse eius scripta et de trinitate recte semper loquutum esse. Tum Viretus subsequutus orationem Calvini hominem ipse quoque ad similem recantationem adegit. En primum [pag. 35] virtutis Carolinae stratagema in hoc sacro bello, in quo se unicum gloriae Dei vindicem facit. Quum iam tanto dedecore conspersus esset, addiderunt Calvinus et Viretus: Nos vero absentium causam suscipimus, quos scimus abs te innoxios traduci. Et quoniam ea est causae gravitas ut synodi cognitionem postules, petimus, honorandi viri et fratres qui hic sedetis, ut nobis sitis adiutores in synodo apud senatum impetranda. Quid interea Carolus? Tremere ac sudare, quia praeceps in eum locum venerat, unde retrocedere non esset integrum. Postridie senatum adeunt Calvinus et Viretus: quam accusationem struxerit Carolus indicant, demonstrant opus esse synodo, eam primo quoque die sibi dari postulant. Respondet senatus fore sibi curae ut mature convocetur. Atqui hunc nebulonem nihil pudet scribere, Farellistas impedire conatos, quominus synodus haberetur. Sed unde probationem sumemus, e qua statuere liceat, uter verum an falsum dicat? Ego nullum hic esse verbum profiteor quod non publica autoritate confirmem, quoties opus erit. Legantur acta consistorii Bernensis; consentient prorsus cum mea narratione. Legantur acta curiae; illic reperietur non Caroli sed Calvini et Vireti rogatu indictam fuisse synodum. Nam strenuus ille athleta, ne calumniae causam dicere cogeretur, Neocomum se, infixo aculeo, proripuerat.

Hactenus id me saltem consequutum esse [pag. 36] arbitror, ut Carolo nihilo plus habeatur fidei a sanis hominibus quam circumforaneo alicui scurrae. Hoc ideo dico ut mihi ignoscant lectores, si in vanitate fabulosae narrationis, quam de synodo Lausannensi contexit, refellenda, non diutius immorer. Rem, ut fuit, simpliciter proponam, quae refutationi abunde sufficiet. Deinde si quod in eius libello mendacium erit prae aliis notabile, breviter indicabo. Lausannam quum ventum esset, synodus in templum Franciscanorum coacta fuit. Aderant ex agro Bernensi ministri verbi plus centum, ex comitatu Neocomensi circiter viginti, ex ecclesia Genevensi tres duntaxat. Post solennem precationem proposuit Megander, qui tunc Bernensis ecclesiae pastor erat, atrocem illam Caroli criminationem, qua fratres permultos detulerat, quasi non recte sentirent de trinitate et aeterna divinitate Christi. Quoniam eo sponte venerant Genevenses Farellus, Calvinus et Coraldus, nec purgatio ulla ab eis exigebatur, donec voluntarii prodirent in medium, primus Viretus rogatus est quidnam sentiret; cuius confessio hanc summam habuit: Nos dum unum Deum confitemur, sub una divinitatis essentia, patrem cum aeterno suo verbo et spiritu complectimur. Sic enim patrem appellamus Deum, ut filium spiritumque eius cum ipso verum aeternumque Deum praedicemus. Neque tamen aut patrem cum verbo, aut cum spiritu verbum confundimus. [pag. 37] Credimus enim alium esse a patre filium, rursus a filio spiritum differre, tametsi una sit essentia; ideoque neque patrem neque spiritum, sed verbum carnem factum esse dicimus, ut verus Deus et verus homo unus sit Christus. Nam secundum tempus redemptioni nostrae definitum, carnem nostram induit et eandem nobiscum humanitatem participavit, naturis duabus non confusis sed unitis. Haec confessionis formula ex Vireti responsione collecta legatis data fuit, quam senatui suo obtulerunt. Haec est confessio quam Carolus nimis macram et ieiunam fuisse insimulat; et sane quum syllabam unam carpere in ea non posset, multis tamen verbis persuadere conatus est, minime esse recipiendam pro legitima, quod nimium

brevis, nimium obscura, nimium exilis esset. Inde coepit symbolum Nicaenum et postea Athanasii detonare, tam insulso corporis totius motu, capitis concussione tam indecora, tanto vocis impetu, ut risus omnium mox sequutus sit. Quod ergo odiose queritur suam recitationem multis cachinnis fuisse exceptam, fateor quidem omnes prolixe risisse non rem ipsam, sed histrionem tam insulsum. Ex symbolo Athanasii quum tres versus recitasset, quartum recitare non potuit, in quo tamen illi facile ignosco, quod fluxu memoriae laborat. Tum ad calumniam illam prorupit, cuius causa synodus coierat. Tametsi autem certo crimine accusare bonos viros non [pag. 38] audebat, vocabat tamen oblique in grave odium. Hoc erat consilium ut suspicionem illis inustam in auditorum animis relinqueret.

Hic surrexit Calvinus qui totam suam orationem divisit in tres partes. Primum enim conquestus est de malitia et improbitate Caroli, qui nulla causa adductus, sed impulsus furore diabolico, aut mera invidia instigatus, ecclesiam sic turbaret, impediret cursum regni Christi, homines non innoxios modo, sed praeclare de tota ecclesia meritos inhumaniter proscinderet; deinde ad causam transiit, in qua sic praefatus est: De hac quaestione nobis litem movit Carolus, qualis sit Deus, et quae in Deo sit personarum distinctio. Ego autem altius incipio. Quaero enim ab eo an credat aliquem esse Deum? Testor enim Deum et homines, nihilo eum plus habere fidei quam canem vel porcum. Et hic tamen Epicureus, qui nullo pietatis sensu afficitur, Dei zelum simulat, dum nobis molestiam de quaestionibus hoc tempore supervacuis facessit. Quid enim opus est ea vocare in disceptationem, de quibus inter nos optime convenit? Et simul, ex quo tempore et qua occasione ad istud certamen subito exarsisset Carolus, clare disseruit. Quia tamen periculum erat ne cui scrupulus iniectus esset, aut ne aliquando diceretur, tanti criminis insimulatos fuisse Genevenses, nec purgatos, confessionem edidit ab omnibus suis collegis receptam, quae sic ad verbum habebat.

[pag. 39] Quum in Dei maiestate consideranda mens humana per se omnino caecutiat, neque quidquam possit quam et infinitis se erroribus involvere et miris tricis implicare et altissimis demum tenebris immergere, si iuxta captus sui tenuitatem Deum imaginari conetur: istud bonorum omnium pace ac venia facturos nos confidimus, si non alibi quaeramus ipsum quam in eius verbo, nihil de ipso cogitemus nisi cum eius verbo, de ipso nihil loquamur nisi per eius verbum. Haec vero sobrietas et reverentia, si in familiari sermone commendatur, in quo multa effutiri solent non ante praemeditata, ubi quis publicam edere fidei suae confessionem de hac re instituit, nulla adhiberi satis magna diligentia potest, et in sententiis concipiendis et in delectu verborum habendo, ut nihil in ea deprehendatur quam ipsissima scripturae veritas, exquisitis ac solennibus verbis religiose composita. Nemo ergo nobis succenseat, si confessionem, quam piis omnibus approbatam volumus, ita moderamur ut non ex variis hominum placitis consarcinata, sed ad rectam scripturae normam diligenter exacta sit. Si quidem hic nobis succurrere debet quod tradit apostolus, fidem esse ex auditu, auditum vero per Dei verbum. Iam si religionis confessio nihil aliud est quam conceptae intus fidei testificatio, ut solida sit et sincera, e puris scripturae fontibus petitam esse oportet. Neque [pag. 40] vero confessionem duntaxat eam recipimus, quae ex solis scripturae verbis superstitiose contexta sit et consuta; sed iis verbis conscribendam esse contendimus, quae et sensum habeant intra scripturae veritatem limitatum, et quam minimum habeant asperitatis qua piae aures offendi queant, nec Deo quidpiam affingant sua maiestate indignum. Quem modum in ista nostra confessione quia tenere studuimus, bonis omnibus ac cordatis viris non dubitamus studium nostrum approbatum iri.

Deum unum, quem nobis scripturae praedicant, credimus et adoramus, talem etiam concipimus qualis illic nobis describitur: nempe essentiae aeternae, infinitae et spiritualis, qui et solus in se ipso vim subsistendi a seque ipso et habeat, et creaturis omnibus largiatur. Anthropomorphitas cum suo corporeo Deo, Manichaeos item cum duobus suis principiis explodimus.

In una tamen ista Dei essentia patrem cum aeterno suo verbo et spiritu agnoscimus. Qua nimirum distinctione dum utimur, neque tres imaginamur deos, perinde ac si aliud quiddam esset pater quam verbum, neque rursum nuda esse epitheta intelligimus, quibus a suis operibus vario designetur Deus, sed una cum ecclesiasticis scriptoribus in simplicissima Dei unitate sentimus has esse tres hypostaseis, id est subsistentias, quae tametsi una essentia constent, non tamen [pag. 41] inter se confundantur. Itaque tametsi unus Deus est pater cum verbo et spiritu suo, non tamen aut pater verbum est, aut verbum ipsum spiritus. Atque in hanc sententiam confirmandam exstant solida scripturae testimonia. Filius enim et Iehovah illic nominatur et Deus fortis et Deus in saecula laudandus, quem adorant omnes angeli Dei et cuius thronus in saeculum saeculi est stabilitus; tum omnia illi deferuntur quae nisi in unum verum et aeternum Deum competere nullo modo possunt. Nam ut nuncupatur vita, lumen, salus, iustitia, sanctificatio nostra, ita fiduciam spemque omnem in ipso reponere et eius nomen invocare docemur. Quae practica notitia certior

haud dubie est qualibet otiosa speculatione. Illic enim pius animus Deum praesentissimum conspicit et paene attrectat, ubi se vivificari, illuminari, salvari, iustificari ac sanctificari sentit. Quare iisdem etiam e fontibus ad confirmandam spiritus sancti divinitatem probatio petenda est. Longe enim a creaturis alienum est quod illi scripturae tribuunt et nos ipsi certa pietatis experientia discimus. Ille enim est, qui ubique diffusus omnia sustinet, vegetat et vivificat, qui in fidelibus habitans ducit eos in omnem veritatem, regenerat, sanctificat, et olim ad plenum vivificabit. Nec vero quum de ipso scriptura loquitur, a Dei appellatione abstinet. Paulus enim nos esse templum Dei ex eo colligit, quia [pag. 42] spiritus eius habitat in nobis. Petrus vero Ananiam reprehendens quod spiritui sancto mentitus esset, non hominibus mentitum esse dicebat, sed Deo. Iam quum fixum illud maneat, Deum unum esse, non plures; verbum et spiritum non aliud esse quam ipsam Dei essentiam constituimus. Et sane si in unius Dei fidem ac religionem per baptismum initiamur, eum nos profitemur Deum habere, in cuius nomine baptisamur.

Ex quo patrem, filium et spiritum in una Dei essentia contineri plane constat, quandoquidem in nomine patris, filii et spiritus sancti baptisamur. Rursum et quaedam patris a verbo, verbi a spiritu distinctio scripturis demonstratur. Perspicuum enim est quod dicitur, patrem per filium omnia creasse, eundem in hunc mundum misisse, in mortem exposuisse, a mortuis excitasse, dedisse illi nomen quod est super omne nomen. Ut, nisi quis Dei verbo repugnare ex professo velit, non ausit tergiversari. Nam nec in terram descendit pater, nec carnem nostram induit, nec mortem subiit, nec excitatus est. Iam et se a spiritu suo differre significabat Christus, quum alium consolatorem se missurum pollicebatur. Porro simplicissimam Dei unitatem adeo non impedit ista distinctio, ut filium inde probare liceat, unum esse cum patre Deum, quia uno simul cum eo spiritu constet, spiritum autem non aliud esse a patre et filio diversum, quia patris [pag. 43] et filii sit spiritus. Summa haec sit: Nos in illa, quam supra confessi sumus, aeterna, spirituali, infinita Dei essentia patrem cum verbo et spiritu recognoscimus, sic tamen ne aut patrem cum verbo, aut verbum confundamus cum spiritu. Arii dementiam, qui aeterna filium divinitate spoliabat, simul et Macedonii qui per spiritum dona gratiae duntaxat in homines effusa intelligebat, improbamus et exsecramur. Nihilo magis Sabellii errori assentimur qui nullam in patre, filio et spiritu distinctionem admittebat.

Quod ad Christum peculiariter attinet, duabus ipsum naturis constare affirmamus. Nam antequam carnem indueret, verbum illud aeternum fuit, ex patre ante saecula genitum, verus Deus, unius cum patre essentiae, potentiae, maiestatis adeoque ipse Iehovah, qui a se ipso semper habuit ut esset, et aliis subsistendi virtutem inspiravit. Si quidem ipse de se testatus est, gloriam, qua in carne illustratus est, se ab initio apud patrem possedisse, antequam mundi fundamenta iacerentur: quod ipsum et Paulus docet, dum in forma Dei fuisse scribit, per formae vocabulum maiestatem intelligens. Potentiam vero suam ipse asserit his verbis: Ego et pater operamur hactenus. Scripturae etiam passim, quum docent per eum creatum esse orbem, in ipso vitam fuisse, et eiusmodi plurima. Neque operae pretium est hic pluribus immorari. Nam si Deus est, omnia in se [pag. 44] continet quae Dei sunt. Proinde stolidissime ineptiebant Ariani, qui quum Deum faterentur, Dei substantiam illi adimebant.

Verbi quoque appellatione non intelligimus fluxam et evanidam vocem, quae in aerem emittatur: cuiusmodi et oracula patribus edita et prophetiae fuerunt, sed perpetuam sapientiam apud Deum residentem, unde et oracula et prophetiae omnes prodierunt. Non enim minus spiritu Christi loquuti sunt veteres prophetae quam apostoli, et quicunque Dei veritatem hominibus administrarunt. Itaque scripturae, tametsi proprietates illas distincte nobis considerandas proponunt, dum Christo interdum quod solius est Dei, interdum quod hominis est tribuunt, earum tamen coniunctionem, quae in Christo subest, tanta religione exprimunt, ut eas quandoque inter se communicent. Ut, quum sanguine Dei acquisitam ecclesiam, et filium hominis in coelo fuisse dicunt, quo tempore in terris adhuc agebat: qui tropus veteribus *ἰδιωμάτων κοινωνία* 1) dictus est. Sed omnium clarissime veram Christi substantiam enarrant illi loci qui utramque simul naturam complectuntur, quales in evangelio Ioannis exstant quam plurimi. Christum ergo verum Deum et verum hominem, Dei filium esse asserimus, etiam secundum humanitatem, etsi non ratione humanitatis. Istud enim et scripturae testimoniis diserte consignatum [pag. 45] et veteris ecclesiae consensu receptum est.

Eos omnes qui divinae in Christo maiestatis veritatem aut evertere, aut imminuere, aut obscurare conati sunt, ut sacrilegos detestamur. Marcionitas qui spectrum illi pro corpore affingebant, Manichaeos item, qui coelesti carne praeditum somniabant, procul reiicimus. Nec Apollinari assentimur, qui dimidiam humanitatis partem illi detrahebat. Nestorii denique errorem damnamus qui ab humanitate divinitatem distrahens duplicem Christum comminiscebatur.

---

1) *In editione vetere legitur latinis literis maiusculis scriptum.*

Cui obsecro non satisfactum esset tam plena et perspicua confessione? Quid enim est quod iudex non omnino iniquus in ea desideret? Ex ea certe apparet quam procul ab Arianismo et Sabellianismo abfuerint. Atqui tanta fuit Caroli vel impudentia vel rabies, ut initio decem circiter locis eam impugnare conatus sit, quemadmodum Sorbonistis solenne est, plenis buccis haereses et schismata crepare, quoties volunt aliquid damnatum. Validis tamen responsionibus deiectus turpiter pedem reduxit; nec aliud sibi reliquum fecit ad criminandum, quam quod nomina trinitatis et personarum illic tacerentur, deinde quod Christus praedicaretur Iehovah, qui essentiam haberet a se ipso. Sed de his quia postea suo loco tractabitur, in praesens plura dicere omitto.

Tertia [pag. 46] pars orationis excusationem continebat, quod postulante Carolo symbolis subscribere recusarent. Calvino quidem et aliis propositum nequaquam erat symbola abiicere aut illis derogare fidem, sed quia sic aggressus erat eos Carolus, suspectam sibi esse eorum fidem, donec symbolorum subscriptione eam probassent, nolebant in praeteritum tempus tali invidia gravari. Et sane, quid aliud hoc erat quam iugulum porrigere? Quanquam non tam eos movebat sui respectus quam ministerii, quod his cuniculis impetebatur ab homine nequam et scelerato. Sperabat enim hac specie infame redditum iri Farelli nomen, ut quidquid hactenus egisset in promovendo Christi regno, pessum iret. Deinde nolebant hoc tyrannidis exemplum in ecclesiam induci; ut is haereticus haberetur qui non ad alterius praescriptum loquutus esset. Huc enim incubuerat Carolus, nullum absque tribus symbolis esse Christianum. Quid autem contentiosius, inquit Augustinus ad Pascentium, quam ubi de re convenit, de vocabulis litigare? Falsum ergo est quod ait, Calvinum adversus tria symbola declamitasse. De symbolo Athanasii iocatus est in hunc modum: Pronunciasti, Carole, versum illum: Hanc fidem quicunque non tenuerit, salvus esse non poterit. Tu autem non tenes. Neque enim, quum diu luctatus esses, ad quartum versum pervenire potuisti. Quid si nunc te mors intercipiat? et diabolus [pag. 47] tecum agat, quod conceptis verbis te aeterno exitio devoveris, nisi armatus sis praesenti huius fidei custodia. De symbolo Nicaeno ita loquutus est: Quid si negem hanc formulam, quam mihi obtrudis, a synodo Nicaena profectam esse? Neque enim credibile est, quum sancti patres, quam maxima possent brevitate, complecti vellent formulam compositam ex rebus adprime necessariis, lusisse supervacuo verborum circuitu. Vides autem in his verbis esse battologiam, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Quorsum ista repetitio? An vel emphasim habet ullam, vel maiorem expressionem? Vides ergo carmen esse, magis cantillando aptum quam formulam confessionis, in qua syllabam unam redundare absurdum est. Quid quod Augustinus, qui valde religiosus fuit cultor Nicaenae synodi, fortiter impugnat particulam illam: Credo in sanctam ecclesiam? Vitiosam enim loquutionem esse contendit. An hoc faceret saltem absque honoris praefatione, si putaret a talibus autoribus manasse? Quin etiam inscitiae arguit eos qui sic loquuntur. Tu autem adigere vis omnes fideles, ut tibi in hoc etiam errore assentiantur.

In extenuanda symbolorum autoritate non ultra progressum esse Calvinum, testes sunt omnes qui adfuerunt; nec alio spectabat nisi ut Caroli proterviam simul et pertinaciam paululum reprimeret. Et ipse quoque canis ultro concedit Calvino non fuisse [pag. 48] propositum fidem symbolis derogare. Suis enim verbis, hoc est sorbonica elegantia, Calvinum sic loquentem inducit: Ego neque credo, neque discredo. Quibus tametsi nunquam usus est Calvinus, libenter tamen accipio quod adversarius concedit. Denique responsio Calvini erat, ut vulgo loquitur, non tam ad rem, quam ad hominem. Qualis postea fuerit disceptatio, coniicere ex ipso statu quaestionis licet, et partium ingeniis. Quantum autem adhibendum sit fidei Carolo referenti quod sibi commodum fore putabat, sani lectores per se, nec aliunde admoniti, facile reputabunt. Quaedam tamen specimina hic indicabo, quibus ad recte iudicandum nonnihil adiuvari queant. Calvinum asserit causidicum fuisse Castelleti[1]) parisiensis. At ego scio ne tribunal quidem illud Calvino unquam visum esse. Quicunque autem eum noverunt hi sciunt, nusquam eum causam egisse tota vita, ac ne professione quidem aut titulo fuisse unquam advocatum. Cuius, obsecro, verecundiae est, primam narrationis paginam mendacio aspergere, quod non tacita modo opinione lectorum, sed clara omnium voce protinus refutetur. Quin etiam inde perspicuum est, quanta mentiendi libidine flagret Carolus, quod temperare sibi nequit quin mentiatur, ubi nulla est causa et nulla merces. Quid enim profecerit, si maxime constet in causis agendis Calvinum aliquando versatum esse? Magnum dedecus scilicet. [pag. 49] Quid ergo facturus esset Carolus, si falsa narrando magnum aliquod commodum consequi se posse confideret?

Sit hoc alterum specimen: Calvinum a vocibus trinitatis et personarum abhorruisse fingit, quod nimium Ciceronianus esset; quasi vero ab his vocibus Calvinus in scriptis suis abstinuerit; quasi non iam tunc exstaret Institutio, quae ab hac calumnia

1) *Le Châtelet.*

eum purgaret. Sed hoc quoque omitto. Orationem inserit tanquam a se habitam qua istam Calvini superstitionem reprehenderet. Ac, si Deo placet, de lingua latina et usu vocabulorum bonus grammaticus prolixe disserit, quum plus satis notum sit, eum tria verba non posse effari, quin vel in soloecismum, vel in crassum aliquem barbarismum labatur. Quasi etiam Fabii Institutiones inspexerit, quarum ex decimo capite primi libri furatus est quidquid adducit, ut imperitis fucum faciat, ac persuadeat multum se vidisse ac legisse. Hoc etiam figmentum illustri documento est, Carolum minime curasse qua quidque fide in libellum suum referret, sed absque ulla verecundia confictas a se per otium fabulas orbi pro vera historia obtrusisse. Nonne ergo flagellis dignior quam argumentis esset hic falsarius? Itaque non agam amplius rationibus, sed hoc testatum habeant lectores, disputationem a Carolo scriptam nihilo magis congruere cum ea, quae Lausannae verbis inter eum et Calvinum habita fuit coram synodo, [pag. 50] quam dies nocti sit similis. Quanquam ne hoc quidem hominum errore diutius eum frui sinam, quasi libellum hunc suo marte composuerit. Habuit enim Logodaedalum aliquem, cuius ore loquutus est: nisi forte quis eum scribendis libris parem esse putet, qui inter canitiem et calvitiem nescit discernere. Nam quum Lausannae Calvinum hortatus esset ut calvam barbam suam respiceret, eaque vox sonoro omnium risu esset excepta, secundo ac tertio intrepidus, qua solet audacia, repetiit, donec clamatum est rideri eius inscitiam, qui inter canum et calvum non teneret adhuc discrimen. En qui de latinae linguae proprietate, tanquam aliquis bene peritus magister, e suggestu sit audiendus. Quis enim recuset eius esse discipulus, quum Calvinum tam superciliose docere non dubitet? Fieri quidem potest, neque vero mihi est dubium, quin suggesserit ipse informem materiam, hoc est thrasonica iactantia se extulerit, quae est totius argumenti quasi fundamentum. Hic tandem exitus fuit eius actionis. Synodus causa probe cognita et rationibus ultro citroque auditis, confessionem ecclesiae Genevensis amplexa, Carolum damnavit calumniae et ministerio abdicandum censuit.

Iam tempus est ut ad excutiendum Caroli dialogismum aggrediar, quo illam, quam nuper retuli, confessionem tragice exagitat. Vel saltem eius coarguendae praetextu secum ipse digladiatur. [pag. 51] Nam magna ex parte nihil contra confessionem adducit, sed Samosatenum, Servetum aliosque haereticos sibi conficiendos proponit: quibuscum nihilo plus habet commercii Farellus, quam Carolus cum Christo, aut Christus cum Belial. Simpliciter ergo et paucis eius proterviam ita reprimam, ut omnes agnoscant canem esse qui procul latret, morsu autem non attingat quos impetit. Initio insurgit adversus hanc praefationem, ubi testantur pii viri talem se concipere Deum qualis scripturis describitur. Sanctos enim patres audiendos clamitat. Quasi vero alia lege audiri se voluerint Athanasius, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, quam si ex scripturis loquantur, aut quidquam ab eorum doctrina diversum profiteatur in sua confessione Calvinus. Toties sancti illi viri, dum sua probare volunt, ad simplicem scripturae definitionem provocant. Toties admonent, credendum non aliud esse quam quod scripturis continetur. Et hic nugator hac macula eos aspergit, quasi nos a pura scripturae doctrina revocent. Quin etiam magno crimini ducit haereticis Hilarius,[1]) quod propter eorum protervisam cogatur subiicere periculo humani loquii (sunt enim haec eius verba) quae mentium religione contineri oportuerat. Fatetur enim hoc esse nihil aliud quam agere illicita, ineffabilia loqui, inconcessa praesumere; et postquam patrem, filium et spiritum nominavit, subnectit extra significantiam sermonis esse, extra sensus intentionem, [pag. 52] extra intelligentiae conceptionem quidquid ultra quaeritur. Et in libro de Conciliis felices Galliae episcopos praedicat qui aliam confessionem non audissent, quam simplicem illam et plebeiam quae Symbolo apostolorum continetur. Confessio autem haec quam Carolus impugnat, si ad veterum scripta exigatur, deprehendetur per omnia convenire. Nam et nihil habet quod veterum suffragiis probari non possit, et nihil de summa rei tradunt veteres quod non hic confirmetur.

Secunda calumnia est de vocabulis. Miratur enim cur tam pertinaciter nomina personarum et trinitatis Calvinus refugiat. Atqui respondeo, nec Farellum, nec Calvinum, nec Viretum ab his vocibus unquam abhorruisse. Scripta autem Calvini toti mundo testantur eum libenter semper usum esse, ac etiam reprehendisse eorum superstitionem qui eas vel odissent, vel fugerent. Quod autem illis uti in confessione supersederunt, et Carolo importune urgenti negarunt se usuros, ad id duabus causis movebantur. Nolebant enim consensu suo approbare tyrannidem hanc, ut quum de re satis superque constaret, fides verbis aut syllabis esset alligata. Sed praecipua ratio illis fuit, ut furioso homini eam iactantiam eriperent, quam ipse animo et spe praesumpserat. Hoc enim, sicuti dixi, erat eius consilium: tota piorum virorum doctrina in suspicionem tracta, [pag. 53] autoritatem eorum quoquo modo labefactare. Neque id dissimulanter agebat. Nam in consessu satis frequenti inter certa-

1) Libro 2. de Trinitate.

minis praeludia ita cum Vireto egerat: Tum mihi suspecta esse desinet tua fides, quum tribus Symbolis subscripseris. Quo scilicet verbo innuebat, suspectam se in praeteritum tempus velle facere. Id porro ne cui dubium sit, luculento testimonio comprobarunt, dum Helveticam confessionem, absque mora aut controversia, coram ipso Carolo sunt amplexi. Cuius hoc est quintum caput: De Deo sic sentimus: Unum essentia, trinum personis, etc. Nec aliud refero quam quod publicis actis curiae Bernensis consignatum est. Et non multo post tempore, quis esset interior animi sui sensus, apud ecclesiae Bernensis pastores familiariter professi sunt, hac formula ad verbum illis edita:

Quoniam voces istas trinitatis et personarum plurimum ecclesiae Christi commodare intelligimus, quo et vera patris, filii et spiritus sancti distinctio clarius exprimatur et contentiosis melius occurratur, usque adeo nos ab his non abhorrere scitote, ut libenter eas amplexemur, sive ex aliis audiendae sive a nobis usurpandae sint. Itaque quod antehac semper a nobis factum est, in posterum quoque nos operam daturos, quoad licebit, recipimus, ne earum usus in ecclesia aboleatur. Nam neque ab iis in scriptis, in enarrationibus scripturae, in concionibus ad populum [pag. 54] abstinebimus ipsi, et alios docebimus ne superstitiose refugiant. Si quis autem praepostera quadam religione teneatur, quominus libere usurpare ipsas ausit, quanquam eiusmodi superstitionem nobis non probari testamur, cui corrigendae non sit defuturum nostrum studium, quia tamen nobis non videtur haec satis firma causa, cur alioqui vir pius et in eandem religionem nobis sensu consentiens repudietur, eius imperitiam hac in parte eatenus feremus, ne abiiciamus ipsum ab ecclesia, aut tanquam male de fide sentientem notemus.

Haec certe voluntaria piorum virorum professio abunde eos a frivolis Caroli criminationibus liberat ut supervacuum sit illis copiosius respondere. Et certe illum non modo abundare, sed etiam abuti otio apparet, quum de verbis texit verbosam disputationem, et grammatici larvam ad tempus induit, ut persuadeat Calvino ab his vocibus non superstitiose cavendum, quum probe sciret Calvinum libere illis uti et semper usum esse, quum ipse coram vidisset ab eo et collegis confessionem Helveticam approbari. Sed est in eo scilicet diligens ut primis ultima respondeant, hoc est, ne unquam ridiculo more ineptire desinat.

Alia est calumnia quod in confessione Samosateni impium errorem investigat. Samosatenus autem astute ludebat in verbi appellatione, vocale intelligens verbum aut decretum [pag. 55] Dei de humano genere redimendo. Iudicent autem, me tacente, lectores, num huic errori suffragetur confessio, quae nominatim patrem et filium et spiritum, tres in una Dei essentia hypostases atque subsistentias esse asserit, quae Christi et spiritus divinitatem tot luculentis elogiis praedicat; rursum, quae de personali distinctione sic disserit, ut nihil amplius a sano homine desiderari queat. At Carolum male habet quod non tribuerint Farellus, Viretus et Calvinus naturam subsistentem verbo et spiritui. Quasi vero non hoc quoque disertis verbis in confessione sit expressum, ubi habetur, Christum duabus constare naturis, quia verbum sit ex patre ante saecula genitum et humanam naturam homo factus induerit; item verbi appellatione non intelligendam fluxam et evanidam vocem, cuiusmodi et oracula et prophetiae fuerunt, sed perpetuam sapientiam apud Deum residentem, unde et oracula et prophetiae omnes prodierunt. Hic quum Carolus minime haberet ubi infigeret dentem, irritam tamen mordendi cupiditatem prodere maluit, quam tacitus hunc locum praeterire. At operae pretium est audire quo tandem vinculo pios et orthodoxos viros cum scelesto haeretico copulaverit. Arium, inquit, et Macedonium aperte damnant, Samosateni nullam faciunt mentionem; eius nomini dum parcunt, an non oblique eum approbant? O frigidum calumniatorem [pag. 56] et ieiunum. An illic haereticorum omnium catalogum recensent qui unquam fuerunt? Cerinthum omittunt et Ebionem et Eutychem et Eunomium et Photinum et alios complures, quibus nihilo plus favent quam Ario. Ne Carolus quidem ipse cum effraeni sua impudentia aliter dicere audebit. Quorsum ergo attinebat propter suppressum hominis nomen istas lites movere, quum res probe et solide explicata foret?

Alia calumnia est quod negat distinctionem patris a filio, et rursum filii a spiritu in confessione satis clare tradi. Qua in re magis etiamnum quanta rabie feratur ostendit. Nam quum in confessione palam damnetur cum nefario suo dogmate Sabellius, Sabellianismos [1]) tamen subinde crepat. Et quo praetextu? Si rationis figmento, inquit, solum patrem a filio distinguitis, Sabellianos esse vos dicam. Perinde facit ac si quis ita loquatur: Si Carolus est parricida, dignus est qui in culeum insuatur. Quanquam non satis apposite hac similitudine utor; haec enim magis conveniet: Si Carolus aliquod boni viri signum unquam dedisset, merito nunc deflenda esset eius conditio. Procul enim a sua veritate abest haec conditio. Quaenam ista est importunitas? quum tres in una deitate hypostases et subsistentias asserat confessio, et eas quidem non epithetis, sed veris proprietatibus inter se differentes, [pag. 57] in tam plano scirpo nodum,

1) *Sic in impresso, sed legendum videtur:* Sabellianos.

ut aiunt, quaerere? Ac ne mihi in hanc partem insistere necesse foret, Carolus ipse antevertit. Fatetur enim ad extremum in confessione haberi quod ad plenam expressionem sufficiat, nisi quod dubium relinquit numquid ex animo loquuti sint auctores. Ego vero non ero tam malignus ut par pari referam, sed testor Deum et homines, Carolum tam ex animo hanc causam agere quam Lucianus, si ex inferis excitaretur, christianae pietatis defensionem susciperet.

Alio tamen crimine interea Farellum Calvinumque gravat, imo et totum senatum totamque ecclesiam Bernensem, quod alios passi sint perperam loqui. Sed hoc dicit, non probat. Fides ergo sit penes autorem, quanquam hoc observatu dignum est, quod sui oblitus totum decorum perturbat: nam quum credi velit dialogismum suum Lausannae habitum fuisse, confessione in manus accepta, hisce verbis, in eius refutationem, usum se fingat quae libello complexus est: hoc loco, tanquam procul a synodo remotus, reducit in memoriam quid illic actum fuerit. Vos, inquit, in synodo Lausannensi non reprehendistis Calesium. Quid ais, arreptitie? Tu nos initio libelli Lausannam vocas, profiteris te in synodo illa sedere. Proponunt sibi lectores synodum illam; parati sunt audire. Tu autem alio transvolas et Metim delatus narras ex tua popina quid Lausannae actum ante annos [pag. 58] sex fuerit. Eiusdem est generis quod de synodo Bernensi, quae postea secuuta est, tanquam de re praeterita loquitur; et ea dicere sibi permittit adversus senatum Bernensem, quae ne cogitare quidem ausus esset. Norunt enim omnes quam meticulosus sit canis, ubi serio res agitur, qui solus in suo sterquilinio tam fortiter et animose nunc latrat. Expungat igitur hunc locum, nisi rideri velit etiam a suis.

Alia calumnia est quod, quum asserunt confessionis autores patrem et filium et spiritum unum esse Deum, veretur ne unicam in deitate personam statuant. Sed unde hic metus? Certe non a loquendi forma. Quis enim orthodoxorum non ita loquitur? Sed causam adducit quod pertinaciter fugiant nomina trinitatis et personarum. Verum an non ad eximendum hunc scrupum sufficere poterat, quod ante testati erant, tres esse distinctas hypostases in Deo et subsistentias? Si de vocabulis rixari placet, hypostasis profecto melius exprimit quod intendit Carolus, quam persona. Addit praeterea quod negent Christum ex substantia patris genitum. Imo diserte hoc quoque habet confessio, filium ex patre genitum esse ante saecula, neque alterius substantiae, sed eiusdem. Quid ergo sibi vult ista furia in rebus tam apertis et planis metum et suspiciones fingendo? Atque hic, si Deo placet, accepta evagandi occasione, in philosophorum scholas [pag. 59] perrumpit; et hinc inde verbula quaedam decerpens, parum abest quin se philosophum esse persuadeat. Et quid, si hac praecipue causa inductus fuerit ad scribendum libellum, ut se hominem multae et variae lectionis esse ostentaret? Quis enim sacrificulus aut monachus ex eius gregalibus non statim exclamet divinum esse hominem, et eruditionis reconditae, qui omnes Platonicorum libros evolverit? Certe declamitandi materiam ex industria quaesiisse apparet. Verum hoc profecit tandem ut omnes mediocriter docti corniculam rideant alienis plumis indutam. Quidquid enim tanquam magno labore, longis vigiliis, eximia memoria, assidua lectione, ex multis locis conquisitum et coacervatum recitat, ex duabus paginis Augustini Steuchi Eugubini furatus est. Male ergo operam suam collocavit, quum plagii ignominiam pro sperata gloria relaturus sit.

Calumnia autem omnium atrocissima est, ubi hanc sententiam impugnat: Christum semper a se ipso habuisse ut esset; in quo eum nonnulli alii, nihili quidem homines, sed improbitate sua molesti bonis viris, sequuti sunt: e quorum numero est quidam furcifer illi simillimus qui se Cortesium nominat. Sed quid aliud quam insignem nequitiam cum pari inscitia coniunctam produnt? Sed antequam obiecta Caroli diluere aggrediar, explicationem eius dicti a Calvino [pag. 60] iam tunc traditam inserere satius erit. Sic autem habet ad verbum: Quum de Christi divinitate sermo est, quae Dei propria sunt, iure omnia illi deferuntur, quia tum in unius Dei essentiam respicitur, praeterita distinctionis mentione, quae est inter patrem et filium. Qua ratione vere dicitur, Christum esse Deum unicum et aeternum, a se ipso existentem. Neque huic sententiae istud obstat, quod vere quoque ab ecclesiasticis scriptoribus est traditum: verbum seu filium Dei a patre esse, etiam secundum aeternam suam essentiam; quoniam haec personarum notatio locum habet, ubi distinctio filii a patre commemoratur. Illud autem, quod posui, est divinitatis elogium, quod non minus patrem et spiritum quam filium complectitur. Sic Cyrillus [1]) qui saepius patrem filii principium vocare solet, pro ingenti absurdo ducit, nisi filius vitam a se ipso et immortalitatem habere credatur. Idem docet, si ineffabili naturae proprium est ut a se ipsa sit, in filium id iure competere. Quin etiam libro thesauri decimo ratiocinatur, patrem a se ipso nihil habere, nisi filius etiam a se ipso habeat. Haec brevis quidem et nuda est explicatio, sed qua magis dilucidam nullus moderati ingenii et sani iudicii requirat. Quod si omnes candorem adferrent et humanitatem

1) Dialogo 3. de Trinitate.

ad iudicandum, verbum non adderem. Sed quia sunt intempestivi quidam et barbari homines qui nunquam satisfieri sibi patiuntur, [pag. 61] quid illorum morositati vel potius truculentiae facias? Quoniam tamen Calvinus quum locum illum a paucis quibusdam Caroli aemulis adhuc adlatrari audiisset, excusationem composuit quae aequis simul et iniquis satisfaceret, vel saltem os obstrueret; non pigebit ex ea quoque adiicere quae praesenti apta instituto videbuntur. Quod tanquam ex tripode, inquit, haereticos pronunciant, qui dicunt Christum, in quantum Deus est, a se ipso esse, facilis est responsio. Ego enim utrumque verum assero, et esse Christum a patre, ut secunda est persona, et a se ipso esse, si divinam eius essentiam simpliciter respicimus. Nam sicut hoc inter orthodoxos patres semper fuit receptum atque adeo ex scripturis colligi rite potest, Christum a patre esse, ita audio quid de eius essentia ubique scriptura praedicet, quid etiam iidem illi sancti scriptores profiteantur. Atque id est quod orientales episcopos definiisse Hilarius [1]) refert, si quis intemporalem filii de patre hypostasin ad innascibilem Dei essentiam referat, quasi filium patrem dicens, anathema sit. Item Augustinus: [2]) ea nomina quae substantiam, vel potentiam, vel essentiam Dei significant, vel quidquid proprie ad se dicitur Deus, omnibus personis aequaliter conveniunt. Non est ergo aliquod naturae nomen, quod sic patri convenire possit ut aut filio aut spiritui sancto convenire non queat. Item libro quinto de Trinitate: [pag. 62] Illud praecipue teneamus: quidquid ad se dicitur Deus, substantialiter dici, quod ad aliquid, non substantialiter, sed relative, tantamque vim esse eiusdem substantiae in patre, filio et spiritu sancto, ut quidquid de singulis ad se ipsos dicitur, non pluraliter, sed singulariter accipiatur. Sed quid tanquam de re ambigua disputo? Cyrillus Christum fore mortalem et corruptibilem ratiocinatur, nisi a se ipso vitam et immortalitatem habeat. Dicam tamen adhuc apertius. Hic status est controversiae: numquid vere de Christo praedicari possit, ipsum, quatenus Deus est, esse a se ipso? Hoc negant quidam Aristarchi. Cur? Quia Christi nomen secundam in Deo personam designet, cui relatio est ad patrem.

Fateor si respectus ad personam habetur non ita loquendum esse, sed dico hoc esse non personae, sed essentiae elogium. Habeo idoneum huius loquutionis autorem spiritum sanctum qui sententias omnes quibus αὐτουσία [3]) Dei praedicatur, ad Christum refert, quum aliis locis, tum primo capite ad Hebraeos. Denique satis de re ipsa inter nos convenit, nisi insatiabilis rixandi libido vel potius muliebris impotentia eos abriperet. Contendunt Christum, quia sit ex substantia patris, non a se ipso esse, quum aliunde principium habeat. Haec illis de persona confiteor. Quid amplius petunt? Fateor itaque Dei filium esse a patre, et quum personae ratio [pag. 63] habetur, fateor eum non esse a se ipso. Quum autem absque personae intuitu, de eius divinitate, vel simpliciter de essentia, quod idem est, habetur sermo, dico hoc vere praedicari, quod sit a se ipso. Quis enim hactenus sub nomine Iehova contineri expressionem αὐτουσίας negavit? Proinde dum obiiciunt filium esse a patre, id ego libenter non modo confiteor, sed perpetuo etiam praedicavi. [1]) Verum hoc est in quo asini isti falluntur, quia non considerant nomen filii dici de persona, ideoque in praedicamento relationis contineri: quae relatio locum non habet, ubi de Christi divinitate simpliciter agitur. Qua de re eleganter disserit Augustinus in Psalmum 68. quem scriptorem isti identidem iactitant, quum tamen nihil unquam illius, nisi rhapsodias, nescio quas, legerint. Verba sunt: Si quis interroget idemne sit pater quod filius, responde, secundum substantiam idem esse, non secundum quod ad aliud dicitur. Ad se enim Deus dicitur, ad patrem filius dicitur; rursusque pater ad se Deus dicitur, ad filium pater. Quod dicitur ad filium pater, non est filius; quod dicitur filius ad patrem, non est pater; quod dicitur ad se pater, et filius ad se, hoc est pater et filius idem Deus. Hactenus ille. Iam, ista distinctione adhibita, quid, obsecro, ambigui manet amplius? Quamobrem idem sanctus vir, Homilia in Ioannem 39. postquam movit hanc quaestionem, qualiter [pag. 64] pater et filius sint simul principium, hac solutione utitur, quod hoc solo numerum insinuant, quatenus sunt ad invicem, non autem quod ad se sunt. Item in Psal. 109: Si pater principium est, inquit, et filius principium, suntne duo principia? Minime. Sicut enim pater est Deus, ita et filius Deus; itaque uterque est principium. Et, Homil. 38. de Columba et spiritu, copiose tractat quantum intersit relative aut substantialiter de Deo loqui.

Nunc ad Carolum redeo. Fingit Calvinum in synodo Bernensi in eas angustias redactum esse, ut misere sudaret nec se posset extricare; quasi haec solutio, qua tunc quoque usus est Calvinus, adeo sit perplexa vel intricata. Sed iterum admonendi sunt lectores quam vel obliviosus sit, vel non compos mentis, qui Calvino in memoriam reducit synodum Bernensem, quum synodo Lausannensi se interesse fingat, quae tempore praecessit. Ut tamen hoc illi condonem, quod difficile sit tam multa

1) De Synodis.
2) Sermone 38. de tempore.
3) *In impresso typis latinis maiusculis legitur.*

1) *Hic satis aperte autor se Calvinum prodit.*

mendacia contexere, quin repugnantia interdum appareat, argumenta eius qualia sint expendamus. Christus, inquit, genitus est a patre, ergo non est a se ipso. Item: Christus est filius Dei, ergo ab eo est qui eum genuit: Pater autem alius est ab eo, ergo habet esse ab alio. Concludit esse blasphemiam, quum dicitur Christum esse a se ipso. Atqui, annon videt se aerem verberare, quum non aliud tandem colligere possit, [pag. 65] quam personae non convenire quod Calvinus recte de essentia praedicavit? Quod si contradictionem quaerit in verbis Calvini, quaerat eandem in Augustino et Cyrillo et aliis, quibus tantum se deferre simulat. Verum operae pretium est notare argutam obiectionem qua Calvinum constringit. Praefaris, inquit, te dicturum de iis quae ad Christum peculiariter attinent; ergo proprietatem hanc esse affirmas secundae personae. Quid hoc sophismate putidius? Nam quod illic Christus nominatur Iehova, an hoc illi proprium est? ac non potius cum patre et spiritu sancto commune? Multa, inquam, illic habentur ex aequo tribus personis communia. Carolus autem particulam unam arripit ex qua frigidam cavillationem struat. Quorsum ergo, dicet quispiam, spectant haec Calvini verba? Nempe ad incarnationem, de qua illic disserit. Hoc enim proprium est filii Dei, quod carnem nostram induit, ut deus esset ac homo, unitis, non confusis naturis.

Respondi ad omnes calumnias quibus tam gravem suam accusationem adornavit, et ita respondi ut planum esse omnibus confidam, eum maiori ex parte improbe et sine colore ullo mentiri, in reliquis, ea quae recte dicta sunt, ineptis cavillationibus maligne depravare.

Restat ut paucis exponam quis synodi Bernensis fuerit exitus. Coacta autem fuit synodus illa circiter tertio post mense quam Lausannae [pag. 66] damnatus fuerat Carolus. Illuc convenerant omnes fere agri Bernensis pastores, qui linguae sunt germanicae. Aderat etiam maior senatus, ut loquuntur, qui constat ex ducentis. Causa tractata fuit, nec tumultuose agitata tantum, sed audita magno silentio. Ut autem sciant lectores quanta gravitate causam illic iterum egerit Carolus, in primam exordii sui periodum tria mendacia incluserat, in quibus refellendis adeo nihil negotii habuit Calvinus, ut duo totius senatus testimonio coarguere potuerit. Ac multa quidem suspiciose adducta fuisse a Carolo semper audivi, sed quibus ita responderint Farellus, Viretus et Calvinus, ut auditorio satisfieret. Certe fratres sua sententia eos facile liberarunt ac iudicarunt prorsus innocentes: quae autem sententia fuerit clarissimi senatus, ex diplomate quod mox subnectam patebit. Hoc autem loco persuadere vult Carolus, admissos ad se recriminandum fuisse a Megandro, tunc Bernensis ecclesiae pastore; quasi vero in synodo trecentorum fratrum potestas penes Megandrum unum fuerit, aut senatus fuerit illic muta persona, qui nullas haberet in iudicando partes. Sic ergo res habet. Senatus quum iam Carolum pro calumniatore haberet ac sua conscientia iam eum damnasset, ultro Farellum, Calvinum et Viretum rogavit num quid adversus eum haberent: senatui enim placere in medium proferri, si quid peccasset in suo ministerio. Hic [pag. 67] Carolus tergiversari et negare accusatores esse legitimos quos tam atrocis criminis reos peregisset. Ad hoc respondit senatus delatos quidem esse ab illo, sed accusationem procul a probatione abfuisse. Itaque rursum dicere iussi sunt quidquid illis videretur. Carolus ubi se talibus subterfugiis nihil proficere intellexit, voluit ipse praeoccupando ansam agendi illis praecidere. Sed operae pretium est artificium notare quo usus est. Putavit enim, si sua ipse dedecora ultro ingereret, alios verecundia retentum iri, ne verbum amplius adderent. Coepit autem foetorem suarum scortationum movere ac referre qualiter in Gallia sub signis Veneris militasset. Postea, quum vellet praeteriti temporis ignaviam excusare et plenam perfidiae dissimulationem, qua Christum et evangelium prodidisset, historiam retulit non alio quam propriae amentiae impulsu quae omnium exsecrationes in eum merito concitaret. Confessus enim fuit se autorem fuisse ut duo adolescentes innoxii in vinculis tenerentur, donec duo iudices advenirent, quos certum erat fore carnifices ad fundendum pium sanguinem, et ita miseros illos suo consilio periisse. Incredibile quidem dictu est, sed nimis multi sunt testes. Quid ergo dicemus, nisi illustre fuisse divinae vindictae documentum, quod tanto furore excaecatus fuerit ut eum nihil puderet, non dico coram quadringentis hominibus, sed coram senatu [pag. 68] Bernensi primum, deinde coram ecclesiastica synodo, iactare multa sua flagitia quae latebant, et se omnibus detestabilem reddere? Hanc coronidem praeclarae suae actioni attexuit, ut nihilo melius finiret quam inceperat. Tunc Farellus surrexit ac de scortationibus quidem sic loquutus est, ut palam esset omnibus eum in talibus spurcitiis invitum versari. Summa orationis haec fuit: Bene fecisti, Carole, quod tuam turpitudinem detegendo sublevare nos voluisti narrandi molestia. Utinam vero prorsus tacuisses, aut satis dixisses, quo possem hunc totum locum praeterire. Sed tua commemoratio, quaedam veluti invitatio fuit ad plura dicenda. Fingis te amasse domicellas? id quidem soles gloriari: scitur enim quales feminas hac ignominia asperseris. Sed interea taces de putidis scortationibus in quibus instar porci volutatus es. Tenesne memoria quo in facinore Lutetiae deprehensus fueris ad insigne clavis, quod diversorium situm est prope aream sancti Ioannis

Arenarii?[1]) Cur me cogis coram tot testibus ac talibus viris referre te ab hospita fuisse observatum, dum clanculum ad puellam introires, quam ex prostibulo acceptam, cognatam esse tuam simulabas? ac scortum maximis clamoribus fuisse abactum e sinu tuo? Recordarisne quum ad Gervasii conciones haberes, tres pios et probatae integritatis viros, quum ad te mane venissent salutatum, meretricem in [pag. 69] lectulo tuo reperisse, ac ita fuisse offensos, ut te ab eo tempore, tanquam monstrum aliquod, horruerint? Recognosce etiam quam multis simul locis scorta alueris, quorum unum quoddam uxoris praetextu occultum habebas. Quum autem mentio de te incidisset in coetu piorum virorum, patefactum fuisse, te quinque aut sex habere diversis locis supposititias uxores. Quis unquam taurus tam prostitutae fuit libidinis aut lasciviae? nunc et iocando apud talem consessum foeditatem tuorum amorum extenua. Quam autem strenuus fueris athleta in propugnando evangelio et quali ardore aut studio incubueris, quid referam? Una haec historia, opinor, quam retulisti, locupletissima erit testis. Capti erant adolescentes illi ob suspensa quaedam simulacra, quo die papistae panaceum suum idolum gestant. Iuvenile quidem et inconsideratum facinus, nemo negat. Fateris tamen, quod in eorum excusationem tibi a quodam dictum fuerat, summopere arrisisse: digna fuisse illa simulacra pluribus suspendiis, quae tot annos Dei gloriam per sacrilegium furata essent; fateris etiam illos ne levi quidem poena dignos fuisse, qui zelo Dei permoti, magis quam pravo animi affectu, rabiem impiorum in se accenderant. Sed fingamus petulantiam illorum modica aliqua castigatione coercendam fuisse, quod fervor aetatis paulum ultra metas eos extulerat. Tu illius loci pastor eras; res enim gesta [pag. 70] est Alenconii.[2]) Idolum circumferebatur per urbem non sine insigni Dei contumelia et sacrosanctae coenae Domini profanatione, quod tu quoque fateris: vocasti enim Deum panaceum papistarum. Eratne silendi tempus? negabis te fuisse canem mutum, et aliud idolum, qui ad tantam abominationem tacitus conniveres? Quis non videat iuvenes istos tanquam ex lapidibus suscitatos fuisse a Domino ut lapides ipsi perfidum tuum silentium damnarent? Saltem hoc tibi in mentem venire tunc debuit: Cur non ego potius, quod officii mei erat, in idola invectus sum, quam ut, me cessante, isti manum admoverent? Sed ne tunc quoque verbulo uno indicasti, quantum tibi idololatria, qua polluti erant omnes tui, displiceret. Hoc vero extremae est nequitiae quod miseros illos deserere non contentus, etiam in manus carnificum tradidisti. Hoc quis tibi ignoscat? Non pater tuus, si hodie vivat, detestetur talem filium? Haec, sicut dixi, summa orationis fuit. Sed tanta vehementia audio Farellum egisse, ut Carolus attonitus et tanquam subito fulmine ictus obmutuerit.

Surrexit postea Viretus, qui, quum in animo haberet breviter duntaxat perstringere; quam praeclare se in ecclesia Lausannensi Carolus gessisset, quale fuisset vitae eius exemplum in aedificanda ecclesia, admonitus fuit a consessu ut, quam inter se disceptationem habuerant de mortuorum, [pag. 71] ut loquuntur, suffragiis, paucis exponeret. Hic Carolus pro solita sua protervia interpellavit ac se quoque proferre velle dixit, quibus argumentis in asserendo suo dogmate niteretur. Vireto autem nihil erat optabilius quam rem totam probe cognosci et utriusque partis exacte perpendi rationes. Sed ne in immensum exiret actio, convenit ut de scripto recitarentur, quae tam a Carolo quam a Vireto prodita fuerant.

Axiomata Caroli et probationes.

Ecclesiam catholicam pro cunctis fidelibus defunctis pie orasse ac orare ut liberentur a morte et vitam venturi saeculi consequantur.

Suppono duo. Primum quod fideles mortui sunt de ecclesia Christi, et Deus non confunditur vocari Deus eorum (Matth. 22, 32; Marc. 12, 27). *Item, sive vivimus, sive morimur, Domini sumus: in hoc enim Christus mortuus est et resurrexit, ut dominetur et mortuorum et viventium. Item August. lib. de Civitate Dei 20. cap. 9. ait: Neque enim piorum animae mortuorum separantur ab ecclesia.*

Secundum suppono defunctos in Christo nondum repromissiones accepisse nec consummatam felicitatem quam consequuturi sunt, adeptos fuisse; exspectant enim immortalitatem suorum corporum. Oportet enim corruptibile [pag. 72] *hoc induere incorruptionem et mortale hoc etc.*

His suppositis, probo conclusiones his rationibus quae sequuntur ex scriptura desumptis.

1. Primo, Christus oravit pro omnibus electis, qui eum praecesserant, qui tunc erant et futuri erant. Nam se pro illis obtulit; oravit autem efficaciter, pro quibuscunque se obtulit, ergo pro fidelibus defunctis. Orabat autem ut complerentur in omnibus membris suis omnes promissiones evangelicae, quarum finis et complementum est resurrectio mortuorum et vita venturi saeculi.

2. Item, nunc orat Christus pro omnibus membris suis ut perficiantur; defuncti sunt membra Christi, ex primo supposito: Igitur etc.

3. Praeterea, Christus vivens in carne passibili oravit liberari a morte, quam volens subiturus erat,

1) *Hodie dicitur: place de Grève.*

2) *Alençon in Normandia.*

hoc est suscitari. Hebr. 5 (7), Psal. 16 (10) Non derelinques etc., et Psal. 22 (20) Ergo idem possum pro me ipso petere per ipsum. Si pro me, ergo est [1] *pro toto corpore ecclesiae.*

4. Rursus apostoli hoc idem orarunt Rom. 8 (22) Non solum omnis creatura congemiscit etc., ex quo loco duco sic argumentum: Paulus gemebat adoptionem filiorum Dei et redemptionem corporis eorum; ergo postulabat. Nam gemere et postulare ex eodem loco sunt: idem et non aliquorum, et aliquorum non. Nullos enim filios Dei a suo gemitu [pag. 73] *excludebat; ergo neque ego aliquos a tali meo gemitu et postulatione excludere debeo.*

5. Item, Christus docuit nos orare ut adveniat regnum Dei. At regnum Dei non erit completum, nisi in resurrectione mortuorum et vita etc. quando scilicet finem accipiet peccatum, et novissima omnium inimica destruetur mors, et tradet Christus regnum etc. Ergo qui orat adventum regni Dei, comprehendit et resurrectionem mortuorum et vitam etc.

6. Item in eadem oratione docuit ecclesiam petere liberari a malo, ergo a Satana, peccato, morte et inferno.

7. Item dilectio proximi hoc exigit et iubet: debeo petere fratri id bonum quod mihi peto, non solum viventi, sed et mortuo. Nam quare mors illum statim excluderet a tam pio voto quod ipsi nuper efflanti animam optare debebamus? Aut doceatur per scripturam cur, intercedente morte, excludi debeat.

8. Postremo quidquid promissum est a Deo, nondum exhibitum, pie et sancte peti debet. Resurrectio mortuorum et vita etc. promittuntur a Deo, et nondum sunt exhibita, ergo peti possunt et debent, et hoc est orare ut mortui resurgant. Igitur etc.

Confutatio.

1. Principio quod Christum pro omnibus electis, [pag. 74] etiam qui eius adventum praecesserant, orasse obiicitur, id non ad quamlibet orationem pertinet, sed ad eam specialiter referendum est, qua suum pro fidelium redemptione sacrificium patri ut acceptum esset postulavit. Ea autem oratio sic coniunctam habet cum sacrificio rationem, ut non per se aestimanda, sed, quemadmodum ab illo dependet, ita etiam ad illud limitanda sit. Dicimus ergo eandem fuisse orationis eius rationem, quae sacrificii erat; inepte vero ipsam, praeterita sacrificii mentione, considerari, a quo avelli nullo modo potest, ut istius orationis postulatio tota sub sacrificii efficacia contineatur. Quod si Christi exemplum illud ad nos trahere libet, non tam imitabimur eum, poscentes ut mortui suscitentur in gloriam quam ut peccatorum remissionem consequantur, qualis fuit eius postulatio. Caeterum ubi certam orationis formam concepit Christus, non mortuos complexus est, sed primo loco apostolos suos, deinde omnes qui in se credituri essent. Eodem capite non aliud electis suis comprecatur, nisi ut a maligno liberentur, quod ad mortuos nihil spectat, ut alio loco dicetur. Ex eiusmodi apertis orandi formulis potius discendum nobis est pro quibus precatus sit Christus.

2. Eadem est ratio illius intercessionis qua nunc sanctuarium coeli ingressus defungitur. Mors enim eius aeterna est quaedam intercessio [pag. 75] pro peccatorum remissione, resurrectio pro vita aeterna. Ab hac exin ad huiusmodi intercessiones deduci nulla ratio patitur, quum nihil habeant simile. Quin etiam si huic intercessioni certas et definitas petitiones affingamus, ridicule id facimus: quandoquidem per ipsam intelligendum nihil aliud est quam aeterna mortis et resurrectionis Christi virtus.

3. Precatio cuius meminit autor epistolae ad Hebraeos ea ipsa est quae ab evangelistis recitatur, nempe haec: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Neque obest quod illic dicitur fuisse exauditus; quo significatur simpliciter, patrem filii sui votis non habuisse clausas aures. Ne quis autem hoc alienum a scriptoris sensu commentum esse causetur, nihil apertius est quam istam esse germanam loci sententiam: filius erat non neglectus a patre, oravit ut a morte liberaretur, discere tamen patiendo obedientiam ipsum oportuit. Quod ex Psalmo 16. citatur, non est vice precationis accipiendum. Infirmum enim alioqui fuisset Petri argumentum ex hoc loco ad probandam Christi resurrectionem. Colligit enim id in Davidem competere non potuisse, quando eius cadaver computruisset. Nonne tota eius ratiocinatio eludi poterat, si quis respondisset, Davidem quidem orasse, sed non exorasse? Neque etiam si concedatur, Christum a patre petiisse ut suscitaretur, protinus illud exemplum ad nos derivari potest, quorum [pag. 76] non refert suscitari, nisi impleto Christi regno. Illius autem, qui aliis vitae fiducia esse debebat, necessaria erat subita resurrectio, ut ne corruptione quidem attingeretur.

4. Gemitus ille fidelium, quo in suae redemptionis manifestationem suspirant, videndum est e quo fonte oriatur. Dixerat paulo ante apostolus, ipsas quoque inanimatas creaturas naturali quadam inclinatione ferri in suam perfectionem, quae gloriam regni Dei consequetur. Hinc a minori ducit rationem. Multo igitur magis nobis ingemiscendum, qui spiritus primordiis sumus praediti. Ex ea, inquam, fiducia proficiscitur eiusmodi desiderium.

1) *Vide an legendum sit:* et.

Ergo ideo ingemiscunt filii Dei, quia obsignati sunt Dei spiritu, cuius arrha in spem resurrectionis confirmantur. Inde probari non potest, alteri pro altero ingemiscendum. Quare id quod circa probationis finem subiicitur, si indicat Paulum sic pro se ingemuisse, ut pro aliis quoque ingemisceret, cum ipsis eius verbis pugnat, quae certitudinem illam praemittunt et ex ea demum suspirium derivant. Mihi autem salutis tuae certitudo obsignata non est. In summa, unusquisque, ut se filium Dei agnoscit, ita ingemiscit redemptionis suae desiderio. Verum hic aliud quoque cogitandum est. Nam quoties haec sanctorum desideria in scripturis occurrunt, clarissime primum exprimitur, eos praesentis miseriae odio magis illuc rapi quam quod acceleratum [pag. 77] diem illum cupiant. Deinde tandem in hoc articulo preces omnes terminare ut a carnis corruptione liberentur. Sic Paulus Phil. 1 (23) non cupit suscitari, sed dissolvi. Sic et 2 Cor. 5 (8) multa praefatus de gemitu illo, quo electi in suae resurrectionis votum feruntur, tandem concludit nos magis probare a corpore peregrinari ut Dei praesentia fruamur, non autem corpus recipere. Sic et Rom. 7 (24) nihil ultra quam a corpore morti obnoxio liberari optat, nec reputat se infelicem nisi quia peccatis exercetur. Desinat ergo certamen illud et miseria una finietur.

5. Probatio quam conatur ex eo elicere, quod praeceperit Christus orare ut veniat regnum Dei, prorsus est enervis. Sed principio observandum in hac formula, quae ad Deum referri debeant, quae ad nos. Primo petimus nomen eius sanctificari et regnum eius advenire, quae tametsi secum nostram trahant sanctificationem et veram beatitudinem, ad nos tamen proprie non pertinent, neque se ipsos sancti respiciunt, quum ista postulant, sed Deum, cuius gloriam adeo suis praeferunt commodis, ut cupiant Moses Exod. 32 (32) et Paulus Rom. 9 (3) ille deleri de libro vitae, hic anathema fieri a Christo, potius quam ut Deus male audiat, et non sit illius nomen omnibus sacrosanctum et venerandum. Deinde perperam interpretamur orationis verba, si de iudicii die maturando ipsa accipimus. Nam id esset Christi regno [pag. 78] accisionem potius quam incrementum precari. Sed hunc habet sensum petitio ut Dominus in electis suis spiritus sui virtute resplendeat, adversariis potentia sua resistat, donec dies ille venerit, qui eius regno ultimam afferet perfectionem, idque eo ordine, quem ipse optimum fore providebit. At regnum Dei non erit completum etc. Si aliter putat orandum quam in genere, eo more quo Christus docuit, et iis verbis, nempe ut veniat regnum Dei, descendatque ad huiusmodi proloquia: orandum est pro resurrectione mortuorum, ergo pro mortuis, etc., ego quoque inde colligam multa absurda, nempe orandum pro Christo et angelis et utrumque hac mea oratione comprehendi, quod pugnat cum Christi instituto. Si obiiciat, Christum hac in parte et angelos nihil habere nobiscum commune, respondeo, hoc argumento parem vim habere utriusque consequentiam, quum sit eadem omnino in antecedentibus similitudo. Quin pro coelo quoque et astris, terra et reliquis creaturis esse precandum, admittere cogetur, ut a corruptione liberentur, et nova fiant omnia, sicut fore praedictum est. Sequuntur enim et ista complementum regni Dei. Praeterea si mihi oranti, ut veniat regnum Dei, ista cogitatio sese obtulerit de mortuorum resurrectione, eadem ratione mihi orandum, ut impii quoque resurgant aeternis cruciatibus addicendi. Nam aeque declaratur regnum [pag. 79] Dei impiorum condemnatione atque piorum salute. Neque id in genere duntaxat, sed singulatim, modo sub conditione. Igitur pro parente impio non aliter huic orandum colligam, ut tradatur gehennae, quam pro Petro ac Paulo, ut beatum corporis resurrectionem sortiantur, quod sane nobis in mentem venire Dominus noluit.

6. Dum liberari a malo interpretatur, liberari a morte, respondeo malum illud nihil esse aliud quam tentationem illam ipsam, quam eo in loco deprecamur, ut sit exegesis prioris sententiae, addita in modum antitheseos. Atque huc facit, quod Lucas, qui eandem refert orationem, postremam illam particulam in totum omisit, quam amplificandi et explicandi gratia videtur Matthaeus addidisse, ut malum constet esse tentationem. Ipsa quoque vocabuli significatio, ut alia desint, sic cogit interpretari, quandoquidem ea voce utitur, quae in novo testamento pro maligno et malitia usurpatur. Id enim πονηρὸς [1]) significat Matth. 13 (19); 1 Ioann. 2 (13); Ephes. 6 (16); 2 Thess. 3 (3); Ioann. 17 (15) ubi orat Christus patrem, non ut suos tollat e mundo, sed liberet eos a malo, innuens scilicet aliud esse malum, de quo hic agitur, aliud tolli a mundo, hoc est liberari a morte corporis. Neque excipere licet malignum pro diabolo accipi posse, cuius tyrannide tamdiu detinemur, quamdiu morti subiacemus. Hoc enim epitheto, quo hic ab effectu designatus est, intelligimus [pag. 80] a qua ipsius potestate optemus liberari. Nihilo illud magis audiendum, precari nos ut ab omni eo eximamur quod peccati malum consequitur. Alioqui orandum esset ne ipsam quoque mortem subeamus.

7. Debere nos fratribus non minus boni quam nobis ipsis optare fateor. Neque vero nobis aliud boni a se poscere nos docuit Dominus, quam ut remittantur nobis delicta etc. Quae precatio ad mortuos spectare non potest, iam extra miserae

1) *In edito textu legitur:* PONIROS.

huius conditionis aleam positos. Suspirium autem illud, iam dictum est, non nisi a singulari affectu proficisci, quo fidelium unusquisque peculiariter tangitur, pro miseriae praesentis taedio ac iuxta fidei suae modum. Quod ergo nos fratribus nostris optare voluit Dominus, id optemus, corporis sui redemptionem expetant, qui se regni coelestis haeredes fore certo confidunt.

8. Ad postremam obiectionem, qua pro confesso sumitur, sancte peti posse quidquid promissum a Domino necdum exhibitum est, respondeo, in concipiendis precibus semper esse spectanda mandatum et promissionem. Praescripta sunt quae orare pro fratribus debeamus, nempe ut quotidianum illis suum panem Dominus largiatur, ut peccata illis remittat, ut eos a tentatione liberet. Quod nobis exposcimus, ut primo quoque tempore dissolvamur, ab hoc peccatricis massae carcere liberemur, id anne aliis expediat, [pag. 81] quia incertum est, illis poscendum non est. Ut quisque sibi negotium fieri a carne sua sentit, pro suo peculiari affectu, peculiare etiam suspirium emittere debet. Multo minus nobis petenda est ipsorum resurrectio, quum ipsi etiam, receptis albis stolis, quiescere iussi sint, donec conservorum numerus impleatur Apoc. 6 (11).

Manet ergo istud nobis inconcussum nullis canonicis scripturis hanc orandi rationem approbari. Iam quum sit certissimum, affici Deum contumelia, nisi perpetuo eius voluntatem in oratione respicimus, nulla autem in scripturis omnino particula sit, quae nos de quiescentibus in Christo sollicitos esse debere insinuet, dogma Caroli vanum et inutile esse constat, futile et curiosum.

Huc accedunt quaecunque sanctorum exempla in scripturis leguntur. Nullum enim eorum pro mortuis orasse memoriae proditum est, quum tamen omnia, quae exhiberi mortuis officia solent, diligenter et paene anxie scriptura recitet: quemadmodum videmus in Sara, Iacob, Ioseph, filio Davidis, Ioanne Baptista, Stephano factum. Atque id quidem optima ratione. Nam qui adhuc premuntur hoc corporis ergastulo, cum peccato et carne luctantur, gemunt sub corporis pondere, laborant et dura exercitatione vexantur, soluti conquiescunt. Mortem enim Paulus vocat cursus consummationem 1 Timoth. 6.[1])

[pag. 82] Proinde recte Iacobus, qui mutuum orandi officium continet inter peccatores, Confitemini, inquit, vicissim peccata vestra, et orate alter pro altero, ut sani sitis (Iac. 5, 16). Nempe orandum pro fratribus indicat, quoniam sunt peccatores, qui orationibus nostris iuvari opus habeant.

Porro si saeculo apostolorum mos iste obtinuerat in ecclesia, mirum cur non inde potius mutuetur argumenta 1 Cor. 15 apostolus ad probandam resurrectionem, quam ex aliis quibusdam locis. Satis enim nervorum habuisset argumentum, si rogasset: Ecquid ergo oratur pro mortuis, ut a morte liberentur et veram adipiscantur resurrectionem, si mortui omnino non resurgunt?

Quantum ad veteres attinet, quotquot in eorum scriptis exstant conciones in martyrum memoriam habitae, nullum postulandae eorum gloriae apiculum continent. Atqui si de mortuorum resurrectione solliciti erant, eorum resurrectionem debebant potissimum expetere, quos persuasi erant in Domino vere esse mortuos. Hoc ergo eorum exemplum nobis quoque, sicut scripturae doctrina, suffragatur.

His recitatis, praeposteram ac importunam agendi rationem, quam tenuerat Carolus in hoc dogmate publicando, Viretus exposuit. Nam quum nullam unquam mentionem fecisset eius rei coram Vireto, dum hic Genevam invisit, ille [pag. 83] praeter hominum opinionem, quum placide docere populum deberet pro suggestu, subito in contentiosam disputationem prorupit, quae nihil simile haberet cum forma sacrae concionis. Legebat enim praeclara illa axiomata et, quum singulis insisteret, se tumultuose commovebat ac si cum manu armata digladiaretur. Neque tamen satis animadvertebant etiam qui erant ex auditoribus doctissimi, unde erumperet tantus impetus, aut quorsum evaderet, nisi quod quum in fine diceret se nolle doceri a iuvene, suspicati sunt Viretum ab eo perstringi. Neque vero papistis consentiebat, nam figmenta eorum omnia de purgatorio clamabat vana esse, et cum ratione pugnantia: nullum enim esse purgatorium ignem, nullas mortuorum poenas, pro quibus precationes fieri vellet; nec in praesens sublevari ullis vivorum suffragiis, sed tantum pro ipsis orandum esse ut diem iudicii Deus acceleret: hanc orationis speciem in primo gradu prodesse virgini Mariae, prophetis et apostolis, postea in universum aliis ecclesiae membris. Hoc Vireto quum nunciatum foret, mox repetiit Lausannam, ac cum illo bono viro expostulavit quod, se inscio, novam doctrinam sparsisset. Ego certe, dicebat, collega sum. Eam inter nos communicationem esse decet ut neuter in docendi ratione quidquam ab altero separatum habere debeat. Si quid mysterii habes tibi revelatum, ne graveris me participem [pag. 84] facere. Nosti me esse docilem; libenter amplectar si quid ex te audiero melius quam hactenus didici: sin temere aliquid effutivisti, patieris te admoneri a collega et amico. Hac oratione quum nihil aequius fingi possit, eam tamen non minore superbia repudiavit ille thraso quam initio eum contempserat. Longum esset reliqua omnia narrare, nec possum om-

1) *Imo 2. Tim.* 4, 7.

nia recordari quae saepe audivi de iis qui adfuerant. Colligam tamen magis insignia, quibus eum Viretus ministerio indignum esse convicit. Narravit pium quendam virum circumventum ab eo fuisse, quum catenulam auream, quae quatuor aureos scutatos pendebat, ab eo partim blanditiis, partim imperio abstulisset ac pretii loco solvisset duos coronatos duntaxat. Narrabat etiam minime per eum stetisse, quo minus eam catenulam in collo gestaret uxor, ac si illud tolerabile esset in uxore ecclesiastici pastoris. Protulit deinde insigne flagitium, quod ebrius, non sine omnium risu, ab adolescentibus protervis domum reductus esset. Vix puer erat decennis Lausannae, qui nesciret spectaculum illud tantae obscoenitatis Carolum populo praebuisse. Quin etiam recensuit multa exempla, unde constaret Carolum nimis saepe a vino decipi, nec sibi tamen posse cavere. Nam et hoc vitii habet quod ebrietatem suam tegere nequit. Indicavit praeterea arcanam pactionem, qua transegerat Carolus cum Martino quodam famulo [pag. 85] suo, ut sibi annuam ex sacerdotiis pensionem solveret. Ita quum honestum haberet ab ecclesia stipendium, quod saltem ad frugales sumptus sufficeret, eum ex sacrilegiis luxuriari ostendit.

Haec, ex gravium testium relatu, praecipua fuisse intelligo, quae Viretus in Carolo reprehendit, quanquam alias plerasque vitae eius maculas detexit et ineptias in doctrina, quas recensere operae pretium non est. Quae autem obiecta sibi fuisse commemorat, impudenter ipse suo more confinxit, aut pro suo commodo in alienum sensum detorsit. Neque vero consilii sui finem dissimulat: nam a magistris nostris gratiam aucupatur, quod pro illis fortiter vel capitis sui periculo dimicaverit. Atqui certum est eum non nisi pro insana sua ambitione dimicasse. Postea contumeliose invehitur in clarissimum senatum Bernensem, quod haereticos retinuerit in honore, fidei vindicem et assertorem in exsilium eiecerit. Hoc quidem ipse dicit, sed nemo ei credet. Memini me audire Bernae, inter altercationes hanc illi vocem excidisse: Ego hic sum ut Athanasius. Sed hanc vocem sic fuisse repulsam a Calvino, ut stolidae suae iactantiae valde eum poeniteret. Ostendit enim quid in studio asserendae rectae fidei, quid in doctrina, quid in constantia, quid in laboribus perferendis, quid in pudicitia, quid in sobrietate, quid in gravitate morum, quid in totius vitae honestate simile haberet cum Athanasio [pag. 86] aut ab eo diversum; et in clausula adiecit: Nisi forte huc respicit tua accusatio, quod sicut perpetratae caedis accusatus fuit Athanasius, ita ne hoc crimine graveris times. At illi sancto viro falsam et impiam calumniam struxerant Ariani, tu autem quaere ex tuo comite, quem hic sumptibus tuis, tanquam famelicum canem, alis, quis illum subornaverit, ut ante annos tres sancte iuraret, te cum quibusdam aliis tuis sodalibus consilium iniise de sacerdote clam necando, quod nimis garrulum esse diceretis, ne sua loquacitate vos in periculum traheret. Tu vero, os impurum, nos facis Arianos? in quibus nihil habes quod reprehendas, nisi quod divinam Christi essentiam expressius asserimus quam tibi adlubescat. Haec tunc Calvinus, ut audivi. Nunc etiam hic thraso haereticos superciliose pronunciat, in quibus ne minima quidem suspicio impietatis, quam falso illis impingit, haerere potest, et gloriatur se fidei patronum, qui religiones omnes pro fabulis habeat, plurisque abbatis unius culinam quam aeternum coeli domicilium et haereditatem nobis a Christo acquisitam faciat. Sic autem res habuit.

Senatus partibus auditis et causa rite discussa, Farellum, Calvinum et Viretum puros et immunes ab haereseos nota, quam illis Carolus inurere conatus erat, pronunciavit, nec alios sibi cognitos quam sanae et orthodoxae doctrinae; Carolum vero, tanquam calumniatorem, et propter alia flagitia, [pag. 87] finibus suis iussit excedere. Hoc senatusconsulto recitato deiectus a pristina ferocia et perculsus magna anxietate agitare per quemdam suum fautorem coepit ut poena illa mitigaretur. Allatum est igitur ipsum cum Farello et collegis reconciliationem quaerere. Hic mihi dicat, si tenebat eos Arianismi convictos, cur ministerii societatem cum illis tantopere expetebat? Et si verum est, quod nunc persuadere vult Sorbonicis, corpore se tunc, et quidem invitum, versatum fuisse in castris nostris, quis tunc eum morabatur? Inde ergo apparet, quis sit hominis zelus et quae conscientia. Nam si guttam unam sincerae pietatis haberet, moriendum centies potius fuit quam ut cum manifestis et convictis haereticis redire in gratiam studeret.

Sed pergamus. Ventum est in consistorium, hoc est in iudicium ecclesiae. Illic suam tum nequitiam iterum prodidit. Nam ut calumniae dedecus elueret, coepit de integro disputationem retexere. Consentiebat tamen ad extremum cum illis per omnia, modo paterentur huic sententiae, Christum esse Deum a se ipso, interpretationem attexi, quam ipse adferret. Hoc vero indignum Farello et aliis videri, quod plana et commoda interpretatione, quam dederant, non contentus plus aliquid exigeret. Animadvertebant praeterea hoc eum captare quod initio fugerant ipsum, nec sine causa initio movisse tantas [pag. 88] turbas et fuisse in Farelli doctrina aliquid reprehensione dignum. Responsum est igitur eius esse accipere leges, non ferre, qui bis iam ab ecclesia et semel a magistratu damnatus esset. Illinc autem ad consulem profecti sunt Farellus, Calvinus et Viretus, petieruntque ut prohiberetur Carolus urbe abire, donec, sicuti pronunciatum erat a senatu, ita ipse quoque ore suo confiteretur, eos

esse innoxios et immunes a crimine, cuius illos insimulaverat. Hoc quum denunciasset illi consul pro more, noctem illam alicubi delituit, ac postridie clam aufugit ante diluculum. Audita eius fuga, iterum in senatum veniunt tres illi fratres, ac quam atrox fuisset Caroli accusatio ostendunt: se enim fuisse eius criminis falso delatos, cuius si convicti essent, lapidibus obrui merebantur tam a fidelibus quam a papistis. Postularunt ergo a senatu testimonium suae innocentiae, ne qua nota in suo ministerio resideret. Senatus diploma testimonii concessit in hanc formam:

Nos consul senatusque Bernensis his literis testatum esse volumus, quum doctor Petrus Carolus magistros Guillelmum Farellum, Ioannem Calvinum, concionatores Genevenses, Petrum Viretum, concionatorem Lausannensem, et alios quosdam novae ditionis concionatores haereseos Arianae insimulaverit, super qua criminatione conventus ab illis fuerit primum in synodo Lausannensi, deinde in synodo hic habita, [pag. 89] *ac partibus utrinque auditis, Carolus ipse demonstrare probareque non potuerit veram esse suam accusationem, qua de causa illi qui accusati fuerant, cogniti ac iudicati sunt innocentes, et accusationes iniquae pronunciatae: nunc supradicti Farellus, Calvinus et Viretus, suo et suorum nomine, ius sibi dici adversus Carolum postularunt, pro reparatione iniuriae sibi factae. Nos vero causam consistorio nostro mandavimus, coram quo comparuerunt partes. Verum Carolus sententiae ac decreto consistorii stare noluit. Proinde iterum partes ad nos remissae fuerunt, ac Farellus quidem, Calvinus et Viretus heri se nobis obtulerunt. Sed Carolus non apparuit. Quamobrem eum perquiri iussimus ab uno ex viatoribus nostris, qui retulit eum abiise. Hoc cognito postularunt a nobis supradicti Farellus, Calvinus et Viretus congruo aliquo remedio sibi caveri, ac dari authenticam testificationem innocentiae suae, quod illis iure negare non potuimus. Quare, illorum rogatu, has literas iussimus confici, quibus mandamus ac praecipimus omnibus officiariis nostris, qui a supradictis Farello, Calvino, Vireto, aut eorum sociis in praesenti causa generaliter vel particulariter rogati fuerint, ut adversus ipsum Carolum et eius consortes summarie illis ius administrent. Ita nobis placet, praesentium vigore, quae sigillo nostro sunt obsignatae. Datae septimo Iunii anno 1537.*

[pag. 90] Si hoc solum diploma repellendis omnibus Caroli mendaciis oppositum foret, quid aliud requirerent prudentes et sani lectores? Nunc vero, quum nullum fere verbum sit in toto eius libello, quod non liquido refutaverim productis certis testimoniis, non video quid, post hanc tam illustrem clausulam, dicendum amplius supersit. Et certe quod ad causae defensionem spectat, verbum amplius non addam, nisi quod lectores admonebo, non esse cur valde commoveri debeant, quum audiunt tam exsecrandum crimen Farello aliquando eiusque similibus obiectum fuisse. Neque enim novum est Satanam talibus machinis adoriri Christi servos, ut eos suggillando evangelium infamet. Taceo quam odiose traductum initio fuerit christianum nomen, dum impii iactabant Christianos infanticidas esse et qui religionem suam sanguinis humani potu sancirent, praeterea homines turbulentos et publici status perturbatores, item caput asini habere in sacrario reconditum, quod pro Deo colerent. Innumerae erant eius generis criminationes, quibus imperitorum animi ab improbis et astutis Satanae ministris imbuebantur, ut a Christianis tanquam a scelesta aliqua nefandaque factione abhorrerent. Longum esset commemorare quot et quam gravibus calumniis gravati fuerint eximii quique omnium saeculorum ecclesiae doctores. Praesentibus exemplis contenti simus. Scitur quam indignis [pag. 91] criminibus conati sint initio papistae Lutherum infamare, ut mundo exosam redderent eius doctrinam; neque enim puduit eos huc usque progredi, negare ipsum Mariae virginitatem. Et quid non probri in eum congerere ausi sunt? In nos quoque omnes quid non exsecrationum evomunt furiosi monachi, dum in Christi doctrinam debacchantur? Si illis adhibeatur fides, peiores sunt daemonibus quicunque puram evangelii doctrinam sequuntur. Ita hoc Satanae flabellum, excitando horribili incendio, hoc sibi commodum fore putavit, si aliqua infamia apud ignaros flagraret nomen Farelli. Et sane ita comparatos animis esse decet Christi servos, ut pergant intrepidi per infamiam et bonam famam, sicut Paulus monet. Sed interea falluntur improbi criminum architecti qui Satanae operam suam mentiendo locant. Nam omnes eorum calumniae, etiam si non diluantur, sponte evanescunt. Quo magis ridiculus est Carolus qui inani sonitu suarum iactantiarum Lutheranos, ut vocat, territare vult. Minatur enim illis se magnas librorum farragines vel habere iam paratas ad prosternendam eorum doctrinam vel adhuc meditari. Exclamare libet. Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu? Quanquam fieri potest, ut errem, et ipse aliud spectet. Et profecto spectat; venatur enim sacerdotium aliquod, instar harae, in qua bene pinguiter saginetur. Sperat autem se talibus [pag. 92] promissis elicere posse a Metensi episcopo quod cupit. Hoc enim hodie extremum esse novit subsidium papae et eius praetoriae cohorti, canes passim alere, qui latratu pios et fidos veritatis doctores vexent. Ego autem papistis vel talem causae suae patronum vel talem latratorem non invideo. Quid enim aliud proficiet, quam ut papatum plus iam satis foedum et omnibus flagitiis con-

spurcatum magis ipse deformet? Quanquam melius honori suo consulent Metenses, si eum in tempore compescant ne quid incommodi sentiant ex eius insania. Neque enim excusari poterunt, si eorum permissu, aut saltem illis conniventibus, impune insolescere pergat, quum adversus senatum Bernensem, tum alios christianos principes et status, quorum amicitiam retinere summo studio illis utile est.

FINIS.

EPISTRE

CONTRE UN CERTAIN CORDELIER

SUPPOST DE LA SECTE DES LIBERTINS

LEQUEL EST PRISONNIER A ROAN.

1547.

IEAN CALVIN, SERVITEUR DE IESUS CHRIST, A TOUS CEUX QUI CRAIGNENT DIEU EN LA VILLE DE ROUEN.

[pag. 5] *Reverendi Patres, etc. Quum ipsa muneris nostri ratio, qui in hac sancta Synodo Praesidentium, et sedis Apostolicae Legatorum personam gerimus, hoc postulatura videatur, ut crescentibus negotiis, quae in hoc sacro consessu, ad Dei gloriam, et Ecclesiae utilitatem sunt expedienda, saepius apud vos cohortandi, et commonendi causa verba faciamus, tum vero in hac prima Sessione, quae felix (ut speramus) principium ipsi Concilio est datura, minime hoc a nobis praetermittendum* [pag. 6] *duximus. Eo vero libentius hoc officio fungimur, quod quum vos vel hortamur, ut ea faciatis quae digna tanto conventu sint, vel a contrariis dehortamur, nósmet ipsos etiam hortamur ac dehortamur, qui in eadem quasi navi vobiscum sumus, iisdemque periculis, quibus vos, iisdem tempestatibus subiicimur: nosmet ipsos, inquam, excitamus ad vigilandum, ne vel in scopulos incidamus, qui plurimi procul dubio in hoc cursu sese offerent, vel magnitudine negotiorum tanquam fluctuum obrui nos negligentia nostra patiamur: verum spe et fide erecti, eo navigationem dirigamus, quo maxime portus salutis ad Dei gloriam in Christo Iesu sese ostendet. Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maxime in hoc principio admonendi omnes sumus: unusquisque nostrum ante oculos sibi in primis proponere debet, quaenam sint, quae ab hoc sacro Concilio exspectentur: ex quo quisque facile intelliget, quantum sibi oneris incumbat.* [pag. 7] *Sunt vero ea (ut omnia summatim complectamur) quae in bulla indictionis Concilii continentur: nempe, haeresum exstirpatio, disciplinae ecclesiasticae et morum reformatio, ac tandem pax externa totius Ecclesiae. Haec ergo sunt, quae nos curare, vel potius pro quibus assidue orare, ut Dei benignitate fiant, oportet. Atque illud est, de quo ante omnia in ipso Concilii exordio omnes et singulos, qui huc convenimus, primum autem nos ipsos, qui in tam sancto ministerio praesidemus, admonendos duximus, ne unquam cogitemus, vel per singulos, qui hic adsunt, vel per universum Concilium, etiamsi omnes Pastores ex universo terrarum orbe huc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Christi est oppressus, provideri posse. Si enim putamus hoc a nobis perfici posse, aut ab alio, quam ab ipso Christo, quem Deus pater unicum nobis servatorem et pastorem dedit, cui etiam omnem potestatem dedit, erramus sane in fundamento omnium* [pag. 8] *actionum nostrarum, et divinam iram magis provocabimus. Adiungimus enim ad superiora mala, quae propterea nobis acciderunt, quod ipsum fontem aquae vivae reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quod nostra vel prudentia, vel potentia iisdem malis mederi velimus: ut merito de nobis dicatur, quod propheta, in persona Dei, veterem populum accusans, dicit: Duo mala fecit populus hic: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas non valentes continere aquas. Tales vero cisternae sunt omnia consilia quae a nostra prudentia, non afflata spiritu divino, proficiscuntur: quae non modo populos in pietate et obedientia, tanquam aquas in cisternis, continere non valent: sed quo magis his artibus retinere eos laboramus, eo violentius tanquam torrentes a nobis defluunt, et discedunt, ut superiorum annorum experientia multis in locis satis nos docere potest, et nunc admonere, unicam tantum viam medendis* [pag. 9] *his malis relictam, si nostra omnia remedia inutilia esse agnoscentes, et valere potius ad augenda, quam ad tollenda mala: ad Christi potentiam, quem dexteram suam Deus pater appellat, ad Christi sapientiam, qui est sapientia patris, in omnibus nos, qui patrum personam gerimus, fide et spe confugiamus, huius nos in omnibus ministros esse agnoscamus. Hic vero quaeritur (inquit Apostolus) inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur. Hoc autem nunc nobis agendum est, ut ministros nos in omnibus idoneos praebeamus. Erimus vero idonei, si nos ex nobis minime idoneos esse iudicaverimus. Quis*

---

1) *Haec Admonitio non legitur in ed. Gottingensi actorum C. T. Editiones gallicae libelli Calviniani refutationi proxime sequenti s. Praefationi in Antidotum primum locum concesserunt, huic vero Admonitioni secundum.*

enim (inquit idem Apostolus) ad haec idoneus? ut qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quasi ex nobis, simus sufficientes. Verum hoc fateri non satis est nobis: hoc dicere potuit Apostolus, et per hanc portam ingredi ad obeundum munus suum, et in eo se ministrum fidelem, ac idoneum ostendere: qui simul dicere [pag. 10] *potuit, de ministerio suo loquens: Nihil mihi conscius sum. Nobis vero qui, si verum fateri volumus, aliter dicere non possumus, quin nobis conscii simus in administrando munere nobis imposito, in plurimis defecisse: et horum etiam malorum, ad quae corrigenda vocamur, non minima ex parte causam exstitisse: non satis est hic fateri, ad tantum munus nos impares esse. Quid ergo nobis agendum, ut idonei hoc tempore Christi ministri in Ecclesia instauranda esse possimus? Idem prorsus, quod Christus ipse episcopus animarum nostrarum fecit, quum venit ad fundandam et formandam Ecclesiam suam. Idem sane, Patres, faciendum erit nobis, quod ipsa sapientia Patris fecit, quum venit ut multos filios in gloriam adduceret: id quod nobis item propositum nunc esse debet. Is enim quum oppressos peccatis omnes invenisset, omnia omnium peccata in se ipsum transtulit, seque unum ante Deum pro omnibus reum, et nocentem* [pag. 11] *constituit, ac poenam nobis debitam sustinuit, tanquam omnia flagitia, et omnia scelera, quae nos commiseramus, ipse commisisset, quum tamen ab omni labe peccati purissimus esset: quippe qui peccatum non fecit, neque unquam inventus est dolus in ore eius. Quod vero Christus, pro immensa sua caritate erga Deum patrem, et pro misericordia erga nostrum genus fecit, hoc nunc, ut ipsi faciamus, iustitia ipsa a nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Christi est oppressus, nos pastores coram tribunali misericordiae Dei reos constituamus: atque omnium peccata in nos ipsos non tam pie, quam iuste transferentes, quia re vera horum malorum magna ex parte nos causa sumus, divinam misericordiam per Iesum Christum imploremus. Quod vero dicimus nos pastores his malis, quibus Ecclesia est oppressa, causam dedisse, si quis hoc acrius et magis per exaggerationem quandam verborum, quam vere dictum* [pag. 12] *existimet, hoc quidem ipsa rerum experientia, quae mentiri non potest, comprobabit. Respiciamus ergo paululum ad ipsa mala, quibus Ecclesia opprimitur, ac simul etiam ad nostra peccata. Sed quis haec numerare valeat? quae simul cum reliquis malis multitudine superant arenam maris, et usque ad coelum clamant. Circumscribamus ergo tantam multitudinem nostrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis est vocatum, ea circumscripsit. Sunt vero illa tria, quae supra commemoravimus, haereses, lapsam morum disciplinam, et intestinum atque externum bellum. Hic ergo videamus et consideremus, quum iam multis annis Ecclesia his calamitatibus vexetur, undenam ipsa originem habuerint, num illis nos quodammodo principium, num fomentum dederimus? Primum vero examinemus initium haeresum, quae hac nostra aetate passim pullularunt: quibus si negare volumus* [pag. 13] *nos principium dedisse, quia nullius haereseos ipsi autores fuimus, tamen quum perversae de fide sententiae, tanquam vepres quaedam sint, et spinae, quae in agro Domini, qui nobis colendus commendatus est, ortae sunt, etsi illae quidem sua sponte, ut solent aliquando vitiosae herbae, pullularunt: tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non seminavit, qui pullulantes per se non statim curam adhibuit ut exstirparet, non minus quidem principium illis dedisse dicendus est, quam si ipsas seminaverit: praesertim quum haec omnia a negligentia agricolae ortum ducant, et incrementum habeant. Hic ergo se ipsos excutiant, qui sunt agricolae in agro Domini, conscientiam suam interrogent, quo modo in eo colendo, quo modo in seminando se gesserint. Quod qui fecerint his praesertim temporibus, quibus paucissimi agro Domini colendo incumbunt, non multum (credimus) dubitabunt, num ad ipsos pullulantium passim in* [pag. 14] *Ecclesia haeresum culpa pertineat. Haec vero monendi tantum causa dicta satis sint de his, quae ad primum caput pertinent. Veniamus ad secundum, quod lapsam morum disciplinam, et abusus (ut vocant) complectitur. Hic vero nihil attinet diu investigare, quinam tantorum malorum autores fuerint, quum, praeter nos ipsos, ne nominare quidem ullum alium autorem possimus. Quare ad tertium accedamus, quod impedimenta pacis Ecclesiae in se continet: qualia sunt arma vel domestica, vel externa. Haec enim iampridem pacem Ecclesiae perturbarunt, et adhuc perturbant: de quibus hoc tantum dicimus, si (quod Deus ipse certissimis signis ostendit) haec arma flagella eius sunt, quibus nos affligit: quia duorum priorum capitum rei sumus, in quibus nos excusari non possumus: etiam horum armorum praecipuam nos causam esse, negare non possumus. Eiusmodi vero flagella, Deum ob eam causam immittere censemus, ut nos peccantes castiget:* [pag. 15] *et peccata ipsa, quibus maiestatem eius maxime offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic vero quisquis aliquando animadvertit, quibus modis Ecclesia armorum violentia vexata fuerit, secum ipse consideret, quaenam illa sint, in quibus praecipue Ecclesia, propter ipsa arma, detrimentum patiatur. Nec vero hic refert, de quorum armis loquamur, sive de intestinis nostrorum Principum, sive de externis Turcarum armis, quae superioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt: sive de eorum, qui ab obedientia suorum pastorum discesserunt, et ipsos a suis sedibus expulerunt. Hoc enim summatim dicimus de omni genere armorum, si qui illa contra nos tractarunt, a suis ecclesiis pastores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in episcoporum locum suffecerunt, Ecclesiae*

bona diripuerunt, cursum verbi Dei impediverunt. Hic, inquam, dicimus, nihil horum esse, quod in libro abusuum pastorum maxima illorum pars, qui hoc nomen [pag. 16] *sibi vendicant, per se factum esse, si legere libuerit, non scriptum apertis verbis inveniat. Nostram enim ambitionem, nostram avaritiam, nostras cupiditates, his omnibus malis, populum Dei prius affecisse statim inveniet, atque harum vi ab ecclesiis pastores fugari, easque pabulo verbi privari, bona ecclesiarum, quae sunt bona pauperum, ab illis tolli, indignis sacerdotia conferri, et illis, qui nihil a laicis, praeterquam in vestis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum est, quod negare possimus per hos annos a nobis factum esse? Quare, si Turca, si haeretici hoc idem adversus nos faciunt, quid hic aliud, quam flagitia nostra, et simul iustum Dei iudicium videmus? iudicium vero plenum misericordia: si enim pro meritis nos castigaret, iampridem sicut Sodoma et Gomorrha fuissemus. Cur vero haec nunc commemoramus? An ut vos confundamus? Absit. Sed magis vos, ceu patres et fratres carissimos, primum autem nosmet ipsos admoneamus,* [pag. 17] *quo pacto haec quibus nunc affligimur flagella, et graviora quae impendent, nisi resipiscamus, vitare possimus, ut effugiamus tremendum illud Dei iudicium, omnibus quidem non resipiscentibus tremendum, maxime vero illis, qui praesunt. Iudicium enim grave, inquit Scriptura, his qui praesunt fiet. Iudicium vero incipere nunc videmus a domo Dei. Dum enim nunc eiiciuntur sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus: quid aliud hoc indicat, quam divinum de nobis iudicium, quod praedixit Christus, quum diceret, sacerdotes suos esse sal terrae: quod si sal evanuerit, ad nihil valere ultra, nisi ut eiiciatur foras, et conculcetur ab hominibus? Haec vero omnia nos nunc patimur. Quod si propter iustitiam, ut nostri maiores, beati nos quidem: at nunc iuste quidem, quia sal evanuit: minime autem propter iustitiam patimur: in omnibus enim nostris afflictionibus videmus iudicium Dei. Atque utinam quidem illud videremus:* [pag. 18] *hoc enim initium esset omnia Dei iudicia, et flagella effugiendi, atque in gratiam et veram gloriam ingrediendi. Quae res fecit, ut in his commemorandis acriores et longiores fuerimus. Nisi enim haec bene cognita et perspecta fuerint, frustra intramus in Concilium, frustra invocamus Spiritum sanctum, qui primum ingressum in animam hominis semper facere solet per ipsius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato. Quare, nisi ille Spiritus nos apud nosmet ipsos primum condemnaverit, nondum illum ingressum esse ad nos affirmare possumus: ac ne ingressurum quidem, si peccata nostra audire recusamus. Idem enim dicetur nobis, quod populo veteri per prophetam Ezechielem est dictum, quum nondum agnitis suis sceleribus Deum per prophetam interrogare vellent. Sic autem ait propheta: Venerunt viri Israel ad interrogandum* [pag. 19] *Dominum, et sederunt coram me. Haec autem dicit Dominus: Numquid ad interrogandum me venistis? Vivo ego, dicit Dominus, quia non respondebo vobis. Sequitur autem: Si iudicas eos, abominationes patrum illorum ostende illis. In quibus verbis ostendit Deus, quare noluerit respondere illis, quia nondum scilicet abominationes suas, et patrum suorum audierant. Quare, quum idem Dei spiritus sit, qui tum dabat responsa, et quem nunc nos sedentes coram Domino invocamus: quid nobis faciendum sit, ut propitia responsa habeamus, ex his videtis: et simul quam necessario nos, qui praesidemus in hoc sacro consessu, a detegendis nostris peccatis sermonis exordium vobiscum duximus. Quia vero nonnullos nunc videmus, sua primum peccata et nostri ordinis graviter deflentes, atque Dei misericordiam omnibus votis implorantes: ideo quidem in maxima spe sumus, ad nos venisse, quem invocamus* [pag. 20] *Dei spiritum; hoc vero maximum pignus divinae misericordiae habemus: nempe, ipsam hanc inchoationem Concilii, in quo nunc convenimus ad erigendam et instaurandam paene collapsam Ecclesiam, ut vetus populus, post diuturnam captivitatem apud externos reges, rediit Hierosolymam ad instaurandum templum. In illius vero populi statu; in illorum laeta ad patriam profectione, et templi instauratione, nostri quidem temporis, et nostri status, in hoc praesertim Concilio imaginem intueri possumus: et in ducum eiusdem populi exemplo, vestrum, qui duces estis populo Dei ad coelestem patriam contendenti, officium videre. Quare omnes vos magnopere hortamur, ut saepius ad memoriam revocetis, quae in Esdrae, quae in Nehemiae, quae etiam in Danielis libris sunt scripta: in quibus consilia omnium ducum populi explicantur, quae hunc unum semper scopum habuerunt, ut sua, et populi, atque patrum* [pag. 21] *peccata confitentes ad poenitentiam et implorationem divinae misericordiae omnes excitarent. Quod quum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter successere. Eadem vero consilia nobis, si felicem successum et exitum exspectare volumus in instauranda Ecclesia, ob quam causam laeti huc in spiritu convenimus, sequenda erunt: atque eo quidem magis, quo etiam maiora nobis certamina impendent instauraturis Ecclesiam, quam illis instauraturis templum. Si enim illis multi, quominus id perficeretur, se opposuere, si multi etiam, quum opus impedire non possent, eos irriserunt: hoc quidem sic habetote, nobis nec irrisores defuturos, nec qui maximis viribus a coepto opere nos deterreant et avocent. Habebimus vero non modo colluctationem cum carne et sanguine, sed cum spiritualibus nequitiis in coelestibus. Verum, his omnibus potentior est is, in cuius nomine hoc opus sumus aggressi. Quare,* [pag. 22] *in eo confidamus, ipsum precibus invocemus, et ipse omnia perficiet. Quia vero hoc Concilium quum deliberantium, tum vero iudicantium speciem*

refert, in quo et deliberatur de iis, quae ad universalis Ecclesiae bonum pertinent, et etiam iudicatur tam de rebus, quam de personis (sedemus enim tanquam iudicantes duodecim tribus Israel, quibus comprehenditur universus populus Dei) ideo hic maxime locus videtur nos ipsos admonendi, ut caveamus ab his, quae vel consultandi, vel iudicandi vim in nobis depravare solent. Haec vero sunt ipsae animi passiones, quae ideo etiam perturbationes vocantur, quia rectum, et verum de rebus iudicium, et sensum perturbant, ac pervertunt: in quibus maxime illa sunt cavenda, quae recte monet ethnicus ille in consiliis abiicienda, quum dicit: Omnes homines, qui de rebus dubiis consultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos esse debere. Nam quum in haec [pag. 23] *omne genus hominum sit propensum, tum vero ii maxime qui principibus serviunt: tales enim vehementiores habent affectiones, facillime autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium: ut scilicet ipsos existiment Principes affectos esse, a quibus mercedem exspectant. Quum vero de principibus loquimur, tam de his qui ecclesiastici vocantur quam qui saeculares, loquimur: ac licet quidem nos Principes christianos habere agnoscamus et gaudeamus, id quod in veteri et iam recens fundata Ecclesia patres nostri non habuerunt, tamen ante omnia nobis in hoc Concilio semper est animadvertendum, hunc non esse locum laudandi aliquem, nisi solum Deum in Christo Iesu, atque illum solum iustificandi, omne autem genus hominum condemnandi: primum vero nos ipsos, qui haec loquimur, ut cum Daniele dicamus: Nobis confusio faciei, regibus nostris, principibus nostris, et patribus nostris, qui peccaverunt:* [pag. 24] *tibi autem, Domino Deo nostro, misericordia et propitiatio: quia recessimus a te, et non audivimus vocem Domini Dei nostri, ut ambularemus in lege eius, quam posuit nobis per servos suos prophetas. Et omnis Israel praevaricati sunt legem tuam, et declinaverunt, ne audirent vocem tuam, et stillavit super nos maledictio et detestatio. Hic vero nunc locus esset, ut eiusdem prophetae exemplum sequentes, cuius verba modo recitavimus, non solum nostra, qui sacerdotes sumus, sed populi, sed Principum, coram Deo et Ecclesia eius, peccata confiteremur, proque omnibus veniam imploraremus. Sic vero dicit Daniel: Quumque adhuc loquerer et orarem, et confiterer peccata mea, et peccata populi mei. Nomine populi hoc loco omnium ordinum personas complectens, ut eius confessio, quam modo recitavimus, declarat. Qua in re, quid nobis, qui pro salute universae Ecclesiae tantis malis opressae huc convenimus, faciendum sit, satis* [pag. 25] *indicare videtur: nimirum, ut nostra et simul Principum ac populi peccata flentes confiteamur, id quod plane in spiritu moeroris satis nunc abunde facimus, verbis vero uberius faceremus, si ipsi Principes adessent: qui suam nobiscum confessionem et lacrymas coniungerent. Eiusmodi vero, quasi funiculis, peccatorum, ut prophetae loquuntur, sacerdotum ac principum, atque ipsius populi peccata sunt colligata: ut difficile sit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum simul ordinum peccata appareant. Sic vero omnes ordines una orationis serie accusans, in veteri populo dicit Ezechiel, in persona Dei: Sacerdotes eius contempserunt legem meam, et polluerunt sanctuaria mea: inter sacrum et profanum non habuerunt distantiam. Principes eius in medio illius quasi lupi rapientes praedam ad effundendum sanguinem, ad perdendas animas, et avare sectanda lucra. Populi terrae calumniabantur calumniam.* [pag. 26] *Haec ille: quae utinam ad illa solum tempora pertinerent, ac non nostri quoque temporis imaginem referrent. Utinam quum de corruptela morum sacerdotum loquimur, huic maximam occasionem, maximam materiam, et autoritatem ipsos Principes, atque ipsum populum dedisse negare possemus. Sed reprimamus nunc verba usque ad tempus magis opportunum, fontes autem communium lacrymarum aperiamus. Redeamus vero ad eos, quos coepimus admonendos, praesertim episcopos, qui cum mandatis Principum huc venerunt. Sic vero illos admonemus, ut omni qua possunt fide et diligentia suis Principibus serviant: verum, ut episcopos decet, sic illis serviant, ut servi Dei, non ut servi hominum. Nolite, inquit Apostolus, servi hominum esse. Primum vero serviant uni regi Christo, cui Deus pater omnem potestatem dedit: deinde vero, propter eum, omnibus, maxime autem Principibus: cui honorem, honorem:* [pag. 27] *cui tributum, tributum. Hortamur autem, ut Principibus serviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipsis prae se ferunt: in quibus nihil fere nisi honorificum, et ad publicam utilitatem spectans, proponitur. Sic vero in summa serviant, ut eorum officium in primis spectet ad honorem Dei et utilitatem huius Concilii, quod propter publicum bonum est convocatum. Quare, ut ab hoc maxime dehortamur omnes, qui hic sententias coram Deo et angelis eius, atque coram universa Ecclesia sumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicuius loquamur: sic etiam multo magis, ne ad odium cuiusquam sententiam proferamus, etiamsi contra nos adversarii, vel inimici et hostis personam gerat: denique, ut ab omni inter nos contentione abstineamus, maxime optamus, et in Domino hortamur. Hae enim sunt, quae contristant et repellunt quem invocavimus Spiritum sanctum, sine quo nihil omnino facere poterimus, quod ad* [pag. 28] *bonum et pacem Ecclesiae cedat. Quum enim, inquit Apostolus, sint inter vos contentiones, nonne homines estis, et secundum hominem ambulatis? Quum vero homines eos appellat, spiritus Dei expertes intelligit. In omnibus autem, quae ad reformationem Ecclesiae pertinent, ob quam causam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primum formavit, de quo ad ipsum opus ingrediente sic in persona Dei propheta loquitur: Ecce servus meus*

quem elegi, dilectus meus in quo bene complacuit animae meae: dedi spiritum meum super eum, iudicium gentibus nunciabit, non contendet, neque clamabit, arundinem quassatam non confringet, et linum fumigans non exstinguet. Hunc vero spiritum pacis, caritatis et mansuetudinis, quum semper apud omnes, et cum omnibus ostendere debeamus: tum vero maxime in hoc sacro consessu in quo convenimus, ut per gratiam ipsius Spiritus, contentionibus, quae nimis diu Ecclesiam vexarunt, finis tandem [pag. 29] *imponatur. Quare, ne ipsi ullam contentionis ansam alicui demus, qui pacificorum personam gerimus, maxime est cavendum. Hoc vero, et caetera omnia incommoda et impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatum pacis portum perveniemus, si precibus ab humili et contrito corde profectis ipsum Christi spiritum, qui est pax nostra, invocaverimus: ut in Concilio praesideat, ut lucem cordibus nostris infundat: utque nos in omnibus ad ipsius honorem, et veram Ecclesiae utilitatem regat et dirigat. Ad tales enim ipse dicit: Adhuc te loquente, ecce adsum. Quare, ut huiusmodi orationibus assidue incumbamus, quanta possumus caritate vos in Domino hortamur, ut uno ore, atque uno spiritu Deum patrem in Christo Iesu glorificemus, qui est Deus benedictus in saecula, Amen.*

PRAEFATIO IN ANTIDOTUM.

[pag. 30] Hoc habet reverentiae in ecclesia christiana sacri concilii nomen, ut auditum, non imperitos modo protinus, sed graves etiam et sano iudicio praeditos homines commoveat. Et sane, quum hoc ab initio curandis ecclesiae suae morbis usitatum remedium adhibuerit Deus, ut convenirent pii et sancti pastores, ac invocato eius nomine statuerent quod spiritus sanctus dictabat: merito apud omnes pios in honore concilia esse debent. Hoc interest quod vulgus hominum immodica admiratione obstupescit, ut nihil postea iudicet. Qui vero sunt saniores, sensim quidem et modeste, sed tamen inquirere sibi ante permittunt, quam plane assentiantur. Atque ita fieri convenit: ne temere nudis hominum placitis, sed uni tantum Deo subscribat fides. Sed reclamant, quibus certo persuasum est, aut qui saltem aliis persuadere volunt, concilium, qualecunque sit, modo rite sit indictum, non posse errare: quia a spiritu sancto regatur. Volunt igitur, oraculi instar, absque controversia recipi, quidquid inde prodierit. At quanto Augustinus prudentior? [page 31] qui pro singulari quidem sua modestia, non mediocrem conciliis honorem defert: illam tamen, quam dixi, moderationem non propterea retinere desinit. Nam adversus Maximinum Arianum scribens: Neque ego synodum Nicenam, [1]) inquit, nec tu Ariminensem debes, tanquam praeiudicaturus, afferre. Nec ego huius autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utrisque communibus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ratione certet. Tantum sibi et aliis libertatis sanctus vir concedit, ut ne ad praeiudicium quidem valere Nicenum concilium velit, nisi causae veritate ex scripturis bene perspecta.

Verum, de priscis illis conciliis sermonem longius producere, nihil opus est in praesentia. De Tridentino enim concilio agere institui: quod illis longe est dissimile. Quum tot cernerentur in ecclesia corruptelae: quum de religionis doctrina graves exortae essent contentiones, diu et ardenter multorum votis expetitum fuit concilium: qui scilicet hoc modo finem malis omnibus allatum iri sperabant. Imperite id quidem: Nam ut hodie constitutus est rerum status, facile perspiciunt, quicunque vel mediocri prudentia sunt praediti, nullam malorum levationem ab iis [pag. 32] sperandam esse, quorum est, tum cogendi, tum habendi concilii potestas. Sed quia non apparebat alia melior ratio, plurimi non mali homines, qui consultum ecclesiae optabant, ex concilio aliquid sibi pollicebantur. Itaque a multis desideratum, tandem quasi communi christiani orbis voce flagitatum fuit. Quibus autem de causis aliquamdiu dilatum fuerit, perspicaciores agnoscunt. Nam quas Romanus pontifex in sua bulla causas praetendit, impudenter esse confictas, quisquis non videt, plus quam caecus est. Quibus autem causis fuerit adductus, ut quascunque posset moras necteret, ipse quidem melius novit: aliqua tamen ex parte coniicere possumus. Hoc ideo factum putant nonnulli, ne, tanquam vulgare quiddam, concilium vilesceret tam apud Principes, quam apud plebeios, [1]) si tam facile statim fuisset impetratum. Solet enim pretium rebus addere longa exspectatio, modo ne taedium interveniat. Ego tamen aliam fuisse rationem iudico. Tametsi enim concilium quod daret, sciebat nihil fore aliud, quam conductitiam turbam suorum asseclarum, in qua ipse solus emineret, ea tamen est vis malae conscientiae, ut trepidaret ad solam concilii mentionem. Nam adeo dissoluta et effraeni libidine grassatur

1) qui a esté le principal qui fut iamais en l'Eglise.

1) *Omittitur hoc membrum in versione, sicut etiam quae proxime sequitur phrasis.*

tyrannis papatus, ut coercendam esse non dubitent, qui maxime eam [pag. 33] in longum tempus salvam volunt. Ergo non abs re, tempus extrahendo, quamlibet potentiae suae imminutionem refugere conatus est. Quod postea clarius etiamnum apparuit. Quaecunque enim praeter receptum morem in ordinando suo concilio induxit, totidem sunt eius, quam notavi, diffidentiae argumenta. Atque ut infinita alia omittam, quorsum tres legati, nisi ut eorum unusquisque aliis esset aemulus, ne quid auderent? Neminem igitur invenit in sua cohorte,[1]) in qua omnes habet sibi prorsus addictos, cui fideret.

Hoc privatum fuit papae consilium. Aliud spectarunt, qui praesentem ecclesiae statum, qualiscunque sit, convelli nolunt. Sic enim statuebant: quidvis experiri multo esse satius, quam de rebus hodie controversis ullam cognitionem suscipere. Cur ita? Partim, quia indignum illis videtur, quocunque foro disceptationem movere de hominum placitis, quae semel fidem obtinuerint: partim, quoniam eos magis delectat violenta possessio, quam ingenuae gubernationis species. Nam quotusquisque est eorum, qui papatum ecclesiarum praetextu nunc tuentur, qui non cupiat ita oppressam esse christiani populi libertatem, ut de corrigendis ecclesiae vitiis nemo hiscere audeat? vel non clamitet supervacuum esse concilium, adeoque [pag. 34] atrocem fieri prioribus decretis iniuriam, nisi illis, sepulta omni concilii mentione stetur? Quid hoc, inquiunt, aliud est, quam actum agere? Et quanta in posterum licentia dabitur omnia novandi et turbandi, nisi rebus semel iudicatis acquiescimus? Si oracula sunt spiritus sancti iam prius editae definitiones, quis novae disceptationis profectus erit? Quorum omnium facilis est refutatio. Nam et quaestiones hodie agitantur, hactenus nunquam rite discussae: et palam est, quum doctrinam, tum vero universam papatus administrationem ita dissidere a plerisque conciliis veteribus, ut nihil magis adversum fingi queat: et tam variis tamque exitialibus morbis oppressa est ecclesia, ut nullum unquam magis necessarium fuerit habendi concilii tempus: si quidem legitimum impetrari posse, spes esset. Apparet igitur, ne minimo quidem pietatis sensu tangi, sed miserabilem ecclesiae interitum securos ac propemodum hilares inspicere, qui sic loquuntur. Quod autem rursus agitari nefas esse ducunt, de quibus semel pronunciatum est, in eo nimis sunt inepti. Quid enim differet ab hominum decretis sacrosanctum Dei verbum? Quod si autoritates saltem ex melioribus illis saeculis peterent, quae et doctrina florebant, et pietate, essent fortassis utcunque [pag. 35] audiendi. Sed eius generis sunt concilia, quorum autoritate nos obstringi volunt, in quibus nihil praeter crassissimam inscitiam apparet, cum barbara ferocia coniunctam. Quod quidem verissime dictum esse, palam suo loco fiet. En cur tam fastuose superbiant rebus iudicatis.

Porro, si hactenus dubitatum fuit, quantum inter concilium intersit, et spiritus sancti tribunal, quod omni provocatione exemptum est, illustre in Tridentino concilio specimen nobis ostensum fuit. Concilium errare non posse ideo contendunt, quia repraesentet ecclesiam. Quid autem, si hoc posterius negetur verum esse? Atqui, ut de eo statuatur, videndum, opinor, quibus hominibus constet. Adsunt forte quadraginta aut circiter episcopi. Neque enim numerum teneo, neque etiam admodum curo, quia parum ad rem pertinet. Respondeant mihi bona fide patroni conciliorum. Si quis ordine ipsos omnes recenseat, quotumquemque ex illis non contemnent? Imo, quum se illi ipsi venerandi patres mutuo aspiciunt, fieri non potest, quin eos sui pudeat. Nam et sibi noti sunt: et quale sit aliorum de se iudicium, non ignorant. Proinde, si removeas concilii nomen, nihil nisi quisquilias [1]) fuisse, quidquid illic episcoporum fuit, totus papatus [pag. 36] fatebitur. Verum sua aliis nationibus ornamenta libet intacta relinquere. Gallos tantum meos [2]) rogabo, ut quam ipsi contulerunt portionem iusto pretio aestiment. Inter primaria ecclesiae membra, Galliae sane regnum numerant. Illinc duo adfuerunt episcopi, Nanetensis [3]) et Claromontanus, ambo aeque indocti ac stupidi. Hic etiam posterior non ita pridem tam ridiculus habitus, quam moriones, et tam libidinosus, ut instar canis venatici impudicas omnes domos odorari solitus esset, donec in disciplinam Sosiae [4]) cuiusdam, famosae apud Parisios mulieris, se tradidit: ex quo repente evasit sapiens: si tam facile sapientes efficere queat Francisci Picarti [5]) discipula, cuius magistrum cerebro penitus carere, fanaticis esse persimilem, nec procul a furioso distare constat. Nam Aquensem archiepiscopum inter Gallos vix numero. Agathensis [6]) autem, ut solent curiosi homines, tanquam otiosus spectator adfuit. Obsecro vos, Galli mei, quis vestrum sibi persuadeat a spiritu sancto profecta esse, quae vel innumera talium hominum multitudo effutiverit? Atqui, ne prima quidem theologiae rudimenta duo

1) Ainsi en toute sa bende, qui est comme une garenne ou formiliere de meschans.

1) menu fatras et ordure.
2) puis que ie suis natif du pays de France.
3) *Ed. princeps et Gallasius scribunt:* Nenetensis. *Versio gallica:* celuy de Renes (tous deux bonnes bestes et ignorans l'un comme l'autre).
4) ma dame de la Sauchay.
5) nostre maistre Picard. *Fortasse alludit ad Quintinum illum quem in libello adv. Libertinos traduxerat.*
6) celuy de Ast.

isti, de quibus loquor, unquam gustarunt. Quam igitur misera christianae ecclesiae conditio futura est, si pro oraculo habendum sit, quidquid ipsis ac [pag. 37] paucis nihilo melioribus placuerit? Et adhuc eo usque socordes sunt plurimi, ut quum audiunt publicari sacrae synodi placita, non cogitent eos esse autores, quibus ne de minima quidem quaestione fidem sint habituri. Nam si in mentem hoc illis veniret, protinus non sine stomacho abiicerent, calcarentque pedibus, quae nunc inconsiderate osculantur. Quid enim? an iudicio quidquam probant? Minime. Sed oculos perstringit concilii reverentia. At cuius est stultitiae, quem asinum esse scias, sub leonis pelle tanquam formidabilem vereri?

At iam subit, quid rursum obiici queat a parte adversa: non solis episcopis commissas esse decernendi partes. Intelligo. Atque id est, quod maxime volebam. Sunt enim garruli quidam et audaces monachi, quorum alii mitras, alii galeros aucupantur: omnes certe Romano pontifici suam loquacitatem venditant. Fingamus porro, eximios esse, ac eruditione non vulgari theologos. Hoc tamen habeo, venerandis patribus, ex quorum nutu pendet tota religio, sophistas nescio quos verba[1]) praeire, ut eorum dictata nobis deinde cantillent. Quorsum autem attinet, eos tam altum suggestum conscendere, ut tanquam semidei ex alto pronuncient quod illis ex inferiore subsellio praescriptum [pag. 38] est?[2]) Ubi illa ecclesiae repraesentatio, cui spiritum sanctum alligant, si coguntur aliunde precario mutuari quod opus est, ne aut sileant, aut perperam loquantur? Vestrum est axioma, qualiscunque sit coetus, cui nomen universalis concilii imponitis, illic spiritum sanctum praesidere, ut nihil inde manare queat, nisi coeleste ac divinum. Interea famelicos, et venalis linguae monachos praeficitis, quos spiritus iste vester, quem fingitis, auscultet. Atqui longis et accuratis disputationibus agitant illi, quidquid a patribus est definiendum. Nempe ita audivi: stridulum nescio quid ipsos rixando, tanquam ranas Aristophanis, coaxare. Inde confici praeclara ista decreta, quae deinde spiritus sancti responsa iactantur.[3]) Quid enim dissimulanter agerem in re notissima? Certum est, nullam esse tam obscuram scholam quae non prae se despiciat quidquid est Tridenti theologorum. Quid igitur? An eos, simul atque locum mutaverint, repentino afflari numine putabimus, ac si Phoebades Delphicam cortinam

1) *Recentiores, Beza duce, scribunt:* verbis.
2) pour dire: Nous sommes l'Eglise, nous sommes les organes du sainct Esprit, et cependant ilz n'auront rien à dire, si non ce que les cagotz leur soufflent en l'aureille.
3) Ie l'ay ainsi entendu: et chascun est bien informé que ces moynes fallourdiers barbouillent le papier pour composer ce qui doit estre apres tenu pour revelation du S. Esprit.

subiissent? Nugae. Nam si hodie Parisiensi Sorbonae allatum foret, Tridentinos patres ab ipsius decretis, vel uno apiculo discrepare, statim, calefactis cerebris, ad praelium concurrerent magistri nostri: nec modo concilii autoritatem pro nihilo ducerent, sed unumquemque [pag. 39] nominatim lacerarent atrocissimis conviciis. Nunc si insulsissimis quibusque deliriis album calculum addiderint, scholae omnes Gallicae, Hispanicae, Germanicae, Italicae, certatim applaudent. Quantae ergo improbitatis est, orbi christiano adorandum obtrudere, quod ipsi intus nihili faciunt?

Agedum tamen, disputatores illos, qui cudendis placitis insudant, fingamus non tantum mirabili acumine doctrinaque excellere, sed angelos esse recens e coelo delapsos. Tantum praeterea absurdum adversariis ignoscamus, concilium, quod immediato spiritus afflatu regi fastuose praedicant, a paucis hominibus emendicare, quod orbi universo quasi divinitus allatum ingerat. At ne sic quidem unciam fidei Tridentina synodus obtinebit. Nihil enim illic, nisi ex unius Romani pontificis nutu, statuitur. Quare omittant in posterum istas ampullas: non hominibus, sed Deo repugnare, qui concilii placita respuit. Illos enim nihil esse, nisi organa: hunc praesidem, qui mentes et linguas spiritu suo moderetur. Si ita esset, nimis in spiritum sanctum contumeliosos esse ipsos dico, cuius reprehensorem[1]) faciunt papam suum, dum ipsius arbitrio censuraeque subiiciunt omnia. Ego de rebus vulgo tritis loquor. Simul atque compositum est decretum aliquod, [pag. 40] Romam volitant cursores: veniam pacemque exposcunt a pedibus idoli sui.[2]) Privatis suis consultoribus examinandum tradit sanctissimus pater, quod est allatum. Demunt illi, addunt, et mutant quod videtur. Redeunt cursores, sessio indicitur. Recitat notarius, quod improbare nemo audeat. Asini auribus annuunt.[3]) En oraculum, quod religione totum mundum obstringat. Cur non aperte fatentur quod res est? Monachos decem aut viginti, quorum conductas habent operas, decreta consarcinare, Papam censorio stylo confodere, si quid non arridet, caetera comprobare: nihil aliud concilio reliquum fieri, quam promulgandi onus. Olim quod consultaverat Romanus senatus, plebs sciscebat. Papa vero sciscendi iure minime contentus, sibi praeterea in synodi consultis sumit corrigendum quidquid non adlubescit. Nimis quidem superbe, si praesidere illic spiritum sanctum putat. Nobis vero impune, opinor, contemne relicebit, quod a talibus magistris compositum, a tali Aristarcho

1) son contrerolleur.
2) pour savoir ce qu'il plaira à leur idole d'en ordonner.
3) Messieurs les asnes baissent les aureilles pour faire semblant d'y consentir.

correctum esse agnoscimus. Nam synodi pronunciatio nihilo plus momenti habere debet quam auctionarium aliquod praeconium.[1])

Sed ne praefando sim longior, si concilii alicuius placita, firmis verbi Dei testimoniis [pag. 41] fretus, in controversiam adducerem, iam mihi probasse videor, non esse causam, cur me ullius temeritatis damnent sani lectores. Nunc vero, quis mihi, nisi plus quam fatuus, succenseat, si asserendae veritatis necessitate coactus, simiam, quamvis purpura ornatam,[2]) traducere non dubitavero: ut simia, sicuti est, omnibus appareat? Iam abunde monstravi, Neptunios istos patres[3]) nec tam formidabiles esse cum suo Tridento, quin verbo Dei intrepide flagellare ipsos liceat: nec tam esse sacrosanctos, ut nefas sit eos attingere. Verum, ut video, ne id quidem agitur. Larvam enim hominum oculis opposuit Romanus pontifex, quae neminem oculatum fallere queat. Ego sane, quum ante annos decem passim fieret mentio concilii, atque ita persuasum foret, papam non posse iam amplius tergiversari, quin serio pecudes suas cogeret, bullaeque citatoriae iam volitarent: primum, indictiones ex bullis natas coniiciebam paulatim in fumum abituras. Nam et alterius bullae Mantuanae memineram, quae sub Pii secundi pontificatu,[4]) ex magno tumore statim evanuerat. Verum si tandem cogeretur aliquod concilium, ita mecum reputabam, omnia facturum esse Romanum pontificem, ut splendore aliquo non vulgari simplicium oculos perstringeret. Atque haec cogitatio, ut verum fatear, me vehementer [pag. 42] angebat. Minime hoc dubium erat: quicunque sessum admitterentur ad sententiam dicendam, eos partim ambitione irretitos, partim excaecatos avaritia, partim rabie accensos totidem infestos sanae doctrinae hostes fore, qui ad stabiliendam tyrannidem papatus arcana inter se coniuratione obligati, ad destruendum Christi regnum incumberent: paucissimos fore, non tam impio crudelique affectu, sed tamen nihil virile habentes ad resistendum. Itaque statuebam, mox indicta causa oppressum iri veritatem, sub tam iniquis iudicibus. Et enim ne hoc quidem sperandum erat, ut quispiam pius ac cordatus, vel morte sua, unius horae audientiam apud eos redimeret. Interea multis imperitis, quanquam alioqui probis, imposuisset hic fucus: ecclesiae definitioni esse acquiescendum. Nunc habenda est papae gratia, qui talem nobis instruxit pompam, quae pueris quoque ipsis ludibrio futura sit. Nihil tamen aliud postulo a lectoribus, nisi ut deposito in utramque partem praeiudicio, integri ad hanc disceptationem accedant. Quod ita demum fiet, si oculos a personis ad ipsius rei intuitum convertant.

IN PRAEFATIONEM LEGATORUM, QUA USI SUNT PRIMA SESSIONE, ALIAQUE CONCILII PROOEMIA.[5])

[pag. 43] Bene habet. Tandem fatentur Romanenses, horrendam ecclesiae dissipationem, quam hodie boni omnes lugent, sibi magna ex parte ferri debere acceptam.[6]) Si quis non admodum astutus tam ingenuam confessionem audiat, protinus aliquid bonae spei concipiet. Exhortationes vero, quae postea sequuntur, studium non vulgare prae se ferunt instaurandae ecclesiae. Iam vero pars illa, ubi non alium esse admonent, qui lapsis rebus subvenire queat, quam unicum pastorem Christum: hunc igitur implorandum esse unum, huic auscultandum: feliciter cessura omnia, si actiones omnes moderetur, illisque praesideat: alia omnia consilia, alias artes nihil esse, quam rimosas cisternas, quae diffluant: hominum prudentia nihil aliud, quam magis iram Dei provocari, et augeri mala potius quam sanari: pars, inquam, illa tota quantam pietatem spirat? Sed ex actis, quae deinde sequuta sunt, has fuisse voces frustra in aerem iactatas, apparet. Imo non exspectant ipsi, dum ex actis fiat iudicium. Nam in salutis doctrina, quam ipsi impiis sceleratisque suis commentis totam [pag. 44] adulterarunt, in sacramentis, quae penitus vitiata prostituunt ad foedam ac pudendam nundinationem, nihil inveniunt apud se corrigendum. Quantulum igitur opis perditis rebus afferunt? Et sane[1]) non est quod a Tridenticolis, qui sub Neptuni auspiciis militant, quidquam exspectemus, nisi aqueum: ubi scilicet suscipienda est corrigendae in melius ecclesiae cura. Nam si adversus innoxios sit saeviendum, et sancienda piorum sanguine impia sua tyrannis, toti mox erunt ignei. Quanquam Neptuni regnum hoc quoque rodolet: albentes magno

1) que la voix d'un crieur de vin.

2) un singe accoustré en damoiselle.

3) Messieurs les prelatz de Trente ne sont pas si precieux qu'on ne les puisse toucher.

4) *Alludit ad rescriptum a.* 1459 *editum. Versio gallica nomen Papae omittit.*

5) *Versio gallico simpliciter exhibet:* Sur le proloque des trois Legats.

6) *Addit Gallus:* Car les trois Legatz en leur proesme font un long recit pour le demonstrer, et à la fin concluent qu'il n'y a nul mal qui ne soit procédé d'eux.

1) sane . . . . flaccescant. *Haec omnia absunt ab editione gallica.*

cum stridore spumas agere: sed quae, suo ipsarum tumore elisae, mox flaccescant. Ergo simul ac prima fronte sparserunt suos fumos, non dissimulanter ostendunt, quis futurus sit actionum suarum status, quod ad praecipuum caput attinet: nempe, ut impietates suas omnes mordicus retineant: nos, qui nihil quam Christum regnare cupimus, puram evangelii doctrinam asserentes, haeretici iudicemur. Sic enim priusquam ad cognitionem ventum sit, pronunciant haereticos esse, quicunque contra receptam ecclesiae romanae doctrinam aliquid movere hoc tempore ausi sunt. Quid hoc est? Totus orbis christianus concilium exspectabat, in quo iusta de rebus controversis disputatio institueretur: isti se non alium in finem [pag. 45] sedere profitentur, nisi ut damnent quidquid non adlubescit. Proinde, nemo iam ultro se fallat: quando ex ipsorum ore audimus, non inquirendi causa celebrari hanc concilii pompam, sed tantum, ut stabiliatur qualecunque fuit illud doctrinae genus, quo monachi et sophistae orbem imbuerunt: maneant ritus omnes, quacunque superstitione obrepserint: omnes conscientiarum laquei arctiore nodo stringantur.[1]) Et adhuc erit quispiam tam stupidus, qui malorum levationem a concilio petendam censeat? Totam pietatis doctrinam impiis dogmatibus vitiatam esse conquerimur: totum Dei cultum foedis ac pudendis superstitionibus vitiatum: puram sacramentorum institutionem horrendis sacrilegiis mutatam esse: eorum usum ad profanas nundinationes conversum:[2]) miseras animas, quae regi Christi doctrina debuerant, crudeli servitute teneri oppressas: nihil in christiana ecclesia spectari, nisi deforme ac foedatum: Christi gratiam non modo iacere semisepultam, sed partim laceratam in frusta, partim exstinctam penitus esse. Quod iustae porro sint nostrae querimoniae, iam tot annos, et libris editis, et quotidianis concionibus, palam facimus: parati etiam sumus, ubicunque data fuerit loquendi copia, planum facere. Ea enim est causae nostrae bonitas, ut [pag. 46] lucem minime reformidet. Ac multae quidem sunt hominum myriades, quibus hoc iam certo persuasum est: ut non aliam inquisitionem desiderent. Sed tamen, ne sublatis dissidiis in sanctam concordiam iterum christianus orbis coalescat, synodus indicitur. An non discutiendae prius erant controversiae, quam sibi vel aliis praeiudicarent?[3]) At nihil tale admittunt: quin potius, si quis pilum ex eorum institutis convellere tentaverit, eum iam pro damnato habent.

1) pour astraindre plus fort les consciences en tous leurs lacz, c'est à dire, pour les assubiettir en une servitude plus estroite de leurs traditions.
2) converty en des abuz prophanes pour servir à l'avarice des prestres.
3) devant qu'ilz fermassent la porte.

En speciosa reformatio, cuius promissione hactenus mundum lactarunt: tot idololatriae portenta, quibus deformata est ecclesia Dei, tot superstitionum inquinamenta, tot sacrorum profanationes, tantam errorum colluviem non attingere: nihil minuere de tyrannico legum impiarum iugo, quibus illaqueatae sunt miserae conscientiae: sed haereticos iudicare, qui novari aliquid cupiunt. Ubi illa audientia, quam sibi multi nimium simplices pollicebantur? Quod si qua eorum animos tangeret religio, imo si quem omnino Deum esse putarent, an tanta securitate res tanti momenti, quasi per iocum, transsilirent? Agitur Dei gloria, aeternum Christi regnum, totius ecclesiae salus. Coguntur, ut aliquousque communibus christiani populi votis morem gerant, concilium habere. Praefantur [pag. 47] tamen, ideo se venisse, ut spem emendationis praecidant. Tantundem enim valent eorum verba, ac si plane ac diserte negarent, fore in posterum melius. Neque tamen sic agendo, quidquam alienum designant sua persona. Nihil enim in pietatis eversione, aut sacrorum corruptelis deplorant hodie boni omnes, cuius non illi, qui ad iudicandum sedent, culpam sustineant.[1]) Miramur ergo, si ipsi, dum rei aguntur, secundum se protinus, intacta causa, ferunt sententiam?[2]) Sed hoc plus quam absurdum est, iudicandi potestatem iis permitti, quorum crimen in iudicium adducitur. Et tamen, quid aliud proficiunt, nisi ut agnoscant oculati omnes, scelerum eos minime poenitere, dum pertinaciter defendunt quidquid in illis accusamus? Neque enim efficient, ut rata sit eorum impietas, quia sunt ipsi obstinati.

Quaeret nunc quispiam: Quem igitur concilii fructum ostentant? Nempe, ut compositis inter principes christianos bellis tranquillam reddant ecclesiam. Nugae. Quis enim nescit, Romanenses flabella esse concitandis bellorum motibus, quocunque eorum afflatus penetraverit? Restat igitur,[3]) ut collapsam morum disciplinam, praesertim in suo clero, restituant. Quam fideliter autem incubuerint in hanc partem, ex actis liquet. Viam [pag. 48] enim illic patefaciunt, ut videbimus, qua liceat in posterum quod semper licuit. Ne tamen nihil actum fuisse quis putet tam sumptuoso apparatu, erit forte in pileis et calceis reliquoque vestitu aliqua reformatio.[4]) Hunc in modum quum Deo et hominibus illudant, non pudet eos prophetarum induere

1) *Add.* Tous les erreurs, dy ie, en la doctrine et tous les abuz leur sont à imputer.
2) Nous esbahissons nous si un malfaicteur, quand il est iuge en sa cause, s'absoult de prime face, sans regarder si c'est à tort ou à droit?
3) Le troisiesme article est de reformer le clergé et y mettre bonne police.
4) laquelle sera observée de ceux qui se voudront monstrer bien devotz.

personas: ut tres Antichristi legatos dicas, tres esse illos intercessores, de quibus loquitur Ezechiel,[1]) qui ad iram Dei placandam, primi omnium se opponant. Commemorant humilem peccatorum confessionem: commemorant gemitus et lacrymas, poenitentiae signa. Vix a risu abstinuisse puto, quum lector ab ipsis subornatus haec recitaret. Quanquam dum histriones agere volunt, vox illis una interim excidit, quae mihi instar vaticinii coelestis videtur habenda. Quid enim prohibet, quominus, ut olim Caiphas, ita nunc quoque prophetent Christi hostes? Spiritum sanctum sibi non adesse affirmant, nisi se ipsi accusent: negant etiam adfuturum, quamdiu recusabunt peccata sua audire. Oraculum accipio. Mentiuntur quidem postea, se fletus videre, ut conventum suum ornent. Sed quum res ipsa clamet, obstinatos sedere ad stabiliendum impietatis regnum, credamus eorum vaticinio nihil minus, quam a spiritu Dei ipsos gubernari.[2]) Et quis non videat arcano [pag. 49] Dei impulsu, quasi adhibita quaestione, coactos fuisse praeter animi sui affectum ad hanc confessionem? Testis ab ipsis advocatur Ezechiel: qui Deum responsa daturum negat populo, nisi suas patrumque suorum abominationes prius agnoverint. Ubi talis apud ipsos agnitio? Sileant igitur: aut fateantur se temere cerebri sui figmenta proferre. Quod si nondum hoc omnibus persuadeo: meminerint saltem lectores, quum ad ipsam rerum tractationem ventum erit, iudicium ex ipsa veritate faciendum esse, an a spiritus sancti afflatu prodierint ipsorum decreta. Antehac responsa Dei, sine exceptione, esse iactabant, quaecunque synodo placuissent: nunc vero hanc illis vocem, tanquam maleficis in equuleo, Deus extorsit: hac nota discerni oportere, numquid suae synodo praesideat Dei spiritus, si suis patrumque abominationibus damnatis ad veram resipiscentiam conversi fuerint. Quisquis sponte falli non volet, ad hanc regulam examinet quae postea sequentur decreta. Nisi luce clarius ostendero, nihilo plus in illis fuisse resipiscentiae, quam in Israelitarum pessimis, habeant sane quod postulant, Dei non hominum esse vocem. Ergo, ut libet, cum Esra, Nehemia et reliquis populi veteris ducibus suam catervam conferant:[3]) sua et populi peccata, cum spiritu moeroris, [pag. 50] se satis abunde deflere per os lectoris dicant: sit, inquam, illis impunita haec licentia, ut sanctis Dei ministris tam atrocem contumeliam inurant, illos cum impuro porcorum grege comparando: et siccis oculis, lacrymas suas impudenter iactent: quid enim ipsis non liceat? et tamen lectoribus non eripient hanc libertatem, quominus ex re ipsa fiat aestimatio potius, quam ex verbis.[1]) Id vero perquam ridiculum, quod postquam se abunde in spiritu moeroris sua peccata deflere praedicarunt, postea se et alios hortantur, ut lacrymarum fontes aperiant. Obliviosum sane rhetorem fuisse oportet, qui hanc illis declamationem composuit. Et quid si ipsos ludibrio, ut digni sunt, exponere voluerit? Fieri quidem potest, sed rem nihil ad me pertinentem omitto.

Piget singula persequi, neque opus est: nam ita laudes exhortationibus permiscent, ut nihil sit in utrisque nisi fictum, et simpliciter falsum. Quod ecclesias nostras accusant, quia pastoribus expulsis, laicos in eorum locum substituerint, ordines confuderint, ecclesiastica bona diripuerint, cursum verbi Dei impediverint, prompta est ac expedita ad tales criminationes responsio. Initio, pastores nominant, quos fugatos esse conqueruntur. Quousque autem titulo hoc se venditabunt, [pag. 51] qui, praeter argentei pedi insigne, nihil pastorale habent?[2]) Ordinum confusio quam deplorant, nihil aliud est, quam modica disciplinae restitutio. Sacrosanctos enim se haberi volunt, iure unctionis.[3]) Hoc privilegio muniti, sua vitia attingi fas esse negant. Quare, modo liceant illis omnia, nihil erit non rite ordinatum. Si violatur sacer ordo,[4]) perinde confusa sunt omnia, eorum quidem iudicio, ac si coelum rueret. De bonorum direptione, utinam nostris hominibus tam parata esset satisfactio coram Deo, quam ingenua veraque adversus illos defensio nobis constat. Otiosis ventribus ademptas fuisse facultates, quas ingurgitabant, fateor. Videamus, an ecclesiae ereptum quidquam fuerit. Constat certe a praedonibus fuisse occupatum, quod venerandi legati ecclesiae nunc voce sua dedicant.[5]) Constat, non ad farciendam modo eorum ingluviem fuisse insumptum, sed in scortationes, aleam, saltationes impudicas,[6]) et sumptus nihilo honestiores turpiter dilapidatum fuisse. Pauperes negligebantur. A scholarum magistris

1) assavoir Noé, Daniel et Iob (*Ezech.* 14, 14).

2) que le sainct Esprit est bien esloigné de leur synagogue.

3) qu'ilz se paragonnent tant qu'ilz voudront, eux et leurs bandes, avec Esdras etc.

1) Quid enim . . . . ex verbis. *His omissis versio gallica addit:* et encore une plus grande moquerie de dire qu'ilz voyent plourer l'assistance comme ainsi soit que la harangue fust composée trois moys devant ou plus.

2) Premierement qu'ilz nous disent un peu les pasteurs qui ont esté chassez. Seront ilz tousiours si effrontez d'abuser de ce tiltre comme d'un masque? S'il y a une beste mitrée qui tienne une crosse au poing, la doit on pourtant estimer pasteur? Cest office requiert bien plus grandes choses.

3) pource qu'ilz sont sanctifiez de trois gouttes d'huile.

4) si on s'adresse à leur couronne.

5) *add.* assavoir selon qu'ilz ont accoustumé de benir les autelz et chasubles sans qu'on apperçoive quel fruit il en revient.

6) à galifrer et faire grand chere, mais qu'ilz l'ont dissipé en paillardise, en ieux de dez et cartes, en danses et momons.

potius aliquid emungebant, quam ut stipendiis eos iuvarent. Nunc vero si nondum tam pura est sanctaque administratio, quam optandum esset, pii saltem pastores aluntur, qui salutis doctrina pascant animas: aliquid in scholas impenditur: in pauperes [pag. 52] erogatur plus decuplo, quam habere solerent: confertur etiam nonnulla portio in alios usus, nec profanos, nec reprehensioni obnoxios. En cur direptionis insimulent nostros homines. Sed quid de impedito verbi Dei cursu dicturus sum? Gravissimum est crimen. Prorsus haereo. Vos, o nefarii verae doctrinae exstinctores, sacrilegium, cuius rei estis coram Deo et angelis ipsius, totoque mundo, nobis audetis imputare?[1]) Neque tamen sic in tali coetu loquutos esse miror: ubi nihil sciebant futurum plausibile, nisi quod nequiter dictum foret.

Sed enim accesserunt alii monitores, quibus curae fuit emendare, si quid vel omissum, vel peccatum fuerat a legatis. Exstant aliquot orationes a monachis habitae, quos credibile est veluti canales fuisse, quibus in ora patrum influxit spiritus sanctus. Una etiam episcopi nescio cuius, qua nihil potest ineptius omnino fingi. Haec porro omnium est summa: nos brevibus decretis obruendos esse:[2]) quia fixum manere oporteat, nihil in sua doctrina, antequam prodirent nostri, fuisse, nisi probum ac sincerum. Quia Dominum Iesaias murum et antemurale Ierosolymae fore promittit, Sotus[3]) quidam (quod nomen bardum ac fatuum sonat lingua gallica) duplex ecclesiae munimentum excogitat: ex divinis [pag. 53] et humanis legibus. Et in hoc tam stulto commento perinde exsultat, ac si magnificum de nobis triumphum ageret. Egone in exagitanda hac bestia perderem operam et tempus? Atqui mihi plus satis est, rem digito breviter indicasse. Quia muro et vallo muniuntur urbes, Dominus se unum pro utroque fore denunciat. Soti autem interpretatio vallum ad humanas leges transfert: nec aliter restitui posse ecclesiae ruinas docet, quam si interruptio a nobis facta sarciatur.

1) C'est un crime execrable. Si nous en avions la conscience chargée, ce seroit assez pour nous rendre plus que confuz. Mais quoy? Ces malheureux ennemis de verité, qui ne demandent que l'esteindre et aneantir, nous accusent de ce qu'ilz font. Car à quoy travaillons nous, sinon afin d'avancer la parolle de Dieu? Et qu'est-ce qu'ilz machinent sinon de l'abolir? Mesmes quel cours y avoit-il, quand les choses ont esté reduites en estat de nostre costé? Voyla, ilz n'ont nul honte et ne s'en faut esbahir etc.

2) qu'il nous faut condamner en trois motz sans faire long proces.

3) *Editio princeps scribit:* sotus, *minusculis typis. Gallus habet:* Il y a un venerable docteur des pilliers du concile, qui se nomme Sot (on voit bien que ce n'est pas un nom desguisé). — *Dominicus Soto Segoviensis, ex ordine Praedicatorum, in acad. Complutensi et Salmanticensi professor, obiit* 1560. *Cf. Le Plat, monum. Conc. Trid. I.* 12. *Salig I.* 365.

Alter quoque nomine Marinarius,[1]) ex culina Carmelitana fumos exhalat, nos libertatem evangelicam omne genus corruptelis praetexere. Atque ut aliquid elegantiae aspergeret suae orationi, exclamat: O coenum! o labes! Tametsi nihil habeant frontis, negare tamen non audebunt, quin maior apud se grassetur vitiorum licentia. Plus certe apud nos esse verae castaeque severitatis, et arctioris disciplinae, testes sunt quotidianae nostrae conciones. Et tamen hunc canem e coeno foetidi claustri emersum, nihil pudet ita nobis oblatrare. Atqui votis abrogatis, refracto caelibatu, sacris precibus contemptis, calcatis ieiuniis, reiectis patrum institutionibus, arripuimus occasionem peccandi, quasi vitae ducem. Qualis igitur apostolorum fuit vita? quibus ignotus fuit caelibatus, pro quo dimicant [pag. 54] papistae: sub quibus nulla fuit unquam votorum mentio: qui nullam in ciborum delectu necessitatem imposuerunt conscientiis: qui contenti ea regula, quam Dominus praescripserat, nullos unquam legum aut traditionum laqueos iniicere tentarunt. Nihil enim in nobis calumniatur, cuius non idem nobiscum crimen sustineant apostoli. Quae votorum genera improbemus, ex scriptis nostris constat. Quantam spurcitiarum colluviem orbi universo intulerit eorum caelibatus, quem sancto coniugio mutatum cupimus, utinam minus esset notum. Caelibatum in iunioribus viduis ut olim Paulus reprehenderet, hoc argumento adductus fuit quia quaedam ad Satanam defecerant. Hodie plus esse in claustris monachorum et monialium obscoenitatis, quam in ullis lupanaribus, satis compertum est. Quocunque penetrant sacrifici, signum aliquod suae impudicitiae impressum relinquunt. Quasi in hunc solum finem prohibiti sint a coniugio, ut libidinem suam ubivis profundant. Et tot experimenta non tantum apud nos valebunt, ut illis caelibatus necessitas remittatur?[2]) Christiana ieiunia, et sacras preces a nobis damnari, improbe mentitur. Sed ideo secure facit, quia sciebat tanto se maiori cum plausu facturum, quanto petulantior in nos debacchando foret. Et interim [pag. 55] bonus evangelicae libertatis vindex, eius fructus, solatia,[3]) delitias et fomenta vocat quidquid servilium est superstitionum in papatu. Mirum cur non coelitum quoque nectar et ambrosiam appellaverit.[4]) Quid hac pecude facias? Paulus christianae libertatis

1) Il y en a un autre nommé Marigner loquel iette à plein gosier des routes de la cuysine des carmes. — *Antonii Marinarii (Marinier) sermo Tridenti habitus die dom. IV. Adv.* 1545 *exstat in Ph. Labbei Concil. T. XIV.* 999 *cf. Salig I.* 363. Fuit ex ordine Carmelitarum.

2) leur relascher la necessité qu'on leur a mal imposée, en leur permettant le mariage que Dieu leur a permis.

3) le soulas.

4) *hoc comma in versione omittitur.*

partem in libera rerum indifferentium usurpatione positam esse docet: et quanquam externum usum caritati subiicit, ut decet, conscientias tamen nullo vinculo patitur adstringi: ac sedulo admonet, cavendum esse iugum servitutis, ne eo implicemur. Hic lepidus Veneris frater (nam ex mari ambo nomen habent)[1]) salvam fore negat libertatem, nisi infinitis caeremoniarum legumque cumulis obruatur: tandem exclamat, probatas nos patrum sententias, sacramenta, sanctorum honores, et quidquid sacri est, exsecrari. His figmentis solebant antehac plebeculas rerum omnium inscias in nos inflammare: nunc iudicare promptum est, quam alii de aliis opinionem mutuo habeant, quum ex tam illiberali mentiendi licentia plausum captant in sacerrimo suo consessu. Qua in re, obsecro, minuimus sanctorum honores, nisi quod idola fieri vetuimus? An hoc est honore sanctos afficere, ereptum Deo honorem in ipsos transferre, ut cum Deo promiscue colantur? Id apud se fieri negabunt: quia latriae et duliae vocabulis adhibetur [pag. 56] discrimen. Egregia scilicet cavendae idololatriae ratio, quum duabus voculis prorsus similes cultus, tanquam equos in eodem stabulo longuriis distinguunt: et interim sanctos indifferenter cum Deo coli permittunt. Quid passim in populo israelitico damnant prophetae nisi quod suffitum adoleat suis idolis, quod sacras epulas instruat, ornet donariis, sacella dicet, coram illis se prosternat? In his omnibus Israelitas superant papistae. Nam mortuis simulacris mortuorum lampades ac cereos accendunt, suffitum aspergunt, solennibus epulis celebrant eorum memoriam, altaribus imponunt, oblationibus prosequuntur, circumferunt humeris im pompa, longas ad ea visenda peregrinationes suscipiunt, coram illis prostrati adorant, simul et orant. Quin etiam mulierculae et idiotae fere omnes, in orando Hugone, vel Lubino, non alia precandi forma utuntur, quam quae nobis tradita est a filio Dei.[2]) Ita ligni truncus erit illis coelestis pater. Tam horrendis sacrilegiis adeo se nemo opponit, ut occinant sacrifici et monachi: Euge, euge. Et nobis magni criminis loco obiicitur, quod sacrosanctum Dei cultum studuimus a tot profanationibus repurgare. Hinc nominamur sacrorum omnium hostes. Neque tamen quidquam nobis accidit novi: quum idem et prophetae et [pag. 57] apostoli audierint.

Alia convicia non attingo, quae ipsa rerum tractatione melius discutientur. Nisi quod unum praetermitti non debet: nos nihil moliri aliud, nisi ut veteris et apostolicae ecclesiae praetextu carnalem veteris Adae filiam Satanaeque sponsam erigamus: piae reformationis loco, christianae reipublicae perturbationem vitiorumque omnium licentiam ingeramus. Atque ut omnem defensionem nobis praecidat: hoc totum addit, eventu iam compertum esse. Qualem ecclesiam votis optemus, Deus quidem praecipue novit, ac nobis testis est: sed plurima etiam documenta mundo abunde testatum faciunt. Non aliunde certe, quam ex doctrina, et ex re ipsa iudicium verius ac rectius fieri potest. Nostra cum illorum scriptis conferat quisquis volet: tum ad rei inspectionem oculos convertat: nihil dico amplius, nisi mox planum fore, quam iustis de causis ecclesiae defleamus interitum et collapsum eius statum restitui flagitemus: in praescribenda autem ratione, quam nihil admisceamus carnalis vel prudentiae, vel studii: sed nostros omnes sensus, nostra consilia, studia, conatus referamus ad veram et unicam regulam. Quid porro tota eorum hierarchia, quam fastuose praedicant, consentaneum vel affine habet Christi et apostolorum gubernationi?[1]) Imo quid non [pag. 58] penitus adversum? Sed ignoscendum est Marinario, qui dum ora patrum Tridentinorum intuetur, admiratione tanti splendoris raptus Christum se videre et audire putat. Ita nihil mirum, si turbidas spumas pro verbis ecstaticus homo evomat. Vos, inquit, patres dum contemplor ecclesiastica dignitate praeminentes, omnique doctrinae genere insignes, vos mundi lumina et decora,[2]) Christum videre videor super aquas ambulantem, eundemque audire dicentem: Confidite, ego sum. Haec causa est scilicet, cur in nos tam atrociter invehatur, quia divinum illum synodi Tridentinae splendorem, ad quem obstupescit, nihilo pluris facimus quam puerile aliquod ludicrum. Ego autem tam sordidam adulationem[3]) quibus verbis insecter? Quanquam vix in Carmelitae persona insectatione digna est: quando iampridem assuefactus est orbis, ne quid ingenuitatis in eiusmodi mendicabulis[4]) requirat.

Inflat deinde suam buccinam Ambrosius Catharinus, ex ordine Dominicanorum, vetus ille Lutheri antagonista:[5]) quem ego putabam ante annos

---

1) Ce venerable docteur (*caeteris om.*).

2) ne feront d'autre oraison devant l'image de sainct Godegrain ou saincte Apolline, qu'en disant: Pater noster.

---

1) que Iesus Christ a ordonné et qui a esté observé par les Apostres.

2) Il appelle ces asnes, qui sont là assis en leur pontificat, la clarté et beauté du monde.

3) de comparer telles bestes au filz de Dieu.

4) ces belistrailles et besasiers, sachant qu'ilz ont leurs langues à vendre pour humer leur souppe grasse.

5) Il y a une autre notable personne de l'ordre des Iacopins, nommé Ambroyse Caterin, qui s'est frotté, il y a long temps, avec Luther. — *Ambrosius Catharinus ex ord. Praedic. Senensis; ante a.* 1517 *in urbe sua natali prof. iuris, proprio suo nomine Lancelotus Politus* (*Politi*) *dictus. Fuit postea episcopus Minoritanus in regno neapolitano, tandem archiepiscopus Conzensis et obiit a.* 1553. *Contra Lutherum scriptum edidit a.* 1520 *sub titulo: Apologia pro veritate cath. et*

viginti pudore confusum, in obscuras latebras se abdidisse. Tanto enim dedecore a Luthero, novitio adhuc milite, prostratus fuerat, tam fuerat turpiter ordinum omnium consensu exsibilatus, ut [pag. 59] prodire in hominum conspectum, si saperet, nunquam debuerit. Nunc autem, ut video, bulla concilii publicata, quasi edicto iubilaeo excitatus, tanquam novus homo, in lucem rursus prodit: idem tamen est qui prius erat. Ergo qui Catharini insulsitates aliquando legerunt, nescirent putridum illud cadaver adhuc spirare, nisi concionem in synodo habitam legerent, ubi Christi mater fidelissima eius socia vocatur, et assidere fingitur eius throno, ut gratiam nobis impetret. Multi antehac impudentiae suae fraena laxarunt. Sed qui sociam Christi nominaret, dum fictitiis titulis volunt ornare sanctam virginem, inventum puto neminem fuisse. Et vocem adeo sacrilegam in tali consessu prolatam, et exceptam non parvo favore, posteritas nunquam credidisset, nisi ab illis publicata fuisset oratio. Quid enim est Christum lacerare, si hoc non est? Proinde, quod a Deo nobis advocatam fuisse datam commemorat, perinde loquitur, ac si, quod de Christo praedicant apostoli, in illam dimidia ex parte competeret. Et se audet Simeoni comparare hoc silicernium: [1]) quum ille venerandus senex in unicum Dei salutare, etiam nondum revelatum, toto animo intentus fuerit: huic [2]) autem Christus unus sit ex turba advocatorum. Postquam ordinem in coelo tam concinnum [pag. 60] statuit, ad terrenam hierarchiam delabitur, et alienum esse a Christi corpore pronunciat, quisquis recusat Paulo tertio [3]) subesse. Quid? Etiamne si inter impios tanquam diabolus quispiam [4]) tenebit principatum? Fieri, inquit, aliter non potest, quin Christi sit vicarius, qui romanam sedem occupat. Nondum pudet istos nugatores [5]) tam futilibus naeniis ludere, quas sciunt ad taedium usque fuisse millies refutatas. Quo tempore adhuc Romae erat ecclesia et episcopatus, mentio primatus, qualem nunc sibi arrogant Romanenses, nulla fuit. Unius enim Christi est universalis episcopatus, cuius partem in solidum singuli sibi pastores vindicant; ut est apud Cyprianum. Haec vero appellatio si in hominem conferatur, Gregorius sacrilegam, et nefariam, et scelestam, praenunciamque Antichristi fore, passim testatur. Quid? An a corpore resecti erant Africani, quum ne primi quidem aut summi episcopi titulum romano concederent? An ab ecclesiae communione se abdicabat Cyprianus, quum Stephanum romanum episcopum non modo cogebat in ordinem, ut se docilem suis collegis praeberet, sed erroris, inscitiae et praefractae obstinationis illum damnabat? An faciendae a Christi grege discessionis autor erat Hieronymus, quum superbia divitiarum, vel paupertatis [pag. 61] humilitate superiorem vel inferiorem episcopum fieri negaret: sive romanus esset, sive eugubinus? Sed enim ut, nobis annuentibus, in tertium coelum evehatur romana sedes: quam ridiculum est, primatem episcoporum facere, qui episcopo non magis est similis, quam lupus agno? Parum est, nihil in eo cerni episcopale: verum quum sit professus Christi et ecclesiae hostis, etiamne Christi vicarium agnoscemus? Quanquam has disputationes longius protrahere, non est praesentis instituti. Et ex scriptis nostris petere satius est, quae ad hanc rem faciunt. Et ipsa Catharini verba nos admonent, diutius non esse hic immorandum. Nam simul atque peieravit, se minime gratiam adulando aucupari, continuo subiicit: Sed ad rem. Quo verbo innuit, se extra rem evagatum, et abs re loquutum esse. Ad rem vero ut nos reducat, nulla spes est, nisi prius ad sanam mentem redeat.

Si leonem ab unguibus [1]) aestimare placet: iam habent lectores, quid de Tridentino concilio sentire debeant. Nam credibile est ex monachis, qui affuerunt, hos, quibus potissimum datus est declamitandi locus, habitos fuisse primarios, et quasi selectum florem. Eosdem ergo sciamus esse, ex quorum ingenio prodierunt decreta: qui patribus cornutis dictarunt, quod tacito nutu, quasi mutae personae, [pag. 62] approbarent. Quo recidimus? Ut pro divinis oraculis habenda sint quaecunque talibus bestiis [2]) libuerit, obstrepera voce, in aliorum aures demurmurare? Quanquam non sum adeo rerum ignarus, ut credam orationes, quae istorum nomine editae sunt, qualescunque sint, ab ipsis fuisse compositas. [3]) Habent enim suos logodaedalos, quibus suas insulsitates, ne risum pueris moveant, aliquo verborum colore fucandas tradunt. Sed fingamus nihil esse, quod non industria sua limaverint: id tamen in magno lucro ponendum est, tale exstare specimen in quo formidabilis illa papatus sapientia appareat.

Nec vero praetereundus est episcopus nescio quis, Cornelius [4]) nomine, qui ut superiores omnes

apost. fidei ac doctrinae adv. impia et valde pestifera M. L. dogmata. Lutheri responsio anno sequenti edita exstat in ei. Opp. lat. Ien. II. 350.

1) ceste charongne.
2) ce ferial docteur.
3) Pol de Freneze.
4) quand le pape Paul sera un Diable, tel qu'il est.
5) ces babouyns.

1) un asne des aureilles.
2) telles bestes chaussées.
3) *Add.* Car les plus excellens caphardz sont le plus souvent si barbares, qu'ilz ne sauroyent composer trois motz sans incongruité. Pourtant ilz ont des forgeurs etc.
4) *Cornelius Mussus Placentinus, ex ord. s. Francisci, episcopus Bituntinus. Eius sermonem habet Labbeus in Concil. T. XIV. f.* 990. *Cf. Le Plat, monum. Conc. Trid. I.* 18.

dignitate, ita et stultitia longe superat. Si quid alias grave esset aut serium in actionibus synodi, huic diceres attributas esse morionis partes in fabula:[1]) sed quia dubium non est, quin delectus fuerit hic unus inter episcopos, in quo totus ordo sua decora ostentaret, nisi eos sui pigeat iam ac pudeat, vehementer me ipsorum miseret. Unum est, quod illis perstringere queat oculos, quod flosculos omnes undique collegit, imo quidquid unquam elegantiae didicerat sedulo in suam orationem inferciit, ut se pro diserto venditaret. Ac per me sane licebit, ut [pag. 63] se putet disertissimum, suisque talis videatur. Ciceroni quidem valde familiarem fuisse oportet, ex quo tanta fiducia laceras sententias mutuatur:[2]) ex quibus suam orationem male consarcinet. Verum, ut scurrili more ludendo emendicatam illam suam garrulitatem ad opprimendum Christi regnum contorqueat, et scripturam pro libidine profanet, id vero nullo modo ferendum. Quoniam singula notare infiniti esset operis, gustum ex paucis capiant lectores. Postquam hilaris orator triplici gaudio perfudit auditorium,[3]) sibi et sociis gratulatur, quod oculis iam videant et manibus tangant beatam illam spem, quam multi videre quum cuperent non potuerunt. Quod partim de priore Christi in mundum adventu, partim de ultima revelatione, quam adhuc exspectamus, dictum est, quis pius sine stomacho audiat ab isto insano ad Tridentinam colluviem transferri?[4]) Et ne quid ad impudentiae cumulum deesset, tertium membrum ex undecimo ad Hebraeos capite de ultima fidelium perfectione assuit. Post haec praeludia, quid non sibi licitum putaret? Itaque non dubitat Christum nudare, ut eius spoliis papam suum ornet. Papa,[5]) inquit, lux venit in mundum. Os sacrilegum,[6]) tune sacrosancto illo elogio, quod non nisi in filium Dei competebat, foetidum [pag. 64] illud tuum monstrum[7]) commendabis? Si quem esse Deum crederes, annon ipse nefariae vocis sonitus te subito horrore perculisset, ac reddidisset attonitum? An si quis in praeclara illa synodo fuisset pietatis sensus, tanta non modo scripturae profanatio, sed in filium Dei contumelia non omnes iracundia inflammasset? Et adhuc spiritum sanctum iactabunt praesidere, ubi redemptor

1) pour entrelacer le personnage d'un fol, afin de faire rire les auditeurs.

2) duquel il emprunte beaucoup de clausules, aussi hardiment que s'il les peschoit dans son plat. Il y a une faute qu'il ne les applique guere bien: neantmoins ie luy pardonne tout cela.

3) Apres que de premiere entrée il a cryé trois fois Gaudete, sans propos, comme s'il iouoit une morisque.

4) *Add.* Et qui est l'homme craignant Dieu qui ne se despitast, voyant l'Escriture estre ainsi renversée?

5) Le Pape Paul.

6) O puante gueule.

7) ton Antechrist.

noster ita impune illuditur? Quid enim illo honore magis Christo proprium? ut evangelista, nominatim Baptistam vel potius sub eius nomine universos mortales ipsos excludens, illi uni asserat. Illic autem clamat, filium Dei lucem nostram e coelo apparuisse. Eiusmodi est sententia, quae excitare pios omnes animos ad summam reverentiam debeat. Excipitur autem a synodo quasi ludicrum aliquod dicterium. An satis pro indignitate exagitari posset tanta impietas? Sed bene est, quod non multis verbis indigent lectores, ut eam suo pondere examinent. Quamobrem et reliqua omnia leviter percurram. Quum in laudes Pauli tertii erumpit, dicas eum ex pleno fonte hausisse quod profert: tantum est verborum profluvium. Fortissimus, inquit, et optimus post hominum memoriam, quem gentium omnium linguae celebrabunt: de cuius laudibus nulla [pag. 65] unquam aetas conticescet. Legerat haec apud Ciceronem. Eleganter putavit dicta esse, ut sunt: modo apte accommodentur. Sed quam bene quadrent Paulo tertio, testes sint eorum conscientiae, qui vel eius tyrannidi sunt addictissimi. Ineptus nimium sim, si singula encomia persequar quibus detonandis hic nugator guttur suum exercet. Postquam mirabili Dei providentia conservatum fuisse dixit, ut fide, sapientia, potestate sua nos bearet, iubet venerandos patres, tripudiantium more, exclamare: Vivat sanctissimus. Vivat oecumenicus. Vivat apostolicus. O bone patercule,[1]) quanto praestaret te sanum esse, quam non mortuo solum, sed exitiali pestiferoque monstro occinere illud tuum, Vivat. Nam quod postea coelo dignum praedicas, nescio an intelligas quod omnes iudicant: terra esse indignum. Sed in eo vehementer errasti, quod procul a coelo[2]) debueras suam illi stationem assignare. De reliqua laudum congerie, quibus idolum suum onerat lepidus encomiastes, hoc tantum habeo quod dicam. Vetus forte proverbium audierat: Dulcis cantilena, laus. Non animadvertit, quorsum spectaret. Itaque, ut suavis orator videretur, totum se in laudes profudit. Inde transit ad synodum: et ex tribus legatis unum facit coelestem, Cardinalem scilicet a Monte,[3]) quem omnes truculento [pag. 66] ingenio ferisque moribus esse norunt:

1) Ah monsieur le Reverend, combien vaudroit il mieux que vous fussiez de bon entendement, que de donner tant de fois bonne vie et bonne santé à cest horrible monstre qui est non seulement mort en soy par infidelité ains aussi mortel à tous autres.

2) Au profond d'enfer.

3) *Editiones latinae scribunt: a monte, literis minusculis. Io. Maria del Monte, tunc temporis episcopus Praenestinus, fuit Pauli III. successor et occupavit romanam sedem ab a.* 1550 *ad* 1555 *sub nomine Iulii III. Alter legatus fuit Marcellus Cervinus, tituli S. Crucis in Ierusalem presbyter, tertius Reginaldus Polus Anglus.*

secundum, christianae politiae severum exactorem: qui utinam a suo cubiculo inciperet: tertium, angelum: qui utinam ambitionem, praecipuam carnis partem, exuisset. Tandem illi concilium est nova Ierusalem: et quid non? Hoc scilicet profectum est gravi illa obtestatione, qua usi fuerant legati, ne quispiam laudaretur. [1]) Verum illud perquam facetum, quod, quum haec omnia dicturus esset, indignationem suorum deprecatur. Nemo, inquit, vestrum mihi succenseat. Nam meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis. Immites sane et formidabiles esse bestias oportet, si tam blandis palpationibus irritantur. Quid enim facerent durius lacessitae? Postea quasi placatis illis securus exsultat: Venimus, vidimus, vicimus. Potuit hoc quidem iactare Caesar. Sed quam ridiculi sunt isti paeanes in umbra vallis Tridentinae, extra hostis conspectum? Velim enim scire quid viderint, ut vincerent. Periculum est, ne me calumniari excipiat: quum ratio mox sequatur, apertis concilii foribus, apertas esse fores coeli: nempe, nisi omnibus palam esset, quantum inter concilium et coelum intersit. Sed homini deliro concedendum est, si extra metas vagatur. Proinde sibi gratulatur, restitutam esse ecclesiam, quae [pag. 67] iam ad interitum inclinaverat, nisi nova lux Dei, et eius qui ad Deum proxime accedit, Pauli tertii oblata esset. Quid? etiamne angelis, etiamne prophetis et apostolis superior est Paulus? Video quid sit. Legerat Ciceronem (quem paulo deterius imitatur, quam hominem simia) populo romano sic aliquando fuisse adulatum. Tam bellum dicterium perdere noluit. Sed interim, quae pia mens non talem blasphemiam exsecretur?

Quis spiritum synodo abesse neget, quem talibus flabellis videmus excitari? Quanquam episcopulus de sanctissimi Pauli et patrum clementia magnifice concionatur. Praedicat enim Paulum sui oblitum, nostri memorem, nihil nisi humanum et paternum meditari. Atque hoc quidem sperabimus, adeo mansuetum esse Pauli animum, ubi ipsum sui oblitum esse apparuerit. Fucus tamen iste aliquanto est tolerabilior, quam crudele incitamentum rhetoris, non dico cuius (nomen enim, honoris causa, taceo) qui forte veritus, ne scribendis sanguinariis decretis parum audaces forent Tridentini, eos ad audendum hortatur: et simul atque iusserint, paratas fore carnificum manus promittit. Itane vero, ut tu, qui nescius non es, indignis modis tractari innoxios: et qui potius, si quem haberes conscientiae sensum, caput [pag. 68] tuum opponere debueras, acuere ad saevitiam non dubites, qui iam toti ardent immani ac belluina rabie? Adeone sensus omnes tuos profanavit aer italicus, ut non cogites filium Dei, cuius agitur causa, iustum aliquando fore iudicem? An oblitus es, quanti regnum suum faciat, quod evangelii praedicatione continetur? An memoria non tenes, quam severum se vel imminutae patris gloriae vindicem denunciet? Quibus eloquentiae picturis horribiles illas minas delebis, quibus adversus perfidam simulationem fulminat? Quae tanta amentia te excaecavit, ut calcare pedibus sacrum martyrum sanguinem non verearis, quem sibi non frustra asserit esse pretiosum? Una denique ista vox tibi horrorem non incutit: Vae qui mentiuntur lucem esse tenebras (Ies. 5, 20)? Ego vero, tua causa totus expavesco, dum formidabilem illam ultionem mente concipio, quae te brevi manet, nisi in viam redeas. Atque ideo tibi non parco, ut Deus parcat: sed ita est profecto, meretricias tandem rhetorum linguas fieri oportet, ubi semel meritoriae esse coeperunt. Quod si illi ad maledicendum sunt diserti, nos ad reprimendam eorum virulentiam mutos esse non convenit. Turpis enim ignaviae esset, dum martyrum memoriam, quam, ut inter pios benedicta esset, ore suo Dominus consecravit, [pag. 69] quibus possunt probris lacerant, nos dissimulando id pati: perfidiae vero nimis flagitiosae, dum aeternam Dei veritatem, cuius defensio nobis tantopere commendatur, infamant, nos tacendo velut eam prodere. Sed iam ad secundae sessionis decretum, tanquam ad primum fabulae actum veniamus. [1])

DECRETUM PUBLICATUM IN SECUNDA SESSIONE SACRI CONCILII TRIDENTINI, DIE VII. IANNUARII MDXLVI.

Sacrosancta Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea Praesidentibus eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, agnoscens cum beato Iacobo Apostolo, quod omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui iis qui postulant a se sapientiam dat omnibus affluenter, et [pag. 70] *non improperat eis, et simul sciens, quod initium sapientiae, timor Domini: statuit et decrevit omnes et singulos Christi fideles in civitate Tridentina congregatos, exhortandos esse, prout exhortatur: ut se a malis et peccatis hactenus com-*

1) Voyla qu'ont profité les belles exhortations des Legatz comme louables personnes en leur assemblée (?).

1) laquelle est comme une entrée de leur farce.

missis emendare, ac de caetero in timore Domini ambulare, et desideria carnis non perficere, orationibus instare, saepius confiteri, Eucharistiae sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, praecepta denique Dominica (quantum quisque poterit) adimplere, nec non quotidie pro pace Principum Christianorum, ac unitate Ecclesiae, privatim orare velint. Episcopos vero, et quoscunque alios in ordine sacerdotali constitutos, oecumenicum Concilium in ea civitate celebrantes, ut assidue Dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium Missae quolibet saltem die Dominico (in quo Deus lucem condidit, et a mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum in discipulos infudit) peragere [pag. 71] *satagant: facientes sicut idem Spiritus sanctus, per Apostolum praecepit, obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro sanctissimo D. N. Papa, pro Imperatore, pro Regibus, et caeteris, qui in sublimitate constituti sunt, ac pro hominibus:*[1] *ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur, et fidei incrementum videamus. Praeterea hortatur ut ieiunent, saltem singulis sextis feriis, in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent. In Ecclesia autem cathedrali, singulis quintis feriis, celebretur Missa de Spiritu sancto, cum laetaniis,*[2] *et aliis orationibus ad hoc institutis. In aliis vero Ecclesiis, eadem die dicantur, ad minus laetaniae, et orationes. Tempore autem, quo sacra peraguntur, colloquutiones et confabulationes non fiant: sed ore et animo celebranti adsistatur.*

Et quoniam oportet Episcopos esse irreprehensibiles, sobrios, castos, domui suae bene praepositos, hortatur [pag. 72] *etiam, ut ante omnia, quilibet in mensa servet sobrietatem moderationemque ciborum. Demum,*[3] *quum in eo loco saepe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum Episcoporum mensis, divinarum Scripturarum lectio admisceatur: familiares vero suos unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi et voluptatum amatores: vitia demum fugiant et virtutes amplectantur, et in vestitu et cultu et omnibus actibus, honestatem prae se ferant, sicut decet ministros*[1] *Dei.*

Ad haec, quum huius sacrosancti Concilii praecipua cura, sollicitudo et intentio sit, ut propulsatis haeresum tenebris (quae per tot annos operuerunt terram) catholicae veritatis lux (Iesu Christo, qui vera lux est annuente) candor puritasque refulgeat, et ea quae reformatione egent reformentur: ipsa Synodus hortatur omnes catholicos, hic congregatos, et congregandos, atque eos praesertim, qui sacrarum literarum peritiam [pag. 73] *habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent quibus potissimum viis et modis ipsius Synodi intentio dirigi, et optatum effectum sortiri possit: quo maturius et consultius damnari damnanda, et probanda probari queant: ut per totum orbem omnes uno ore et eadem fidei confessione glorificent Deum, et Patrem Domini nostri Iesu Christi.*

In sententiis vero dicendis, iuxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis considentibus dominis[2] *sacerdotibus, nullus debeat aut immodestis vocibus perstrepere aut tumultibus perturbare: nullis etiam falsis, vanisve aut obstinatis disceptationibus contendere: sed quidquid dicatur, mitissima*[3] *verborum prolatione temperetur: ut nec audientes offendantur, nec recti iudicii acies perturbato animo inflectatur.*

Insuper, ipsa sacra Synodus statuit, ac decrevit, quod si forte contigerit aliquos debito in loco non residere, et sententiam [pag. 74] *etiam sub verbo Placet proferre, congregationibus interesse, et alios quoscunque actus facere, Concilio durante: nulli propterea praeiudicium generetur, nullique novum ius acquiratur.*

IN DECRETUM SECUNDAE SESSIONIS.

Quia honorabile esse concilii nomen sciunt: commendationem inde sibi accersunt[4] apud bonos viros, quibus sunt ignoti. Nam dum intumescunt istae ampullae,[5] *sacrosancta, oecumenica, et universalis synodus, in spiritu sancto legitime congregata:* perstringunt simplicium oculos. Verum, ut christianae modestiae est, ecclesiae autoritatem vereri: ita et prudentiae est circumspicere, ne fallaci praetextu nobis Satan illudat. Quanquam hic non tam exacta prudentia opus est. Neque enim, vel a praestigiis vel ab occultiore aliquo astu nobis cavendum est. Tantum aperiamus oculos, et perspiciemus nihil esse quod tam splendidis titulis obtendunt. Quum publicarent hoc decretum, viginti forte episcopi sedebant. En cur universalem synodum se [pag. 75] appellent: nec eo contenti, quo magis terreant ignaros, nomen graecum usurpant, quasi vox ignota vim habitura sit magicae incantationis. Sed quid tamen valet oecumenica synodus? Perinde ac si quis dicat, undique Tridentum confluxisse episco-

1) *Al.* pro omnibus hominibus.
2) *al.* litaniis.
3) *al.* deinde.
4) ilz s'acoustrent de ce manteau.
5) ilz entonnent ces beaux motz comme s'ilz souffloyent en une cornemuse.

1) *al.* ministros ministrorum Dei.
2) *al.* Domini.
3) *al.* sic mitissima.

pos, quaquaversum habitatur orbis. At si provincialis foret synodus, deberet eos pudere suae paucitatis. Unde autem, aut quo iure sacrosanctam hanc synodum censebimus? Quousque tandem sibi ducent cum pueris esse negotium, ut crepitaculis [1]) risu dignis maiestatem sibi concilient? In spiritu sancto rite se esse congregatos, unde nobis fidem facient, nisi forte ex bullari indictione? Quasi vero semper fascinatas hoc stupore teneant hominum mentes, spiritum sanctum e coelis elici, papae nutu. Quo tempore habita sunt concilia, quibus ipsi primarium honorem deferre coguntur, nulla penes romanum episcopum indictionis erat potestas. Sed eum Imperator cum reliquis, suo edicto convenire iubebat. Hoc fuisse observatum, non in quatuor solum magnis conciliis, quae vocant, sed etiam in plurimis aliis, vetusta acta, quae adhuc supersunt, et omnes historiae testantur. Ac ne causentur indictionem fuisse parum legitimam, id Leonis epistolis refellitur, quibus suppliciter petit a Theodosio, Valentiniano et Marciano, Augustis, [2]) ut, pro imperatoria [pag. 76] potestate, locum et diem episcopis edicant. Idem et Gregorius aliquanto post a Mauricio petiit.

Verum tres sedis apostolicae legati spiritum sanctum forsan attulerunt. Si ita est, non fuit synodus Nicena rite congregata: quae romanae ecclesiae legatos in quartum locum reiecit. Quid de Aquileiensi dicendum, quae quum in Italia celebraretur, essetque universalis, nullam facit romani episcopi mentionem? Si non est rite constitutus ordo, nisi praesideant papae legati, quid respondebunt Africani, qui duobus Bonifacii legatis Philippo et Asello postremum locum assignarunt, quod presbyteri tantum essent, [3]) non ex ordine episcopali? Nunc romanae ecclesiae diaconus, modo rubro pileo sit insignis, altus eminebit super omnium episcoporum capita. Tametsi, quem quisque inter eos gradum obtineat, mea nihil refert: nec ea de causa illis molestus ero. Quin facile patiar mitras a galeris vinci: modo ne spiritum sanctum larvis nuper a se compositis alligent: ut ubicunque conspectus fuerit purpurae fulgor, synodus sit rite congregata. Et tamen si hanc nobis legem imponunt: cur synodus Basiliensis legitima, illorum iudicio, non habetur? Quis ferat tantam impudentiam, ut spiritum emittat homo, et quoties libuerit revocet? [4]) Proinde ut vero argumento persuadeant, [pag. 77] spiritum Dei suum esse praesidem, in primis probent necesse est, Christi nomine et auspiciis se esse congregatos.

Atqui longe secus esse, acta clamitant: Nam simul ac buccas ita inflarunt, primum nihil dignum proferunt tanto hiatu: deinde primo statim ingressu, quod sibi videntur habere optimum, ex crassissima superstitionum faece hauriunt. Ac de priore quidem parte, quam flaccidi sint et emortui, omnique spiritus energia vacui in primo suo decreto, lectoribus iudicium relinquam: quia nemo est mediocri intelligentia praeditus, qui non per se animadvertat. [1]) Secundam attigisse sufficiet: quia ex brevi indicatura iudicium facere promptum erit. Episcopos et sacerdotes concilium celebrantes, hoc est, se ipsos, hortantur, ad peragendum, quolibet saltem dominico die, missae sacrificium. En praeclarae reformationis initia. Clamamus, missale sacrificium nihil aliud esse, quam impiam coenae dominicae profanationem. Idque ex claris Domini verbis planum facimus. Neque enim sacrificandi partes nobis iniungit in sacra coena instituenda: sed ad participandum, quod ipse unus et semel obtulit sacrificium, nos invitat: distributionem fieri praecipit: utroque symbolo communicare omnes pariter iubet. Neque enim obscura sunt verba: Accipite, distribuite [pag. 78] inter vos: bibite ex hoc calice omnes. Quid simile inter eiusmodi actionem, quae Domini mandato respondet, et papalem missam? ubi se Christum patri offerre fingunt, ad expianda suo sacrificio mundi peccata: neque id solum, sed etiam ad impetrandam mortuis redemptionem: ubi nulla fit ad participationem invitatio: sed potius unus se a toto grege separat: quod si quis forte accedit, a dimidia parte arcetur. Olim quum minor esset populi frequentia, dicebat Chrysostomus: Frustra ergo adstamus ad altare. Dicebat hoc, qui iam tamen assueverat multis corruptelis. Quid dicturus est Dominus, non corrupta modo, sed eversa prorsus sua institutione? Eant igitur, et magis magisque suo sacrilegio iram Dei iam plus satis concitatam, rursus de integro inflamment. Secundo hortantur, ut ***singulis saltem feriis sextis, in passionis etc. memoriam.*** [2]) Hoccine est, quod de observatione dierum docet Paulus (Col. 2, 16)? [3]) Hoccine est quod de ciborum delectu admonet, eadem ad Colossenses epistola (ib. v. 23)? ἐθελοθρησκείαν esse, hoc est, commentitium Dei cultum, qui utcunque speciem habeat sapientiae, quia tamen pendet ex hominum placitis, una cum cibis ipsis

1) quand ilz auront sonné des hochettes.
2) *In ed. principe legitur:* A A A.
3) c'est à dire de l'ordre de ceux qui se nomment auiourdhuy Cardinaux.
4) que le Pape envoye le sainct Esprit de sa manche quand il luy plaira, et qu'il le rappelle aussi à sa volonté comme un oyseau privé?

1) *add.* que leur decret est composé d'un stile de chicanerie, sans qu'il sente maiesté aucune.
2) *Omissum hic est, utrum casu an de industria, nescimus, vocabulum:* ieiunent.
3) disant qu'elle ne convient plus aux Chrestiens: pour ce qu'elle est des umbres de la Loy?

evanescit, qui usu ipso pereunt. Ubi, quaeso, legerunt, Dominum talem commendasse mortis suae memoriam? Quin potius [pag. 79] moriendo, quidquid tale est, abrogavit. Quid ergo de praeparationibus istis dicendum, quibus spiritum sanctum elicere de coelo volunt: nisi fatuas esse superstitiones, de quibus ad focum sedentes cum lana et colu aniculae fabulantur? His demum adiungunt litanias: hoc est, centones ex totidem blasphemiis consutos, quot verbis. Quo enim colore excusabunt, quod quum de Christi intercessione illic altum sit silentium, advocatorum sibi centurias, ex quibus volunt mortuis, deligunt? [1]) Quid hoc, vel cum scripturae doctrina, vel cum veteribus piorum institutis simile habet? ut praeterito uno Dei et hominum mediatore, nominatim enumerent quos sibi finxerunt pro suo arbitrio, et tandem universum sanctorum chorum, quasi uno fasciculo colligatum invocent? [1]) Ut discedere sibi permittant a pura evangelii doctrina: certe quo tempore eo usque invaluerat superstitio, ut rectam lineam tenere non possent sancti pastores, disertis tamen verbis prohibitum fuit in concilio Carthaginensi, ne sancti ad altare invocarentur: et ne hanc vocem proferrent sacerdotes: Sancte Petre, vel Paule, ora pro nobis. Qualis nunc ab his speranda reformatio, qui a corrupti saeculi vitiis tantopere in peius degenerant? [2])

PRIMUM DECRETUM PUBLICATUM IN TERTIA SESSIONE TRIDENTINAE SYNODI, DIE IOVIS, IV. FEBRUARII MDXLVI. [2])

[pag. 80] *In nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Haec sacrosancta, oecumenica, et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis: magnitudinem rerum tractandarum considerans, praesertim earum, quae duobus illis capitibus de exstirpandis haeresibus et moribus reformandis continentur, quorum causa praecipue est congregata: agnoscens autem, cum Apostolo, non esse sibi colluctationem adversus carnem et sanguinem, sed adversus spirituales nequitias in coelestibus: cum eodem omnes et singulos in primis hortatur, ut confortentur* [pag. 81] *in Domino, et in potentia virtutis eius, in omnibus scutum fidei,* [3]) *in quo possint omnia tela nequissimi ignea exstinguere, atque galeam spei salutis accipiant cum gladio spiritus, quod est verbum Dei. Itaque ut haec pia eius sollicitudo principium et progressum suum per Dei gratiam habeat, ante omnia statuit et decrevit,* [4]) *praemittendam esse confessionem fidei, patrum exempla in hoc sequuta, qui sacratioribus Conciliis hoc scutum contra omnes haereses in principio suarum actionum opponere consuevere: quo solo aliquando et infideles ad fidem traxerunt, haereticos expugnarunt, et fideles confirmarunt. Quare Symbolum fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Christi profitentur, nec non* [3]) *conveniunt, ac fundamentum firmum et unicum contra quod portae inferi nunquam praevalebunt, et* [4]) *totidem verbis, quibus in omnibus Ecclesiis legitur, exprimendum esse censuit: quod* [pag. 82] *quidem eiusmodi est:* [5])

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, Factorem coeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Iesum Christum Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia saecula, Deum de Deo, Lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, Genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria virgine. Et Homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, et sepultus est, et resurrexit tertia die, secundum Scripturas, et ascendit in coelum, sedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus est cum gloria iudicare vivos et mortuos: cuius Regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre, et Filio, simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per [pag. 83] *Prophetas. Et unam sanctam catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma, in remissionem peccatorum: et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi, Amen.*

---

1) *Add.* Mesmes ilz en nomment qui ne furent iamais au monde, comme sainct Christophle, saincte Catherine et saincte Barbe. Mettons le cas que les vrays sainctz ne fussent que là contenus: quelle excuse ont ilz de laisser Iesus Christ derriere en amassant une telle trouppe de mediateurs?

2) *Exstat in edit. Gottingensi Tom I. pag.* 11.

3) *Edd. nonnullae add.* sumentes.

4) *Al.* decernit.

1) ilz les mettent tous ensemble sous un fidelium.

2) tellement empirez que la plus grande vertu qu'ilz ont est un vice condamné par ceux qui estoyent ia declinez de la droite ligne.

3) *Edd. calvinianae omnes habent:* nec non. *Edd. caeterae actorum Tridentinorum exhibent:* necessario.

4) et *om. al.*

5) *Versio gallica ipsum textum Symboli non describit sed lectorem ad Missale ablegat.*

Eadem[1]) *sacrosancta, oecumenica, et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, in ea praesidentibus eisdem tribus Apostolicae sedis Legatis, intelligens multos Praelatos, ex diversis partibus accinctos esse itineri, nonnullos etiam in via esse, quo huc veniant: cogitansque omnia ab ipsa sacra Synodo decernenda, eo maioris apud omnes existimationis et honoris videri posse, quo maiori fuerint, et pleniori patrum Concilio*[1]) *et praesentia sancita, et corroborata: statuit et decrevit futuram Sessionem, post praesentem celebrandam esse die Iovis, quae subsequetur Dominicam Laetare proxime futuram. Interim tamen, non differri discussionem et examinationem eorum quae ipsi Synodo discutienda et examinanda videbuntur.*

IN DECRETUM TERTIAE SESSIONIS.

[pag. 84] Dicas, altum nescio quid velle excudere venerandos patres, quum de spirituali armatura ex Paulo concionantur. Sed ex monte inflato, praeter inanem fumum, nihil tandem prodit, quod saltem praesenti necessitati serviat. Nam fidei confessioni duntaxat subscribunt quae in templis canitur. Initio Ianuarii primum decretum publicaverant: huius secundi publicationem differunt in Februarium.[2]) Quid tam longa consultatione opus fuit in re liquida? An vero mensis unius fuit haec inquisitio? Valde sedulos et laboriosos in rebus arduis esse oportet, qui, ubi nihil est negotii, tamdiu occupantur. Ergo, quasi non frustra tempus consumpserint, ubi dies advenit, consedere duces et vulgi stante corona alta voce pronunciant se credere, de quo nihil esse controversiae sciebant omnes. Hoc dicent ex ritu institutoque veteri fuisse factum. Atqui, an nullius difficultatis caeremoniola mensem integrum requirebat? Nimis certe puerilis est hic fucus, dum sedent ad nihil dicendum, quo probent, se non fuisse otiosos. Sed qua gravitate pronunciant? Symbolum, inquiunt, profitemur nos credere, ut est in Missali. Ut eorum ineptias [pag. 85] non exagitem, mirum nisi eos sponte sui pudeat. Quod multos praelatos putabant ex variis partibus accinctos esse itineri, eos fefellit opinio. Nam ad extremum vix ad quadraginta fuerunt collecti. Quare illam existimationem, quam sperabant ex magno numero, perdiderunt. Tametsi, mea opinione, sibi sunt iniurii, dum paucitati suae detrahunt: nam tanti apud me est ipsorum autoritas, ut si quingentos praeterea haberent sui similes, ne minimum quidem momentum accessurum sit ad pondus.

PRIMUM DECRETUM IV. SESSIONIS VIII. APRILIS 1546 CELEBRATAE CONCILII TRIDENTINI.[3])

Sacrosancta, oecumenica, et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis: hoc sibi perpetuo ante oculos proponens, ut sublatis erroribus puritas ipsa Evangelii in Ecclesia conservetur, quod promissum ante per Prophetas, [pag. 86] *in Scripturis sanctis Dominus noster Iesus Christus Dei Filius proprio ore primum promulgavit: deinde per suos Apostolos, tanquam fontem omnis et salutaris veritatis, et morum disciplinae, omni creaturae praedicari iussit: perspiciensque hanc veritatem et disciplinam contineri in Libris scriptis, et sine scripto traditionibus, quae ipsius*[4]) *Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu sancto dictante, quasi per manus traditae, ad nos usque pervenerunt, orthodoxorum patrum exempla sequuta, omnes Libros, tam veteris, quam novi Testamenti, quum utriusque unus Deus sit autor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas, et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero Librorum indicem huic Decreto ascribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit,* [pag. 87] *quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiantur.*[2]) *Sunt vero infra scripti: Testamenti veteris, quinque Mosis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: Iosueh, Iudicum, Ruth, Quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdrae primus, et secundus qui dicitur Nee-*

1) *Haec leguntur in ed. Gottingensi Tom II. p.* 19.
2) *Versio gallica Ianuarii decretum secundum dicit, Februarii teritum.*
3) *Legitur in ed. Gottingensi Tom I. p.* 13.
4) *Al.* ab ipsius; *al.* ex ipsius.

1) *Al.* consilio.
2) *Al.* suscipiuntur.

mias, Thobias, Iudith, Hester, Iob, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolae, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Esaias, Hieremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetae minores, id est, Oseas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, Micheas, Naum, Habacuh, Sophonias, Aggeus, Zacharias, Malachias, duo Machabaeorum, primus et secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia, secundum Matthaeum, Marcum, Lucam, Ioannem: [1]) *Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti: Quatuordecim Epistolae Pauli Apostoli: ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses,* [pag. 88] *duae ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebraeos: Petri Apostoli duae, Ioannis Apostoli tres, Iacobi Apostoli una, Iudae Apostoli una, et Apocalypsis Ioannis Apostoli. Si quis autem Libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur pro sacris et Canonicis, non susceperit, et traditiones praedictas sciens et prudens contempserit, Anathema sit. Omnes itaque intelligant, quo ordine et via ipsa Synodus post iactum fidei confessionis fundamentum, sit progressura, et quibus potissimum testimoniis ac praesidiis in confirmandis dogmatibus et instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.*

SECUNDUM DECRETUM EIUSDEM QUARTAE SESSIONIS.

Insuper eadem sacrosancta Synodus, considerans, non parum utilitatis accedere posse Ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus quae circumferuntur [pag. 89] *sacrorum Librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat: statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ipsa Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus, pro authentica habeatur, et quod* [2]) *nemo illam reiicere quovis praetextu audeat, vel praesumat.*

Praeterea ad coercenda petulantia ingenia, decernit, ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum patrum, ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiam si eiusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendae forent. Qui contravenerint per ordinarios [pag. 90] *declarentur, et poenis a Iure statutis puniantur.*

Sed et impressoribus modum in hac parte, ut par est, imponere volens, qui iam sine modo, hoc est, putantes sibi licere quidquid libet, sine licentia superiorum Ecclesiasticorum, ipsos sacrae Scripturae libros, et insuper annotationes, [3]) *et expositiones quorumlibet indifferenter, saepe tacito, saepe etiam ementito prelo, et (quod gravius est) sine nomine autoris imprimunt, alibi etiam impressos libros huiusmodi temere venales habent: decernit et statuit ut posthac sacra Scriptura, potissimum vero haec ipsa vetus et vulgata editio quam emendatissime imprimatur, nullique liceat imprimere, vel imprimi facere, quosvis libros de rebus sacris sine nomine autoris, neque illos in futurum vendere, aut etiam apud se retinere, nisi primum examinati probatique fuerint ab ordinario, sub poena anathematis, et pecuniae, in Canone Concilii novissimi Lateranensis apposita. Et si regulares* [pag. 91] *fuerint, ultra examinationem et probationem huiusmodi, licentiam quoque a suis superioribus impetrare teneantur, recognitis per eos libris, iuxta formam suarum ordinationum.*

1) *Al.* et Ioannem.
2) *Lege:* ut.
3) *Al.* et super illis annotationes.

Qui autem scripto eos communicant, vel evulgant, nisi antea examinati probatique fuerint, eisdem poenis subiaceant, quibus impressores, et qui eos habuerint, vel legerint, nisi prodiderint autorem, [1]) *pro autoribus habeantur. Ipsa vero huiusmodi librorum probatio in scriptis detur, atque ideo in fronte libri, vel scripti, vel impressi, authentice appareat. Itaque* [2]) *totum, hoc est, probatio et examen gratis fiat: ut probanda probentur, et reprobentur improbanda.*

Post haec temeritatem illam reprimere volens, qua ad profana quaeque convertuntur et torquentur verba et sententiae sacrae Scripturae, ad scurrilia scilicet fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes et divinationes, sortes, libellos etiam famosos: [pag. 92] *mandat, et praecipit ad tollendam huiusmodi irreverentiam et contemptum, et ne de caetero quisquam, quomodolibet verba Scripturae sacrae ad haec et similia audeat usurpare, ut omnes huius generis homines, temeratores et violatores verbi Dei, iuris et arbitrii poenis per Episcopos coerceantur.*

1) *Al.* autores.
2) *Lege:* Idque.

Item, haec sacrosancta Synodus statuit, et decrevit, [1]) *proximam futuram Sessionem tenendam et celebrandam esse feria quinta, post sacratissimum festum* [1]) *Pentecostes.*

IN QUARTAM SESSIONEM.

Vetus est proverbium: Romani sedendo vincunt. Hac fiducia degeneres isti ac spurii romanae sedis, hoc est, magnae meretricis filii, ad vincendum se composuerunt, indicta tertia sessione. Quid enim prohibet, quominus erecto trophaeo, voti compotes abeant: si illis conceditur quod uno decreto complexi sunt? Quatuor autem sunt capita. Primo definiunt, in doctrina non solis scripturis standum [pag. 93] esse, sed traditis etiam per manus placitis. Deinde, in conficiendo scripturae catalogo, eadem libros omnes creta notant: [2]) et apocryphos vetant ex aliorum ordine submoveri. Tertio, repudiatis aliis quibuscunque interpretationibus, vulgatam solam retinent, ac iubent esse authenticam. Postremo, sibi in locis omnibus vel obscuris, vel dubiis, ius interpretationis vindicant, absque provocatione. Quatuor istis constitutis, quis neget esse debellatum? Itaque, supervacuae magis ostentationis causa, [3]) postea disputarunt, quam quod ita necesse foret. Quidquid enim protulerint, si nulla scripturae autoritate fultum erit, inter traditiones numerabitur: quas nihilo minus fidei habere volunt, quam legem et prophetas. Quid vero iam licebit improbare? quum nullum sit tam crassum aut anile delirium, quod non hoc praetextu defendant. Imo nulla est tam prodigiosa superstitio, cui non hunc, veluti Aiacis clypeum, applicent, quo muniatur. Adde, quod sibi nova suffragia comparant, quum libros apocryphos autoritate dignantur. Ex secundo Machabaeorum et purgatorium probabitur, et sanctorum intercessio. Ex Tobia, satisfactiones, exorcismi: [4]) et quid non? Ab Ecclesiastico non pauca mutuabuntur. Unde enim faecem melius haurirent? Quanquam non is sum qui [pag. 94] lectionem horum librorum velim prorsus improbare: sed fidem illis tribuere, quae hactenus nunquam habita fuit, quorsum attinebat, nisi ut ad colorandos suos errores adulterino fuco uterentur? Verum, quia saepe ex hebraica aut graeca veritate refellitur istorum inscitia in citandis scripturis, et temeritas cohibetur, adeoque retunditur thrasonica iactantia: huic quoque modo ingeniose occurrunt, dum statuunt, ut sola ad fidem valeat vulgata translatio. Eant nunc qui multum operae temporisque consumpserunt in linguarum studio, ut genuinum scripturae sensum ex fontibus ipsis peterent. Saltem ne posthac Romanensibus molesti sint, hoc decreto abunde provisum est. Nonne hoc est Graeciam totumque Orientem subigere? Unum adhuc deerat: semper enim emergunt homines morosi, quibus satisfieri aliter nequit, nisi scripturis probetur quod vertitur in quaestione. Sunt alii nimium perspicaces, qui etiam in vulgata translatione arma reperiunt, quibus ad lacessendum papatum instruantur. Ne quid inde accipiant damni, optimum remedium excogitant, dum sibi legitimam adiudicant scripturae interpretationem. Quis iam male providos existimet? qui uno capite huc perveniunt, ut quidvis habeant ex scriptura probatum: et nullo scripturae testimonio quantumvis contrario urgeantur. Nam si confessio probanda est: in promptu erit illud: Ostendite [pag. 95] vos sacerdotibus. Si quaeratur, an ad mortuorum intercessionem confugiendum sit, statim illud occurret: Ad aliquem sanctorum convertere. Item: Pro hac orabit ad te omnis sanctus. Nec purgatorium destituetur certo fundamento, quia scriptum est: Non exibit inde, donec solverit ultimum quadrantem. Denique, licebit quidlibet ex quolibet facere. Quum antehac eiusmodi testimonia proferebant, iam erant pueris quoque ipsis ridiculi: nunc ius authenticae interpretationis scrupulum omnem, si illis creditur, eximet. Quod autem tam clarum aut firmum testimonium illis contra obiicietur, quod non eludent? Impune enim qualicunque cavillo se expedient. Adversus contrarias rationes hic oppositus erit murus aheneus: Tu quis es, qui ecclesiae interpretationi obstrepis? Hoc scilicet est, quod vulgari proverbio inter se praedicant, scripturam esse nasum cereum: quia converti possit in omnes formas. Si eiusmodi postulata mathematicis darentur, non modo ex cubito palmum facerent: sed stadium evincerent cubito brevius, donec miscerent coelum terrae. [2])

Quid ergo cum hac victrice, et iam quasi triumphali sessione nobis agendum est? nempe, ut stando discutiamus istos fumos. Quod ad traditiones attinet: scio illarum non raram fieri mentionem a vetustis scriptoribus: sed non eo consilio, ut fides [pag. 96] nostra extra scripturas excurrat, in quibus ipsam perpetuo includunt. Ritus tantum quosdam apostolis referunt acceptos: quorum pars ab illis

1) decernit.
2) font le tout passer par un fidelium.
3) par forme d'acquit et par ceremonie.
4) enchantemens de chandelles benites.

1) festum proximum. *Indictio futurae sessionis legitur in ed. Gottingensi Tom II. p.* 20.
2) *Haec postrema absunt a textu gallico.*

videtur habere originem: pars autem illis autoribus indigna est. Et tamen omnes quos attingunt, et numero pauci sunt, et genere tolerabiles. Nunc vero quidquid Romanensibus libuerit obtrudere, id ex apostolorum traditione fluxisse credi volunt: adeoque nihil habent frontis, ut quae non ita pridem inter ignorantiae tenebras obrepserunt, in illum ordinem, sublato discrimine, referant. Ergo, ut illis demus, instituta quaedam posteris apostolos Domini per manus tradidisse, quae scriptis nunquam mandaverint:[1]) primum, hoc nihil ad fidei doctrinam, ut apiculum unum inde eliciant: sed tantum ad externos ritus, vel decoro, vel disciplinae servientes: deinde probare necesse habebunt, traditionem esse apostolicam, quamcunque hoc titulo commendabunt. Proinde, non est quod putent, hoc sibi quidquam suffragari, vel ad tyrannidem legum suarum stabiliendam, quibus conscientias misere excarnificant:[2]) vel ad suas superstitiones obtegendas, quas consarcinatas esse ex vitiosis omnium saeculorum gentiumque ritibus constat. Praecipue vero repudiandum illud, quod doctrinae certitudinem ex iis, quae vocant ἄγραφα, non minus quam ex [pag. 97] scripturis pendere volunt. Tenendum enim semper est illud Augustini: Fidem ex scripturis conceptam esse.[3])

De libris omnibus in canonem promiscue receptis non dicam aliud, nisi praeter ecclesiae veteris consensum id fieri. Scitur enim quid Hieronymus ex communi maiorum sententia referat. Et Ruffinus etiam, tanquam de re minime controversa, cum Hieronymo pronunciat, Ecclesiasticum, Sapientiam Solomonis, Tobiam, Iudith, et Machabaeorum historiam, libros non canonicos a patribus, sed ecclesiasticos fuisse vocatos, qui ad populum quidem legerentur, sed ad fidem dogmatum faciendam non valerent. Nec me tamen latet, idem quod nunc Tridentini patres statuunt, in concilio Carthaginensi tertio haberi. Quod Augustinus quoque in libro de Doctrina christiana sequutus est. Sed quum variis locis testetur Augustinus, non idem sua aetate sensisse omnes, relinquatur id sane in medio. Quod si argumentis ex re ipsa sumptis pugnandum sit, praeter phrasin ipsam, multa ostendent debere inferiore loco subsidere, quae Tridentini patres in altum extollunt. Ut alia omittam, quisquis Machabaeorum scripsit historiam, in fine optat, ut bene et congruenter scripserit; sin minus, veniam deprecatur.[4]) Quantum, obsecro, [pag. 98] a spiritus sancti maiestate aliena est haec confessio?

1) *add.* si est ce que nous avons deux responses pour leur rabattre leurs cloux.

2) la tyrannie qu'ilz exercent sur les consciences en les gehennant cruellement.

3) Libro de Civit. Dei 19. c. 18.

4) sinon, pour estre excusé, il allegue la similitude de mesler l'eaue avec le vin.

In translationibus, praeter unam vulgatam, damnandis, ut crassior est inscitia, ita magis barbarum edictum. Sacra Dei oracula Moses et prophetae lingua hebraica, apostoli graeca prodiderunt. Ne quis mundi angulus expers esset tanti thesauri, accessit etiam donum interpretationis. Factum est, nescio quibus modis, certe nec iudicio nec recto delectu, ut ex interpretationibus diversis una obtinuerit inter indoctos, saltem qui nulla linguarum notitia instructi qualecunque ignorantiae suae subsidium quaerebant. Porro qui linguas tenent, hanc interpretationem deprehendunt infinitis erratis scatere: idque apertissimis demonstrationibus planum faciunt. Patres decernunt ex adverso, etiam si ex fonte ipso purum liquorem proferant, etiamsi ex certa veritate falsum coarguant, minime esse audiendos. Nemo unquam sensu communi praeditus, hoc bono privare ausus est ecclesiam Dei. Veteres, quamvis linguarum cognitione, ac praesertim hebraicae, destituerentur, ingenue tamen semper agnoscunt, nihil esse melius, quam ipsam consulere, ut inde verus germanusque sensus hauriatur. Ultra progrediar. Nemo est mediocri ingenio, qui vulgatam translationem [pag. 99] cum aliquot aliis conferendo non facile videat, multa feliciter in his esse restituta, quae perperam in illa habebantur. Hic nos synodus cogit ad perspicuam lucem caecutire, ut sponte erremus. Quis putasset tam fore amentes, ut bonorum iudicia tam secure contemnerent, nec dubitarent omnibus se invisos ac detestabiles reddere? Qui sciebant eos nihil utile meditari, sic tamen persuasi erant: ut fucum aliquem mundo facerent, negotium cudendae novae translationis iuratis sibi hominibus[1]) daturos. Atqui non fraudulenter agunt. Vitiosissima translatione non modo contentos esse nos iubent, sed eam, non aliter ac coelitus delapsam, volunt adorari: et quum omnibus conspicuae sint mendae, quidquam desiderari prohibent. En a quorum arbitrio ecclesiae instauratio pendeat. Locos perperam insulseque redditos notare, quam longi esset operis? Adeo nulla est integra pagina, ut vix tres sint continui versus non insigni aliquo errore foedati. Sufficiat in specimen unus Psalmorum liber: cuius pauca exempla obiter attingam: magis ut, proposito tenui gustu, invitem lectores ad cognoscendum, quam ut eos doceam. Psalmo secundo (v. 12) praeclara est exhortatio: Osculamini filium. Pro qua vetus translatio habet: Apprehendite disciplinam. Nihil simile. [pag. 100] Illud quum verum esse constet, hoc cur potius authenticum habebitur? Vulgaris interpres habet: Filii hominum usque quo gravi corde (Psal. 4, 3)? Quum verba hebraica nihil simile contineant, sed:

1) à quelques deputez de leur manicle.

Usque quo gloria mea ad ignominiam? Ubi David conqueritur succum suum conversum fuisse in siccitates aestivas, interpres supposuit: Conversus sum in aerumna mea dum configitur spina (Psal. 32, 4). Item altero versu: In lupato et fraeno ora eorum ad coercendum, ne accedant ad te (ibid. v. 9). Interpres vero sic: In chamo et fraeno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te. Et quid intelligemus per lumbos impletos illusionibus? quod legitur Psal. 38 (v. 8). Quanquam imprudenter facio, qui sylvam immensam ingrediar. Proinde ad unicum. Psalmum me recipiam. Is erit sexagesimus octavus. Ubi David inter alias Dei laudes hanc quoque recenset, quod unicos habitare faciat in domo: hoc est, orbos et solitarios ditet familia. Interpres vero supponit, unius moris. Sequitur: Rebelles autem in siticuloso loco. Pro quo interpres: Similiter eos qui exasperant; qui habitant in sepulcris. Postea ubi sensus optime fluit in verbis Davidis, interpres aenigmata involvit, unde se nullus Oedipus expediat. Sic loquitur David: Reges exercituum fugerunt, fugerunt, et habitatrices domus diviserunt spolia: hoc [pag. 101] est, mulieres quae domi quiescebant. Interpres vero: Rex virtutum dilecti dilecti, et speciei domus dividere spolia. Paulo post: Et si dormistis inter medias ollas,[1]) interpres vertit, medios cleros. Suspicari montes coagulatos posuit, pro: Invidere montibus opimis. Ubi habet hebraica veritas: Etiam defectores, ut inhabitet Dominus Deus: interpres mutat: Etiam non credentes inhabitare Dominum Deum.[2]) Item, quum ita sit ad verbum: Reducam ex Basam, reducam ex profundis maris: interpres ex adverso: Ex Basam convertam, convertam in profundum maris. Item: Ibi parvulus Beniamin dominator eorum. Interpres nescio quid cogitans: In mentis excessu. Dimidiam Psalmi partem, aut paulo plus recensui. Quae tamen monstra hic agnoscunt lectores? Quanquam, ut verum fatear, danda est venia latino interpreti, qui graecam translationem, qua potuit diligentia, expressit. Istos vero asinos quis ferat, dum interpretationis donum eripiunt ecclesiae, et hoc tanquam luto opposito, aditum praecludunt, ne ad puram Davidis intelligentiam accedat? Adde, quod non ignorantiam modo lapsusque interpretum praeferunt verae aliorum cognitioni: sed nulla erit tam crassa hallucinatio, quae non divini oraculi vim habeat. Quale exemplum Psalmo 132 exstat. Nam, quum illic Dominus *victum* se populi sui benedicturum promittat, sacrificulus quispiam lusciosus[3]) duas literas coniunctim legens, c. et t., putavit

1) *Interpres addit:* c'est à dire, à la fumée, vous serez blanchiz.

2) *Totum hoc comma desideratur in versione.*

3) quelque messire Iean ayant les yeux chassieux ou la veue un peu courte.

scriptum esse *vidum*. Quia autem vox erat nullius significationis, interposita litera induxit novam lectionem, quae in toto papatu regnat. Nullum enim est Italiae, Galliae, Hispaniae, Germaniae templum, ubi non magno clamore reboent: *Viduam* eius benedicens benedicam.[1]) Et tam sunt vel attenti, vel perspicaces, ut nemo tam ridiculam corruptelam animadverterit.[2]) Sed nihil mirum, si erepta nobis panis voce, nomen viduitatis inducant: quum in hoc sint toti, ut animas pane coelestis vitae crudeliter viduent. Quid? Vulgatam novi testamenti versionem authenticam facere, an eos non pudet? quum in omnium manibus versentur Vallae, Fabri et Erasmi scripta, quae innumeros in ea locos vitiatos digito vel pueris demonstrant. Primo ad Romanos capite (v. 4) interpres Christum nominat praedestinatum Dei filium. Laborant in ista voce explicanda, qui graecam linguam non tenent: quia proprie, quae nondum sunt, ea dicimus praedestinari. Porro, Christus filius est aeternus Dei. At vero in graeca voce, nihil est difficultatis, quae declaratum significat. Unum exemplum produxi: in reliquis [pag. 103] supervacuus esset labor.[3]) Summa sit: non aliter ratum hoc fore edictum, nisi efficiant Tridentini patres, ut mundus, apertis oculis, oblatam sibi lucem non cernat.

Venio ad ius interpretandi quod sibi arrogant, quoties de sensu dubitatur. Suum, inquam, esse aiunt, de scripturae sensu dare responsa, quibus acquiescere oporteat. Nam quidquid ecclesiae deferunt, sibi deferunt ipsis. Equidem fateor, sicuti non privato hominum arbitrio allata est scriptura, ita indignum esse, ut ad privatum cuiusque sensum trahatur (2. Petr. 1, 21). Quin etiam si de obscuro loco ambigatur, quonam sensu accipi debeat, non alia via meliore ad veram intelligentiam posse perveniri, quam si pii doctores religiosa disceptatione in commune inquirant. Atqui non hoc agitur. Volunt enim tyrannico suo edicto, libertatem omnem ex ecclesia tollere: sibi autem arrogare infinitam licentiam. Nam qualemcunque sua libidine sensum affinxerint scripturae, eum mox amplecti necesse erit. Praeter ipsos vero nemini fas erit, quidquam ex scripturis probare. Atque utinam praestandae tantae rei pares forent. Sed boves ephippia sibi usurpant, vel potius asini lyram.[4])

1) *Add.* Il n'y a ne Breviaire ne Bible de leur translation où il ne soit ainsi escrit.

2) *Hic vero nimia Virum summum sagacitas fefellit. Versio Hieronymi, ut non laudanda sit, tamen derivanda est simpliciter ex graeco* Χηρὰν *quod habet Alexandrinus, pro* Θηρὰν *Vaticani. Psalm.* 132, 15.

3) pource que les annotations de ceux que i'ay dit ont leur cours entre toutes gens de lettres.

4) les asnes veulent iouer de la harpe ou de l'espinette.

Denique hoc moliuntur, ut scripturam in tenebris abditam revereantur omnes, tanquam Cereris mysteria:[1]) nemo [pag. 104] ad eius intelligentiam adspirare ausit. Nullus esset exitus, si exempla undecunque colligerem, unde palam fieret lectoribus, quam iniquae et non ferendae servitutis laquei hoc decreto nectantur. Ergo in unius tantum synodi exemplo specimen ante oculos ponam. Circiter annum a Christo nato octingentesimum, habita est synodus Nicena, quae et eversas sub Leone imagines restituit, et adorandas decrevit. Eam synodum papistae, quia idololatriae suffragatur, sanctam et legitimam esse ducunt. Proinde, secundum eorum axioma, in scripturae expositione errare non potuit. Atqui, si tales audiendi sint sacrorum interpretes (quod est dictu abominandum) praestabit Aegyptiorum religio[2]) christianae. Ut simulacris ac picturis templa rite ornari ex scripturis constaret, adducti sunt hi loci in medium: Creavit Deus hominem ad imaginem et similitudinem suam. Iosue duodecim erexit lapides. Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio: unde colligebant, super altaria collocandas esse imagines. Item: Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine: sicut audivimus, ita et vidimus. Domine, dilexi decorem domus tuae. Ostende mihi faciem tuam, quia speciosa est. Ut adorationem statuerent, his testimoniis sunt abusi: Abraham populum terrae adoravit. [pag. 105] Iacob erexit titulum, ac benedixit.[3]) Item: Adoravit summitatem virgae filii sui Ioseph.[4]) Vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis. Adorate scabellum pedum eius. Mirabilis Deus in sanctis suis. Et ne quid deesset ad impudentiae cumulum, attexuerunt ex alio Psalmo (16, 3): Sanctis qui sunt in terra: idque ad imagines retulerunt.[5]) Scio vix credibilia fore quae narro. Et ipse obstupui, quum legerem. Quanquam debent nobis iampridem ad haec quamlibet absurda occalluisse aures. Quod si mihi colligendae essent eorum interpretationes, pueris etiam ipsis ridendae, nec hae quidem omnes, sed quae notabili aliqua insulsitate excellunt, triplo quam scriptura ipsa longius conficiendum esset volumen. In summa, hoc voluit spiritus Tridentinus suo decreto, ne quid nobis significet scriptura, nisi quod monachi somniando luserint. Quid enim per ecclesiam aliud intelligunt? Nam ut confluant ex toto orbe romanenses episcopi, hoc est quotquot sub vexillo auspiciisque illius antichristianae sedis militant: quam tandem, collatis inter se capitibus, interpretationem nobis conflabunt? Bona pars vix grammaticae elementa didicit. Hoc certe mihi negare non audebunt:[1]) vix centesimum quemque ex illis esse, qui integrum unum prophetarum librum, aut unam [pag. 106] apostolorum epistolam, aut unam evangelii historiam legerit. Aliis enim curis magis sunt occupati, quam ut vacet illis sacra legere. Superest, ut hoc sedi apostolicae privilegium tribuant: atque sacrum illud os Pauli Fernesii[2]) de scripturae interpretatione rogandum esse dicant. Alioqui ecclesiam nobis assignent, quae sustinendo tanto oneri par futura merito credatur. Nam quibuscunque sedem romanam extollant elogiis, nunquam sanis hominibus persuadebunt, vel Cepham[3]) esse caput: vel pudicum sanctumque coniugium, carnalem esse vitam, quae sit coram Deo maledicta. Quorum utrumque papalibus responsis est proditum.[4]) Clamabunt, totam ecclesiae autoritatem labefactari, si ius illi interpretandae scripturae adimitur: atque ita ianuam patefieri lascivis ingeniis, ut quovis perrumpant. Imo solent hoc nobis crimen ad conflandam invidiam obiicere, nos ideo arrogare nobis scripturae interpretationem, ne quo fraeno cohibeatur nostra libido. De nobis quominus dicam quod res habet, impedit verecundia. Verissime tamen licebit profiteri, nos intelligendis scripturis plus lucis attulisse, quam omnes qui ab exorto papatu inter eos exstiterunt doctores. Neque hanc ipsi laudem detrahere nobis audent. Atqui, nemo interea [pag. 107] est nostrum, qui non libenter suas lucubrationes ecclesiae iudicio submittat. Ergo ecclesiae autoritatem neque contemnimus, neque extenuamus: nec protervis hominibus habenas laxamus, ut quidvis audeant. Utinam vero ecclesiam nobis ostenderent, qualem scriptura ipsa depingit: facile de honore conveniret. Sed quum falsum ecclesiae titulum ementientes eius expilatae ac nudatae spolia sibi rapiant, quid aliud possumus quam reclamare?

1) comme chose incogneue.
2) les Egyptiens adorans les serpens et les cicognes, les chats et les oignons.
3) Iacob dressa un memorial et le benist: au lieu que ceste benediction est la grace que Dieu fit à Iacob.
4) *Add.* qui n'est sinon baiser le baston de iustice en signe de reverence.
5) où il est parlé des vivans.

1) en despit de leurs dens ilz seront contrainctz de confesser.
2) *Sic ubique. Versio gallica scribere solet:* Pol de Frenese.
3) qui vaut autant à dire que pierre.
4) Or ces belles sentences se lisent en leurs canons et voyla comme les Papes exposent l'Escriture.

PRIMUM DECRETUM QUINTAE SESSIONIS, HABITAE DIE XVII. IUNII. MDXLVI. CONCILII TRIDENTINI. [1])

Ut fides nostra Catholica, sine qua impossibile est placere Deo, purgatis erroribus, in sua sinceritate integra et illibata permaneat, et ne populus Christianus omni vento doctrinae circumferatur, quum serpens ille antiquus, humani generis perpetuus hostis, inter plurima [pag. 108] *mala, quibus Ecclesia Dei his nostris temporibus perturbatur, etiam de peccato originali, eiusque remedio, non solum nova, sed etiam vetera dissidia excitaverit: Sacrosancta, Oecumenica, et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea eisdem tribus Apostolicae Sedis Legatis, iam ad revocandos errantes, et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum Scripturarum, et sanctorum patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiae iudicium et consensum sequuta, haec de ipso peccato originali fatetur, statuit, ac declarat.*

Si quis non confiteatur primum hominem Adam, quum mandatum Dei in Paradiso fuisset transgressus, statim sanctitatem, et iustitiam, in qua constitutus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam praevaricationis huiusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem [pag. 109] *sub eius potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est diaboli, totumque Adam, per illam praevaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse: Anathema sit.*

Si quis Adae praevaricationem sibi soli, et non eius propagini asserit nocuisse, acceptam a Deo sanctitatem et iustitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse: aut inquinatum illum per inobedientiae peccatum, mortem, et poenas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod est mors animae: Anathema sit, quum contradicat Apostolo dicenti: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.

Si quis hoc Adae peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus, inest unicuique proprium, vel per humanae [pag. 110] *naturae vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Iesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis iustitia, sanctificatio et redemptio, aut negat ipsum Christi Iesu meritum per baptismi sacramentum, in forma Ecclesiae rite collatum, tam adultis quam parvulis applicari, Anathema sit. Quia non est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. Unde illa vox: Ecce Agnus Dei, ecce, qui tollit peccata mundi, et illa: Quicunque baptizati estis, Christum induistis.*

Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiam si fuerint a baptizatis parentibus orti: aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam aeternam consequendam, unde fit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum, [pag. 111] *non vera, sed falsa intelligatur: Anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est id quod dixit Apostolus: Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt, nisi quemadmodum Ecclesia catholica, ubique diffusa, semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, ex traditione Apostolorum, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in Regnum Dei.*

Si quis per Iesu Christi Domini nostri gratiam, quae in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat: aut etiam asserit non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum [pag. 112] *radi, aut non imputari: Anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil est damnationis iis, qui vere consepulti sunt cum Christo per baptisma, in mortem: qui non secundum carnem ambulant: sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii, ac Deo dilecti, effecti sunt haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi: ita ut nihil prorsus eos ab ingressu coeli remoretur. Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, haec sancta Synodus fatetur, et sentit, quae quum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, et viriliter per Christi Iesu gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certaverit, coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit: sed quia ex peccato est,* [pag. 113] *et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, Anathema sit.*

Declarat tamen haec ipsa sancta Synodus non

---

1) *Legitur in ed. Gottingensi Tom. 1. p.* 17.

esse suae intentionis, comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, beatam et immaculatam virginem Mariam, Dei genitricem: sed observandas esse constitutiones felicis recordationis Sixti Papae quarti, sub poenis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

DECRETUM SECUNDUM EIUSDEM SESSIONIS. [1])

Eadem sacrosancta Synodus piis summorum pontificum et probatorum Conciliorum constitutionibus inhaerens, easque amplectens, et illis adiiciens, ne coelestis ille sacrorum Librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat: statuit et decrevit, quod in Ecclesiis illis in quibus praebenda, aut praestimonium, seu aliud quovis nomine nuncupatum, stipendium, [pag. 114] *pro lectoribus sacrae theologiae deputatum reperitur, Episcopi, Archiepiscopi, Primates, et alii locorum ordinarii, eos, qui praebendam, aut praestimonium, seu stipendium huiusmodi obtinent, ad ipsius sacrae Scripturae expositionem et interpretationem, per se ipsos, si idonei fuerint, alioquin per idoneum substitutum ab ipsis Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, et aliis locorum ordinariis eligendum, etiam per subtractionem fructuum cogant et compellant. De caetero vero praebenda, praestimonium, aut stipendium huiusmodi, non nisi personis idoneis, et qui per se ipsos* [2]) *id munus explicare* [3]) *possint conferantur: et aliter facta provisio nulla sit, et invalida.*

In Ecclesiis autem Metropolitanis, vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diocesis: si ibi clerus numerosus fuerit, ubi nulla praebenda, aut praestimonium seu stipendium [pag. 115] *huiusmodi deputatum reperitur, praebenda, quomodocunque, praeterquam ex causa resignationis primo vacatura, ad eum usum* [4]) *ipso facto perpetuo constituta, et deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis, nulla vel non sufficiens praebenda foret, Metropolitanus, vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicuius simplicis beneficii (eiusdem tamen debitis supportatis oneribus) vel per contributionem beneficiatorum suae civitatis et Diocesis, vel alias, prout commodius fieri poterit de capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacrae Scripturae lectio habeatur: ita tamen, ut quaecunque aliae lectiones vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutae propter id minime praetermittantur.*

Ecclesiae vero, quarum annui proventus tenues fuerint, et ubi tam exigua est cleri et populi multitudo, ut Theologiae lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo, cum concilio capituli [pag. 116] *eligendum, qui clericos, aliosque scholares pauperes Grammaticam gratis doceat: ut deinceps ad ipsa sacrae Scripturae studia, annuente Deo, transire possint. Ideoque illi Magistro grammatices, vel alicuius simplicis beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo perstiterit, assignentur: dum tamen beneficium ipsum, suo debito non fraudetur obsequio, vel ex capitulari, vel Episcopali mensa, condigna aliqua merces persolvatur: vel alias Episcopus ipse, aliquam rationem ineat suae Ecclesiae, et Diocesi accommodam, ne pia haec, utilis atque fructuosa provisio, quovis quaesito colore negligatur.*

In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commode fieri queat, etiam lectio sacrae Scripturae habeatur: qua in re, si Abbates negligentes fuerint, Episcopi locorum in hoc provideant, ut sedis Apostolicae delegati eos ad id opportunis remediis compellant.

In conventibus vero aliorum regularium, in quibus studia commode vigere [pag. 117] *possunt, sacrae Scripturae lectio similiter habeatur: quae lectio a capitulis generalibus vel provincialibus assignetur dignioribus Magistris.*

In Gymnasiis etiam publicis, ubi tam honorifica, et caeterorum omnium maxime necessaria lectio hactenus instituta non fuerit, religiosissimorum Principum, ac Rerumpublicarum pietate, et caritate, ad Catholicae fidei defensionem, et incrementum, sanaeque doctrinae conservationem et propagationem instituatur: et ubi instituta foret, et negligeretur, restituatur.

Et ne sub specie pietatis impietas disseminetur, statuit eadem sancta Synodus, neminem ad huiusmodi lectionis officium, tam publice quam privatim admittendum esse, quin prius ab Episcopo loci, de vita, moribus et scientia examinatus et approbatus fuerit. Quod tamen de Lectoribus in claustris Monachorum non intelligatur.

Docentes vero ipsam sacram Scripturam, dum publice in scholis docuerint, [pag. 118] *et Scholares, qui in ipsis scholis student, privilegiis omnibus, de perceptione fructuum, praebendarum et beneficiorum suorum in absentia, a iure communi concessis, plene gaudeant, et fruantur.*

Quia vero Christianae Reipublicae non minus necessaria est praedicatio Evangelii, quam Lectio, et hoc est praecipuum Episcoporum munus: statuit et decrevit eadem sancta Synodus, omnes Episcopos, Archiepiscopos, Primates, et omnes alios Ecclesiarum

1) *Legitur in ed. Gottingensi Tom. II. p.* 21.
2) *Alii:* quae per se ipsas.
3) *Al.* explere.
4) *Sic edd. calvinianae: in edd. Actuum Concilii legitur:* vacatura, cui aliud onus incompatibile iniunctum non sit, ad eum usum *etc.*

Praelatos, teneri per se ipsos, si legitime impediti non fuerint, ad praedicandum sanctum Iesu Christi Evangelium.

Si vero contigerit Episcopos et alios praedictos legitimo detineri impedimento, iuxta formam generalis Concilii, viros idoneos assumere teneantur, ad huiusmodi praedicationis officium salubriter exsequendum. Si quis autem hoc adimplere contempserit, districtae subiaceat ultioni.

Archipresbyteri quoque, plebani, [pag. 119] *et quicunque parochiales, vel alias curam animarum habentes, Ecclesias quocunque modo obtinent, per se vel alios idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis et festis solennibus, plebes sibi commissas pro sua et earum capacitate pascant salutaribus verbis: docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, et facilitate sermonis, vitia, quae eos declinare, et virtutes quas sectari oporteat, ut poenam aeternam evadere, et coelestem gloriam consequi valeant. Id vero si quis eorum praestare negligat, etiamsi ab Episcopi iurisdictione quavis ratione exemptum se esse praetenderet: etiamsi Ecclesiae quovis modo exemptae dicerentur, aut alicui Monasterio, etiam extra Diocesim exsistenti forsan annexae vel unitae, modo re ipsa in Diocesi sint: provida pastoralis Episcoporum sollicitudo non desit, ne illud impleatur: Parvuli petierunt panem, et non erat qui frangeret eis. Itaque, ubi ab Episcopo* [pag. 120] *moniti trium mensium spatio muneri suo defuerint, per censuras Ecclesiasticas, seu alias ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur: ita ut etiam si ei sic expedire visum fuerit, ex beneficiorum fructibus alteri, qui id praestet, honesta aliqua merces persolvatur, donec principalis ipse resipiscens officium suum impleat.*

Si quae vero parochiales Ecclesiae reperiantur subiectae monasteriis in nulla Diocesi exsistentibus, si Abbates, et regulares praelati in praedictis negligentes fuerint: a Metropolitanis, in quorum provinciis Dioceses ipsae sitae sunt, tanquam quoad hoc sedis Apostolicae delegatis compellantur. Neque huius decreti exsequutionem consuetudo, vel exemptio, aut appellatio, aut reclamatio, sive recursus impedire valeat, quousque desuper a competenti Iudice, qui summarie et sola facti veritate inspecta procedat, cognitum et decisum fuerit.

Regulares vero cuiuscunque ordinis [pag. 121] *nisi a suis superioribus, de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia: etiam in Ecclesiis suorum ordinum praedicare non possint. Cum qua licentia personaliter se coram Episcopis praesentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam praedicare incipiant.*

In Ecclesiis vero, quae suorum ordinum non sunt, ultra licentiam suorum superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur: sine qua in ipsis Ecclesiis, non suorum ordinum, nullo modo praedicare possint. Ipsam autem licentiam gratis Episcopi concedant.

Si vero (quod absit) praedicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiam si in Monasterio sui vel alterius ordinis praedicet: Episcopus ei praedicationem interdicat. Quod si haereses praedicaverit, contra eum, secundum iuris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat, etiamsi ipse praedicator generali vel speciali privilegio exemptum se esse praetenderet: [pag. 122] *quo casu Episcopus autoritate Apostolica, et tanquam sedis Apostolicae delegatus procedat. Curent autem Episcopi, ne quis praedicator, vel ex falsis informationibus, vel alias calumniose vexetur, iustamve de eis conquerendi occasionem habeat.*

Caveant praeterea Episcopi, ne aliquem vel eorum, qui quum sint nomine regulares, extra claustra tamen, et obedientiam religionum suarum vivant, vel presbyterorum saecularium, nisi ipsis noti sint, et moribus atque doctrina probati, etiam quorumlibet privilegiorum praetextu, in sua civitate vel Diocesi praedicare permittant, donec ab ipsis Episcopis super ea re, sancta sedes Apostolica consulatur, a qua privilegia huiusmodi, nisi tacita veritate et expresso mendacio, ab indignis extorqueri verisimile non est.

Quaestores vero eleemosynarii, qui etiam quaestuarii vulgo dicuntur, cuiuscunque conditionis exsistant, ullo modo, nec per se, nec per alium praedicare [pag. 123] *praesumant: et contra facientes ab Episcopis et ordinariis locorum, privilegiis quibuscunque non obstantibus, opportunis remediis omnino arceantur.*

Item, haec sacrosancta Synodus statuit et decernit primam futuram Sessionem tenendam et celebrandam esse die Iovis, feria quinta, post festum sancti Iacobi Apostoli.[1])

IN QUINTAE SESSIONIS DECRETUM PRIUS.

Ut sit in hoc decreto aliquid quod praefationi respondeat, prima quatuor capita ex veteri probataque ecclesiae doctrina mutuantur: de quibus scilicet nihil erat [1]) controversiae. Itaque malitiose factum apparet, quod se dissidia componere velle praefantur, quae hoc tempore fuerint excitata. [2])

1) erit 1576 *seqq.*

1) *Prorogata deinde fuit Sessio ad d. XIII mensis Ianuarii* 1547.

2) *Versio h. l. paulo verbosius sic decurrit:* Pource qu'ilz mettent au commencement de ceste preface, de vouloir com-

Quorsum, obsecro, attinebat, tot anathemata detonare? Nisi ut imperiti crederent aliquid subesse causae, quum tamen nihil sit. In quinto capite, ubi [pag. 124] iam aliquid suum afferunt, agere incipiunt suo more: hoc est, inculcare sophistarum suorum naenias, et pertinaciter tueri. Anathema esse iubent, si quis neget totum in baptismo tolli, quod propriam peccati rationem habet: sed tantum radi, aut non imputari doceat. Astute hic admiscent radendi verbum, quod odiosum esse norunt: nam et inde Augustinum gravabant Pelagiani. Ergo valeant cum sua rasura. Nos totum peccati reatum vere tolli in baptismo, asserimus: ita ut quae manent peccati reliquiae non imputentur. Quo res clarius pateat, in memoriam revocent lectores, duplicem esse baptismi gratiam: nam et peccatorum remissio illic, et regeneratio nobis offertur. Remissionem plenam fieri docemus: regenerationem inchoari duntaxat, suosque tota vita facere progressus. Proinde manet vere peccatum in nobis, neque per baptismum statim uno die exstinguitur: sed quia deletur reatus, imputatione nullum est. Nihil hac doctrina magis expeditum. Eam cur synodus anathemate damnet, videndum. Nihil, inquiunt venerandi patres, in renatis odit Deus. Ut hoc illis concedam: an propterea sequitur, nihil odio esse dignum? ac non potius ideo nihil odit, quia quod iure posset odisse, ignoscit? Nam testimonium apostoli quod arripiunt, [pag. 125] nobis plane suffragatur: Nihil esse damnationis iis, qui sunt in Christo Iesu (Rom. 8, 1): quia fideles his verbis non eximit a culpa, quasi puri sint, et omni peccato immunes, sed tantum reatu liberat, eo quod sub peccati onere gementes hac consolatione fulciantur, cuius ante meminerat, et de qua fusius postea disserit, ut mox videbimus. Addunt praeterea, nihil esse quod eos ab ingressu coeli removetur. Fateor: non tamen quod nihil impedimenti habeant, sed quia Christi innocentia vestitis nihil noceat. Ipsi vero cornuti patres, longe aliam caussam assignant. Quia scilicet veterem hominem exuentes, et induentes novum, qui secundum Deum creatus est, puri sint ac innoxii. Quis non eos praevaricari dicat? Nam qui adhuc in actu sunt, nondum effectum habent. Non ergo caret aperta repugnantia, eos vocari puros et innoxios, qui adhuc proficiunt in veteri homine exuendo. Quod si praesenti tempore, loco praeteriti, se abusos esse respondeant: illos omittam. Fideles enim Paulus alloquitur, quum iubet Ephesios veterem hominem exuere (Ephes. 4, 22). Quo significat, non unius diei esse hanc tantum mutationem [1]) qua ex carne in spiritum renovamur. Quid hactenus in verbis Tridentinorum observarunt sani lectores, quod minima ex parte eos iuvet: imo [pag. 126] quod non illis sit penitus adversum?

Pergamus tamen in excutiendo eorum decreto. Negant, concupiscentiam vel fomitem peccati, quem fatentur manere in renatis, nocere posse non consentientibus, quum ad agonem relictus sit. Nempe ideo non nocet, quia Deus virtutem suam in nostra infirmitate perficit. Sed si exercendae tantum virtutis cotem [2]) esse volunt: falso conqueritur Paulus hoc solo nomine se esse miserum (Rom. 7, 24). Tametsi inepte facio, qui ex voce miseriae adversus eos pugnem: quum nec concupiscentiae, nec vitii, nec peccati nomina eos moveant. Si pravitas in voluntate non est peccatum, neque homo est animal. [3]) Si vitium coram Deo culpa caret, sol non est lucidus. De peccato quid dicam? Cavillantur, hoc verbo abusum esse Paulum, quia peccati causa sit, et poena. [4]) Quasi non palam reclamet contextus. Postquam enim peccati meminit, mox subiicit: Invenio per legem volenti mihi facere bonum, adiacere malum (Rom. 7, 18). An hoc quoque illis improprie dictum videtur? Si verbi tantum esset quaestio: tamen nihilo plus essent audiendi, quam qui infantes negant proprie cum peccato nasci. Utrique peccatum eodem modo interpretantur. Hoc interest, quod posteriores de originali peccato generaliter sic loquuntur. Isti autem venerandi [pag. 127] patres eandem rem contendunt a baptismo non amplius esse, quod prius erat, quum tamen eadem res maneat. Si causam suam meliorem esse volunt, in primis doceant oportet, ita converti rerum naturas, ut quod idem est, sibi sit dissimile. Sed ipsa rei consideratio certamen omne tollit. Negari enim, nisi impudenter, non potest, quin repugnantia adversus legem Dei vere sit peccatum. Atqui hoc de morbo in renatis haerente apostolus praedicat. Sequitur ergo, suapte natura esse peccatum, tametsi non imputetur, ac proinde Christi gratia abolitus sit reatus. Si ista est vera iustitiae regula, Deum ex toto corde diligere, ex tota mente, ex totis viri-

---

poser les differens qui ont esté esmeuz de nostre temps touchant le peche originel, il sembleroit bien, à les ouyr parler puis apres comme ilz parlent, que nous eussions renouvellé tout plein d'heresies. Car aux quatre premiers articles ilz empruntent ce qui a esté determiné en l'Eglise ancienne contre les Pelagiens et autres semblables: et toutesfois il n'y a auiourd'huy nulle controversie de tout cela. Ainsi on voit leur malice, en ce qu'ilz font semblant de parler contre nous, là où ilz ne disent rien que nous n'enseignions beaucoup mieux qu'eux.

---

1) *Gallasius et Beza correxerunt:* tantum hanc mutationem.
2) une queux.
3) creature vivante.
4) Ilz disent que sainct Paul en a abusé, à cause que ceste concupiscence est la cause de peché et procede de la punition qu'a receue nostre pere Adam. Cependant ilz nient que ce soit offense.

bus, cor certe alio inclinari non poterit, quin a iustitia declinet. Atqui se impediri conqueritur Paulus, ne bonum, quod cupit, faciat. Perfectum, inquam, Dei amorem lex requirit: non praestamus. Currendum erat: nos claudicando lente progredimur. Nihil in tali defectu reperiunt venerandi patres, cur peccatum censere debeant.

Eiusdem est improbitatis, quod declarant, ecclesiam nunquam secus intellexisse. Atqui Ambrosius, teste Augustino, diserte iniquitatem nominat. Quid ipse Augustinus? Multi sunt loci, ex quibus non [pag. 128] obscura eius confessio apparet. Quemadmodum quum tradit libro secundo contra Iulianum, peccati legem in baptismo remitti, non finiri. Item, solutum esse reatum: ipsam manere. Item, mortuum esse peccatum, in reatu quo nos tenebat: sed mortuum quoque rebellare, donec sepulturae perfectione sanetur. Item, homilia in Ioannem quadragesima prima: Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis. Saltem regnum illi auferatur: non fiat quod iubet. Caeterum ex multis locis unum opponere sufficiet: qui videtur, data opera, ad refutandam eorum vanitatem, conscriptus. Nam libro adversus Iulianum quinto, nominatim tres causas enumerat, cur peccatum vocetur, etiam in renatis. Verba sunt: Ut caecitas cordis peccatum est, quo in Deum non creditur: et poena peccati, qua superbum cor digna animadversione punitur: et causa peccati, quum aliquid caeci cordis errore committitur: ita concupiscentia carnis, cui resistit bonus spiritus, et peccatum est, quia illi inest inobedientia adversus dominatum mentis: et poena peccati, quia reddita est meritis inobedientis: et causa peccati, defectione consentientis, vel contagione nascentis. Significationem verbi, quam veteri ecclesiae fuisse incognitam synodus declarat, primo loco hic poni a primario [pag. 129] antiquitatis teste, nemo est qui non videat. Multum certe valebit synodi definitio, si tenebras ex tam clara luce efficiat: atque ita fascinet hominum oculos, ut fluvium se videre putent in arbore.

IN SECUNDUM DECRETUM SESSIONIS QUINTAE.

Primum scire velim, quaenam sint illa probata concilia, quae summis pontificibus adiungunt. Nam quo tempore legitima concilia, probaeque notae habebantur: nemo unus agnoscebatur summus pontifex, ac ne primus quidem episcopus. Nam id nominatim in synodo Carthaginensi vetitum fuit. Proinde videmus, quae tam specioso fuco hic pinguntur concilia, non alia esse, quam sex aut septem adulterina, post exstinctam sanae doctrinae lucem, post collapsam disciplinam habita, quibus meri asini et crassi boves interfuerunt: quae nihil prae se ferunt antiquae dignitatis: sed gothicam romanae sedis tyrannidem redolent. O exactam reformationem! Ut quae ex putida corruptissimi saeculi faece collegit synodus Lateranensis, et posterioribus conciliis in deterius etiamnum mutata sunt, postliminio revocentur. [1]) Quanquam [pag. 130] hic erro: nam se, nescio quid, addituros profitentur. Ergo qualis ista sit accessio, ex decretis videndum.

Iubent, ut qui praebendas obtinent sacrae theologiae lectoribus destinatas, docendi officium exerceant, vel per se, vel per alios, si minus erunt idonei. Indoctis itaque hominibus, et penitus ineptis locum, quem fraude, quem iniuria, quem sacrilegio, quem nulla iuris specie occuparunt, relinquit synodus: modo vicariis aliquantulam stipendii portionem erogent. Sed in posterum diligenter cavet, ne quis, nisi idoneus, admittatur. Quorum iudicio? Et quibus iniungerent has partes, nisi loci canonicis? Creabit ergo episcopus qualem volet lectorem. Quod erit tam morosum collegium, cui non sufficiat ille, qualiscunque fuerit? Verum, si improbari contingat, lis orietur. Nisi plus quam monstrum [1]) appareat, rata erit episcopi nominatio. [2]) Iam quis legendi ordo? quod tempus? quod auditorium? Quae omnia prudenter tacent venerandi patres, ut simplicibus persuadeant aliquid se agere, quum nihil egerint. Quid enim? Nonne quod praescribunt usitatum est, ut singulis septimanis lector, retinendae possessionis causa duos aut tres ex compotoribus invitet ad inane lectionis spectaculum?

[pag. 131] Secundo capite novas lectiones instituunt. Ubi? In metropolitanis ecclesiis, aut episcopalibus: si tamen erit insignis civitas ac populosa. Quorsum ista addita est exceptio? Veriti sunt scilicet, ne frigeret auditorium: si minus celebris esset locus. Hoc vero perinde est, ac si nihil dicerent: sed volunt idem ius in oppidis insignibus servari. Dicunt quidem: sed quam rationem expediunt? Ut vel episcopus stipendium ex simplici beneficio [3]) as-

1) Voicy la belle et feriale reformation de Trente, assavoir que ce que le Concile de Latran a ravaudé et rapetassé, amassant comme vieilles savattes beaucoup de façons de faire, qui n'avoyent guere de convenance avec la vraye Chrestienté: et les determinations qui sont survenues depuis encore plus corrompues, que tout cela, dy ie, soit remis en son estat.

1) un tronc de bois.

2) Car moyennant qu'on apporte les lettres de doctorie que faudra il plus enquerir?

3) d'un benefice à simple tonsure.

signet: vel contribuat clerus dioeceseos, vel a canonicis ineatur alia ratio. Istae vero disiunctivae tantundem valent, ac si totidem saeculis res protraheretur.

Simile est, quod de magistris subiiciunt: nam ut sacerdotia in eum usum conferantur, nunquam sperandum est. Multo vero minus, ut episcopi de mensa sua quidquam detrahant. Superest tertium, ut episcopus modum aliquem dispiciat. Atqui priusquam inter eum et clerum de contributione lis finiatur, sepulta erit Tridentini concilii memoria. Neque hoc ignorant boni decretistae. Sed aliquid fingi oportuit, ne statim palam fieret, nihil esse actum.

Quartum caput si obiter legatur, non parvum terrorem monachis incutere queat, ne ad theologiam [1]) revocentur. Sed duae sunt illic exceptiones, quae omni eos metu liberant. [pag. 132] Neque enim alibi lectiones ordinant, quam ubi erit commodum. Atqui nullum est monasterium, quod non sit bonis omnibus studiis magis inhospitale, quam olim Cyclopum regio. [2]) In secunda vero tutius etiamnum quiescent. Mandatum enim datur episcopis, ut abbates compellant, si negligentes fuerint. Idque faciant, ut sedis apostolicae delegati. Ergo si quis episcopus molestiam abbati facesset: mox interveniet provocatio. Romae agetur causa. Quis exitus? Prius totam scripturam monachi vorabunt, quam cogantur ad lectionem unam audiendam.

Porro, ne quod celebre gymnasium [1]) theologica lectione careat: principes, ac respublicas hortantur ad sumptus conferendos. Quasi multum ponderis habitura sit perfunctoria haec commendatio. Praesertim quum satis constet, plus centuplo ingurgitari ab otiosis ventribus, quam quod in hunc usum sufficeret. Cur ergo inde potius sumi non praecipiunt? nisi quia cavent, veluti data opera, ne quid fiat.

Quando eiusdem generis sunt reliqua, non est quod excutiendis talibus naeniis bonas horas male perdam. Certum quidem est, eos verba fundendo voluisse tenebras offundere simplicibus, ut aliquid rei subesse [pag. 133] crederent, donec experimento discerent, se fuisse delusos. Quisquis autem unciam habet sani iudicii, mecum agnoscet nihil esse praeter raucum verborum murmur, quod ne ipsi quidem exaudiri volunt.

1) université.

SEXTA SESSIO. [3])

Quum hoc tempore non sine [4]) *animarum iactura, et gravi Ecclesiasticae unitatis detrimento, erronea quaedam disseminata sit de iustificatione doctrina: ad laudem et gloriam omnipotentis Dei, Ecclesiae tranquillitatem, et animarum salutem, sacrosancta oecumenica Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, praesidentibus in ea nomine Sanctissimi in Christo Patris, et D. N. Pauli, divina providentia Papae III. Reverendissimis dominis Ioanne Maria, Episcopo Praenestino, de Monte, et Marcello tit. sanctae Crucis in Hierusalem presbytero,* [5]) *Romanae Ecclesiae Cardinalibus et Apostolicis de latere legatis: exponere intendit omnibus* [pag. 134] *Christi fidelibus veram sanamque doctrinam ipsius iustificationis: quam sol iustitiae Christus fidei nostrae autor et consummator docuit, Apostoli tradiderunt, et catholica sancta* [6]) *Ecclesia, Spiritu sancto suggerente, perpetuo retinuit. Districtius inhibendo, ne deinceps audeat quisquam aliter credere, praedicare aut docere, quam praesenti decreto statuitur et declaratur.*

1) *Add.* qui n'est pas leur gibier.
2) qu'une terre seche est propre à loger les poissons.
3) *Legitur in ed. Gottingensi Tom I. pag.* 20.
4) *Add.* multarum.
5) *Sic omnino legendum cum edd. Actuum concilii; editio calviniana princeps mendose scripserat:* presbyteros, *quod Gallasius et Beza incaute verterunt in:* presbyteris. *Versio gallica hunc titulum omittit.*
6) sancta *om. ed. Gott.*

De imbecillitate naturae ac legis, ad iustificandos homines.

II. [2]) *Declarat sancta Synodus, ad iustificationis doctrinam proprie* [3]) *ac sincere intelligendam, oportere, ut unusquisque agnoscat, et fateatur, quod quum omnes homines in praevaricatione Adae innocentiam perdidissent, facti immundi, et, ut Apostolus inquit, natura filii irae: quemadmodum etiam in decreto de peccato originali exposuit: usque adeo erant servi peccati, et sub potestate diaboli ac mortis, ut non modo Gentes,* [pag. 135] *per vim naturae, sed nec Iudaei quidem, per ipsam etiam literam legis Moisi, inde liberari, aut surgere possent, tametsi in eis liberum arbitrium minime exstinctum esset, licet viribus attenuatum et inclinatum.*

De dispensatione, et ministerio adventus Christi.

III. Quo factum est, ut coelestis Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, Christum Iesum, Filium suum, et ante legem et legis tempore multis sanctis Patribus declaratum ac promissum, quum venit beata illa plenitudo temporum, [4]) *ad ho-*

2) *Apud Nostrum Prooemium pro capite primo venit. In Actibus impressis hoc Caput primum numeratur et expresse in ipso textu declaratur, et sic deinceps.*
3) probe *edd.*
4) temporis *edd.*

mines miserit, ut et Iudaeos, qui sub lege erant, redimeret, et gentes quae non sectabantur iustitiam, iustitiam apprehenderent, atque omnes adoptionem filiorum reciperent: hunc proposuit Deus propitiatorem, per fidem in sanguine ipsius, pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius mundi.

Qui per Christum iustificentur.

[pag. 136] *IV. Verum, etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, sed hi duntaxat, quibus meritum passionis eius communicatur. Nam sicut re vera homines, nisi ex semine Adae propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, quum ea propagatione, per ipsum, dum concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant: ita, nisi in Christo renascerentur, nunquam iustificarentur: quum ea renascentia per meritum passionis eius, gratia, qua iusti fiunt, illis tribuatur. Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos semper agere hortatur Patri, qui nos dignos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine, et eripuit nos de potestate tenebrarum transtulitque in Regnum Filii dilectionis suae. In quo habemus redemptionem et remissionem peccatorum.*

Insinuatur descriptio iustificationis impii, et modus eius in statu gratiae.

V. Quibus verbis iustificationis impii [pag. 137] *descriptio insinuatur, ut sit translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adae, in statum gratiae et adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam, Iesum Christum salvatorem nostrum: quae quidem translatio post Evangelium promulgatum, sine lavacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest: sicut scriptum est, Nisi quis renatus, etc.*

De necessitate praeparationis ad iustificationem in adultis, et unde sit.

VI. Declarat praeterea ipsius iustificationis exordium in adultis, a Dei per Christum Iesum gratia praeveniente sumendum esse: hoc est ab eius vocatione, qua nullis eorum exsistentibus meritis vocantur, ut qui per peccata a Deo aversi erant, per eius excitantem atque adiuvantem gratiam, ad convertendum se, ad suam ipsorum iustificationem, eidem gratiae libere assentiendo et cooperando disponantur: ita ut tangente Deo cor hominis, per Spiritus sancti [pag. 138] *illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem ipsam percipiens:* [1]) *quippe qui et illam abiicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad iustitiam coram ipso libera sua voluntate possit. Unde in sacris literis, quum dicitur: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos: libertatis nostrae admonemur. Quum vero respondemus: Converte nos Domine, et ad te convertemur,* [1]) *Dei nos gratia praeveniri confitemur.*

Modus iustificationis. [2])

VII. Disponuntur autem ad ipsam iustitiam, dum excitati divina gratia, et adiuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt. Atque illud in primis: a Deo iustificari impium per gratiam eius, per redemptionem quae est in Christo Iesu: et dum peccatores se esse intelligentes, a divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam, se convertendo, [pag. 139] *in spem eriguntur, fidentes Deum per* [3]) *Christum sibi propitium fore: illumque, tanquam omnis iustitiae fontem, diligere incipiunt. Ac propterea moventur adversus peccata, per odium aliquod, et detestationem: hoc est, per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet. Denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam, et servare divina mandata. De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, et quod inquirentibus eum remunerator sit. Et: Confide, fili, remittuntur tibi peccata tua. Et: Timor Domini expellit peccatum. Et: Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi, et accipietis remissionem peccatorum vestrorum, et donum* [4]) *spiritus sancti. Et: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare ea, quaecunque mandavi vobis. Denique: Praeparate corda vestra Domino, etc.*

Quid sit iustificatio impii, et quae eius causae.

[pag. 140] *VIII. Hanc praeparationem, seu dispositionem, iustificatio ipsa consequitur, quae non est sola peccatorum remissio, sed et sanctificatio, ac renovatio interioris hominis, per voluntariam susceptionem gratiae, et donorum: unde homo ex iniusto fit iustus, ex inimico fit amicus: ut sit haeres, secundum spem vitae aeternae. Huius iustificationis causae sunt: Finalis quidem, gloria Dei et Christi, ac vita aeterna. Efficiens vero, misericors Deus, qui gratuito abluit et sanctificat, signans et ungens Spiritu promissionis sancto, qui est pignus haereditatis nostrae. Meritoria autem, dilectus unigenitus Filius suus D. N. Iesus Christus, qui quum essemus inimici, propter nimiam caritatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione, in ligno crucis, nobis iustificationem meruit, et pro nobis Deo Patri satisfecit. Instrumentalis item, sacramentum baptismi, quod est* [pag. 141]

1) *Edd.* illam recipiens.

1) *Edd.* ad te, et convertemur.
2) *Edd.* praeparationis.
3) *Edd.* sibi propter Christum.
4) *Edd.* in remissionem peccatorum vestrorum, et accipietis donum *etc.*

sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit iustificatio. Demum unica formalis causa est iustitia Dei, non qua ipse iustus est: sed qua nos iustos facit: qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostrae: et non modo reputamur, sed vere iusti nominamur et sumus, iustitiam in nobis recipientes unusquisque suam, secundum mensuram quam Spiritus sanctus partitur singulis, prout vult, et secundum propriam uniuscuiusque dispositionem et cooperationem. Quanquam enim nemo possit esse iustus, nisi cui merita passionis Christi communicantur; id tamen in hac impii iustificatione fit, dum eiusdem sanctae passionis merito, per Spiritum sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur, atque ipsis inhaeret: unde in ipsa iustificatione, cum remissione peccatorum, haec omnia simul infusa accipit homo, per Iesum Christum cui inseritur, fidem, spem, et caritatem. Nam fides nisi ad eam spes accedat, et caritas, neque [pag. 142] *unit perfecte cum Christo, neque corporis eius vivum membrum efficit. Qua ratione verissime dicitur fidem sine operibus mortuam et otiosam fore: et in Christo Iesu, neque circumcisionem, neque praeputium aliquid valere, sed fidem quae per caritatem operatur. Hanc fidem ante baptismi sacramentum, ex traditione Apostolorum, catechumeni ab Ecclesia petunt, quum petunt fidem, vitam aeternam praestantem, quam sine spe et caritate fides praestare non potest. Unde statim verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram et Christianam iustitiam accipientes, eam, ceu primam stolam, pro illa quam Adam sua inobedientia sibi et nobis perdidit, per Christum Iesum illis donatam candidam et immaculatam iubentur statim renati conservare, ut eam proferant*[1]) *ante tribunal Domini nostri Iesu Christi, et habeant vitam aeternam.*

Quo modo intelligatur impium per fidem et gratis iustificari.

[pag. 143] *IX. Quum vero Apostolus dicat, iustificari hominem per fidem et gratis: ea verba in eo sensu intelligenda sunt, quem perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit et expressit, ut scilicet per fidem ideo iustificari dicamur, quia fides est humanae salutis initium, fundamentum et radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum consortium pervenire: gratis autem iustificari ideo dicamur, quia nihil eorum, quae iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur: si enim gratia, iam non ex operibus: alioquin*[2]) *gratia iam non esset gratia.*

1) *Edd.* perferant.
2) *Al. add.* ut idem Apostolus inquit.

Contra inanem haereticorum fiduciam.

X. Quamvis autem necessarium sit credere, neque remitti, neque remissa unquam fuisse peccata, nisi gratis, divina misericordia, per[1]) *Christum: nemini tamen fiduciam et certitudinem remissionis peccatorum suorum iactanti, et in ea sola quiescenti, peccata* [pag. 144] *dimitti, vel dimissa esse dicendum est, quum apud haereticos et schismaticos possit esse, imo nostra tempestate sit, et praedicetur magna contra Ecclesiam catholicam contentione, haec vana et ab omni pietate remota fiducia. Sed neque illud asserendum est, oportere eos qui vere iustificati sunt, absque ulla omnino dubitatione apud semetipsos statuere, se vere esse iustificatos, neminemque absolvi a peccatis, ac iustificari, nisi eum qui certo credat se absolutum, ac iustificatum esse: atque hac sola fide absolutionem ac iustificationem perfici: quasi qui hoc non credit, de Dei promissione, deque mortis ac resurrectionis Christi dubitet efficacia. Nam sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, ac sacramentorum virtute et efficacia dubitare debet, sic quilibet dum suam*[2]) *propriam infirmitatem, ac indispositionem respicit, de sua gratia formidare ac timere potest: quum nullus scire valeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.*

De acceptae iustificationis incremento.

[pag. 145] *XI. Sic ergo iustificati, et amici Dei, et domestici facti, euntes de virtute in virtutem renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificantes membra carnis suae, et exhibentes ea arma iustitiae Deo, in sanctificationem, per observantiam mandatorum Dei et Ecclesiae, in ipsa iustitia, per Christi gratiam accepta, cooperante fide, bonis operibus, crescunt, et magis ac magis iustificantur, sicut scriptum est: Qui iustus est, iustificetur adhuc. Et iterum: Ne verearis usque ad mortem iustificari. Et rursus: Videtis quoniam ex operibus iustificatur homo, et non ex fide tantum. Hoc vero iustitiae incrementum petit sancta Ecclesia, quum orat: Da nobis, Domine, fidei, spei et caritatis augmentum, etc.*

De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate.

XII. Nemo autem, quantumvis iustificatus, liberum se esse ab observatione mandatorum putare debet: nemo temeraria illa, et a patribus sub anathemate [pag. 146] *prohibita voce uti debet, Dei praecepta homini iustificato ad observandum esse impossibilia. Nam Deus impossibile non iubet, sed iubendo monet et facere quod possis, et petere quod non possis, et ad-*

1) *Al.* propter.
2) *Edd.* se ipsum suamque.

iuvat ut possis. Cuius mandata gravia non sunt: cuius iugum suave est, et onus leve. Qui enim Dei sunt,[1]) *Christum diligunt: qui autem diligunt eum, ut ipsemet testatur, servant sermones eius: quod utique cum divino adiutorio*[2]) *praestare possunt. Licet enim in hac mortali vita, quantumvis iusti et sancti, in levia saltem et quotidiana, quae venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse iusti: nam iustorum illa vox est, et humilis et verax: Dimitte nobis debita nostra. Quo fit, ut iusti ipsi eo magis se obligatos esse ad ambulandum in via iustitiae sentire debeant, quo liberati a peccato, servi autem facti Deo, sobrie, iuste et pie viventes, proficere possint, per Christum Iesum, per* [pag. 147] *quem habuerunt accessum in gratiam istam. Deus namque sua gratia semel iustificatos non deserit, nisi prius ab eis deseratur. Itaque nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola haeredem se esse constitutum, haereditatemque consequuturum: etsi Christo non compatiatur, ut et conglorificetur. Nam et ipse Christus,*[3]) *quum esset Filius Dei, didicit ex his quae passus est obedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae. Propterea Apostolus ipse monet iustificatos, dicens: Nescitis, quod hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? sic currite, ut comprehendatis: ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans, sed castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne quum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. Item Princeps Apostolorum:*[4]) *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem faciatis,* [pag. 148] *et electionem: hoc enim facientes, non peccabitis aliquando. Unde constat eos religionis orthodoxae doctrinae adversari, qui dicunt iustum in omni opere bono peccare, saltem venialiter: aut, quod intolerabilius est, poenas aeternas mereri. Atque etiam eos, qui statuunt in omnibus operibus iustum peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, et se ad currendum in stadio cohortando, quum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuetur aeternam, ut scriptum est: Inclinavi cor meum, ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. Et de Moise dicat Apostolus, quod aspiciebat in remunerationem.*

Praedestinationis temerariam praesumptionem cavendam esse.

XIII. Nemo quoque, quamdiu in hac mortalitate vivit,[5]) *de arcano divinae praedestinationis mysterio usque adeo praesumere debet, ut certo statuat, se omnino esse in numero praedestinatorum: quasi verum esset, quod* [pag. 149] *iustificatus, aut amplius peccare non possit, aut si peccaverit certam sibi resipiscentiam promittere debeat: nam sine speciali revelatione scire non potest,*[1]) *quos Deus sibi elegerit.*

De perseverantiae munere.

XIV. Similiter de perseverantiae munere, de quo scriptum est: Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit: quod quidem aliunde haberi non potest, nisi ab eo, qui potens est, eum qui stat, statuere, ut perseveranter stet, et eum qui cadit, restituere: nemo sibi certi aliquid, absoluta certitudine polliceatur, tametsi in Dei auxilio firmissimam spem collocare et reponere omnes debent. Deus enim nisi ipsi illius gratiae defuerint, sicut coepit opus bonum, ita perficiet, operans velle et perficere: tamen qui se existimat[2]) *stare, videat ne cadat, et cum timore. ac tremore, salutem suam operetur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus et oblationibus, in ieiuniis et castitate. Formidare enim debent, scientes quod* [pag. 150] *in spem gloriae, et nondum in gloria renati sunt, de pugna, quae superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia, Apostolo obtemperent dicenti: Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.*

De lapsis, et eorum reparatione.

XV. Qui vero ab accepta iustificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus iustificari poterunt, quum excitante Deo, per poenitentiae sacramentum, merito Christi, amissam gratiam reparare[3]) *procuraverint. Hic enim iustificationis modus est, lapsi reparatio, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam, apte nuncuparunt patres. Etenim pro his* [pag. 151] *qui post baptismum in peccata labuntur, Christus Iesus sacramentum statuit*[4]) *poenitentiae, quum dixit: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: et quorum retinueritis, retenta sunt. Unde dicendum*[5]) *est, Christiani hominis poenitentiam, post lapsum, multo aliam esse a baptismali, eamque*[6]) *contineri non modo cessatione a peccatis, et eorum detestatione, aut corde contrito et humiliato: verum etiam eorundem sacramentali confessione: saltem in voto, et suo tempore facienda, et sacerdotali absolutione. Itemque satisfac-*

1) *Edd.* sunt filii Dei.
2) *Edd.* auxilio.
3) *Add.* ut inquit Apostolus.
4) *Add.* Petrus.
5) *Al.* vivitur.

1) *Edd.* nam nisi ex speciali revelatione sciri non potest.
2) *Al.* existimant . . . . videant . . . . *etc.*
3) *Edd.* recuperare.
4) *Al.* instituit.
5) *Al.* docendum.
6) *Al.* eaque contineri . . . . cessationem . . . . detestationem aut cor contritum et humiliatum *et sic porro.*

tione, per ieiunia, eleemosynas, orationes, et alia pia spiritualis vitae exercitia, non quidem, pro poena aeterna, quae etiam[1]) *sacramenti voto una cum culpa remittitur: sed poena temporali, quae, ut sacrae literae docent, non tota semper, ut in baptismo fit, dimittitur illis, qui gratiae Dei, quam acceperunt ingrati, Spiritum sanctum contristaverunt, et templum Dei violare non sunt veriti. De qua poenitentia* [pag. 152] *scriptum est: Memor esto unde excideris: age poenitentiam, et prima opera fac. Et iterum: Quae secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur. Et rursus: Poenitentiam agite, et facite fructus dignos poenitentiae.*

Quolibet mortali peccato amitti gratiam, sed non fidem.

XVI. Adversus etiam quorundam hominum callida ingenia, qui per dulces sermones, et benedictiones, seducunt corda innocentum, asserendum est, non modo infidelitate, per quam etiam ipsa fides amittitur: sed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam iustificationis gratiam amitti[2]), *divinae legis doctrinam defendendo, quae a Regno Dei non solum infideles excludit, sed et fideles quoscunque,*[3]) *fornicarios, adulteros, molles, masculorum concubitores, fures, avaros, ebriosos, maledicos, rapaces, caeterosque omnes, qui lethalia committunt peccata, a* [pag. 153] *quibus cum divinae gratiae adiumento abstinere possunt, et pro quibus a Christi gratia separantur.*

De fructu iustificationis, hoc est, de merito bonorum operum, deque ipsius meriti ratione.

XVII. Hac igitur ratione, iustificatis hominibus, sive gratiam acceptam perpetuo conservaverint, sive amissam recuperaverint, proponenda sunt Apostoli verba: Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino: non enim iniustus est Deus, ut obliviscatur operis et dilectionis, quam ostendistis in nomine eius. Et: Nolite amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Atque ideo bene operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus, proponenda est vita aeterna, et tanquam gratia filiis Dei, per Christum Iesum misericorditer promissa, et tanquam merces, ex ipsius Dei promissione, bonis ipsorum operibus, et meritis fideliter reddenda [pag. 154]*: haec est enim corona iustitiae, quam post suum certamen et cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, a iusto iudice sibi reddendam, non solum autem sibi, sed et omnibus qui diligunt adventum eius. Quum enim ille ipse Christus Iesus, tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat, quae virtus bona eorum opera*[1]) *antecedit, comitatur et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent: nihil ipsis iustificatis amplius deesse credendum est, quominus plene illis quidem operibus, quae in Deo sunt facta, divinae legi pro huius vitae statu satisfecisse, et vitam aeternam suo etiam tempore, si tamen in gratia decesserint, consequendam vere promeruisse censeantur. Quum Christus salvator noster dicat: Si quis biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in aeternum: sed fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam. Ita neque propria* [pag. 155] *nostra iustitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur aut repudiatur iustitia Dei. Quae enim iustitia nostra dicitur, quia per eam, inhaerentem nobis, iustificamur: illa eadem Dei est, quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum. Neque vero illud omittendum est, quod licet bonis operibus in sacris literis usque adeo tribuatur, ut etiam qui uni ex minimis suis potum aquae frigidae dederit, promittat Christus, eum non esse sua mercede cariturum: et Apostolus testetur, id quod in praesenti est momentaneum et leve tribulationis nostrae, supra modum in sublimitate, aeternum gloriae pondus operari in nobis: absit tamen ut Christianus homo in se ipso, vel confidat, vel glorietur, et non in Domino: cuius tanta est erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quae sunt ipsius dona. Et quia in multis offendimus omnes, unusquisque, sicut misericordiam et bonitatem,* [pag. 156] *ita severitatem et iudicium, ante oculos habere debet: neque se ipsum aliquis, etiamsi nihil sibi conscius fuerit, iudicare: quoniam omnium*[2]) *hominum vita non humano iudicio examinanda et iudicanda est, sed Dei, qui illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium, et tunc laus erit unicuique a Deo, sicut scriptum est: Reddet unicuique secundum opera sua.*

Post hanc catholicam de iustificatione doctrinam, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit,[3]) *iustificari non poterit: placuit sanctae Synodo, hos Canones subiungere, ut omnes sciant, non solum quid tenere et sequi, sed etiam quid vitare et fugere debeant.*

CANONES.[4])

I. Si quis dixerit: Hominem suis operibus, quae vel per humanae naturae vires, vel per legis doctrinam fiunt, absque divina per Christum gratia, posse iustificari:[5]) *Anathema sit.*

[pag. 157] *II. Si quis dixerit: Ad hoc solum divinam per Christum Iesum gratiam dari, ut facilius*

---

1) *Al.* quae vel sacramento vel sacramenti voto.
2) amitti *deest in omnibus edd. calvinianis.*
3) *Al.* quoque.

1) *Edd. add.* semper.
2) *Edd.* omnis.
3) *Edd.* receperit.
4) *Hi canones absunt ab exemplari gallico, hoc loco, verum inseruntur infra subiecta unicuique censura.*
5) *Edd. add.* coram Deo.

fuisse attenuatum, et inclinatum, non tamen exstinctum. De nomine non litigabo: sed quum libertatem minime exstinctam fuisse contendunt, hoc sane intelligunt, aliquid restare facultatis humanae voluntati, ad bonum eligendum. Ubi enim non est interitus, illic saltem aliqua est vitae portio. Tollunt deinde omnem ambiguitatem, quum attenuatum dicunt et inclinatum. Ergo, si illis credimus, debilitavit nos peccatum [pag. 167] originale, ut voluntatis nostrae vitium non pravitas sit, sed infirmitas. Nam si prava omnino voluntas esset, non inclinatae modo esset sanitatis et attenuatae, sed perditae, donec nova fieret. Atqui hoc posterius ubique scriptura docet. Ut innumera testimonia omittam, Paulus quum de natura humani generis concionatur, non infirmitatis damnat liberum arbitrium, sed omnes esse inutiles pronunciat, aversos a Deo, et tyrannidi peccati addictos (Rom. 3, 9 seqq.): ita, ut idoneos esse neget ad quidquam boni cogitandum (2 Cor. 3, 5). Neque tamen interea negamus, quin manea homini voluntas, sed mala. Nam lapsus Adae non sustulit voluntatem, sed ex libera servam fecit, ut non modo ad peccandum sit proclivis,[1]) sed peccato obnoxia. Qua de re paulo post rursus dicendum erit.

Tertium et quartum caput non attingo. Circa finem quinti capitis, translationem in statum gratiae fieri negant, sine baptismo, aut eius voto. Quaeso, an non praestitisset dicere: verbo et sacramentis communicari nobis Christum: vel, si ita loqui magis placebat, applicari, quam solius baptismi facere mentionem? Verum infantes a regno Dei arcere libuit, qui ante erepti sunt ex hac vita,[2]) quam offerri ad baptismum potuerint. Quasi vero de nihilo dictum sit, eos nasci sanctos, qui ex [pag. 168] fidelibus nascuntur (1 Cor. 7, 14). Imo, quo iure ad baptismum eos admittimus, nisi quod promissionis sunt haeredes? Nisi enim iam ante ad eos pertineret vitae promissio, baptismum profanaret, quisquis illis daret. Quod si Deus in regnum suum eos adoptavit, quanta iniuria fit promissioni, quasi per se ad eorum salutem non sufficiat? Invaluit contraria opinio, fateor: sed iniquum est, hominum errore, quamvis diuturno, obrui Dei veritatem. Inclusa est infantium salus in promissione, qua Deus fidelibus testatur, se fore illis et semini eorum in Deum (Gen. 17, 7). Hac ratione sibi nasci pronunciabat, qui ex Abraham ducebant originem. Huius promissionis beneficio recipiuntur ad baptismum, quia censentur ecclesiae membra. Non a baptismo igitur initium habet eorum salus, sed quae iam in verbo fundata erat, baptismo obsignatur. At obtrudunt definitionis architecti illam sententiam: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu (Ioann. 3, 5). Primum, si aqua baptismum illis significat: quis eis concedet, simul etiam significare baptismi percipiendi votum? At si dicam, alium esse loci sensum, ac quosdam ex veteribus sequutus, aquae nomen pro mortificatione accipiam: non erunt, opinor, tam infesti, ut me propterea haereticum iudicent. Ego tamen epitheti vice additum interpretor, ut vim naturamque [pag. 169] spiritus[1]) exprimeret. Neque enim efficient, ut magis hic aqua sumatur pro baptismo, quam alibi ignis pro quovis sacramento, quum dicitur: In spiritu sancto et igni (Matth. 3, 11). En cur sibi summum ius interpretandae scripturae usurpent.[2])

Sexto capite asserunt, gratia Dei nos praeparari ad percipiendam iustitiam: sed huic gratiae partes assignant excitandi et adiuvandi: ut ipsi libere cooperemur. Nempe putidas naenias hic audimus, quas in scholis deblaterare sophistae solent. Ego autem quaero, sitne idem excitare voluntatem, et adiuvare per se infirmam: an cor novum formare in homine, ut velit. Respondeant ergo, an cor novum creare, ex corde lapideo facere cor carneum (quorum utrumque scriptura testatur Deum in nobis facere) (Ezech. 11, 19 et 36, 26; Psal. 51, 12) nihil aliud sit, quam supplere quod deest infirmae voluntati? Quod si minus eos movent illa testimonia: respondeant, an qui efficit in nobis velle, simpliciter voluntatem adiuvet (Phil. 2, 13)? Paulus totum Deo vendicat: isti nihil ei, praeter adminiculum, acceptum ferunt. Sed in quo hominem Deo socium adiungunt? Quia gratiam Dei, quam repudiare posset, libere recipit, et spiritus sancti illuminationem. Quantum ex Dei virtute detrahunt, quae a propheta describitur? Dabo, inquit, legem [pag. 170] meam in corda vestra, faciamque, ut in praeceptis meis ambuletis (Ier. 32, 39; Ezech. 36, 27; Hebr. 8, 10 et 10, 16). Sed hoc est scilicet, quod alicubi ab Augustino traditum est: Laborant, inquit, homines, ut inveniant in nostra voluntate, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: et quid inveniri possit, ignoro.[3]) At vero, ut alibi[4]) tradit: Si relinqueretur homini sua voluntas, ut in adiutorio Dei maneret si vellet, nec Deus etiam efficeret ipsum velle: inter tot ac tantas tentationes infirmitate sua voluntas succumberet. Ideo subventum est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter, et inseparabiliter ageretur: et ideo, quamvis infirma, non deficeret.

1) *Beza mendose scribit:* Non modo ad peccandum fit proclivis *et sic quoque Amstelodamensis.*
2) *Iidem habent:* in hac vita.

1) *Add.* qui est de nettoyer.
2) *Hoc ultimum comma non legitur in exemplari gallico.*
3) Lib. de peccatorum meritis et remissione 2.
4) De correptione et gratia.

Excudunt autem Neptunii patres [1]) in nova officina, quod Augustino fuit ignotum: non esse ex Deo gratiae receptionem: quia libero voluntatis propriae motu Deo vocanti assentiamur. At repugnat scriptura, quae Deum autorem facit bonae voluntatis. Aliud est, moveri a Deo voluntatem ut obsequatur, si libeat: aliud autem, formari ut bona sit. Porro non se facturum promittit Deus, ut possimus bene velle: sed ut bene velimus: imo ultra progreditur, quum dicit: Faciam ut ambuletis. Quod diligenter ab Augustino annotatum est. Atque idem Paulus affirmat, quum docet Deum esse, qui et velle efficit in nobis, et perficere, [pag. 171] pro suo beneplacito. In eo hallucinantur, quod motum nobis offerri somniant, qui mediam electionem nobis relinquat: nihil autem de efficacia illa cogitant, qua cor hominis renovatur, ut ex pravo fiat rectum. Haec vero efficax spiritus sancti operatio ab Ieremia cap. 32 (v. 40) describitur, quum ita loquitur in persona Dei: Ponam timorem nominis mei in cordibus eorum, ne declinent a mandatis meis. Denique in eo falluntur, quod nullum observant inter regenerationis gratiam, quae nunc miseriae nostrae subvenit, et primam quae Adae data fuerat, discrimen: quod diligenter Augustinus exponit.[2]) Per mediatorem Christum, inquit, ex malis Deus facit deinceps in aeternum bonos. Istam gratiam non habuit primus homo, qua nunquam vellet esse malus. Tale quippe erat adiutorium, quod desereret quum vellet: et in quo permaneret, si vellet: non quo fieret, ut vellet. Sed potentior est gratia in secundo Adam, qua fit etiam, ut velimus: tantumque velimus, ac tanto ardore diligamus, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincamus. Paulo post: Est in nobis, per hanc Dei gratiam, in bono recipiendo et perseveranter tenendo, non solum posse quod volumus, verum etiam velle quod possumus. Quanquam longius est argumentum, quam ut [pag. 172] tam breviter expediri queat: non tamen vereor, ne mea quamlibet brevis admonitio non sufficiat apud sanos lectores refellendis eorum commentis.

At scripturam sibi quoque suffragari obtendunt.[3]) Nam quum dicitur: Converte me Domine, et convertar (Ier. 31, 18): ex eo colligunt, praeveniri homines Dei gratia. Rursum ex his verbis: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos, liberi arbitrii vim eliciunt. Scio alicubi Augustinum hac distinctione uti; sed longe diverso sensu. Diserte enim testatur, idque plurimis locis, gratiam Dei sic operari in nobis, ut ex nolentibus volentes faciat: unde etiam concludit, nihil hominem boni facere, quod Deus in ipso non faciat.[1]). Quid ergo, inquies, sibi vult Augustinus, quum de libertate voluntatis loquitur? Nempe, quod toties repetit: non cogi homines invitos Dei gratia, sed voluntarios regi, ut sponte pareant ac sequantur: ideo tamen, quia eorum voluntas ex mala versa sit in bonam. Unde illud: Nos ergo volumus, sed Deus in nobis operatur et velle. Nos operamur, sed Deus efficit et operari. Item: Bonum, quod non tenemus nisi propria voluntate, non tamen tenebimus, nisi operetur in nobis et velle. Item: Certum est, nos velle quum volumus: sed ille facit ut velimus. Certum est, nos facere quum facimus: sed ille facit [pag. 173] ut faciamus, praebendo vires efficacissimas voluntati.[2]) Haec sit summa: Perperam eos facere, qui sic inter Deum et nos partiuntur, ut obedientiam piae voluntatis, quae Dei gratiae assentitur, ad nos transscribant: quum proprium sit ipsius Dei opus.

Sed insistunt prophetae verbis: quod conversionem a nobis exigendo liberum arbitrium compellet: quod frustra faceret, eorum quidem opinione, nisi aliquod esset liberum arbitrium. Fateor sane, absurdas fore eiusmodi loquutiones, nisi esset aliqua in homine voluntas. Non tamen propterea concedo, liberam obsequendi facultatem inde posse colligi. Valde enim novitios esse oportet venerandos istos patres, si ex praeceptis aestimant quid valeat homo: quum ideo potius requirat a nobis Deus, quod supra vires nostras est, ut imbecillitatis nostrae convicti superbiam omnem exuamus. Meminerimus ergo, aliud esse voluntatem in homine, aliud liberam boni ac mali electionem. Sublata enim post lapsum primi hominis eligendi libertate, sola voluntas relicta est, quae sub peccati tyrannide captiva usque adeo tenetur, ut non nisi ad malum feratur.

Porro, ne longius hic immoremur, dico aperte pugnare quod hic pronunciant Tridentini patres cum illa Christi sententia: Quisquis [pag. 174] audivit a patre meo, venit ad me (Ioann. 6, 45). Nam, ut prudenter animadvertit Augustinus, inde sequitur, nullum a Deo audire et discere, quin simul in Christum credat, motumque spiritus sancti sic esse efficacem, ut fidem semper gignat.[3]) Constituunt autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet. Haec nullo modo inter se conciliari possunt: omnes qui a Deo didicerint, Christo credere, et non aliter valere ratamque esse Dei inspirationem, nisi homines ex se ipsis assentiantur. Prioris sententiae autorem habemus filium Dei, qui secum minime dissidet. Secundam ergo,

---

1) Messieurs les Cornuz de Trente.
2) Lib. ad Bonif. 2, c. 8.
3) Il y a un mal pour moy, ce semble, qu'ilz alleguent l'Escriture pour eux: mais voyons un peu leurs argumens.

1) Lib. ad Bonif. 2, c. 8.
2) Lib. 2. de bono pers. c. 13. Lib. 2. de gratia et lib. arbitrio c. 23.
3) de praedestinatione Sanctorum lib. 1, c. 8.

quae prorsus contraria est, cui acceptam feremus, nisi patri mendacii?

. Postquam septimo capite, de modo praeparationis, ita frigide tractarunt, ut quemvis non prorsus insipidum papistam merito tantae insulsitatis pudere debeat, tandem, capite octavo, ubi ad ipsam definitionem ventum est, in primis hoc cavent, ne sola fide constare videatur hominis iustificatio. Quaestio est verbi, quid sit iustificatio. Negant solam esse remissionem peccatorum: sed renovationem et sanctificationem simul contineri volunt. Numquid hoc verum sit, videamus. Verba Pauli sunt capite ad Romanos 4: David beatitudinem hominis dicit, cui Deus imputat iustitiam [pag. 175] sine operibus: Beati, quorum remissae sunt iniquitates (Psal. 32, 1; Rom. 4, 6). Si ex hac Davidis sententia Paulus gratuitae iustitiae definitionem rite elicit, sequitur, in remissione peccatorum esse positam. Sic enim interpretatur Paulus, iustum a Davide nuncupari, cui Deus iustitiam imputat, non imputando peccata. Sic et idem apostolus, non adducto alterius testimonio, alibi loquitur: Erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata (2 Cor. 5, 19). Deinde, continuo post adiicit: Eum qui peccatum non noverat, pro nobis peccatum fecit, ut essemus iustitia Dei in illo. Quid apertius requiras, quam nos coram Deo iustos censeri, quia Christi sacrificio expiata sint pecata nostra, ne amplius sub reatu nos teneant? Nec locus est vulgari cavillo, de iustificationis initio ipsum agere: nam utroque loco tractat, non qualiter incipiant iusti esse qui fuerant hactenus infideles, sed quomodo iustitiam, quam semel consequuti sunt, retineant toto vitae cursu. David enim de se loquitur, postquam inter filios Dei fuerat cooptatus. Et Paulus asserit, hanc esse perpetuam legationem, quae in ecclesia quotidie auditur.[1]) In eundem quoque sensum ad Romanos 10 (5): Moyses iustitiam legis describit, quod qui fecerit ea, vivet in ipsis (Levit. 18, 5). Fidei autem iustitia sic dicit: Qui crediderit, etc. Videmus ideo legis iustitiae [pag. 176] opponi fidei iustitiam, quod operibus minime constet, sicut illa. Idem sibi volunt verba, quibus Lucas apud Antiochenos ipsum esse usum refert (Act. 13, 38): Per hunc vobis annunciatur remissio peccatorum, et ab omnibus, a quibus non potuistis iustificari in lege Moysi, in hoc omnis qui credit, iustificatur. Nam et remissioni peccatorum iustificatio, velut interpretationis loco, subiicitur, et absolutionem procul dubio significat: et legis operibus detrahitur, ut sit gratuita, et fide percipi dicitur. Quid? iustificatio publicani, Lucae 17[1]) quid aliud sonat, quam iustitiae imputationem, dum gratis acceptus est Deo? Et quoniam de verbi proprietate lis est; quum Christus a Paulo iustitia et sanctificatio nostra praedicatur (1 Cor. 1, 30), certe inter haec duo statuitur discrimen, quod Tridentini patres confundunt. Nam si duplex est gratia, quod nos Christus iustificat et sanctificat: iustitia vitae innovationem sub se non complectitur. Nec aliter potest exponi illud ad Romanos 8 (v. 33): Quis accusabit adversus electos Dei? Deus est qui iustificat: quam de gratuita acceptione.

Nollem de verbo litigare, nisi inde totus causae status penderet. Verum, quum tunc iustificari hominem tradunt, quum in obedientiam Dei reformatur, totum illud Pauli argumentum evertunt: Si ex lege est iustitia, exinanita [pag. 177] est fides, et abolita promissio (Rom. 4, 14). Intelligit enim, neminem inventum iri inter homines, in quo salutis promissio compleatur, si innocentiae conditione sit implicita, et ruituram mox esse fidem, si operibus fulciatur. Quod ideo verum est, quia quamdiu respicimus quales sumus, necesse est nos coram Deo trepidare. Tantum abest, ut certa et inconcussa vitae aeternae fiducia nobis constet. De regeneratis loquor. Quantum enim abest a iustitia, quae in hac vita inchoatur vitae novitas?

Neque tamen interea negandum est, quin perpetuo coniunctae sint ac cohaereant duae istae res: sanctificatio et iustificatio. Sed perperam inde infertur, unam ac eandem esse. Exempli gratia: Solis lumen, etsi nunquam separatur a calore, non tamen calor existimandus est. Nemoque tam rudis invenitur, qui non unum ab altero distinguat. Fatemur ergo, simul atque iustificatur quispiam, necessario innovationem quoque sequi. Neque vero de eo ambigitur, an sanctificet Christus nec ne, quoscunque iustificat. Hoc enim esset lacerare evangelium, adeoque Christum ipsum discerpere, si quis iustitiam, quam fide consequimur, separare velit a poenitentia. Sed tota nostra disceptatio est de causa iustificationis. Hanc Tridentini patres duplicem [pag. 178] esse fingunt: ac si partim remissione peccatorum, partim spirituali regeneratione iusti essemus. Vel, ut aliis verbis exprimam quod sentiunt: ac si partim imputatione, partim qualitate, iustitia nostra constaret.[2]) Ego autem unicam et simplicem esse assero, quae tota continetur gratuita Dei acceptione. Eam praeterea extra nos constituo: quia in solo Christo iusti sumus. Proferant si quod habent ex scriptura testimonium, ut persuadeant quod docent. Ego quum totam habeam scripturam mihi suffragantem, hac una ra-

---

1) que ceste ambassade est iournellement envoyée en l'Eglise.

1) *Imo C.* 18, 14.
2) si nostre iustice consistoit partie en l'acceptation gratuite de Dieu, et partie en nostre sainctété.

tione nunc contentus ero: quod quum mentio fit iustitiae operum, eam lex et evangelium in perfecta legis obedientia constituunt. Ea quum nusquam appareat, nihil aliud faciunt reliqui, nisi ut confugiamus ad solum Christum: ut in ipso iusti censeamur, quod in nobis non sumus. An mihi locum unum proferent, qui inchoatam novitatem pro iustitia apud Deum probari testetur, vel in totum, vel ex parte? Quod si autoritate destituuntur, cur non liceat repudiare quod hic obtrudunt figmentum, de partiali iustitia?

Porro, quam frivola sit et nugatoria causarum partitio, quae ab illis commemoratur, supersedeo dicere: nisi quod taceri hoc nec debet, nec potest, nimis esse absurdum, quod causa instrumentalis nominatur solus baptismus. [pag. 179] Quid igitur fiet evangelio? Anne postremo quidem angulo haerebit? Sed baptismus est fidei sacramentum. Quis negat? Ubi tamen omnia dicta fuerint: hic nihilominus obtinebo, nihil esse aliud, quam evangelii appendicem. Praepostero igitur ordine primas illi deferunt: ac perinde omnino faciunt, ac si quis instrumentalem aedificii causam diceret esse trullae manubrium. Sane quisquis posthabito evangelio, baptismum inter salutis causas numerat, eo ipso, quid sit baptismus, aut quid valeat, quodnam sit eius officium, aut quis usus, nescire se prodit. Quid in causa formali praeterea desiderem, canone 10 dicendum erit: tantum hic attingam, quod praesenti loco convenit. Iterum enim affirmant, nos vere iustos esse, non tantum reputari. Ego contra, tametsi concedo, nunquam recipi nos in Dei gratiam, quin simul nos regeneret in vitae sanctitatem, falsum tamen esse contendo, ullam iustitiae partem in qualitate sitam esse, vel habitu, qui in nobis resideat, sed gratuita acceptione nos esse iustos. Nam quum docet apostolus, propter unius obedientiam iustos constitui multos (Rom. 5. 19): satis, nisi fallor, ostendit, mutuari nos aliunde iustitiam, cuius in nobis indigemus. Et primo ad Ephesios capite (v. 4), quum dicit nos praedestinatos esse in adoptionem filiorum Dei, ut grati essemus in filio, summam iustitiae nostrae [pag. 180] complectitur. Quantulacunque enim portio in opera nostra conferatur, eatenus vacillabit fides, et salus nostra hoc modo tota periclitabitur. Ergo cum apostolo discamus, iustitiam nostram, quae ex lege est, tanquam noxium impedimentum, abiicere, ut illam obtineamus, quae ex fide est Iesu Christi (Phil. 3, 8. 9). Qualis autem sit, iam ante abunde demonstravimus, et uno verbo Paulus, tertio capite ad Galatas, indicat: quum negat, iustitiam legis cum iustitia fidei congruere, quia in operibus sita sit.[1])

Sed quid facias istis bestiis? Nam, postquam multas iustificationis causas recensuerunt, obliti de causa iustificationis sibi esse tractandum, iustitiae partem operibus constare hinc colligunt, quod nemo absque spiritu regenerationis per Christum Deo reconcilietur. At quam crassa est ista hallucinatio? Perinde enim id valet, ac si dicerent: Remissio peccatorum divelli a poenitentia non potest: ergo haec est pars illius.[1]) Hoc unicum est controversiae caput: quomodo iusti censeamur coram Deo: ubi fides nostra, qua sola iustitiam percipimus, eam quaerere debeat. Ut millies repetant, non posse nos aliter merito passionis Christi communicare, quin simul regeneremur eius spiritu, non tamen efficient quominus illud fixum maneat: ideo propitium nobis esse [pag. 181] Deum, quia Christi morte placatus nobis fuerit: ideo nos reputari iustos coram ipso, quia illo sacrificio expiatae fuerint nostrae iniquitates. Habemus, inquit Paulus, propitiationem per fidem in sanguine Christi (Rom. 3, 25 et 5, 10). Denique, ubi de causa quaeritur: quorsum attinet, accidens inseparabile obtrudi?[2]) Desinant ergo istis ineptiis ludere, vel cavillis ineptire: Accipit homo fidem, simul et spem et caritatem: non igitur sola fides iustificat. Nam si nobis et oculi, simul et aures, et pedes, et manus conferuntur, non propterea tamen aut pedibus nos audire, aut manibus ambulare, aut palpare oculis, dicendum est. De Pauli testimonio perperam adducto alibi dicetur.[3])

Sequitur putidae[4]) illius distinctionis approbatio: de fide informi et formata. Pudet quidem venerandos patres voces istas usurpare: sed quum balbutiunt, non uniri sola fide hominem Christo, nisi spes quoque et caritas accedant, fidem certe somniant caritate vacuam, quae a sophistis vulgo informis vocatur: quo insignem suam inscitiam produnt. Nam si verum est quod docet Paulus (Ephes. 3, 17), Christum habitare in cordibus nostris per fidem: nihilo magis fidem a caritate separabunt, quam Christum a spiritu suo. Si fide purificantur corda, quemadmodum Petrus affirmat (Act. 15, 9): si quicunque credunt, habent vitam aeternam, [pag. 182] quod toties pronunciat Christus (Ioann. 3, 16 et 5, 24 et 6, 40 et 20, 31): si fide obtinetur aeternae vitae haereditas[5]) (Rom. 4, 14), longe aliud est fides, quam mortua nescio quae persuasio. Viva nos Christi membra fide effici, negant.

---

1) *Add.* et celle de la foy, non.

1) Il s'ensuit donc que la penitence est une partie de la remission des pechez, ce qui est hors de raison et de propos.
2) Les Philosophes savent bien que ce sont choses diverses, de disputer de la cause ou de quelque accident inseparable.
3) *hoc ultimum comma in versione desideratur.*
4) qu'ont forgé les sophistes.
5) *Add.* comme nous enseigne sainct Paul.

Quanto melius Augustinus, qui fidem appellat animae vitam, sicut anima vita est corporis? [1]) Quanquam non tam Augustinus hic citandus autor est, quam Paulus, qui fatetur se fide Christi vivere (Gal. 2, 20). Ignoscendus forte esset illis hic error, quia non aliter de fide garriunt, quam de fabulosis insulis [2]) (quis enim eorum unquam, vel summis labris gustavit, quid esset fides?), nisi miserum orbem eadem secum ignorantia in exitium traherent. Nos autem meminerimus, fidei naturam a Christo aestimandam esse: quia, quod nobis offert Deus in Christo, non nisi fide recipimus. Proinde, quidquid nobis est Christus, [3]) id ad fidem transfertur, quae nos compotes et Christi, et omnium eius bonorum facit. Neque aliter verum esset illud Ioannis, fidem nostram esse victoriam, qua mundus vincitur (1 Ioann. 5, 4), nisi nos in Christum insereret, qui solus est mundi victor (Ioann. 16, 33). Ac eorum stuporem animadvertere operae pretium est, quod dum citant illum Pauli locum: Fides quae per caritatem operatur (Gal. 5, 6): non cogitant se hoc quasi gladio iugulari. Nam si fructus est, ac effectus fidei, caritas: quis non videt informem illam fidem quam fabricarunt, inane esse figmentum? [4]) [pag. 183] Erit enim porquam absurdum, si filia matrem interimat. Quanquam monendi sunt lectores, locum illum intempestive adduci, quum de iustificatione agitur. Quandoquidem illic non disputat Paulus, quid ad hominem iustificandum valeant fides aut caritas: sed quae sit christiana perfectio. Quemadmodum quum alibi scribit: Si quis in Christo, nova creatura (2 Cor. 5, 17).

Longum esset ac molestum singula notare: sed hoc magis insigne est, quam ut praeteriri debeat. Subiiciunt, catechumenis fidem ab ecclesia petentibus responsum dari: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (Matth. 19, 17). Vae eorum catechumenis, si tam dura illis conditio imponitur. Quid enim aliud, quam aeterna illis maledictio indicitur? Siquidem agnoscunt cum Paulo, maledictos esse omnes, qui legi sunt obnoxii (Gal. 3, 10). At Christum habent autorem. Utinam observarent, quorsum ita loquutus fuerit. Quod iudicari non potest, nisi ex contextu, et personae ratione. Interrogaverat ille cui respondet Christus: Quid facere oportet, ut habeam vitam aeternam? Certe quisquis vitam operibus vult promereri, regulam habet sibi a lege praescriptam: Haec fac, et vives. Sed considerandus est, qui a Paulo indicatur finis: ut vires suas expertus homo, vel potius impotentiae suae convictus, deposita superbia, nudus ad Christum confugiat. Neque enim locum [pag. 184] habet fidei iustitia, donec compertum habuerimus, frustra nobis salutem ex lege promitti. Quod enim impossibile erat legi, quandoquidem in carne nostra infirma erat: Deus per filium suum praestitit, peccata nostra per sacrificium mortis eius expiando, ut iustitia sua impleatur in nobis (Rom. 8, 3. 4). Adeo autem praeposteri sunt Tridentini patres, ut quum Moysi officium sit, nos ad Christum manu ducere (Gal. 3, 24), ipsi nos a Christi gratia ad Moysem traducant.

Ac ne parum sint in praedicandis hominum viribus liberales, iterum in hoc capite repetunt, spiritum Dei agere in nobis, secundum propriam cuiusque dispositionem, et cooperationem. Qualem, obsecro, dispositionem inveniet spiritus Dei in cordibus lapideis? An non pudet eos dispositionem fingere, ubi spiritus ipse ubique in scripturis pronunciat, omnia esse contraria? Nam hoc gratiae initium est, ut ex nolentibus, adeoque repugnantibus, faciat volentes. Ut fides, tam in suis exordiis, quam incrementis, ad ultimamque usque perfectionem, Dei sit donum: et gratuita Dei electio sit suscipiendae gratiae praeparatio, ut ait Augustinus. [1]) Et clara sunt Pauli verba: Deum nos benedicere, omni benedictione spirituali, quemadmodum nos elegit in Christo, secundum placitum voluntatis [pag. 185] suae (Ephes. 1, 3). Quibus certe nos cohibet, ne in tanto beneficio gratiae Dei placito gloriemur voluntatis nostrae, inquit idem Augustinus. [2]) Itane? ut quod Deo acceptum referre homo deberet, id illi quasi meritum opponat? Nam unde prima dispositio, nisi quia sumus Christi oves? Quis porro sibi tantum ausit sumere, ut se ovem faciat? Itaque Lucas quum de efficaci vocatione loquitur, credidisse eos docet, non qui a se ipsis erant dispositi, sed qui ad vitam erant praeordinati (Act. 13, 48). Et Paulus, unde recta sit dispositio exprimit, quum docet, praeparata esse a Deo bona opera in quibus ambulemus (Ephes. 2, 10). Potius itaque Augustinum audiamus, [3]) qui longe aliter docet, quam isti blaterones. Post casum hominis, inquit, non nisi ad gratiam suam pertinere voluit Deus, ut homo accedat ad eum: neque nisi ad gratiam suam pertinere voluit, ut homo non recedat ab eo. Ipse enim est, qui se daturum cor promittit, ut intelligamus, et aures, ut audiamus. Quamobrem sola est eius gratia, quae nos discernit:

1) In c. Ioann. 11.
2) tout ainsi que si un homme qui n'a iamais bougé de la maison iasoit des Isles neuves. (Parenthesis quae sequitur abest a versione.)
3) tout ce que I. C. nous donne et toutes les graces que nous avons par son moyen.
4) qui est comme un bois sec.

1) Libro 1. de praedest. Sanctorum c. 9. 10. 11.
2) Cap. 8.
3) Libro 2. de bono perseverantiae cap. 7.

quemadmodum Paulus admonet. Atque ut eiusdem Augustini verbis concludam: Voluntas humana, non libertate gratiam consequitur, sed gratia libertatem: et ut perseveret, delectabilem perpetuitatem et insuperabilem fortitudinem.[1])

Capite nono, dum aliquam dare student [pag. 186] modestiae significationem, impudentiam suam magis produnt. Quoniam in promptu erat scripturae doctrina eorum placitis repugnans, ut hanc suspicionem avertant, primum quid sit, fide iustificari hominem, exponunt: nempe, quod fides salutis sit initium, et fundamentum iustificationis. Quasi hac solutione essent expediti, mox ad alteram transvolant: gratis nos iustificari ideo apostolum docere, quia quaecunque iustificationem praecedunt, sive fides, sive opera, ipsam non promerentur. Quaeso, si in re seria versari se putarent, an adeo leviter, quasi oscitantes, perfungerentur? Omitto, quod hominum iudicia nihil veriti sunt, quasi sacrosancto hoc decreto omnium oculos confodissent: Fides iustificat, quoniam inchoat iustitiam. Primo, hoc commentum sensus communis respuit. Quid enim magis puerile, quam totum effectum velle restringere ad solum actum inchoandi? Sed inspiciamus paulisper, numquid Pauli verba patiantur tam facile se perverti. Evangelium, inquit, potentia Dei est, in salutem omni credenti: quia in eo revelatur Dei iustitia ex fide in fidem (Rom. 1, 16). Quis non videt principium et finem pariter hic designari? Alioqui dicendum erat: Ex fide in opera: si quidem perficerent quod fides inchoat. Eodem facit Habacuc (2, 4) testimonium: Iustus ex fide victurus [pag. 187] est: quod improprie dictum foret, nisi vitam perpetuaret fides. In Abrahae persona relucet praecipuum iustificationis speculum. Audiamus ergo, quo tempore fides illi ad iustitiam imputata fuisse praedicatur (Gen. 15, 6; Gal. 3, 6). Non erat certe novitius: sed relicta patria, iam annos complures Dominum sequutus erat: ut esset non vulgare sanctitatis omniumque virtutum exemplar. Non ergo aditum illi ad iustitiam patefacit fides, ut aliunde postea iustificatio compleatur. Et tandem concludit Paulus, nos stare in ea gratia, quam fide consequuti sumus (Rom. 5, 1). Quantum distat fixa et immota statio a momentaneo transitu, tantum a Pauli sensu distant in suo isto dogmate. Omnes scripturae locos colligere, et longum esset, et supervacuum. Satis quidem superque ex his paucis liquere arbitror, non minus iustitiae complementum quam initium fidei tribuendum esse.

Secundum membrum est, gratuitam ideo iustificationem vocari a Paulo, quia nullum meritum praecedat. Quid ergo? quum idem Paulus clamat (Rom. 3, 26 seq. et 4, 2), excludi omnem carnis gloriationem lege fidei, an ad anteactae vitae duntaxat merita respicit, ac non potius admonet, nihil esse, quo glorientur homines, usque ad vitae finem, qui fide iusti sunt? Nam quum ex Davide asserit imputari, absque operibus, iustitiam, [pag. 188] perpetuum fidelium statum declarat (Rom. 4, 6). Quemadmodum et David, se, ac reliquos omnes Dei filios, non in unum diem, sed tota vita, peccatorum remissione beatos esse exclamat (Psal. 32, 1). Nec de unius momenti iustificatione loquitur apud Lucam Petrus, quum dicit: Per gratiam Iesu Christi credimus nos esse salvos, quemadmodum et patres nostri (Act. 15, 11). Ille enim erat quaestionis status: an exigenda foret a gentibus legis observatio. Id fieri debere negat: quod non alia sit salus in christiana ecclesia, quam per Christi gratiam (Act. 4, 12): nec alia unquam fuerit. Et merito. Nec enim aliter firma erit promissio, nisi ex Dei gratia pendeat, ac fide nitatur, inquit Paulus (Rom. 4, 16). An illic etiam de praecedentibus meritis agi, garrient? Imo selectissimis quibusque salutis fiduciam posse constare negat, nisi recumbat in Christi gratiam. Fidem igitur abolet, qui non retinet hanc unicam iustitiam usque ad mortem. Iustificamur gratis, inquiunt, quod nulla opera, quae iustificationem praecedant, ipsam promerentur. Atqui, dum Paulus Abrahae materiam adimit gloriandi, eo quod fides sit illi imputata ad iustitiam, probationis loco mox subiicit: ubi sunt opera, illic debitum praemium rependi: fidei autem quod datur, gratuitum esse (Rom. 4, 4). Notemus de sancto patriarcha verba fieri. Negat Paulus, quo tempore mundo [pag. 189] renunciaverat, ut se totum Dei obsequio addiceret, ullis operibus fuisse iustum. Si excipiant adulterini isti patres, tunc demum coepisse iustificari: aperte refellitur hoc cavillum sacrae historiae contextu. Multis enim annis se exercuerat in quotidiana Dei invocatione, et Dei vocationem constanter sequutus erat, in qua vitae aeternae promissio continebatur. Nonne ergo ter caeci iudicandi sunt, qui gratuitam Dei iustitiam non vident, nisi in ipso vestibulo? regnare autem in ipso aedificio putant operum merita? Verum attendere convenit, qualem tam crassae impietati fucum inducant. Hoc quippe modo satisfactum pronunciant apostoli sententiae: Si ex gratia, ergo non ex operibus (Rom. 11, 6). Atqui Paulus, quod salvae fiunt reliquiae (Rom. 9, 27), et ab aeterni exitii periculo mirabiliter a Deo conservantur usque in finem, id acceptum refert Dei gratiae. Multum igitur abest, quin ad tantulam portionem, hoc est, ad solum principium, restringat.

Absurdum quidem illud delirium: sed hoc etiamnum aliquanto crassius, quod eorum opinione, nihil

---

1) Libro de correptione et gratia cap. 8.

omnium, quae iustificationem praecedunt, ipsam promeretur: sive fides, sive opera. Quae nobis hic opera comminiscuntur iustificatione priora? Cuius hoc erit ordinis, ut radicem fructus tempore praecedat? [pag. 190] In summa: ut intelligant pii lectores quantum ad doctrinae correctionem profectum sit, monachi reverendis patribus, quorum partes erant auribus annuere, veterem hanc dictarunt cantilenam: bona opera, quae iustificationem praecedunt, non meritoria esse aeternae salutis: sed praeparatoria duntaxat. Atqui, si qua opera fidem anteverterent, ipsa quoque venirent in calculum. Sed ideo nullum meritum, quia nulla sunt opera. Nam si opera sua quaerant homines, mala duntaxat invenient. Posteris vix persuadebitur, tantum fuisse stuporis in papatu, ut iustificationi ullum opus praeponerent, etiamsi negarent esse tanti boni meritorium. Quid enim ab homine prodibit, donec spiritu Dei fuerit regenitus? Longe diversa est Pauli ratiocinatio. Ephesios admonet, cap. 2 (v. 8) ut se meminerint gratia salvatos esse, non ex se ipsis, neque ex propriis operibus. Probationem subiicit, non qua lymphati isti patres utuntur, opera, quae praecedunt, nulla sufficere: sed quam ego adduxi, non aliis operibus nos esse praeditos, nisi quae Deus praeparavit: quia sumus illius factura, ad sanctam et piam vitam creati. Fides porro iustificationem ita praecedit, ut tamen Dei respectu sequatur. Quanquam de fide quod dicunt, tunc fortassis locum haberet, si fides ipsa, quae nos in possessionem iustitiae [pag. 191] mittit, a nobis esset. Verum quum ipsa quoque gratuitum sit Dei donum: supervacua est ista, quam ponunt, exceptio. Quanquam scriptura hanc dubitationem alia ratione tollit, dum fidem opponit operibus: ne inter merita censeatur. Neque enim quidquam nostrum affert fides ad Deum: sed quod ultro nobis offert Deus, recipit. Hinc fit, ut fides, quamvis imperfecta, perfectam nihilominus iustitiam possideat: quia non alium, quam gratuitae Dei bonitatis, respectum habet.

Capite decimo, in vanam, ut ipsi quidem iactant, haereticorum fiduciam invehuntur. Ea autem est, secundum eorum definitionem, dum certo statuimus nobis remissa esse peccata: in eaque certitudine acquiescimus. Verum si haereticos facit talis certitudo: ubi erit felicitas, quam David praedicat? Imo, ubi erit pax illa, de qua Paulus concionatur quinto ad Romanos capite (v. 1), si alibi quam in sola Dei benevolentia acquiescimus? Unde porro Deum habemus propitium, nisi quia non intrat nobiscum in iudicium? Fatentur[1]) nunquam, nisi gratis, remitti peccata propter Christum: sed hoc in suspenso relinquunt, quibus et quando remittantur, dum omnes conscientias tranquilla fiducia spoliant. Ubi igitur audacia illa, de qua alibi docet Paulus, [pag. 192] et accessus cum fiducia ad patrem per fidem Christi (Ephes. 3, 12)? Non contentus fiduciae nomine, audacia nos instruit, quae certe plus quidquam est, quam certitudo. Quid etiam quod certitudinis vocem aliquoties usurpat? Neque alibi eam fundat, quam in sola gratuiti Dei amoris persuasione (Rom. 8, 37). Imo omnem veram Dei invocationem isti evertunt,[1]) quum piorum animos trepidatione suspendunt, quae sola nobis ianuam praecludit. Qui haesitat, inquit Iacobus (1, 6), similis est fluctui maris, qui a vento circumfertur: non ergo existiment tales, se quidquam impetraturos a Domino, sed qui vult exorare, nihil haesitet. Notanda est antithesis inter fidem et haesitationem: unde colligere promptum est, fidem destrui, simul ac tollitur certitudo.

Sed quo melius tota eorum theologia patefiat lectoribus, expendant quae in eodem capite sequuntur verba. Sed neque illud asserendum, oportere eos qui vere iustificati sunt, absque dubitatione, apud se ipsos statuere, se esse iustificatos. Si ita est: videant qua ratione conciliari queat πληροφορία cum dubitatione. Illam enim Paulus fidei perpetuam facit comitem. Taceo quod instar axiomatis hic ponunt, quod Paulus pro ingenti absurdo ducit. Si ex lege est haereditas, inquit, exinanita est fides (Rom. 4, 14). Fidei nullam fore certitudinem [pag. 193] argumentatur, si operibus nitatur salus hominum. Non dubitat hoc pro absurdissimo in medium proferre. Et merito. Quum mox, abolitam quoque esse promissionem, inde colligat. Pudet autem me quasi de re ambigua contendere, cum iis qui se Christianos appellant. Clara est scripturae doctrina. Scimus, inquit Ioannes, nos esse filios Dei (1 Ioann. 4, 6). Et postea, unde haec scientia nascatur, exponit: nempe, ex spiritu quem dedit nobis. Sicut et Paulus admonet, non mundi spiritum nos accepisse: sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quae a Deo donata sunt nobis (1 Cor. 2, 12). Alibi etiam expressius: Non accepimus iterum spiritum servitutis in timorem, sed adoptionis spiritum, in quo clamamus Abba, pater (Rom. 8, 15). Hinc accessus ille cum fiducia et audacia, cuius paulo ante meminimus. Et sane totam fidei naturam ignorant, qui eam dubitatione miscent. Si dubitaret Paulus: non auderet morti et inferis insultare, quemadmodum facit Roman. 8 (v. 31 seqq.) ubi se tam certum esse iactat de amore Dei, ut nihil eum ab ista persuasione dimovere queat. Non auderet, capite quinto, (v. 2) gloriari super spe gloriae Dei. Quod ex eius verbis liquido apparet. Causam enim

1) les messeires de Trente.

1) ces canailles de Trente.

assignat: quod caritas Dei in corda nostra diffusa sit, per spiritum sanctum qui datus est nobis. Quo significat, conscientiam nostram, [pag. 194] testimonio spiritus sancti acquiescentem, intrepide apud Deum de spe aeternae salutis gloriari. Sed non mirum est, si haec, quam spiritus Dei piorum cordibus obsignat, certitudo sophistis ignota est. Sic enim fore praenunciavit Christus: Mundus eum non cognoscet, sed vos soli apud quos manet (Ioann. 14, 17). Non mirum est, eos, qui abiecto fidei fundamento, in opera potius recumbunt, huc et illuc vacillare. Verissimum enim est illud Augustini:[1] Quia non secundum merita nostra, sed secundum eius gratiam firma est promissio: nemo debet cum trepidatione praedicare, de quo non potest dubitare.

Videntur tamen sibi quibuslibet obiectis ingeniose occurrere, quum de Christi gratia generalem persuasionem commendant. Prohibent, ne quis dubitet de efficacia mortis Christi. Sed ubinam locari volunt? In aere, ut confusa tantum sit imaginatio. Nemini enim permittunt sibi gratiam, firma certitudine fidei, applicare. Quasi de nihilo destinentur nobis istae promissiones: Ecce rex tuus venit (Matth. 21, 5; Zach. 9, 9). Vos haeredes estis promissionis (Act. 2, 39). Complacuit patri in te (Luc. 12, 32). Iustitia Dei in omnes et super omnes qui credunt (Rom. 3, 22). Sane si concedant, fide nos percipere quod Deus offert: non ita mihi, et aliis proponitur Christus, ut tantum credamus Abrahae fuisse redemptorem: [pag. 195] sed ut quisque sibi propriam, quae ab ipso parta est, salutem faciat. Et cuius, obsecro, improbitatis est id asserere: Nemo scire fidei certitudine potest, se gratiam Dei consequutum? Paulus et Ioannes inter Dei filios non agnoscunt, nisi qui id sciunt. De qua scientia id interpretabimur, nisi quam spiritus sancti magisterio didicerint? Praeclare enim Bernardus:[2] Fidem hic nobis subvenire necesse est: hic oportet succurrere veritatem: ut quod de nobis latet in corde patris, per spiritum reveletur: et spiritus persuadeat cordibus nostris, quod filii Dei simus. Persuadeat autem, vocando et iustificando gratis per fidem. Quod si Paulus, dum Corinthios hortatur ut semetipsos probent sintne in fide, omnes reprobos pronunciat, qui Christum non cognoscunt in se habitantem (2 Cor. 13, 5): ego cur verear his reprobos pronunciare, qui tale examen a tota ecclesia procul arcent, ac de gratia Dei nihil certi reliquum faciunt?[3]

Capite undecimo, ubi incrementa iustitiae describunt, non modo gratuitam iustitiae imputationem confundunt cum operum meritis, sed illam propemodum exterminant. Verba sunt: Crescere fideles in iustitia bonis operibus per observationem mandatorum Dei et ecclesiae: magisque inde iustificari. Saltem si hac Augustini exceptione uterentur: [pag. 196] Iustitiam fidelium, quamdiu degunt in mundo, magis peccatorum remissione constare, quam perfectione virtutum.[1] Tametsi ne illa quidem operum iustitia, quam contemptim nominat, nitendum ulla ex parte docet. Unam enim piorum omnium, qui sub carnis infirmitate gemunt, spem esse hanc praedicat, quod mediatorem habent Iesum Christum, qui sit pro peccatis eorum exoratio.[2] Contra Tridentini patres, vel emptitii potius monachi, qui tanquam latini tibicines, qualecunque volunt carmen illis componunt: modis omnibus discipulos suos avocantes a gratiae intuitu, falsa operum fiducia excaecant. Libenter sane confitemur, quotidiano bonorum operum profectu crescere debere fideles: bonaque eorum opera, quibus ornati sunt a Deo, interdum iustitiae titulo insigniri. Verum, quum haec tota operum dignatio non ex alio fonte manet, quam gratuitae acceptionis: quam absurdum foret, hanc ab illa labefactari? Cur non reminiscuntur quod pueri in scholis didicerunt: non pugnare quod subordinatur? Dico gratuita imputatione fieri, ut coram Deo iusti censeamur: dico inde quoque alterum beneficium provenire, ut iustitiae nomen habeant opera, quae procul alioqui a iustitiae veritate abessent. Denique, non proprio merito, sed fide sola, [pag. 197] tam personam, quam opera iustificari affirmo: et ex personae iustificatione hanc operum, tanquam ex causa effectum, pendere. Ergo et ordine ita praecedat, et gradu ita supereemineat necesse est unica fidei iustitia, ne quid eam vel praevertat, vel obscuret. Proinde iniquissima est calumnia, gratuitae iustitiae meritoriam nescio quam substituere: ut semel nos gratis Deus momento uno iustificet: nos autem tota vita legis observatione iustitiam ipsi nobis comparemus. De observatione mandatorum Dei, hoc mihi velint nolint fatebuntur: multum a perfecto eius complemento distare omnes mortales. Nunc mihi respondeant: an qualiscunque eius pars, iustitia sit, aut pars iustitiae. Posterius hoc strenue asserent. Verum repugnat scriptura, quae hunc honorem, nisi perfectae obedientiae, nequaquam tribuit: Qui fecerit haec, vivet in ipsis: maledictus autem qui non compleverit omnia (Gal. 3, 10). Item: Qui defecerit in uno, factus est omnium reus (Iac. 2, 10). Nemo est qui non agnoscat, etiam me tacente, maledictioni subiici

1) In Psal. 88.
2) Serm. 5. in dedic. templi.
3) mais plustost veulent que les fideles se tiennent en branle pour tourner çà et là quant à la fiance de leur salut.

1) Libro de Civitate Dei 19. cap. 27.
2) Libro ad Bonifacium 3. c. 5.

nos omnes, quamdiu in legis observatione claudicamus: proinde aliunde mutuandam esse iustitiam, quandoquidem operibus ablata est. De mandatis ecclesiae quae permiscent, alibi dicendum erit. Obiter tamen moniti sint lectores, nullum hic omitti impietatis [pag. 198] genus. Quis enim sacrilegium hoc excuset, quod suis etiam inventis iustificandi vim arrogare non dubitant? Id ne Pelagius quidem unquam tentavit. Impia nempe persuasione fascinare miseros homines conatus est, quasi divinae legis observatione, iustitiam acquirere sibi ipsi possent: humanis vero legibus tantum deferre, nunquam illi venit in mentem. Est enim exsecrabilis in Deum blasphemia, ubi eo temeritatis prorumpit quisquam mortalium, ut suis traditionibus vitae aeternae mercedem assignet.

Sed quo me vertam? Loquitur enim sacra Synodus, quae errare in scripturae interpretatione non potest. Habet autem scripturae testimonia. Primum ex Ecclesiastico (18, 22): Ne verearis usque ad mortem iustificari. Una, opinor, ratio est, qua me expediam. Locum inspiciant lectores, et a bonis patribus impudenter corruptum fuisse invenient. Dicit enim scriptor ille: Ne veteris, hoc est, prohibearis usque ad mortem. Quanquam potius vertendum erat: Ne differas:[1]) nam graecum verbum est μείνῃς. Invehitur enim adversus eorum socordiam, qui suam ad Deum conversionem procrastinant. Quod de initio dictum est, religiosi patres ad progressum,[2]) non tantum crassa inscitia, sed aperta etiam malitia falso referunt. In loco Iacobi[3]) plus [pag. 199] aliquanto coloris habent. Verum, quisquis scripta nostra legit, satis intelligit, nihil etiam illis Iacobum suffragari. Iustificationem quippe non pro causa iustitiae, sed pro approbatione[4]) tantum accipit. Quod ex contextu plane liquet. Plus quam ridiculum vero est, quod inde hominem colligunt iustificari bonis operibus: quoniam ecclesia sibi fidei, spei et caritatis augmentum precatur. Quis istis crepitaculis non terreatur, nisi qui plane puer non est?[5])

Capite duodecimo vetus illud anathema renovant: ne quis Dei praecepta homini iustificato ad observandum impossibilia dicat. De voce impossibilis litigare nihil attinet: mihi abunde sufficit, sufficere etiam debet piis omnibus, ac minime contentiosis: neminem exstitisse unquam, qui legi Dei satisfecerit, nec ullum posse inveniri. Quid enim? An spiritum sanctum arguemus mendacii, qui universos, non unius tantum saeculi homines, transgressionis reos peragit, sed quotquot usque in finem mundi futuri sunt? Non est homo super terram, inquit Solomo, qui non peccet (1 Reg. 8, 46). Dixerat autem David: Non iustificabitur in conspectu tuo ullus viventium (Psal. 143, 2). Si possibile est aliquem inveniri, qui legem impleat, retractet spiritus sanctus haec oracula. Sed absit, ut diabolica hominum superbia [pag. 200] aeternum veritatis autorem faciat mendacem. Quin etiam evanesceret illud Pauli argumentum. Scriptum est: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt (Gal. 3, 10). Ergo quicunque sunt sub lege, maledictioni sunt obnoxii. Promptum enim erit excipere, legem posse impleri. Sed apostolus pro confesso principio sumit, quod anathemate isti damnant. Itaque alibi, quum servitutem deplorat, qua ipse cum sanctis omnibus premebatur, non aliud remedium tandem invenit, nisi ut liberetur a corpore (Rom. 7, 24). Vexabant etiam Augustinum hac calumnia Pelagiani. Fatetur Deum, si velit, posse quidem homines ad tantam perfectionem evehere: sed neque fecisse unquam, nec facturum, quia aliter scripturae doceant. Ego autem ulterius progredior, ac impossibile esse assero, quod scripturae nunquam futurum pronunciant. Quanquam, si de loquutione agitur, ea quoque expressa est a Petro, Actorum 15 (v. 10) quum legem iugum appellat, quod nullus patrum ferre potuerit. Fallitur enim qui putat, ad caeremonias tantum hoc spectare. Quid enim tam arduum continebant caeremoniae, ut omnes humanae vires sub earum onere deficerent? Sed procul dubio significat, impares fuisse ab initio universos mortales legis observationi, hodieque esse: ideo nihil restare, nisi ut confugiamus [pag. 201] ad Christi gratiam, quae, soluto legis iugo, sub libera custodia quodammodo nos continet.[1]) Ac notandum, de regeneratis ipsum loqui: ne cavillentur Tridentini patres, de carnis infirmitate id esse dictum, ubi abest auxilium spiritus.[2]) Prophetas enim, et patriarchas, et pios reges, utcunque Dei spiritu adiuvarentur, ferendo legis iugo pares fuisse negat: nec ambigue pronunciat, impossibilem fuisse legis observationem.

At scripturam ipsi quoque ex adverso testem producunt. Nam Ioannes mandata eius non esse gravia tradit (1 Ioann. 5, 3). Fateor: modo ne illam de peccatorum remissione doctrinam excludas, quam omnibus mandatis praeponit. Nam, si grave

1) Ne differe pas iusques à la mort à estre iustifié (*graecum abest a versione*).
2) comme s'il estoit dit qu'on deust continuer à se iustifier de plus en plus (*reliqua omittuntur*).
3) où il dit que l'homme n'est pas iustifié par la foy seule mais aussi par les œuvres.
4) probation et tesmoignage exterieur. C'est comme s'il disoit: L'homme est declairé et apparoit iuste. (Iac. 2, 24.)
5) ce sont des vessies pleines de poix, pour faire peur aux petis enfans.

1) nous conduit plus liberalement.
2) que cela est dit de ceux qui sont du tout charnelz (*caett. om.*).

non sit legem praestare, homines mihi complures absque peccato reperies, qui Deum faciant mendacem: quod ab eodem Ioanne traditur (1 Ioann. 1, 8).[1]) Sed asini isti non considerant, inde pendere facilitatem de qua Ioannes loquitur, quod sancti paratum habent remedium, quo defectus suos suppleant: dum scilicet ad veniam confugiunt. Hinc etiam fit, ut suave sit Christi iugum, et onus eius leve: quod sanctis alacritatem faciat sua libertas, dum se non amplius sub lege esse agnoscunt. Nam et hunc tanquam optimum exhortationis stimulum illis admovet Paulus (Rom. 6, 12). Et David idem docet (Psal. 130, 4): Apud te est propitiatio, ut timearis. Illam mihi [pag. 202] veniae spem tolle, et minimum legis mandatum onus erit Aetna[2]) gravius. Verum quid hoc ad otiosos monachos, qui ne minimo quidem digito unquam attigerunt mandatorum observationem, de cuius facilitate tam audacter garriunt? Imo suum epicurismum[3]) aperte produnt, vel hoc uno dogmate. Quid enim? Ecce eximius ille apostolus se captivum teneri gemit, quominus legi, ut par est, obsequatur: morbumque incurabilem esse clamat, donec morte sanetur (Rom. 7, 19 ss.). Isti robusti doctores suaviter rident, frustraque tales querimonias fundi canunt, quum leve sit Christi onus (Matth. 11, 30). Subiiciunt postea: Christum diligunt sui discipuli. Qui autem diligunt eum, servant eius sermonem (Ioann. 14, 23). Hoc totum verum est. Sed ubi Christi perfectus amor? Ubi, inquam, amor ille ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus (Matth. 22, 37)? Nempe ubi caro non concupiscit adversus spiritum. Ergo nequaquam in hoc mundo. Christum itaque serio et sincero cordis affectu diligunt sui discipuli: et pro mensura dilectionis sermonem eius servant. Sed hoc quantulum est, prae illa tam exacta perfectione, cui nihil omnino desit?

Nunc attendant sani lectores, quam bene cohaereant patrum dicta.[4]) Ubi legem a fidelibus impleri posse, fortiter asseruerunt, fatentur etiam sanctissimos saltem in levia et quotidiana [pag. 203] peccata interdum cadere. Primum quaero, an ullum sit omnino quamlibet leve peccatum, quod non legis observantiae repugnet? Quae enim vitiosa cogitatio obrepet in hominis animum, si totus Dei amore occupetur? Non autem satisfit legi, nisi quum diligitur Deus ex toto corde. At non propterea desinunt esse iusti: Fateor. Sed unde id, nisi quia beati sunt, quibus non imputantur peccata (Psal. 32, 1)? Quod si iustos operibus esse volunt, ut hac fiducia nitantur eorum conscientiae apud Deum: primum fidem evertunt, et iniuriam faciunt gratiae Dei minime ferendam. Deinde nihil afferunt, quod impiam ipsorum persuasionem iuvet, de possibili legis observatione. Nam si pro nihilo ducant leviores, quos vocant, lapsus, insonat horribilis illa supremi iudicis sententia: Qui unum ex minimis istis mandatis contempserit, minimus vocabitur in regno coelorum (Matth. 5, 19). Quanquam scire velim, quae vocent saltem levia peccata (sic enim extenuandi gratia loquuntur)[1]) et cur potius quandoque dicant iustos in ea cadere, quam assidue, vel identidem. Vix enim momentum praeterit, quo non contrahamus novum aliquem reatum. Levia peccata illis sunt omne genus concupiscentiae, quae nos ad quaevis mala sollicitant: tentationes item omne genus, quae nos usque ad Dei blasphemias impellunt. [pag. 204] Quidquid sit, in manifesta contradictione hic tenentur.

Quaecunque postea continentur in eodem capite, nihilo plus causae praesenti serviunt, quam si quis ex pedum ingressu probare velit, manus non palpare.[2]) Aliquot ad piam vitam exhortationes colligunt. Quid tandem inde extorquebunt, nisi quod centuplo melius, et longe alia energia, tum ex scriptis, tum ex concionibus nostris, tum ex quotidianis etiam sermonibus disci potest, non ad immunditiem nos esse vocatos, sed ad sanctificationem (1 Thess. 4, 7): apparuisse Dei misericordiam, ut abnegatis carnis cupiditatibus pie et sancte vivamus in saeculo (Tit. 2, 11): nos cum Christo resurrexisse, ut coelestia cogitemus (Coloss. 3, 1). At magnum quiddam videntur sibi effecisse, dum colligunt, frustra gloriari coelesti haereditate, qui passionum Christi consortes esse nolunt. At nos id ipsum quanto melius, iudicent lectores. Unum tamen interest, quod nos, dum communicandum esse docemus passionibus Christi, ut ad societatem perveniamus beatae resurrectionis (Rom. 8, 17), non separamus Christum a se ipso.[3]) Isti, quod nullo modo sequitur, perperam inferunt: nos patiendo mereri vitam aeternam, et in eo sitam esse iustitiae nostrae partem, ne sola Dei gratia nitamur.

Verum, improbius etiamnum ludunt in [pag. 205] sua consequentia: nam inde colligunt, inimicos esse religionis christianae, qui iustos tradunt in omni bono opere saltem venialiter peccare. Scire velim, ex qua dialectica tales consequentias didicerint:[4]) Sic currite, ut praemium apprehendatis (1 Cor.

1) *haec extrema verba omissa sunt in versione.*
2) que la plus grosse montagne du monde.
3) vrays Epicuriens et pourceaux.
4) que les lecteurs escoutent comment s'accordent les flustes de Messieurs les Prelatz.

1) *Parenthesis haec om. in versione.*
2) que les oreilles n'oyent point.
3) *Add.* mais le laissons en son entier, confessans qu'en sa seule grace nous avons salut.
4) *Add.* d'autant que sainct Paul dit, que nous devons courir *etc.*

9, 24), ergo in bonis sanctorum operibus nihil est reprehensione dignum. Nonne ter bestias esse oportet, quibus bestiae istae persuadebunt, a spiritu sancto proficisci tales naenias? Verum hac quoque insulsitate praeterita rem ipsam videamus. Concedant, necesse est, opera ex interiore potius animi affectu, unde manant, et ex fine quo spectant, aestimanda esse, quam ex larva externa, quae hominibus apparet: cor enim intuetur Deus, ut Samueli dictum est (1 Sam. 15, 22); et oculi eius veritatem respiciunt, ut monet Ieremias (5, 3). Nunquam autem perfecto nos Dei amore ferri agique ad obsequendum eius iustitiae, plus satis constat. Variis enim cupiditatibus retrahimur a cursu, ut vix ambulemus, quum summa contentione festinare Deus praecipiat: vixque teporem afferamus, pro summo ardore. Quod si defectum hunc, prae hypocrisi, non sentimus, Deus tamen cernit et iudicat: in cuius conspectu ne stellae quidem liquidae sunt, nec sol lucidus (Iob. 25, 5). Denique, septimum caput ad Romanos controversiam istam dirimit: ubi in sua piorumque omnium persona fatetur Paulus, se a perfectione distare, [pag. 206] etiam quum optima est voluntas. Quare blandiatur sibi homo, ut libet: si tamen in iudicium Dei, vel praestantissimum opus, quod unquam fuerit, vocetur, naevo aliquo reperietur deformatum. Atqui, Deo probantur. Quis negat? Tantum contendimus, fieri non posse, ut absque venia placeant. Quid autem est, quod Deus ignoscat, nisi peccatum? Inde simul conficitur, non esse tantopere exagitandos, qui dixerunt, quamlibet bona opera, si exacto rigore censeantur, aeterna potius damnatione, quam vitae praemio digna esse. Ubi enim peccatum, quamlibet nobis exiguum videatur, illic nemo sanus mortis esse materiam negabit. Fit tamen immensa Dei misericordia, ut in coelo mercedem habeant, quae non modo nihil tale merebantur, sed mortis aeternae praemium habitura erant, nisi per Christum abstersa esset immundities, qua alioqui foedata erant. Porro, quam inepta sit argumentatio, qua ex nomine mercedis, dignitas, aut meritum elicitur, multis locis docui. Nec obscura est ratio: quum retributio ipsa, quam sophistae in merito fundatam volunt, a gratuita acceptione pendeat.

Capite decimo tertio, si tantum quod prae se fert titulus agerent, me quoque haberent subscriptorem. Sed quia se temerariae praesumptioni velle occurrere professi, huc [pag. 207] toto studio incumbunt, ut totam suae electionis fiduciam ex piorum animis deleant, hic repugnare illis cogor: quia scriptura palam repugnat. Quorsum enim Paulus primo ad Ephesios capite, tam prolixe de aeterna Dei electione concionatur, nisi ut persuasum habeant, ea se cooptatos esse in vitam aeternam? Nec sane coniecturis opus est. Saepius enim ita concludit: debere ita Ephesios habere in animis suis constitutum: se vocatos esse, et evangelii factos participes: quemadmodum, antequam mundus conderetur, in Christo electi fuerant. Capite item ad Romanos octavo nominatim electionis doctrinam cum fidei certitudine coniungit. Fateor equidem, et sedulo nos omnes docemus, nihil esse magis perniciosum, quam in arcanum Dei consilium inquirere, ut inde electionis nostrae notitiam petamus: adeoque hanc esse voraginem, quae nos in exitium absorbeat. Sed quum aeternae nostrae adoptionis speculum nobis in Christo proponat coelestis pater: nemo quid nobis per Christum datum sit, vere tenet, nisi qui secum certo statuit, se illi a patre datum esse, ne pereat? Quid enim? An de nihilo haec dicuntur: Patrem, qui nos in filii sui tutelam ac fidem tradidit, maiorem esse omnibus, nec passurum esse filium, ut quidquam pereat (Ioann. 6, 39; 10, 28)? Imo ideo dicuntur, ut quicunque sunt filii Dei, tali salutis suae freti [pag. 208] custode, inter media pericula tutos se esse non dubitent: imo periculis infinitis obsessi, suam salutem extra periculum esse confidant, quia in manu Dei sit. Sed enim quos Deus elegerit, nisi ex speciali revelatione, sciri posse negant. Concedo. Atque ideo dicit Paulus: non spiritum nos huius mundi accepisse, sed spiritum, qui ex Deo est: ut sciamus quae a Deo nobis donata sint (1 Cor. 2, 12). Donum autem alibi (Rom. 8, 15) interpretatur adoptionem, qua censemur inter eius filios: quam adeo vult nobis certam esse, ut clara voce de ipsa gloriemur. Caeterum, quid per specialem revelationem designent, non me latet. Ego autem eam voco, qua filios suos peculiariter dignatur pater coelestis. Nec eam, qualem praedico, ex me ipso comminiscor. Nota enim sunt Pauli verba: Nobis, inquit, quae abscondita sunt humanis sensibus, revelavit Deus, per spiritum suum, qui etiam Dei profundissima scrutatur (1 Cor. 2, 10). Item: Quis mentem Domini cognovit, aut, quis consiliarius eius fuit? nos vero mentem Christi tenemus (ibid. v. 16).

Videmus ergo in summa, ut venerandis patribus nihil aliud sit temeraria damnataque praesumptio, nisi sancta revelatae nobis per Christum nostrae adoptionis fiducia, ad quam ubique suos Deus animat.

Prohibent capite decimo quarto, ne quis perseverandi constantiam sibi, absoluta certitudine, [pag. 209] ex Deo polliceatur: tametsi firmissimam de illa spem in Deo collocari, non improbant. Sed nobis primum ostendant, quonam caemento coagmentari queant res tantopere inter se dissidentes, firmissima spes et suspensa exspectatio. Nam certe, qui ita exspectat vitam aeternam, ut absoluta certitudine non nitatur, eum variis dubitationibus circumagi oportet. Talem spei naturam nequaquam describit Paulus: quum se certo persuasum esse

commemorat, neque vita, neque morte, neque praesentibus, neque futuris dissolutum iri caritatem, qua ipsum complectitur Deus in Christo (Rom. 8, 38). Hoc non diceret, nisi ultimum vitae finem superaret spei christianae certitudo. Et quid promissiones sonant? Non modo pronunciat spiritus, iustum fide sua vivere, sed victurum esse (Abac. 2, 4). Huc ergo spes se extendat oportet. Quod etiam demonstrat Paulus, quum hoc illi tribuit, quod per patientiam exspectet, quae adhuc sunt abscondita (Rom. 8, 25). Atqui spem non tollunt, sed absolutam certitudinem. Quid? an dubiae opinionis vel coniecturae vox est, quum tam intrepide asseverat Paulus, repositam sibi esse coronam iustitiae (2 Tim. 4, 8)? An aliquid est conditionale in istis verbis, dum nobis datam adoptionis nostrae arram praedicat, ut Deum audeamus alta voce patrem clamare? Confugiunt ad illud, quod iam ipsis excussi, [pag. 210] frivolum cavillum: id ex speciali revelatione Paulum habuisse. At nihil sibi tam speciale arrogat, quod non cunctis fidelibus secum faciat commune: quum tam audacter morti simul ac vitae, praesentibus ac futuris insultat, suo pariter et omnium nomine. Nec sibi uni privatim vindicat Ioannes scientiam illam, qua gloriatur, quum dicit: Scimus, nos similes futuros Deo, quia videbimus eum sicuti est (1 Ioann. 3, 2). Atque idem Paulus, quum dicit: Gloriamur super spe gloriae Dei (Rom. 5, 2). Item: Scimus, quum terrenum hoc tabernaculum ceciderit, nobis domicilium in coelo paratum esse (2 Cor. 5, 1).

Fucum faciunt ex eo quod habetur decimo prioris ad Corinthios capite:[1]) Qui stat, videat ne cadat. Cuius duplex est solutio: nam neque aliud quam carnis arrogantiam illic cohibet Paulus, quae cum spei certitudine nihil commune habet, neque solos compellat fideles: sed quicunque ex gentibus Christo nomen dederant: inter quos permulti esse poterant inani confidentia turgidi. Nam quae illic ponitur Iudaeorum cum gentibus comparatio, non ad solos electos restringitur: sed omnes comprehendit, qui titulo tenus ad ecclesiam pertinebant. Ego tamen unica illa responsione contentus ero, quia abunde sufficit: non praecipi nobis timorem, qui vel tantillum minuat de fidei aut spei certitudine: sed tantum qui nos in Dei [pag. 211] timore sollicitos contineat. At nondum in gloria renati sunt, sed duntaxat in spem gloriae, et multum adhuc pugnae restat: nempe, si inde colligerent, excutiendum igitur esse torporem, nec securitati indulgendum, nemo sanus non illis subscriberet: sed quum, hoc quasi ariete,[1]) spei nostrae firmitudinem concutere moliuntur, quum nos ad formidinem impellunt, minime vero id ferendum est: nam quod exceptionem addunt ad Pauli sententiam, tunc demum a Deo perfectum iri in nobis opus salutis, quod inchoavit, si non defuerimus eius gratiae, nimis inscite faciunt: quia non observant, hanc quoque esse partem gratiae, quod Deus nobis adest, ne gratiae suae desimus. Neque tamen occasionem dare socordiae debet haec doctrina: tantum agnoscant homines quid Deo acceptum referre, et quid ab eo exspectare debeant.

Optarem multa praeterire, si liceret sine praevaricationis nota: sed quid facerem? Vix unus est versus, qui non aliquo notabili errore conspersus sit, et qui dissimulationem non ferat. Capite decimo quinto, ubi de reparatione post lapsum tractant, aptam esse poenitentiae definitionem asserunt, quod dicit Hieronymus, esse secundam tabulam a naufragio. Si dictum Hieronymi vellem exagitare, rogarem, cur non et tertiam et quartam [pag. 212] appellaverit. Quotus enim quisque est, qui non nisi unum naufragium tota vita faciat? Imo, quis unquam repertus est, quem non ex quotidianis naufragiis eripuerit Dei gratia? Sed cum Hieronymo nihil est mihi negotii in praesentia. Tridentini patres non de poenitentia tractant, sed de poenitentiae sacramento, quod a Christo institutum fingunt. Ubinam? Quia dixit: Accipite spiritum sanctum (Ioann. 20, 22 sq.). Quorum remiseritis peccata remissa erunt. Primum, si Christus hac autoritate donavit apostolos, estne propterea sacramenti institutio? Ubi symbolum? ubi forma?[2]) Deinde, quis ignorat, munus illic fuisse apostolis iniunctum, quo erga extraneos fungerentur? O patrum aures bene patulas, quas tam insulsae deliri monachi ineptiae praeterfluere nullo obstaculo potuerint. Christus testimonium, quod de peccatorum remissione apostoli reddituri erant mundo, confirmat. Ea porro legatio est, quae per evangelium defertur: et quidem in ecclesiam nondum cooptatis. Blatero quispiam ex monachis qui concilium regunt, quum nunquam locum forte inspexisset, certe nunquam expendisset, commentum suum recitavit, praescribi illic formulam, qua in statum gratiae restituerentur, qui post baptismum lapsi erant. Patres, ad sesquipedem usque auriti, annuerunt. Locus tamen ipse clamitat, [pag. 213] impudenter se alio fuisse detortum, quam oportuit. Inde inferunt, christiani hominis poenitentiam post lapsum longe aliam esse a baptismali. Quasi unam tantum speciem attingat Christus: ac non potius idem, quod Lucae 24 (v. 47)

1) *Sic Beza et Amstelodamensis qui respiciunt ad* 1 *Cor.* 10, 12. *Princeps et Gallasius, vel potius ipse autor memoria lapsus, undecimum ad Romanos citaverant. Et sic quoque versio gallica.*

1) quand ilz en font une bombarde pour ruiner *etc.*
2) *Add.* lesquelles choses sont requises en tout sacrement.

doceat, praedicandam in suo nomine esse poenitentiam et remissionem peccatorum.

Ultra se proripiunt: constare hanc, de qua nugantur, poenitentiam, non tantum contritione cordis, sed oris confessione et operum satisfactione. Quanquam ne parum clementes appareant, rigorem legis suae mitigant, dum confitendi voto se placari sinunt. Quid longam hic disputationem ordiar? De remissione peccatorum agitur: quae salutis est scientia (Luc. 1, 77). Eam nobis gratuitam promittit Deus, in Christi sanguine (Rom. 3, 24): de auriculari confessione verbum nullum facit. Novi isti legislatores confitendi formulae alligant, praeter Dei mandatum: et satisfactione redimi asserunt. Quid miseris conscientiis reliquum fiet, si discedere cogantur a Dei verbo, ut in hominum placitis acquiescant? Cupio salutis meae fieri certior. Via mihi simplex in verbo Dei monstratur, quae me in solidam tranquillamque tanti boni possessionem recta inducat. Nihil dicam amplius. Homines sunt, qui iniiciunt manum, ac confitendi necessitate me obstringunt, qua me solvit Christus. Satisfaciendi [pag. 214] onus mihi imponunt, ut a me ipso afferam, quod a suo unius sanguine petendum ostendit Christus. An mihi diu ambigendum est, quidnam facere expediat? Imo vero facessat omnis consultatio, ubi ab unico salutis autore abducimur. Millies licet crepent, syllaba nulla reperietur, ubi Christus in aurem hominis confiteri peccata iubeat. Quaecunque de peccatorum remissione exstant promissiones, ne tenuissimam quidem eius rei mentionem faciunt. Apostolis fuit ea lex prorsus incognita. In tota ecclesia orientali, nullus unquam propemodum usus fuit. Imo, ubique gentium diutius mille annis libera fuit observatio: donec Innocentius tertius, cum pauculis cornutis bestiis, laqueum hunc populo christiano induit, quem Tridentini patres adstringunt. Quod dico, satis superque testatum est veteribus historiis. Testimoniis referti sunt nostri libri. Atque horum nihil ignorant, qui concilio dictarunt praeclaram hanc formulam: et tamen tam sunt impudentes, ut persuadere uno verbo velint, clausam esse salutis ianuam, nisi fictitiae confessionis clave aperiatur. At vero, quis tantum eis licentiae concedat, ut qua velint conditione imposita Christi promissiones restringant, adeoque claudant quod ille aperit? Non disputo in praesentia, quam crudelis sit torquendis ac [pag. 215] excruciandis conscientiis carnificina, [1]) lex illa Innocentii, quam iterum promulgant: quam multos in desperationem egerit praecipites: quale ad alios sopiendos hypocriseos condimentum fuerit: [2]) quot ex ea flagitiorum monstra scaturierint. Quin etiam, fingamus quod ipsi falso iactant, nonnihil inde utilitatis manare: totum hoc tamen nihil ad rem faciet. Quaestio enim vertitur: quomodo in Dei gratiam restituantur, qui ab ea exciderunt. Scriptura ubicunque modum ostendit, confessionem non attingit: quae longo post tempore in humanis cerebris excusa est. Cuius audaciae est, ad spem veniae obtinendae aditum praecludere, nisi accedat eiusmodi confessio, quam praescribere libuerit? De poenitentia habetur sermo. Eius totam vim ac naturam tam frequenter, tam copiose, tam aperte depingit in lege, in prophetis, in evangelio spiritus sanctus, ut nullum sit doctrinae caput luculentius explicatum. De confessione, qualem isti fingunt, altum ubique silentium. Quis ergo credet negantibus veram esse poenitentiam, cui non adiuncta sit illa appendix? imo, nisi eam sub se contineat? Haec mihi duo abunde sufficiunt: quod poenitentiam prorsus aliam confingunt, quam quae nobis in scriptura commendatur: et impetrandae peccatorum remissioni conditionem statuunt, qua nos solutos esse voluit, [pag. 216] penes quem unum remittendi est potestas. Hoc vero posterius perinde valet, ac si Deum vetarent salutem promittere, nisi ex suo permissu: vel saltem illi se opponerent ne fidem salutis, quam dedit, praestare audeat. Neque enim aliter illi permittunt peccatorum facere veniam, quam si religione qua nos ipsi obstringunt, exsoluti fuerimus.

Quod ad satisfactiones spectat, subtiliter distinguere sibi videntur, quum faecem corradunt ex putidis sophistarum commentis: non aeternas quidem poenas scilicet, sed temporales satisfactionibus pensandas esse. Quis sophistas nesciebat ita garrire? [1]) Quanquam dum poenam aeternam, una cum culpa, nobis confessione remitti fingunt, vel confitendi voto: quid aliud sibi volunt, quam nos opere promereri, quod gratuito se daturum promittit Deus? Sed nunc videndum quid valeat distinctio. Prophetae sane, quum gratuitam peccatorum remissionem commemorant, fere referunt ad alterum illum finem, placatum fore Deum, ne amplius vindicet populi scelera, vel flagellis suis persequatur. Quisquis in scripturae lectione mediocriter versatus est, verissimum esse agnoscet, quod dico: mitigari, laxari, finiri denique poenas, quibus digni eramus: quia nobis Deus ignoscit, non merito aliquo nostro tanquam compensatione placatus, sed sola provocatus suá misericordia. [pag. 217] Exsilium babylonicum poena temporalis erat. Quod septuaginta annis terminatur, quum longe magis diuturnum promeriti essent Israelitae, id gratuitae suae clementiae acceptum vult ferri Deus. Ac passim hic fructus

1) gehenne.
2) quel manteau c'est d'hypocrisie et quel coussin pour endormir les consciences.

1) que les docteurs en toute asnerie gasouillent ainsi.

commemoratur gratuitae reconciliationis, quod cessant flagella, quae se inflicturum Deus minatus erat. Poenae certe temporalis relaxationem his verbis promittit Deus: Non propter vos faciam, sed propter nomen meum (Ies. 48, 9). Et Iesaias, quum admonet (53, 5) satisfactionem, aut pretium pacis nostrae impositum fuisse Christo, non ab aeterna modo poena nos fuisse eius beneficio liberatos, sed ideo poenas omnes, quibus solet peccata nostra ulcisci Dominus aut castigare, ipsum subiisse nostra causa, ut, quantumvis indigni, etiam praesentis vitae bonis fruamur. At fideles nihilo minus Deus etiamnum castigat. Fateor. Sed quorsum? An ut poenas sumendo sibi ac iudicio suo exsolvat quod debetur? Minime: sed ut incusso irae suae terrore, eos humiliet: afficiat serio resipiscentiae affectu, in posterum cautiores reddat. At remedia sunt, quibus easdem poenas avertant: nempe, quum ipsi sponte praeoccupant, non est cur eos Deus quasi violenter trahat. Quorsum enim ferula, nisi quum deest voluntaria correctio? Proinde docet apostolus, non iudicatum iri a Domino, [pag. 218] qui se ipsos iudicaverint (1 Cor. 11, 31). Sed quam praeposterum est, satisfactiones inde elicere? Deprecati sunt plerique fidelium Dei flagella, quibus se fecerant obnoxios. Quin etiam Achab, ubi se ultro humiliat, mitiorem sentit Dei manum (1 Reg. 21, 29): sed ipsae quoque deprecationes, quibus usi sunt sancti, locupletissimae sunt testes gratuitae satisfactionis. Atqui nihil afferunt, quod non testimoniis probent. Sic enim docet Paulus: Tristitia, quae secundum Deum est, poenitentiam in salutem non poenitendam efficit (2 Cor. 7, 10). Quid? An ad satisfactiones nos hic revocat Paulus? Nullum enim verbum audio. Satis quidem improbe nobis illudunt. Improbius tamen quod sequitur: de eadem poenitentia intelligendam esse Ioannis concionem: Poenitentiam agite, et facite fructus poenitentiae dignos (Luc. 3, 8). Sed enim quos compellabat Ioannes his verbis? Nonne qui se ad baptismum offerebant, nondum Christi fide imbuti? Paulum absimile est, nec tamen minus absonum, quod citant ex Apocalypsi, capite secundo (v. 5): Memor esto unde excideris, et primum opera fac: quum prima opera, vel priora illic legantur. Hortatur scriptor Ephesios, ut ad pristinum vitae statum redeant. Qua fronte hoc ad satisfactiones trahetur? Quum tam proterve albi nomen nigro imponerent, putabantne fore oculos suae nequitiae [pag. 219] aestimatores? Dixit aliquando Lysander legatis in sociorum coetu imperiosius loquutis quam par esset:[1]) opus illis esse civitate, quae morigeram se illis praeberet. Istis vero magistris opus esset boum armento:[1]) si auditorium habere velint, cui persuadeant quod volunt. Nunc se immediate regi a spiritu sancto iactent: quum in depravandis scripturae testimoniis palam sint falsarii.

Ut summam colligamus: quum assidua debeat esse inter fideles poenitentiae meditatio, rarum nescio quid esse imaginantur sancti patres. Quum scriptura poenitentiam pronunciet totius hominis esse innovationem, quum fontem ipsum designet timorem ex vero divini iudicii sensu conceptum, partes enumeret abnegationem nostri quae constat peccati odio nostraeque pravitatis displicentia et vitae novitatem aut regenerationem spiritus, quae nihil aliud est quam divinae in homine imaginis instauratio, effectus sedulo notet, totamque eius naturam explicate definiat: nihil afferunt venerandi patres, praeter dilutas naenias, quibus sub papatu adulterata fuit poenitentiae doctrina.[2]) Quae ab ecclesiasticis doctoribus de externa disciplina dicta sunt, quae ad solennem poenitentiae professionem spectabat: ea imperite ad spiritualem renovationem detorquent, de qua sermonem [pag. 220] instituerant.[3]) Ne longior sim in singulis recensendis: si quis praeclaram eorum lucubrationem cum scriptis nostris conferat: conversam ab illis lucem fuisse in tenebras, inveniet ac fatebitur.

Hactenus dedi operam, ne quid accusatorium continerent meae censurae. Atque id animadvertent aequi lectores, nihil me, nisi coactum, reprehendere. Sed nulla est sententia, quae non mihi plus extorqueat, quam vellem. Qualis est, quae habetur capite decimo sexto: Non infidelitate modo, sed quolibet peccato mortali, amitti iustificationis gratiam. Si intelligerent, eiici nos a tanti boni possessione per malam conscientiam, minime pugnarem: nempe, quoad nos attinet. Tametsi enim non abiicit nos Deus, mala tamen conscientia eiusmodi inter nos et ipsum dissidii causa est, ut vivifica illa et iustificatrice paterni erga nos eius amoris notitia minime fruamur. Sed in eo primum sunt praeposteri, quod nullum peccatum, nisi crassum et palpabile, mortale agnoscunt: quum pleraque interiora gravius, ad interitum usque, animos vulnerent: deinde quod bonam conscientiam non intelligunt individuam esse fidei comitem. Alioqui, quomodo staret illud: Fide purificari corda (Act. 15, 9)? Item: Bonae conscientiae responsionem esse ex fide [pag. 221] resurrectionis (1 Petr. 3, 21). Item: Christum fide habitare in cordibus nostris (Ephes

1) Les historiens Grecz recitent que Lysander, oyant les ambassadeurs d'Athenes parler d'authorité à leurs alliez, comme s'ilz eussent esté maistres au lieu qu'ilz n'estoyent que compagnons *etc.*

1) il faudroit qu'ilz assemblassent des beufz ou des asnes.
2) messieurs les cornuz ne mettent rien en avant que des badinages ausquelz les caphardz amusent le simple peuple en la papauté.
3) *Add.* qui est sauter du coq à l'asne.

3, 17). Item: Victoriam esse nostram, qua mundum vincimus (1 Ioann. 5, 4). Item: Scutum esse repellendis diaboli insultibus (Ephes. 6, 16; 1 Petr. 5, 9). Item: Fide nos in virtute Dei custodiri in salutem (1 Petr. 1, 5). Non ergo dubium est, quin sepulta sit obrutaque fides in homine, simul atque victus est tentatione aliqua, ut a timore Dei discedat. Non enim magis spiritus sanctificationis a fide, quam Christus ipse separari potest. Neque tamen assero, quum excidimus a timore Domini, prorsus exstingui in nobis fidem. Sed quemadmodum pravis concupiscentiis opprimitur Dei timor, ita hanc suffocari dico, ut vim suam nihilo plus, ad tempus, exserat, quam si quodammodo esset intermortua. Astute scilicet cuniculum effodere moliuntur sancti patres, in quo dogma illud suum impium occultent: non sola fide nos iustificari. Sed quia hac [1]) non succedit, alia adoriantur via.

Superest postremum caput, de merito bonorum operum. Nihil porro inter nos controversiae est, quin exhortandi sint ad bona opera fideles, et proposita etiam mercede stimulandi. Quid igitur? Primum, quod vitam aeternam faciunt mercedem, in eo ab illis dissentio: neque enim si in vita aeterna Deus opera remuneratur, inde protinus conficient, [pag. 222] vitam ipsam esse, quae in ea rependitur, mercedem. Quin potius haereditatem esse, ubique scriptura clamitat, quae non alio, quam gratuitae adoptionis iure, nobis obvenit. Sed maior est in eo contradicendi materia, quum eos affirmare non pudet, nihil deesse fidelibus, quominus legi Dei, pro huius quidem vitae statu, satisfecisse, et vitam aeternam promeruisse censeantur. Ubi ergo erit illa beatitudo quae a Davide praedicatur, Psal. 32 (v. 1) sine qua sumus omnes ter miseri? Vae autem miseris istis, [2]) qui non intelligunt, eum qui proximé ad perfectionem accessit, nondum ad dimidium usque iter progressum esse. Nam verissimum esse illud Augustini sentiunt, quicunque exercitatam habent conscientiam: Sanctorum iustitiam in hac vita remissione peccatorum constare magis, quam perfectione virtutum. [3]) Verius etiamnum illud alterum quod iam citavi: Quamdiu sub carnis infirmitate gemunt, unicam illis spem reliquam esse, quod mediatorem habent Christum, per quem Deo reconciliantur. [4]) Sed non mirum est, crassulos monachos, qui nullum unquam certamen conscientiae experti, nunc etiam vel ambitione inebriati, vel crapula, suo tantum idolo [5]) ventilare se cupiunt, de logis perfectione ita garrire. Eadem securitate coelum promercale exponunt, ipsi interea [pag. 223] in praesenti mercede, cui inhiant, occupati [1]). Frustra enim pulchris istis, quos postea inducunt, coloribus oculos non prorsus hebetes tentant perstringere: dum prohibent, ne quis operibus vel glorietur, vel confidat: quoniam sint Dei dona. Siquidem ut omittam, quod humanis viribus maiori ex parte prius arrogarunt, quae dona esse Dei nunc fatentur: tria sunt in eorum decreto, quae ferri non debent, errata. Nam etsi obiter attingunt, Christi merito bona piorum opera esse meritoria, quod tamen in primis necesse erat praetereunt: nullum esse opus, quod non infectum sit labe aliqua, nisi Christi sanguine abluatur. Quin potius falsam operibus dignitatem affingunt, ut sine venia placeant. Speciosum quidem est quod obtendunt: fluere omnia a spiritu Christi. Sed ubi absoluta spiritus sancti virtus reperietur? Annon ad mensuram unicuique distribuitur (1 Cor. 12, 11)? Debebant ergo observare, semper aliquid nostrae faecis admixtum, quod puritatem illam inficiat. Quum autem deformet coram Deo quidquid a nobis operum prodit, quae nobis inhaeret vitiositas: unum superest, ut gratuita acceptione gratiam, quam non habent a se ipsis, recuperent. Id fit, dum in aestimationem non veniunt ipsa: sed suum a Christo pretium mutuantur, et quasi emendicant.

[pag. 224] Haec iam nimis crassa impiaque hallucinatio: non agnoscere, hoc solo demum nomine acceptum esse Deo quidquid operum a nobis prodit, quum paterna indulgentia quidquid vitiosum est ignoscitur. Altera autem fere similis: [2]) quod non reputant, si quid etiam opere uno simus promeriti, totum id quantumcunque sit, contraria transgressione perire: Qui deliquerit in uno, factus est omnium reus (Iac. 2, 10). Quam tibi promittis mercedem, ubi nihil quam mortis aeternae reatus indicitur? Faciunt itaque perperam, dum ad unicum hoc remedium non confugiunt, ut liberali favore dignetur Deus, si quid in nobis est boni, mala, quae longe et numero et pondere superant, non imputando. Tertius vero error longe deterrimus: quod salutis fiduciam ab operum intuitu suspendant. [3]) Verbo quidem uno prohibent, ne nobis fidamus: sed quum rursus in opera iubent intueri, ut eatenus nobis certa sit spes salutis, quantam illic reperiemus sperandi materiam? nonne totam in nobis fiduciam aperte locant?

---

1) haec 1576 *seqq.*
2) malheur sur ces reprouvez Antechristz.
3) Libro de civitate Dei 19, c. 27.
4) Libro ad Bonifac. 3, c. 5.
5) leur idole de Rome.

1) il ne leur couste rien de mettre le ciel en vente et en faire un loyer, et cependant ilz sont occupez au loyer present qu'ilz attendent: c'est à dire le payement que leur rendra le Pape pour avoir bien combatu contre la verité.
2) ilz se monstrent aussi bestes au second poinct.
3) ilz pendent la fiance de nostre salut au croc de noz merites.

Itaque et clausulam adiungunt tali doctrinae congruentem: dubio eventu militandum esse in hac vita: donec unicuique Deus secundum eius opera rependat. Quo totam fidei nostrae gloriationem evertunt: vel, ut Pauli verbo utar, fidem exinaniunt ipsam (Rom. 4, 14). At Paulus iustificatum [pag. 225] se negat, etiam si nihil sibi sit conscius (1 Cor. 4, 4). Fateor: ideoque ut stabilis constet ac tranquilla iustitiae possessio, posthabita operum mentione, iudicem nostrum deprecari convenit, ut ne in iudicium intret nobiscum (Psal. 143, 2). Hic enim unicus securitatis nostrae portus est, quod iudicis personam Deus exuit, ut se nobis patrem exhibeat.

Nec tamen pudet istos porcos, territandis simplicibus saevam denunciationem intonare: neminem iustitiae compotem futurum, qui non firmiter teneat quod praescribunt. Quid? An nova iustificationis ratio nuper exorta est? ac non potius, sicut una est salus, ita eadem omnes ad ipsam pervenimus via? Quid ergo prophetis et apostolis fiet, qui operam talibus magistris non dederunt? Proinde Tridentina schola valere iussa, [1] eam teneamus fixam fidem, quam ex Christi spiritu nobis prophetae et apostoli tradiderunt, scientes unde didicerimus.

Caeterum, ne cui obscurum foret, venerandos patres ex eorum esse numero, quorum os maledictione plenum esse clamat David (Psal. 10, 7): totidem fere, quot ipsi sunt homines, anathemata truculentis buccis despumant, [2] quibus honorificum et plausibile imponunt canonum nomen. Et tamen ne maligne agere videar, quasi eius, quam hactenus servavi, moderationis [pag. 226] sim oblitus, tribus primis libenter subscribo. Reliquis breves censuras attexam.

CANONUM ANTIDOTUM.

In I. Canonem, II. et III. Amen.

In IV.

Dictum est supra, quomodo liberum arbitrium Deo assentiatur vocanti, et excitanti. Obsequimur certe Deo volentes: sed voluntate, quam in nobis formavit. Qui ergo motum aliquem libero arbitrio proprium tribuunt, et separatum a Dei gratia, nihil aliud quam spiritum sanctum discerpunt. Neque vero Paulus volendi facultatem nobis dari, sed velle ipsum in nobis effici praedicat (Phil. 2, 13): ut non aliunde quam a Deo sit assensus, vel obsequium rectae voluntatis. Intus agit, corda tenet, corda movet, eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit: inquit Augustinus libro de correptione et gratia cap. 14. Et qualis erit cordis ferrei a se ipso praeparatio, donec mirabili conversione carneum esse coeperit? Quod solidum esse Dei opus, testatur propheta (Ez. 11, 19; 36, 26). Dissentiet quidem a Deo hominis voluntas, quamdiu erit contraria: verum si in obedientiam composita fuerit, iam sublatum est dissentiendi periculum. Atqui eam esse divinae gratiae efficaciam, ut subacta [pag. 227] omni repugnantia, ex invitis nos faciat obsequentes, non ipsi sumus autores, sed Dominus per prophetam: quum se facturum promittit, ut in praeceptis suis ambulemus. Item Christus, quum dicit: Quisquis audivit a patre meo, venit ad me (Ioann. 6, 45).

In V.

De verbo ne moveamus rixam. Sed quia per liberum arbitrium intelligunt eligendi facultatem, quae sit in utramque partem libera et soluta, titulum sine re esse, [1] qui affirmant, Christum habent autorem, quum dicit, liberos fore, quos filius liberaverit: alios esse servos peccati (Ioann. 8, 36). Libertas certe et servitus contraria sunt. Quod ad ipsam vocem attinet, audiant Augustinum: qui liberam hominis voluntatem esse negat, quamdiu vincentibus et vincientibus cupiditatibus subdita est. [2] Alibi autem sic loquitur: Victa vitio, in quod cecidit voluntate, caret libertate natura. [3] Item: Libero arbitrio male usus homo, et se perdidit, et ipsum. [4] Item: Magnas homo liberi arbitrii vires, quum conderetur, accepit: sed peccando amisit. [5] Non attendunt stulti homines, in liberi arbitrii nomine sonare libertatem. Si autem servi sunt peccati: quid se de libero arbitrio iactant? A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Quin etiam alibi palam nomen ipsum ridet. [pag. 228] Liberum, inquit, arbitrium, sed non liberatum. Liberum iustitiae, servum peccati. [6] Quid ergo tantopere succensent miseros homines admonentibus suae servitutis, ut ad liberatorem confugere discant?

In VI.

Ego quum a paradoxis abhorream, libenter etiam hoc repudio, tam proprium esse Dei opus

---

1) quiconque sera bien advisé, qu'il envoie au grat telz docteurs.
2) ilz escument quasi autant de maudissons en ceste maniere qu'ilz estoyent d'asnes assiz au Concile.

1) que ce n'est qu'un tiltre volant comme un royaume sans subietz.
2) Epist. 144 ad Anastasium.
3) Homil. 53 in Ioann.
4) De perfect. iustitiae.
5) Libro de verbis Apostoli, serm. 3. De spir. et lit. c. 30.
6) De correptione et gratia c. 13.

Iudae proditionem, quam Pauli vocationem. Sed permissive tantum agere Deum in malis, cui persuadeant, nisi qui totam scripturae doctrinam ignorat? Magis enim urgent sententiae, quae reprobos testantur sanctificatos esse ad opus Dei exsequendum: esse eius retia, gladios et secures, quae manu eius regantur; excitari eius sibilo, convenire ad peragenda quae Dei manus et consilium decrevit, Christum a Iudaeis definito eius consilio interemptum, quam ut permissionis suffugio eludi queant (Ies. 7, 18 ss.; 10, 5; Ezec. 17, 20 et 32, 3; Psal. 17, 13; Act. 2, 23). Melius ergo Augustinus:[1]) qui citatis scripturae locis, ubi et pater filium tradidisse dicitur, et Christus se ipsum, mox subiicit: Quid ergo fecit Iudas, nisi peccatum? Nec vero iure reprehendetur quod alibi scribit, operari Deum in cordibus hominum, ad inclinandas eorum voluntates, quocunque voluerit: sive ad bona, pro sua misericordia: sive ad mala, pro meritis eorum: idque iudicio suo, interdum aperto, interdum occulto, [pag. 229] semper autem iusto. Siquidem addatur exceptio, quam continuo adhibet: malitiam non ipsius esse opus. Quemadmodum et paulo ante posuerat: Non iubendo praecipere impiis, ubi obedientia laudetur: sed voluntatem proprio vitio malam, occulto iustoque iudicio, in hoc vel illud maleficium inclinare.[2]) Nihil enim hic audimus quod non iisdem prope verbis scriptura doceat. Nam et inclinandi et vertendi, obdurandi et incitandi[3]) et agendi verba illic exprimuntur.

In VII.

Certe arbor mala non potest nisi malos fructus producere (Matth. 7, 17). Quis autem, nisi perditus, neget, nos malas esse arbores, donec insiti in Christum simus? Ergo si quis bonus fructus in homine laudatur, in fide quaeratur radix, ut Augustinus admonet.[4]) Deinde toties clamat Deus, se non morari externas larvas: sed fidem cordis inspicere: et nominatim per Ieremiam (Ier. 5)[5]). Qualis autem erit cordis mundities, aut veritas, quod non nisi fide purificari docet Petrus (Act. 15, 9)? Ergo praeclare Augustinus ad Bonifacium:[6]) Religio nostra iustos ab iniustis non operum, sed ipsa fidei lege discernit, sine qua, quae videntur bona opera, in peccata vertuntur. Ad haec, ideo peccant infideles, quidquid agant, quod facta sua non ad legitimum finem referunt. Qua de re copiose disputat [pag. 230] idem scriptor, libro adversus Iulianum 4. Unde et eleganter alibi erroneum vocat illorum cursum, in quo, ut quisque magis est strenuus, longius a meta recedit, ideoque fit miserior. Ac tandem concludit, melius esse in via claudicare, quam extra viam currere.[1]) Et quid plura volumus? Apostolum anathematisent, qui negat, absque fide posse quempiam placere Deo (Hebr. 11, 6). Christum et Paulum anathematisent, qui omnes infideles mortuos esse pronunciant, ac per evangelium a morte suscitari (Ioann. 5, 24; Ephes. 2, 1).

In VIII.

Respondeo: Amen. Nec cuiquam id puto unquam in mentem venisse. Qualis enim ab illis describitur, veram poenitentiam continet, ac cum fide est coniunctus. Sed de servili illa geennae formidine, quae aliquousque cohibet infideles, ne tam furioso praecipitique impetu ruant in maleficia, idem sentimus cum Augustino,[2]) cuius verba sunt: Et quis coram Deo innocens invenitur, qui vult fieri quod vetatur, si subtrahas quod timetur? Ac per hoc in ipsa voluntate reus est, qui vult facere quod non licet fieri: sed ideo non facit, quia impune non potest fieri. Nam quantum in ipso est, mallet non esse iustitiam, peccata prohibentem atque punientem. Et utique, si mallet non esse iustitiam, quis dubitaverit, [pag. 231] quod eam, si posset, auferret? Ac per hoc, quomodo iustus est, iustitiae talis inimicus, ut eam, si potestas detur, praecipientem auferat, ne comminantem vel iudicantem ferat? Inimicus ergo iustitiae est qui poenae timore non peccat.[3]) Et sane, ubi non alius est profectus, quam ut peccator terrore cohibitus fremat adversus Deum, quis peccatum tali contumacia augeri neget?

In IX.

Hic canon minime est canonicus: quia rerum inter se pugnantium complexionem continet. Fide enim iustificari hominem imaginantur, nullo suae voluntatis motu. Quasi vero non corde credatur ad iustitiam. Hoc inter eos et nos interest, quod motum sibi persuadent oriri ab ipso homine: nos autem voluntariam fidem ideo asserimus, quod voluntates nostras Deus ad se trahat. Adde, quod hominem sola fide iustificari quum dicimus, fidem non fingimus caritate vacuam: sed ipsam solam iustificationis causam esse intelligimus.

In X.

Si pondus haberent haec anathemata, non levem simplicitatis suae poenam daturi essent, qui-

1) De verbis Domini serm. 63.
2) De gratia et libero arbitrio c. 20. 21.
3) et incitandi *om.* 1576 *ss.*
4) In Psalm. 31, serm. 1.
5) *Sic in edd. omnibus versu contra morem non addito a recentioribus. Fortasse vitium scripturae fuit in ed. principe, pro cap. 7 aut alio quodam. Versio gallica nomen Ieremiae tacet.*
6) Libr. 3, c. 5.

1) Praefat. in Psalm. 31.
2) Ad Anast. Epist. 144.
3) *Add.* Iusques icy sont les motz de S. Augustin.

cunque in sophistica non sunt exercitati. Prius in suis placitis unicam formalem iustificationis nostrae causam esse asserebant, [pag. 232] iustitiam Dei: nunc anathematizant, qui formaliter nos Christi obedientia iustos esse dicunt. Sed alio sensu. Video equidem, vel saltem subolfacio. Sed quotusquisque ambiguitate non falletur? Quanquam fieri potest, ut quam forte alicubi legerint sententiam, non intellectam audacter damnent: nam sicut impie dicetur, nobis Christi iustitiam exemplar duntaxat vel typum esse: ita si quis formaliter, hoc est, non qualitate, sed imputatione iustos esse doceat, ut significet in praedicamento relationis sitam esse nostram iustitiam, nihil in eo erit reprehensione dignum: atqui ad utrumque sensum extenditur adverbium formaliter.[1])

In XI.

Hoc semper lectoribus testatum esse volo, quoties in hac quaestione nominamus solam fidem, non mortuam a nobis fingi, et quae per caritatem non operatur: sed ipsam statui unicam iustificationis causam. Fides ergo sola est quae iustificet: fides tamen quae iustificat, non est sola (Galat. 5, 6; Rom. 3, 22). Quemadmodum solis calor solus est qui terram calefaciat: non tamen idem in sole est solus, quia perpetuo coniunctus est cum splendore. Quare totam regenerationis gratiam non separamus a fide: sed vim iustificandi, ac facultatem fidei in solidum, ut necesse est, vindicamus. Neque vero [pag. 233] tam nos, quam Paulum anathematizant patres Tridenticolae, cuius ea est definitio: iustitiam hominis constare peccatorum remissione. Verba sunt capite ad Romanos quarto. Beatum hominem dicit David (Psal. 32, 1), cui Deus acceptam fert iustitiam, sine operibus: beati, quorum remissae sunt iniquitates. Videmus ut beatitudo et iustitia idem Paulo significent. Ubi vero utramque, nisi in sola peccatorum remissione, collocat? Idem sibi volunt quae tradit capite secundae ad Corinthios quinto (v. 19): Erat Deus in Christo mundum sibi reconcilians, non imputando hominibus peccata. Nam mox quomodo ad nos perveniat illa reconciliatio, subiicit (v. 20 seq.): Legatione, inquit, fungimur, quasi Christi nomine obsecrantes. Eum qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit: ut simus iustitia Dei in illo. En ut Christi sacrificio reconciliati Deo, simul etiam iusti, et quidem in ipso censeamur. Quid tamen unum atque alterum locum cito, quum passim hanc doctrinam prophetae et apostoli nobis occinant? Porro, operae pretium est notare, quam dextre ipsi scripturam accommodent. Caritatem negant oportere excludi, quae per spiritum sanctum diffunditur in corda nostra (Rom. 5, 5). Et iam secundo hoc testimonium ita depravant. At Paulum non de nostra ipsorum caritate illic, sed de paterno Dei erga nos favore loqui, contextus indicat: [pag. 234] nam consolationem in rebus omnibus adversis hanc proponit, quod spiritus nobis suggerat divinae erga nos benevolentiae testimonium. Porci isti in contrariam partem detorquent, non pudefieri nos sperando, quia Deum diligamus. Et simul ac gutture insonuerint, suos ructus instar oraculorum haberi volunt. Eiusdem est notae, quod ex gratia iustificante habitum faciunt: Dei favorem esse negant. At vero plus quam clara sunt scripturae verba in contrariam partem: nam Paulus quum dicit imputari credentibus mercedem non secundum debitum (Rom. 4, 4. 16), sed secundum gratiam: item, haereditatem esse ex fide, ut sit secundum gratiam: quis aliter exponet, obsecro, quam de gratuito favore? Et quid aliud propositum gratiae significat? In primis vero illustris est locus Ephes. 1. capite (v. 6), ubi docet, patrem nos sibi reddidisse gratiosos in filio, verbum ex verbo deducens.

In XII.

Non placet venerandis patribus, fidem iustificantem esse fiduciam, qua misericordiam Dei peccata propter Christum remittentis amplectimur. At placet spiritui sancto qui per os Pauli sic loquitur: Nos gratis iustificatos esse Dei gratia, per redemptionem quae est in Christo: quem Deus propitiationem constituit, per fidem, quae est in sanguine eius, in [pag. 235] remissionem praecedentium delictorum (Rom. 3, 23). Nec aliter potest exponi quod dicit postea: nos fide iustificatos pacem habere cum Deo (Rom. 5, 1). Unde enim id, nisi quod tunc demum tranquillae sunt conscientiae, dum in misericordia Dei acquiescunt? Quod etiam diserte continuo post exprimit (v. 5), addita ratione, quod caritas Dei in corda nostra diffusa sit per spiritum sanctum, qui scilicet nobis gratuitae adoptionis testis est: nec id modo, sed etiam arra et sigillum (2 Cor. 5, 5). Item alibi: In Christo habemus securitatem et aditum cum fiducia, quae est per fidem eius (Ephes. 3, 12). Eadem ratione evangelium ideo appellat doctrinam fidei, potius quam legem (Rom. 10, 8). Porro alibi evangelium praedicat legationem esse reconciliationis (2 Cor. 5, 20).

In XIII.

Id sibi tamen vult Paulus, quum exinanita fide, abolitam esse promissionem concludit (Rom. 4, 14). Id sibi vult vocabulum πληροφορίας, quo aliquoties idem utitur. Proinde non aliter censet rite

1) en cela il n'y a que mordre ne reprendre: parquoy ilz passent bien mesure en leurs maudissons (*caett. om.*).

illuminari oculos mentis nostrae, nisi cernamus quae sit spes nostrae haereditatis (Ephes. 1, 18). Et ex testimoniis superioribus satis constat, non esse rectam fidem, nisi quum audemus, tranquillis animis, nos in conspectum Dei sistere: nam, ut praeclare Bernardus, si turbetur conscientia, non perturbabitur, vulnerum Domini memor.[1]) Illic enim tuta firmaque infirmis requies, et securitas. [pag. 236] Quod ipsum sonant Zachariae verba (Cap. 3, 10): Descendet quisque in vitem suam, sub ficu sua habitabit secure, quum remissa fuerit terrae iniquitas.

In XIV.

Non video quorsum idem bis damnent: nisi quod timebant, ne cassum esset prius fulmen. Atqui, nihilo plus adversus tam liquidam Dei veritatem proficient, centies fulminando. Dicit Christus: Fili, confide: remittuntur tibi peccata tua (Matth. 9, 2). Hanc sententiam abominantur cornuti patres, si quis absolutionem doceat fide sola perfici. Quanquam meminisse debet pius lector, non excludi a nobis poenitentiam, quae omnino necessaria est: sed de causa obtinendae absolutionis quum quaeritur, solam fidem nominari. Et merito. Quomodo enim vere Deum timere incipiet, nisi qui iam sibi propitium esse persuasus fuerit? Unde autem persuasio, nisi ex absolutionis fiducia?

In XV.

Verum est quidem: noxiam esse, ideoque fugiendam, nimis scrupulosam huius rei inquisitionem.[2]) Idque sedulo docemus. Sed ea scientia praedestinationis, quam nobis commendat Paulus, nec saevum Neptuni tridentem, nec omnes Aeoli flatus, nec Cyclopum fragores, nec ullas tempestatum procellas formidat.[3]) Vult enim hoc scire, ac pro certo habere Ephesios, se participes factos coelestis gratiae [pag. 237] in Christo, quemadmodum electi in ipso fuerant ante mundi creationem (Ephes. 1, 4). Sic ergo suae electionis certos esse convenit universos fideles, ut illam in Christo, tanquam in speculo, intueri discant. Neque vero de nihilo Christus suos hac consolatione animat, ex iis qui sibi dati sunt a patre, periturum neminem (Ioann. 6, 39). Et quid aliud, amabo, est certa praedestinationis nostrae cognitio, quam illud adoptionis testimonium, quod piis omnibus commune facit scriptura (Rom. 8, 16)?

In XVI.

Ne saepius eadem repetere cogar: nihil aliud hic damnant, quam quod certis spiritus sancti oraculis proditum esse, prius ostendi.

1) Super cantica serm. 16.
2) *Add.* assavoir si nous sommes predestinez.
3) *Gallus haec tantum:* ne creint point les fulminations de messieurs de Trente.

In XVII.

Verba Lucae sunt (Act. 13, 48): Crediderunt omnes qui praeordinati erant ad vitam. Unde in uno auditorio tale exstiterit discrimen, ut alii crediderint, alii perstiterint in sua obstinatione, indicat:[1]) similiter Paulus eos vocari asserit, quos ante elegit Deus (Rom. 8, 29). Annon etiam vocantur reprobi? Sed non efficaciter. Hoc enim interest in Dei vocatione, quod omnes promiscue invitat verbo suo: electos autem solos intus docet. Quemadmodum ait Christus: Quidquid mihi dedit pater, ad me veniet (Ioann. 6, 37). Denique, regenerationis spiritum non dari nisi electis, quisquis ignorat, nescio quid in scripturis teneat.

In XVIII.

[pag. 238] Si perfecta esset regeneratio in hac vita, possibilis esset legis observatio. Sed quum fideles, quamdiu hic vivunt, medio ex stadio ad metam aspirent, magnisque difficultatibus anhelent: ubi reperietur, quam isti somniant, obedientiae perfectio? Sed non mirum est, de rebus ignotis tam audacter eos garrire: Dulce enim bellum inexpertis.

In XIX.

Amen.

In XX.

Sicuti nemo sanus Dei iugum a fidelium humeris excutiet, quasi non debeant mandata eius servare: ita sciendum est, a mandatorum observatione nequaquam pendere salutis fiduciam. Stat enim semper illud Pauli, in eo differre a lege evangelium, quia non sub conditione operum, sicut illa, sed ex fide vitam promittat. Quid enim illa antithesi clarius: Legis iustitia talis est: qui fecerit haec, vivet in ipsis: at quae ex fide est iustitia, sic habet: qui crediderit, etc. (Rom. 10, 5). Eodem et alter ille locus spectat: Si ex lege esset haereditas, exinanita esset fides, et abolita promissio. Ergo ex fide est, ut secundum gratiam firma sit promissio omni credenti (Rom. 4, 14). De legibus ecclesiae ipsi viderint: nos unicum agnoscimus legislatorem (Iac. 4, 12), cuius est tradere vitae regulam, sicuti ab eo vitam habemus.

In XXI.

[pag. 239] Neque hoc quisquam dicit. Sua igitur ipsorum figmenta anathematisant patres: nisi forte ideo succenseant, quod Christum negamus legislatorem, qui novas aliquas leges orbi tradiderit. Quod ipsi stulte imaginantur: neque enim vana erat illa Moysi testificatio, legem quam tulerat, viam esse vitae et mortis. Item: Haec est via: ambulate in ea (Deut. 30, 16. 19). Nec frustra,

1) *Add.* assavoir que la foy a ensuivy l'election de Dieu.

quoties de vera et solida iustitiae perfectione disserunt prophetae et apostoli, ad legem ipsam nos revocant. Nec frustra respondit Christus Pharisaeo: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (Matth. 19, 17; Luc. 18, 20). Proinde quum legem infirmitatis Paulus insimulat, vitium non constituit in eius doctrina, quominus salutem nobis conferat: sed in carne nostra, Romanorum septimo capite, et octavo.

In XXII.

Amen.

In XXIII.

Qui hominem semel iustificatum peccare posse negant, eos damnamus: qui item vere iustificatos esse negant, quibus labi contingit: similiter eos, qui etiam a minimis peccatis abstinere posse asserunt hominem Dei spiritu regeneratum. Sunt enim haec fanaticorum deliria, qui vel diabolica arrogantia dementant, vel hypocrisi fascinant hominum mentes, vel in praecipitium desperationis eas [pag. 240] adducere moliuntur. De speciali virginis Mariae privilegio, quum coeleste diploma protulerint, credemus quod iactant: nam ecclesiam quid appellant, nisi concilium Claromontanum?[1]) Ecclesiae certe membrum erat Augustinus: qui tametsi, amoliendae invidiae causa, mavult alicubi de beata Virgine silere: passim tamen, sine eius exceptione, totum Adae genus peccato involvit. Quin etiam prope disertis verbis eam in peccatorum ordinem aggregat, quum ad Marcellinum scribens, multum eos errare tradit, qui ulli sanctorum, praeterquam uni Christo, necessariam fuisse hanc deprecationem negant: Remitte nobis debita nostra: minimeque eos placere sanctis quos laudant. Membra ecclesiae erant Chrysostomus et Ambrosius, qui ambitione tentatam fuisse suspicantur. Quae omnia non alium in finem commemoro, quam ut intelligant lectores, nullum esse tam nugatorium figmentum, quod inter fidei dogmata ab istis asinis non censeatur.

In XXIV.

Quin bona piorum opera mercede prosequatur Deus, prioresque gratias aliis novis et amplioribus cumulet, non negamus. Opera autem quisquis augendae iustificationis causam esse asserit, ille nec quid nomen iustificationis valeat, nec quid sit causa, tenet. Tum nos censeri iustos, quum accepti sumus [pag. 241] Deo, iam ante probatum est. Hinc quoque mutuantur opera quidquid habent gratiae.

In XXV.

Recte Solomon, quum admonet (Pro. 16, 2), homini rectas videri vias suas, at Deum corda ponderare. Unde enim fit, ut hanc exsecrationem cornuti asini fundant, nisi quod perversa opinionis suae trutina, non Dei ponderibus examinant? Dei iudicio nihil est sincerum nec probum, nisi quod ex perfecto eius amore manat. Si nunquam eo usque reformatur in hac vita cor hominis, quin multis vitiis laboret, quin distrahatur cupiditatibus variis, quin saepe mundi illecebris titilletur: aliquid inde inquinamenti semper trahant opera, necesse est. Nullum ergo opus quod non sit peccatum, nisi ex gratuita aestimatione pretium acquirat.

In XXVI.

Nihil mirum, tam esse audaces, qui nullo unquam serio divini iudicii affectu tacti fuerunt. Exspectent sane pro bonis operibus vitam aeternam: modo, autore Paulo, nos eam ex Dei gratia speremus. At gratiam, sic loquendo, non evertunt. Tametsi dimidia ex parte relinquunt gratiae nomen: quamdiu tamen, in quaerenda salutis causa, ad opera circumspectant conscientiae, si trepidatione vacillant, vae illis: quia fidei certitudine exciderunt: [pag. 242] si quid certi sibi audent polliceri, vae iterum: quia diabolica arrogantia sunt inflatae. Maneat ergo illud Pauli, non ex lege esse haereditatem, sed ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni credenti (Rom. 4, 14).

In XXVII.

Quemadmodum peccatum quodvis, quoniam Dei lege damnatum est, mortale esse fatemur, et sentimus: ita ex infidelitate manare omnia, vel saltem ex fidei defectu, spiritus sanctus docet. Mors sane aeterna est Dei maledictio, quae adulteris, et furibus, et periuris denunciatur: at, ubicunque regnabit fides, iram Dei, peccatis omnibus expulsis, non secus avertet, ac si quis ignem exstingueret, subducto ligno.

In XXVIII.

Semen aliquod fidei manere in homine, licet suffocatum, etiam inter gravissimos lapsus, non nego. Id quantulumcunque est, particulam fateor esse verae fidei: addo etiam, vivae: quando aliter non posset ex ea oriri fructus. Verum quoniam non apparet ad tempus, nec se usitatis signis exserit, perinde habetur atque emortua, quoad sensum nostrum. Sed nihil tale in mentem venit patribus,

---

1) *Haec Gallus paulo lucidius:* Au regard de ce privilege special de la vierge Marie, duquel ilz parlent: quand ilz en auront produit lettres patentes du ciel, nous les en croirons. Pource qu'ilz disent que l'Eglise le tient ainsi, cela vaut autant comme s'ilz disoyent, que le concile de Clermont en Auvergne l'a determiné. Iamais il n'en a esté prononcé que là, entre des bestes qui n'eussent seu decliner leur nom.

aut eorum dictatoribus monachis.[1]) Tantum insulsum illud, de fide informi et formata, suum dogma volebant stabilire. Hinc illud, quod veram [pag. 243] esse fidem contendunt, quae tamen sit mortua. Quasi vero animae vita possit esse fides (quemadmodum eam, ex perpetua scripturae doctrina, eleganter ipsam nuncupat Augustinus) quae ipsa viva non sit. Idem valet, quod christianos esse contendunt, qui nihil habent caritatis. Ita ut anathema pronuncient si quis secus sentiat. Nempe ergo spiritum sanctum anathematisant, qui falsam christianismi professionem deridet, ac pro nihilo ducit. Paulus Israelitas esse negabat, qui non essent veri Abrahae filii. Verum quoque christianismum definit, quum deponitur vetus homo: et ab iis, qui pie non vivunt, Deum abnegari pronunciat.

In XXIX.

Prius membrum, una cum autore eius Novato, nos quoque exsecramur. Quod ad secundum attinet, si non recipiuntur in gratiam lapsi, nisi per poenitentiae sacramentum: quid Petro fiet: cui post tam horribilem casum defuit quod plus quam necessario exigunt remedium?[2]) Imo quid fiet tot hominum myriadibus, quibus, per aliquot saecula, ignota fuit auricularis ista confessio, quam nunc ianuam salutis esse fingunt? Nam quod Christi et apostolorum magisterio gloriantur, hac in parte nimis impudenter faciunt: quum de confessione ante annos quadringentos, [pag. 244] legem nullam exstitisse, etiam ex eorum historiis constet. Ergo si tam improbis figmentis fidem haberi velint, non modo omnia vetustatis monumenta ex hominum memoria exterminent, necesse erit: sed ut hominibus etiam iudicium mentemque adimant.[3])

In XXX.

Culpa remissa, poenae reatum manere volunt. Atqui, remissae culpae fructum hunc ubique scriptura commemorat, quod flagella sua removet Deus, ac irae suae, ultionisque oblitus, nos benedicit. Et quum David beatos esse clamat, quibus non imputat Deus peccata (Psal. 32, 1), non solam profecto culpae remissionem designat, sed de poena loquitur potissimum. Et quis, obsecro, finis erit aut modus, si de peccatis hominum poenas exigere incipiat Deus: quae et numero sunt infinita, et pondere tam gravia, ut centesima pars ad profundissimos usque inferos nos deprimat? Facile quidem est patribus, diabolica securitate ebriis, temporales vocare poenas: quibus peccatum fere nullum est, nisi quis hominem occiderit: quibus scortatio vix leviculum est erratum:[1]) quibus foedissimae libidines, virtutis sunt exercitia, quae in laude ponunt: qui nullum occultum conscientiae vulnus pilo aestimant. At nobis, qui post longum examen, quasi obruti et confusi, in hanc demum vocem cum Davide erumpere cogimur: [pag. 245] Delicta quis intelliget? non tam explicata est solutio.[2]) Neque tamen negamus, quin, data culpae venia, nos interdum Deus castiget: sed ut moneat et corrigat, non ut vindicet. Profanum ergo figmentum est, quod putant Dei iudicio poenas exsolvi. Adde, quod neque aequali omnes modo puniuntur: nec quantum quisque deliquit: sed prout quemque ferulis opus habere Deus iudicat, ut in posterum tali disciplina eruditus melius sapiat. Caeterum, hic demonstrant patres quam strenui sint architecti, qui verbulo uno labyrinthum ex mille labyrinthis compositum absolvunt.[3]) Immensum sane gurgitem esse oportet, quo omnes animas absorberi tradunt: nos quidem universas mundi opes videmus exhauriri. In eius constructionem, saltem paulo plus operae insumere debuerant.[4]) Purgatorii nulla prorsus in tota scriptura fit mentio. Atqui, teste Augustino,[5]) ubi res naturaliter obscura modulum nostrum vincit, et aperte scriptura non subvenit, temere hinc aliquid definire humana coniectura praesumit. Quid ergo hic statuendum, quam temere facere istos nebulones, dum ex suo capite fabricare audent, quod nullum habet in verbo Dei fundamentum? Nisi forte instar vaticinii accipi volunt suum de purgatorio commentum, quia a ventriloquis procedit.[6]) Nullum enim est, quod ad referciendos [pag. 246] eorum ventres aeque valeat. Quid autem, quod stare nequit purgatorium quod fabricarunt, quin tota scripturae veritas destruatur?[7]) Longa esset eius rei demonstratio: sed in scriptis nostris luculenta exstat. Denique, satisfactionibus eversis, ruere simul purgatorium necesse est.

In XXXI.

Qui vere iustificatus est non negliget, fateor, mercedem sibi repositam: sed ea, tanquam optimo

---

1) Or cela passe le cerveau de Messieurs les Prelatz, et les cafardz qui les ont embouchez.
2) *Add.* assavoir leur confesse.
3) *Add.* brief, qu'ilz les facent du tout bestes.

---

1) *Add.* qui s'en va avec un aspergez d'eau beniste.
2) *Add.* Ainsi on voit qu'il n'y a nulle crainte de Dieu ny remors de conscience en ces bons Prelatz, non plus qu'en des troncz de bois.
3) *Add.* c'est assavoir le Purgatoire.
4) *Add.* Ie croy qu'il leur semble qu'ilz n'ont qu'à benir une chasuble.
5) Epist. 157 ad Optatum.
6) si ce n'est qu'ilz se fondent sur la coustume ancienne des Payens. Car ceux qui contrefaisoyent les Prophetes, parloyent du ventre. Or il est ainsi que la doctrine du Purgatoire vient du profond du ventre.
7) . . . . ne soit abbatue, le desduisant des satisfactions, lesquelles contiennent un blaspheme execrable, comme nous avons monstré. Combien que la declaration en est beaucoup plus ample en noz livres. (*Caett. om.*)

stimulo, ad bene agendi studium incitabitur. Attamen hunc solum respectum non habebit: nam quum ingenuam a filiis suis obedientiam requirat Deus, servile eiusmodi obsequium non repudiabit modo, sed procul etiam reiiciet. Ideoque longe alium pie sancteque vivendi scopum spiritus sanctus, quum in scripturis passim, tum per os Pauli nobis praefigit, primo ad Ephesios capite.

In XXXII.

Quo iure, aut quo sensu nostra vocentur, quae in nobis efficit Christi spiritus bona opera, breviter Augustinus [1]) docet, quum similitudinem ex oratione Domini adducit: ubi panem quem petimus nobis donari, nostrum simul, non alio quam donationis titulo, nuncupamus. [2]) Itaque, ut alibi docet idem scriptor: [3]) dona Christi nemo amplectetur, nisi sua merita oblitus. Rationem aliquoties reddit: quia [pag. 247] nihil aliud est quod dicitur meritum, quam gratuitum Dei donum. Nos ergo crepare sinamus patres istos, meritum a gratia separando, perperam lacerantes quod vere unum est. Quid porro mereantur opera, qui ex superioribus censuris nostris didicerit, non magnopere praesentem anathematis crepitum exhorrescet.

In XXXIII.

Ingeniosa vero cautio: ne quis videat, quod vident omnes. Parum abest, quin et Dei gloriam et simul Christi gratiam exinaniant. Et interim dira exsecratione sanciunt, ne quis aliqua ex parte utrique derogari putet. Perinde ac si quis hominem interficiat, medio foro, sub omnium conspectu, et caedem omnibus conspicuam prohibeat tamen veram credi. Porro hic suopte se indicio produnt sorices, [1]) quum anathematis terrorem aliis incutiant, ne impietatem cernere ausint, cuius ipsi sibi conscii erant.

SEPTIMA SESSIO. [4])

Ad consummationem salutaris de iustificatione doctrinae, quae in praecedenti proxima Sessione, uno omnium Patrum [pag. 248] *consensu promulgata fuit, consentaneum visum est, de sanctissimis Ecclesiae Sacramentis agere, per quae omnis vera iustitia vel incipit, vel coepta augetur, vel amissa reparatur. Propterea sacrosancta, oecumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, eisdem praesidentibus Apostolica Sedis Legatis, ad errores eliminandos, et exstirpandas haereses, quae circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris haeresibus suscitatae, tum etiam de novo adinventae sunt, quae catholicae Ecclesiae puritati et animarum saluti magnopere officiunt: sanctarum Scripturarum doctrinae, Apostolicis traditionibus, atque aliorum Conciliorum et Patrum consensui inhaerendo. hos praesentes Canones statuendos et decernendos censuit, reliquos qui supersunt, ad coepti operis perfectionem, deinceps, divino Spiritu adiuvante, editura.*

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

[pag. 249] *I. Si quis dixerit: Sacramenta novae legis non fuisse omnia a Domino nostro Iesu Christo instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam unctionem, Ordinem et Matrimonium: aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie sacramentum: Anathema sit.*

II. Si quis dixerit: Ea ipsa novae legis sacramenta a sacramentis antiquae legis non differre, nisi quia caeremoniae sunt aliae, et alii ritus externi: Anathema sit.

III. Si quis dixerit: Haec septem sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius: Anathema sit.

IV. Si quis dixerit: Sacramenta novae legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine eis, aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam adipisci iustificationis, quum [2]) [pag. 250] *omnia singulis necessaria non sint: Anathema sit.*

V. Si quis dixerit: Haec sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse: Anathema sit.

VI. Si quis dixerit: Sacramenta novae legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptae per fidem gratiae vel iustitiae, et notae quaedam christianae professionis, quibus apud homines discernantur fideles ab infidelibus: Anathema sit.

VII. Si quis dixerit: Non dari gratiam per huiusmodi sacramenta, semper et omnibus, quantum

1) Libro de verbis Apostoli c. 11.
2) *Add.* Ainsi le tout gist en tiltre de donation.
3) Ad Sixtum et Bonifacium ep. 105 et 106.
4) *Celebrata d. 3 mensis Martii* 1547. *Edd. Actuum habent hic specialem titulum:* Decretum de Sacramentis. Prooemium. *Legitur in ed. Gottingensi T. I. p.* 38. *Decretum de reformatione ad Sessionem sextam pertinens in libello calviniano neque exstat neque respicitur.*

1) Mais en cela ilz pratiquent le proverbe commun, qu'un larron s'accuse soymesmes.
2) *Al.* licet.

est ex parte Dei, etsi rite ea suscipiantur, sed aliquando, et aliquibus: Anathema sit.

VIII. Si quis dixerit: Per ipsa novae legis sacramenta, ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinae promissionis ad gratiam consequendam sufficere: Anathema sit.

IX. Si quis dixerit: In tribus sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione, [pag. 251] et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unde ea iterari non possunt: Anathema sit.

X. Si quis dixerit Christianos omnes in verbo, et omnibus sacramentis administrandis habere potestatem: Anathema sit.

XI. Si quis dixerit: In ministris, dum sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia: Anathema sit.

XII. Si quis dixerit: Ministrum in peccato mortali exsistentem, modo omnia essentialia, quae ad sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut non conferre sacramentum: Anathema sit.

XIII. Si quis dixerit: Receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in solenni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum Pastorem mutari posse: [pag. 252] Anathema sit.

DE BAPTISMO.

I. Si quis dixerit: Baptismum Ioannis habuisse eandem vim cum baptismo Christi: Anathema sit.

II. Si quis dixerit: Aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi: atque ideo verba illa Domini nostri Iesu Christi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit: Anathema sit.

III. Si quis dixerit: In Ecclesia Romana (quae omnium Ecclesiarum mater est, et magistra) non esse veram de Baptismi sacramento doctrinam: Anathema sit.

IV. Si quis dixerit: Baptismum, qui etiam datur ab haereticis in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum: Anathema sit.

V. Si quis dixerit: Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: Anathema sit.

[pag. 253] VI. Si quis dixerit: Baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere quantumcunque peccet, nisi nolit credere: Anathema sit.

VII. Si quis dixerit: Baptizatos per Baptismum ipsum, solius tantum fidei debitores fieri, non autem universae legis Christi servandae: Anathema sit.

VIII. Si quis dixerit: Baptizatos liberos esse ab omnibus sanctae Ecclesiae praeceptis, quae vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint: Anathema sit.

IX. Si quis dixerit: Ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quae post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso iam factae, irrita esse intelligant,[1]) quasi per ea fidei quam professi sunt detrahatur, et ipsi Baptismo: Anathema sit.

X. Si quis dixerit: Peccata omnia, quae post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi vel dimitti, [pag. 254] vel venialia fieri: Anathema sit.

XI. Si quis dixerit: Verum, et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, quum ad poenitentiam convertitur: Anathema sit.

XII. Si quis dixerit: Neminem esse baptizandum, nisi ea aetate qua Christus baptizatus est vel in ipso mortis articulo: Anathema sit.

XIII. Si quis dixerit: Parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea quum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos: aut praestare omitti eorum baptisma, quam eos sine actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiae: Anathema sit.

XIV. Si quis dixerit: Huiusmodi parvulos baptizatos, quum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint quod Patrini, eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt: et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio [pag. 255] relinquendos, nec alia interim poena ad christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiae,[2]) aliorumque sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant: Anathema sit.

DE CONFIRMATIONE.

I. Si quis dixerit: Confirmationem baptizatorum otiosam caeremoniam esse, et non potius verum ac proprium sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesin quandam, qua adolescentiae proximi fidei suae rationem coram Ecclesia exponebant: Anathema sit.

II. Si quis dixerit: Iniurios esse Spiritui sancto, eos qui in sacramento confirmationis Chrismati[3]) virtutem aliquam tribuunt: Anathema sit.

III. Si quis dixerit: Sanctae confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem: Anathema sit.

Eadem[4]) sacrosancta Synodus eisdem praesidentibus et Legatis, incoeptum residentiae et reformationis negotium, [pag. 256] ad Dei laudem, et Christianae

1) *Edd. antiquiores calvinianae* 1547. 1552. 1576 *habent:* intelligat.
2) *Eaedem legunt:* Eucharistia.
3) *Edd.* qui sacro confirmationis chrismati.
4) *Ed. Gotting. T. II., p.* 35.

religionis incrementum prosequi intendens: ut sequitur statuendum censuit, salva semper in omnibus sedis Apostolicae autoritate.

Ad cathedralium Ecclesiarum regimen, nullus nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum, literarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri III. quae incipit: Quum in cunctis: in Concilio Lateranensi promulgatam, praeditus, assumatur.

Nemo quacunque etiam dignitate, gradu, aut praeeminentia praefulgens, plures Metropolitanas, seu cathedrales Ecclesias, in titulum sive commendam, aut quovis alio nomine, contra sacrorum Canonum instituta recipere, aut simul retinere praesumat: quum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuose, et cum animarum sibi commissarum salute, regere contigerit. Qui autem plures Ecclesias, contra praesentis Decreti tenorem [pag. 257] *nunc detinent, una quam maluerint retenta, reliquas infra sex menses, si ad liberam sedis Apostolicae dispositionem pertineant, alias infra annum dimittere teneantur. Alioqui Ecclesiae ipsae, ultima obtenta duntaxat excepta, eo ipso vacare censeantur.*

Inferiora beneficia, praesertim curam animarum habentia, personis dignis et habilibus, et quae in loco residere, atque per se ipsos curam ipsam exercere valeant, iuxta constitutionem Alexandri III. in Lateranensi, quae incipit: Quia nonnulli: et aliam Gregorii X. in generali Lugdunensi Concilio, quae incipit: Licet canon, editam, conferantur. Aliter autem facta collatio, sive provisio, omnino irritetur, et ordinarius collator poenas constitutionis Concilii generalis, quae incipit: Grave nimis, se noverit incursurum.

Quicunque de caetero plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, sive commendae perpetuae, aut alio [pag. 258] *quocunque nomine et titulo, contra formam sacrorum Canonum, et praesertim constitutionis Innocentii III, quae incipit: De multa: recipere, ac simul retinere praesumpserit: beneficiis ipsis, iuxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso iure, etiam praesentis Canonis vigore, privatus exsistat.*

Ordinarii locorum quoscunque plura curata, aut alias incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere compellant, et alias procedant iuxta constitutionem Gregorii X. in generali Lugdunensi Concilio, quae incipit: Ordinarii: quam eadem sacrosancta Synodus innovandam censet, et innovat. Addens insuper, quod ipsi Ordinarii, etiam per idoneorum Vicariorum deputationem, et congruam [1] *portionis fructuum assignationem, omnino provideant, ut animarum cura nullatenus negligatur, et beneficia ipsa, debitis obsequiis minime defraudentur, appellationibus, privilegiis, et exemptionibus* [pag. 259] *quibuscunque, etiam cum iudicum speciali* [1]) *deputatione, et illorum inhibitionibus, in praemissis nemini suffragantibus.*

1) congruae, *Amst. et Gott.*

Uniones perpetuae, a XL. annis citra factae, examinari ab ordinariis, tanquam a sede Apostolica delegatis, possint: et quae per subreptionem, vel obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero quae a dicto tempore citra concessae, nondum in toto vel in parte sortitae sunt effectum, et quae deinceps ad cuiusvis instantiam fient: nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit: per subreptionem obtentae praesumantur: ac propterea, nisi aliter a sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

Beneficia Ecclesiastica curata, quae cathedralibus, collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscunque perpetuo unita et annexa reperiuntur: ab ordinariis locorum, annis singulis [pag. 260] *visitentur, qui sollicite providere procurent, ut per idoneos Vicarios perpetuos, nisi ipsis ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine, aliter expedire videbitur, ab eis, cum tertiae partis fructuum, aut maiori vel minori, arbitrio ipsorum ordinariorum, portione, etiam super certa re assignanda, ibidem deputandos, animarum cura laudabiliter exerceatur: appellationibus, privilegiis, exemptionibus, etiam cum iudicum deputatione, et illorum inhibitionibus quibuscunque, in praemissis minime suffragantibus.*

Locorum Ordinarii Ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, autoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur, et opportunis iuris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur, et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur. Appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus, [pag. 261] *vel illorum inhibitionibus, penitus exclusis.*

Ad maiores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a iure statutum suscipiant, et prorogationes ultra sex menses concessae nulli suffragentur.

Non liceat capitulis Ecclesiarum, sede vacante, infra annum, a die vacationis ordinandi licentiam, aut literas dimissorias, seu reverendas (ut aliqui vocant) tam ex iuris communis dispositione, quam etiam cuiusvis privilegii, aut consuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi, occasione arctatus non fuerit, concedere. Si secus fiat, capitulum contraveniens, Ecclesiastico subiaceat interdicto, et sic ordinati, si in minoribus ordinibus constituti, [2]) *nullo privilegio clericali, praesertim in crimi-*

1) specialium, *Amst. et Gott.*
2) *Amst. et Gott. add.* fuerint.

nalibus gaudeant: in maioribus ab exsequutione ordinum, ad beneplacitum futuri Praelati, sint ipso iure suspensi.

Facultates de promovendo a quocunque, [pag. 262] *non suffragentur: nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam: et tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diocesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, et diligenti primo*[1]) *examine.*

Facultates de non promovendo, praeterquam in casibus a iure expressis concessae, ad annum tantum suffragentur.

Praesentati, seu electi, vel nominati quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam Sedis Apostolicae nuntiis, ad quaevis beneficia Ecclesiastica non instituantur, neque confirmentur neque admittantur, etiam praetextu cuiusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemorabili tempore praescriptae: nisi fuerint prius a locorum ordinariis[2]) *idonei reperti, et nullius appellationis remedio se tueri possint, quominus examen subire teneantur:*[3]) *praesentatis tamen electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum exceptis.*

[pag. 263] *In exemptorum causis, constitutio Innocentii IV. quae incipit: Volentes, in generali Concilio Lugdunensi edita, servetur: quam eadem sacrosancta Synodus innovandam censuit, et innovat. Addendo insuper, quod in civilibus causis mercedum, et miserabilium personarum clerici saeculares, aut regulares extra monasteria degentes quomodolibet exempti: etiam si certum iudicem a sede Apostolica deputatum in partibus habeant. In aliis vero si ipsum iudicem non habuerint, coram locorum ordinariis, tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, et iure medio ad solvendum debitum cogi, et compelli possint: privilegiis, exemptionibus, conservatorum deputationibus, et eorum inhibitionibus adversus praemissa nequaquam valituris.*

Curent Ordinarii, ut Hospitalia quaecunque, a suis administratoribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter et diligenter gubernentur: Constitutionis [pag. 264] *Concilii Viennensis, quae incipit: Quia contingit, forma servata. Quam quidem Constitutionem eadem sancta Synodus innovandam induxit,*[1]) *et innovat cum derogationibus, in ea contentis.*[2])

IN SEPTIMAM SESSIONEM.

Quam sit in qualicunque certamine sudandum, ubi mala causa agitur, proxima sessione experti erant venerandi patres. Ergo, ne se nimium fatigarent secundo conflictu, ad illud suum compendium maluerunt redire, ut fulminatione rem transigerent. Et sane dictatorio ipsorum stilo indignum erat, rationis reddendae subire molestiam. Quid ergo? Nempe aera sonant Corybantes, et clangorem suum ingeminant.[4]) Expavescite pueri. Quisquis autem scintilla virilis animi praeditus erit, contemptis nihili crepitaculis, quid tandem contineant eorum placita, intrepidus, animoque composito, inquiret. Ego quam insulsis absurditatibus scateant, digito me ostensurum profiteor.

In primum Canonem.

[pag. 265] Volunt, septem a Christo instituta esse sacramenta. Cur ergo non ipsum iubebant instituere? Nobis cur succenseant, nihil est causae. Septenarius numerus, quem sub anathemate sanciunt, non modo a scriptura nullum habet testimonium, sed ne ab ullo quidem probato autore. Parum est: ex sacramentis quae numerant, alia ostendimus fuisse temporaria, ut est infirmorum unctio: alia falso ita vocitari, ut est matrimonium. Planae et firmae sunt rationes quibus id evincimus. Quid enim? An dono sanationum pollere se iactabunt? Si eius doni symbolum est unctio, nonne simiae sunt, dum eam absque re usurpant? Deinde, quaenam in hac caeremonia est promissio, quae quidem ad nos pertineat? Si gratia spirituali et externo signo constat sacramentum, quidnam tale in poenitentia reperient? Matrimonium vero cur hoc nomine censeant, non alia ratio est, quam crassa monachorum inscitia: qui quum in epistola ad Ephesios (5, 32), sacramentum legerent, pro mysterio, et quidem de arcana Christi et ecclesiae coniunctione, ad matrimonium transtulerunt. Harum omnium rerum demonstrationes in scriptis nostris luculentae exstant et copiosae, quas boni patres una anathematis vocula repellunt. Id est absque certamine vincere: aut potius absque victoria triumphare.

In II.

[pag. 266]. Quando sacramentorum utriusque testamenti idem est autor, eaedem promissiones, eadem veritas, et idem in Christo complementum:

1) *Iidem legunt:* praevio.
2) *Iidem:* examinati et idonei reperti.
3) *Al.* nullus . . . . possit . . . . teneatur.
4) Que font-ilz donc? Tout ainsi qu'en un cherivary ilz font sonner leurs bassins et leurs poelles.

1) *Amst. et Gott.* duxit.
2) *Sequitur in Actis indictio futurae sessionis in d.* 21. *Aprilis* 1547.

merito dicimus, externis signis inter se differre, in illis autem rebus, quâs commemoravi, vel summatim in re ipsa convenire. Sunt enim doctrinae appendices. Atqui doctrinae eadem substantia. Sequitur ergo, id quoque in sacramenta competere. Forte non intelligerent lectores, quorsum hoc fulmen iaculentur patres Tridentini, nisi breviter eos admoneam. Vulgare est apud sophistas [1]) dogma: sacramenta legis mosaicae figurasse gratiam, nostra vero exhibere. Nos autem Deum asserimus semper in suis promissis fuisse veracem (Rom. 3, 4): nec quidquam figurasse ab initio, quod non patribus re ipsa exhibuerit: nam sub Moyse constabat circumcisionis veritas. Et tunc eandem fuisse escam spiritualem, qua participabant, eundemque potum spiritualem, testis est Paulus (1 Cor. 10, 3). Quid habent quod respondeant, nisi aliter in scholis tradi? Paucis verbis attingo, quae ex scriptis nostris fuse discent lectores, si volent. Summa haec sit: ex Dei verbo, non Romanensium placitis, discendum esse, quid vel discriminis, vel similitudinis inter se habeant sacramenta. Neque tamen interea negamus, quin uberior sub Christi [pag. 267] regno percipiatur gratia. Atque ideo solemus duplicem notare differentiam: quod sacramenta nostra non procul Christum, tanquam absentem, indicent, sed quasi digito ostendant exhibitum. Deinde quod pro ampliore revelationis modo sit etiam gratiae communicatio uberior.

In III.

Quis non malit Neptunium sustinere fulmen, quam aequare Christi institutis hominum inventa? Baptismum legimus a Christo commendatum: similiter et sacram coenam. De aliis, nihil tale. Imo multis post saeculis fuisse incognitum, quod isti tradunt. Atqui obscurum non est, quorsum spectet, ac quidnam valeat illa Christi interrogatio: Baptismus Ioannis estne ex coelo, an ab hominibus (Matth. 21, 25)? Significat enim, non aliter fore legitimum, nisi a Deo sit profectus. Proinde tuto constituamus, autore Christo, nihil esse periculi, si repudiemus quaecunque a sola hominum autoritate fluxerunt. Parem tamen omnibus dignitatem arrogare non contenti, confirmationis suae chrisma praeferunt Christi baptismo. Nam quod aliud alio faciunt dignius, non ideo est, quod velint ad inferiorem gradum deducere, quae ex scriptura non habent testimonium: sed illas exsecrandas blasphemias renovant, quas prius evomuit concilium Aurelianense: [pag. 268] Baptismo fieri nos duntaxat semichristianos, confirmatione perfici: et quae in eundem sensum illic habentur.

1) Les Sorboniques.

In IV.

Facile patiar, ut quae nobis Christus dedit salutis adiumenta, eorum usus necessarius dicatur: quando scilicet datur facultas. Quanquam semper admonendi sunt fideles, non aliam esse cuiusvis sacramenti necessitatem, quam instrumentalis causae, cui nequaquam alliganda est Dei virtus. Vocem sane illam nemo pius est qui non toto pectore exhorreat, res esse superfluas. Sed hic boni patres, pro sua crassitie, non animadvertunt, quidquid nobis gratiae per sacramenta confertur, nihilo minus fidei imputandum. Qui enim a sacramentis fidem separat, perinde facit, ac si animam a corpore tolleret. Ergo quemadmodum evangelii doctrinam non excludimus, quum dicimus, nos sola fide Christi gratiam adipisci: ita nec sacramenta, quorum eadem est ratio, quum evangelii sint sigilla. Quidquid praeterea hic attexunt, hauserunt ex lutosis ranarum suarum paludibus. [1])

In V.

Fatemur non alendae tantum, sed augendae quoque fidei destinata esse sacramenta. Sed aliud sibi volunt cornutae bestiae. Fingunt enim subesse vim magicam sacramentis, [pag. 269] quae sit extra fidem efficax. Quo errore tollitur, quae inter fidem et sacramenta in scripturis perpetua statuitur relatio. Hoc ut clarius intelligant lectores, semper memoria repetendum est, sacramenta nihil quam instrumentales esse conferendae nobis gratiae causas, quae tunc demum prosunt, suumque effectum habent, quum fidei serviunt.

In VI.

Scoriam hic, ut sunt praeposteri, argento miscent. [2]) Quare a nobis adhibenda est distinctio. Ac primum quidem, si qui sint qui negent sacramentis contineri gratiam quam figurant, illos improbamus. Sed dum adiiciunt cornuti patres, per ipsa nobis conferri gratiam non ponentibus obicem, totam sacramentorum vim pervertunt. Semper enim ad vetus illud sophistarum delirium relabuntur: etiam infideles gratiam, quae in sacramentis offertur, percipere, modo ne oppositis aliis obicibus eam repellant. Quasi vero non ipsa per se satis magnum obstaculum sit infidelitas. Teneamus ergo, non aliter nos oblata in sacramentis gratia potiri, quam si fide simus capaces. Quod sequitur continuo post, perquam vel malitiose vel insulse attexuerunt.

1) Tout ce que les Trenteins adioustent puis apres, est puisé des bourbiers de leurs Sorbonnes. Parquoy ie le laisse pour tel qu'il est.

2) Ces bestes sont si lourdes qu'elles meslent le blanc avec le noir.

Quasi, inquiunt, externa tantum sint signa. Imo perinde loquuntur, ac si inter haec duo nihil esset medium. Nos vero, sicuti monachale [pag. 270] illud commentum repudiamus, aliter prodesse sacramenta quam per fidem, ita libenter cum signis ipsis coniungimus veram rei exhibitionem: ut nullus eorum extra fidem sit effectus, et tamen non inania sint, nudaque gratiae procul remotae signa.

In VII.

Primo definiendum erat, quid sit rite suscipere sacramenta: nam porci isti, praeterita fide ac posthabita poenitentia, non illa quidem caeremoniali quam magnifice praedicant, sed interiore cordis qua totus homo ad Deum convertitur, in simulata nescio qua devotione, ut loquuntur, situm esse putant, ut rite quis sacramenta recipiat. Quod si de legitima dispositione hominis constaret, nihil amplius de efficacia restaret controversiae. Quis enim rite, ut decet, accedentibus exhiberi dubitat quam illic Deus promittit gratiam? Proinde quisquis de puro sacramentorum usu mediocriter fuerit edoctus, insulse eos distinguere agnoscet, quum ex parte Dei gratiam dari asserunt: nam qualiscunque sit hominis indignitas, manere Deum semper veracem oportet. Nihil ergo, ex parte quidem Dei, sacramentorum efficaciae vel decedit vel derogatur quamlibet indigna ipsorum profanatione, quoad malam hominum conscientiam spectat: sed tantum perit effectus, vel saltem [pag. 271] intercidit, quominus ad nos perveniat.[1]

In VIII.

Hic vero non modo clarius, sed etiam crassius impietatem suam detegunt. Commentum de opere operato et recens est et ab indoctis monachis excusum, qui de sacramentorum natura nihil unquam didicerant: nam in sacramentis proprie solus Deus agit: quia nihil illuc homines suum afferunt, sed accedunt, oblatam sibi gratiam recepturi. Ita in baptismo Deus nos filii sui sanguine abluit, suoque spiritu nos regenerat. In coena carne sanguineque Christi nos pascit. Quam sibi operis partem absque sacrilegio homines vendicabunt, ubi totum gratiae esse apparet? Nam quod hominibus commissa est administratio, id Dei operationi non magis derogat, quam manus artifici: quando per eos agit unus Deus, efficitque omnia. Pecudes autem istae, taceo quod in gratuitis Dei donis reperiunt aliquod hominis meritum, sed fingunt nos, nihil agendo, Deum promereri, nobisque reddere obnoxium: nec eo contenti monstra verborum evomunt, quibus hoc extorqueant Deo, ne solus in sacramentis agere censeatur. Hinc sequitur necessario quod adiiciunt: non sola fide gratiam percipi. Nam si conceditur illis quod postulant, opere operato comparari gratiam in sacramentis, separatur [pag. 272] a fide pars meriti, ut per se valeat sacramenti usus ad salutem. Atqui, si de sacramentis idem quod de verbo praedicandum est, nihil prodesse, nisi fide percepta, testis est apostolus (Hebr. 4, 2).

In IX.

Quod de charactere indelebili fabulantur, ex eadem prodiit officina: nam veteribus hoc totum ignotum fuit: et magis consentaneum est incantationibus magicis, quam sanae evangelii doctrinae. Eadem ergo facilitate repudiabitur, qua excogitatum fuit. Baptismum non esse iterandum, satis inter pios constat. Quod verum erat de baptismo, temere postea ad suam confirmationem et ordines transtulerunt. Quaesita est inter curiosos homines ratio. Ne nihil dicerent, characterem hunc fictitium adumbrarunt. Nunc si quis tam futili non assentiatur figmento, anathema illi denunciatur.

In X.

Nemo sanus Christianos omnes in verbi sacramentorumque administratione pares facit: non solum quia decenter, et ordine geri omnia in ecclesia decet (1 Cor. 14, 40): sed etiam quod singulari Christi mandato ad eam rem ordinantur ministri (Matth. 28, 19). Ergo quum peculiaris requiratur vocatio, nemo, nisi vocatus, honorem sibi usurpet (Hebr. 5, 4). Porro, munus baptizandi ubi mulierculis iniunctum reperient, quemadmodum illis permittunt?

In XI.

[pag. 273] Parvi se facere anathemata sua ostendunt, in quibus fundendis adeo sunt prodigi. Quod de intentione consecrandi garriunt, a sophistis nulla probabili ratione fuit proditum. Hoc, quamvis non tolerabile, levius tamen foret, nisi funditus everteret quidquid ex sacramentis solidae consolationis habent fideles, et Dei veritatem suspenderet ab hominis arbitrio. Nam si necessaria est ministri intentio, nemo est nostrum, qui certam baptismi sui fidem facere sibi ausit: qui certa fiducia ad sacram coenam accedat. Baptizatus sum: si ita sacerdoti libuit, cuius fides mihi nihilo magis quam Aethiopis cuiuspiam comperta est. Ut mihi in sacra coena constet Christi promissio, id in hominis mihi ignoti nutu positum est.[1] Qualis erit fides, quae pendebit a secreta alterius voluntate? Et adhuc sua anathemata, hoc est, suos crepitus nobis minari porci

1) *Add.* pource qu'ilz en usent ainsi indignement.

1) cela dependra du vouloir de celuy qui me la distribue. Car si son intention n'est telle, tout ne vaudra et ne fera rien.

isti non verentur, nisi mox subscribamus talibus blasphemiis. Ego vero sacrosanctae Christi institutioni tantum defero, ut si Epicureus quispiam, intus totam actionem subsannans, mihi coenam ex Christi mandato, et secundum regulam ab eo datam, rituque legitimo administret, non dubitem panem et calicem illius manu porrecta, vera mihi esse corporis et sanguinis Christi pignora. Putidas istas naenias piget [pag. 274] excutere, ubi dicunt: *saltem faciendi quod facit ecclesia.* Nempe magistrorum suorum dictata recinunt.[1]) Sed quis oculatus non videt, perinde hoc valere, ac si praeciperent uno verbo, quaecunque unquam somniarunt in suis lustris monachi, vel sophistae in suis rixis blaterarunt, quantumvis insulsa sint et absurda, rata nihilominus firmaque haberi?

In XII.

Amen.

In XIII.

Quos vocent receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus, nemini obscurum est. Proinde hac cautione, quidquid superstitionum puris Domini institutis hominum protervia inductum fuit, stabiliunt. Simplex est et genuinus baptismi ritus, simplex et coenae administratio, si respicimus quod Dominus praecepit. At vero, quot et quam variis, quam discoloribus additamentis obruta est haec simplicitas? Dicent, si quid est nimium, rescindi oportere: sed non nisi ex sua sententia. Verum, quam nobis ipsi spem faciunt, dum anathemata sua bacchico furore exsufflant, si quis caeremoniolae unius omissionem licitam faciat? Conqueruntur, vel saltem gemunt pii omnes, pluris in baptismo fieri chrisma, cereum, salis saporem, sputum denique, quam aquae lavacrum, quo tota constat baptismi perfectio. Coenam non modo talibus inquinamentis vitiatam [pag. 275] esse deplorant: sed conversam in adulterinum nescio quod spectaculum.[2]) Secundum patres Tridentinos, nihil erit tam prodigiosum, quod non inter probatos ecclesiae catholicae ritus locum habeat. Augustinus iam suo tempore conquerebatur, onerari iudaica servitute ecclesiam, quum vix decima pars rituum obtinuisset, quorum observatio nunc severius requiritur, quam ullius divinae aut humanae legis. Deliberant Tridentini, quidnam factu opus sit. Nulla spe levationis ostensa, diras et exsecrationes omnibus intentant, qui non ad unguem se usitatis praescriptis dediderint.

1) Brief ilz parlent comme pies en cage, selon que leurs cafardz leur soufflent aux oreilles.
2) en une farse toute contraire.

DE BAPTISMO.

In I. Canonem.

Magnum piaculum scilicet: ubi eadem est doctrina, eadem gratia offertur, idem servatur ritus, similitudinem illic statuere. Si quid in tribus istis diversum habuerit Christi baptismus ab Ioannis, vicisse eos fateor. Sin vero utrique communia sunt omnia: frustra bilem suam eructant: quia nemo erit compositae mentis, qui terreatur. Quod si putassent certandum esse ratione, longe fuissent moderatiores.

In II.

Cur de priore parte moveant quaestionem, nescio: nisi forte hac una in re sapere velint, frivolas Sorbonistarum argutias cohibendo.[1]) At quod adversus omnes fulminant, [pag. 276] secum in loci unius expositione non sentientes, in eo nimis sunt iracundi. Praesertim quum ex veteribus nonnullos citare liceat, qui metaphorice verba illa accipiunt: Nisi quis ex aqua et spiritu renatus fuerit (Ioann. 3, 5). Sed quemadmodum initio dixi, exsecrationes ex locuplete penu non mirum est si liberaliter depromant.

In III.

Cur non hinc potius sumebant exordium, quum hoc iacto fundamento quidvis superstruere liceat? Nam si verum est quidquid docent, quid adhuc pugnamus? Atqui scripta nostra luculente testantur, totam, quae apud ipsos obtinet, de baptismo doctrinam, partim mutilam esse, partim vitiosam. Nunc quum refellere argumenta nostra nequeant, frustra sepelire se putant uno anathematis fulgetro.[2]) Quod autem Romam omnium ecclesiarum matrem ac magistram fastuose praedicant: cuius est impudentiae? Graecasne et orientales ecclesias in Christo genuit, a quibus ipsa potius fuit genita? Quale illius magisterium pervenire ad alias ecclesias potuit, quae longe doctiores habebant episcopos? Ut revolvant omnium saeculorum exempla, quem omnino ex toto catalogo, parem vel Cypriano, vel Ambrosio, vel Augustino proferent?

In IV.

Quid facere intendat minister, nostra parum [pag. 277] refert: modo actio ipsa genuinae Christi institutioni respondeat, tum in doctrina, tum in ritu. Nobis ergo sufficiat, quod, in nomen patris et filii et spiritus sancti baptizati sumus: qualiscun-

1) *Add.* qui disputent assavoir si l'eaue distillée par un alambic n'est pas si bonne au baptesme que l'eaue naturelle.
2) avec un petit esclair de leur foudre volante.

que vel impietas, vel ignorantia eorum fuerit, qui baptismum nobis administrarunt: solus enim Christus est, qui vere et proprie, per manum cuiuslibet hominis, baptizat.

In V.

Ne circumveniantur imperiti: inter liberum et necessarium medius est aliquis gradus. Qualiter hoc posterius vocabulum accipiunt Romanenses. Nam et nos baptismi usum necessarium confitemur: ne cui liceat vel negligentia, vel contemptu, ipsum omittere. Atque hoc modo nequaquam liberum facimus. Nec fideles modo severe astringimus ad eius observationem, sed ordinarium quoque Dei instrumentum asserimus, ad nos lavandos et renovandos, ad salutem denique nobis communicandam. Hoc tantum excipimus, ne manus Dei instrumento sit alligata: quin possit per se hominum salutem perficere. Nam ubi deest baptismi facultas, abunde valet sola Dei promissio. Verum hac de re in superiorem sessionem aliquid dictum est.

In VI.

Paradoxum, quod damnant, nos quoque repudiamus, vel hanc unam ob causam, quod fidei vitam extinguit.

In VII.

[pag. 278] Si intelligerent, quid sit lex Christi, de reliquo non difficulter conveniret: sed ut de Christi lege solent loqui, hoc uno capite demonstrant, quam procul absint a vera baptismi notitia. Neque tamen ignoro, quid eos fefellerit. Nam, quemadmodum circumcisione ad servandam Moysis legem obligari hominem docet Paulus (Gal. 5, 3): ita et in baptismo, quoad legem Christi, similem obligationem statuunt. Atque haec quidem comparatio apta foret, nisi in primo, ut aiunt, limine impingerent: nam vehementer errant, dum existimant Paulum de vero circumcisionis usu, ac non potius de abusu, illic disserere. Nam si implendae legis fuerunt debitores, quicunque fuerunt circumcisi: sequitur, maledictioni fuisse obnoxios. Atqui longe aliter docet idem Paulus (Rom. 4, 11): quum circumcisionem sigillum appellat iustitiae fidei. Qui autem opus esse meritorium fingebant, iis etiam erat professio servandae legis. Nobis quid hodie baptismus? Tametsi chirographum est mutuae inter nos et Deum obligationis, hoc tamen habet praecipuum, ut de gratuita peccatorum remissione perpetuaque adoptionis gratia nos certiores reddat. Quod cum Tridentina affirmatione aeque pugnat, atque liberatio contraria est servituti.

In VIII.

Unus est legislator, inquit Iacobus (4, 12), qui potest servare et perdere. Ubi falsum hoc esse [pag. 279] demonstraverint, non recusabimus, quin suis nos legibus adstringant. Sed quamdiu hoc constabit, Deum regendas verbo suo piorum conscientias sumpsisse, atque hoc sibi imperium ubique vindicare: statuere tuto simul licebit, non esse sanctam ecclesiam, quae illaqueare conscientias tentabit aliis legibus. [1])

In IX.

Principio illud constituendum erat, quaenam sint vota legitima. Quo posito nihil aut parum restaret controversiae. Nunc autem vota, quorum laqueis induuntur, vel potius strangulantur miserae animae, non modo superstitione plena sunt, sed etiam a recta christianae vitae regula prorsus dissident. Quare ut ratum sit votum aliquod, ad baptismi professionem exigi oportet. Quod si fiat, nullum ex votis in papatu hodie usitatis non erit irritum.

In X.

Qui sola baptismi recordatione deleri peccata tradunt, non nudam ipsam aut frigidam intelligunt, sed cum fide ac poenitentia coniunctam. Qualis est prima quoque baptismi cognitio. [2]) Neque enim tantum in mentem nobis venire debet aquae aspersio: sed potius spiritualis veritas, quae bonae conscientiae fiduciam parit ex Christi resurrectione: quemadmodum loquitur Petrus (1 Petr. 3, 21). Eiusmodi, inquam, recordatio, non venialia modo peccata facit, sed prorsus obliterat: nam [pag. 280] quoties de peccatorum remissione quaeritur, ad baptismum confugiendum est, ut inde petamus eius confirmationem. Quemadmodum enim quotidianis evangelii promissionibus nos sibi Deus reconciliat, ita huius, quae quotidie repetitur usque ad vitae finem, reconciliationis fidem et certitudinem baptismo nobis obsignat. Semel quidem sumus baptisati: sed est perpetuum veniae et gratuitae in Christo propitiationis testimonium. Quid venerandi patres? Ex tritis sophistarum rhapsodiis, baptismi promissiones in praeteritum tempus restringunt: simul atque peccaverit quispiam, sepulta baptismi memoria, iubent in fictitio poenitentiae sacramento acquiescere. Quasi vero non ipse baptismus proprium esset poenitentiae sacramentum. Et adhuc iactabunt, penes se sanam de baptismo esse doctrinam: quum totam eius vim momentanea et evanida gratiae promissione includant.

Proximis tribus capitibus non invitus subscribo. In quarto eatenus illis assentior, ut lectores interea

1) *Add.* ains une synagogue rebelle.

2) Car on ne se peut pas souvenir du Baptesme qu'en l'ayant cogneu, et on ne le cognoit pas deuement sans sa vertu.

monitos velim, quanto anathematum profluvio diffluxerint.[1]) Quod improbant, alicubi Erasmo excidit: parum considerate, fortassis. Non nego. Quod si tamen ingenuus adsit interpres, correctum aliquid in verbis cupiet: hominem iudicabit non satis in ecclesiae gubernatione exercitatum. Ad anathematum quidem terrores nemo aequus et moderatus prosiliet.[2])

DE CONFIRMATIONE.

In primum Canonem.

[pag. 281] Quia bisulcum est hoc anathema, ne priore sulco feriar, mature ex eorum numero me nequaquam esse profiteor, qui otiosam confirmationis caeremoniam esse putant, qualis sub papatu romano observatur: utpote, qui eam inter maxime exitiales Satanae praestigias numerem. Meminerimus, nusquam in scriptura nobis commendari quod fingunt sacramentum, neque hoc nomine, neque hoc ritu, neque hac significatione. Nunc quibus figmentum suum elogiis ornent, audiamus. Sub nomine Meltiadis[3]) Papae pronunciant, spiritum in baptismo dari ad innocentiam, in confirmatione, augmentum ad gratiam. Baptismum sufficere statim morituris, sed confirmatione armari victuros, ut agones sustinere valeant.[4]) Ita dimidia pars efficaciae a baptismo truncatur: quasi de nihilo dictum sit, crucifigi veterem hominem in baptismo, ut in vitae novitate ambulemus (Rom. 6, 6). Addunt praeterea, quanquam neutrum ex his duobus sine altero perfici possit: confirmationem tamen maiori veneratione colendam esse, quam baptismum. Exstat etiam decretum Aurelianensis concilii: neminem debere existimari christianum, qui non episcopali unctione fuerit chrismatus. Digna enim sunt eorum verba, [pag. 282] quae pueris quoque propinentur in ludibrium. Multum ab otiosa caeremonia differt sacrilegium, tam exsecrandis blasphemiis refertum. De secundo membro quid aliud dicam, nisi eos parum aestimare, quanti sua anathemata valeant? Quibus evomendis ita sunt faciles, ut putent ex albo nigrum protinus fieri debere. Verum ita res habet, qua vulgi admiratione, vel potius quo stupore mysteria sua hactenus spectari viderunt, eodem quoque exceptum iri putarunt quidquid balbutirent. Hinc tanta confidentia. Neque enim unquam vel crassissimi subulci iudicio permittere ausi fuissent suas insulsitates, nisi concilii larvam sperassent oppositam fore omnium oculis.

In II.

Quaestio est an ab hominum arbitrio novam et arcanam spiritus virtutem oleum accipiat, simul atque illis placuerit vocari chrisma. Olei enim qui faciat mentionem, nemo est ex veteribus, imo nec ex media illa aetate, quae iam multis vitiis abundabat. Crepent igitur licet, nihil proficient negando, se in spiritum Dei esse contumeliosos, eius virtutem dum ad putidum oleum transferunt.

In III.

Et certe digni sunt cornuti infulatique asini tali praerogativa. Quid enim agerent, [pag. 283] quando ad obeundum munus episcopale nihilo sunt aptiores, quam ad canendum porci? Nec vero illis invideo: modo in suis cauponis, extra Dei ecclesiam, eiusmodi inquinamenta tractent. Sed unde, quaeso, probabunt, episcopis magis quam reliquis sacerdotibus convenire has partes, nisi quia incertis autoribus ita placuit? Nam si ex scriptura petatur ratio, nullum illic est, omnium confessione, presbyteri et episcopi discrimen. Deinde manuum impositionem iubetur Paulus ab Anania recipere, qui unus erat ex discipulis (Act. 9, 17). Si illis confirmatio est manuum impositio, cur Deum non accusant violati ordinis, adeoque profanati mysterii, quo presbyterum promiscue episcopo miscet? Denique vel Dei lege sancitum est quod volunt, vel humano placito. Si Dei lex est: cur eam violare non verentur? Nam presbyteris extra ordinem concedunt ius confirmandi. Pro humano autem placito ita fulminantes, cui formidinem incutient?[1])

IN CANONES QUI POSTEA SEQUUNTUR, DE RESIDENTIA.

Interdum mirari subit, qui fiat, ut in tanta evangelii luce non secus sint insulsi, atque olim in densissimis tenebris solebant. Sed mox ad Dei admirabile iudicium cogitationem meam refero, quo certum est eos excaecari [pag. 284] et obstupefieri, non modo, ut nihil videant, nec sentiant: sed etiam ut abiecto pudore, sua dedecora non dissimulanter iactent.[2]) Quia proventus ecclesiae, qui pastoribus

---

1) qu'ilz sont aussi aisez à faire couler leurs maudissons, comme qui auroit le flux de ventre.

2) *Add.* comme sont ces Antechristz.

3) *Sic scribit ed. princeps quam sequitur Gallasius. Caeteri Melciadem vocant, quae diversitas etiam apud historicos occurrit.*

4) De consecrat. dist. 5.

---

1) *Add.* sinon à ceux qui s'estonnent d'une bien petite fumée?

2) *Haec Gallus prolixius ita vertit:* Ie m'esbahy quelquesfois comment il se peut faire qu'en telle clarté de l'Evangile ces grans sages soyent si hebetez et lourdaux. Voire ne plus ne moins que souz les tenebres qui ont regné cydevant. Car quoy? Ilz doyvent bien penser qu'on a depuis trente ans allumé tant de torches que les aveugles sont quasi contreintz d'y voir aucunement. Mesme les choses ont esté

ad victum destinati erant, pridem coeperunt esse otiosorum hominum reditus: et qui aluntur ecclesiae sumptu, nihil sibi oneris impositum esse cogitant, ad tantum flagitium se corrigendum accingi profitentur. Quum ad rem ventum est, non nihil videntur dicere. Est istud, fateor, in tanta vitiorum exundatione, magni aestimandum: ab uno homine non teneri duos episcopatus. Et reliqua similia, ad coercendam, quae hodie grassatur, licentiam composita. Tametsi multum abest quidquid tentant reformationis, non dico a prisca illa et austeriore disciplina, quae ante annos mille viguit: sed a tolerabili aliquo piae et non profanae gubernationis statu. Episcopum longius dimidio anno abesse a sua dioecesi vetant. Satis liberalis missio, ut quotannis sex mensium vacationem habeant, qui dies et noctes continenter excubare pro gregis sui custodia debuerant. Additur tamen etiamnum exceptio: nisi iustam absentiae excusationem habeant. Et quando illa deerit? [1]) Sed tamen, ut quod hic praescribitur exactissime servent: quo profectu id facturi sunt, nisi forte, ne alio pecuniam, quae illis ex reditu conficitur, [pag. 285] totam transferant? Si urbes amant, habebunt sua palatia, ubi procul ab omni strepitu bibent, ludent, dormient, pro more: [2]) sin rura magis ipsos oblectabunt, in suis praetoriis et arcibus suaves habebunt recessus. Ita suo munere perfuncti erunt, nihil agendo. Haec certe erit vera residentia. [3])

Quantum ad parochias, sua scholis [1]) privilegia confirmant: ut studii praetextus excuset absentiam. Itane? Ut interea dum adulescens et novus tyro pastorem agere discit, nihilominus lac gregis exsugat, qui carebit pastore? Demus hoc esse tolerabile. Quis tamen nescit, scholarum privilegiis solos ignavos homines et culinarios frui? [2]) Ita fiet, ut perpetuo cogantur miserae ecclesiae alere duos lupos: unum domi, alterum foris. Quod dispensationes, de non promovendo ultra annum, valere posthac nolunt, id vero non nisi a datariis suggestum fuisse olfacio. Quanta enim fiet quaestus accessio, si quotannis nova prorogatio emenda erit? Denique, unum hoc illis fuisse curae videtur, ut qualemcunque iuris speciem haberent, in confusa rerum omnium perturbatione.

Verum etiam si ad unguem formata essent praescripta, non est tamen quod spe melioris status sibi boni gratulentur. Prius enim quam legem ullam proferant, omnes simul [pag. 286] abrogant uno verbo: vel saltem rationem demonstrant, quo possint momento abrogari. Praefantur enim ex iis quae dicturi sunt, nihil fore impedimento, quominus salva maneat sedis apostolicae autoritas. Nunc se-

---

esclarcies iusques là, qu'on y void quasi comme en plein midy. Cependant ilz usent de leur style accoustumé, menant le monde par brides à veaux. S'ilz estoyent fins, comme doyvent ceux qui ont apprins le mestier de toute malice en telle boutique: ne se devroyent ilz point accommoder un petit mieux? Ainsi c'est une chose estrange de les voir tant hebetez: que de ne savoir couvrir plus finement leur turpitude. Mais tantost, quand ie reviens à moy, ie consydere le iugement admirable de Dieu sur eux: lequel les aveugle tellement et estonne, que non seulement ilz ne voyent et ne sentent rien, mais sans honte ne vergongne aucune publient franchement leurs vilenies pour se diffamer.

1) *Hoc loco in versione gallica haec inseruntur:* Mesme à ceste heure, durant les vacances du concile, monsieur l'evesque de sainct Mallo a bien congé d'apprendre à baller à Venize. Ie laisse à parler de monsieur de Clermont, pource que son absence estoit un peu mieux collorée du temps qu'on tenoit le concile de Trente. Tant y a neantmoins qu'il estoit bien empesché alors à forger des petis anges. Ce pendant il est à presumer qu'il s'acquitte bien de son office. Mais ie vous prie, le Royaume de France n'estoit il pas assez grand pour faire des bastars, sans qu'il allast cercher des courtisaines en Italie? et mesme celle qu'il a engrossie qu'on appelloit Langelete. Ie recite ces histoires en passant, pour monstrer combien il y aura d'espece d'exemption. Car iamais ne sera qu'ilz n'ayent de plus honnestes couleurs en leur manche.

2) *Add.* sans que nul leur rompe la teste.

3) *Hic iterum longius additamentum reperitur in gallico exemplari:* Vray est que ce seroit folie à moy de me soucier beaucoup si les Evesques se tiennent en leur diocese ou non. Car pour en bien dire, il n'y a rien meilleur que de les laisser courir les champs, afin que tout le monde les cognoisse telz qu'ilz sont. Cependant que un Evesque est en son diocese, encore qu'il ne sache faire si bonne mine qu'il seroit de besoing, toutesfois la mitre qu'il porte aux festes annuelles, la crosse, et autres fanfares, esblouyssent les yeux du peuple, tellement que beaucoup de choses se cachent souz telles masques. Mais quand ilz sont hors de leurs limites, on les prend pour telz qu'ilz sont: pour le moins on en iuge un peu plus librement. S'ilz arrivent en une bonne ville, chascun s'aide à parler des chasses qu'ilz ont faites apres les putains, de leurs folz propoz, de leurs actes dissoluz. Brief, il n'y a celuy d'eux qui ne soit mieux cogneu de loing que de pres. Quand ilz se tiendront sur leur fumier, quel profit en aura l'Eglise de Dieu? Car outre ce qu'ilz ne feront rien qui vaille il y aura beaucoup de mal: et ne fust ce qu'à molester tous ceux qui ont quelque creinte de Dieu. D'autant qu'apres avoir vaqué à leurs vanitez et folies, et qui pis est à leurs ordures de paillardises, ilz n'ont autre occupation que ceste là de persecuter les enfans de Dieu. Parquoy iusques à ce qu'on leur ait apprins quel est l'office d'un bon Evesque: c'est en vain qu'on leur parlera de residence: car quelque part qu'ilz soyent ilz ne feront que mal et nuisance, tant en la Chrestienté en general, qu'au lieu où ilz cropiront.

1) des universitez.

2) que telz privileges ne servent qu'à marmitons qui n'estudient qu'à la cuisine? aux solliciteurs qui n'ont autres livres que les sacz des proces qu'ilz meinent? Ie ne dy chose qui ne soit cogneue à tous. Car ie ne pense pas que depuis deux cens ans les privileges des universitez ayent fourny une seule eglise d'un bon pasteur. Que chascun parle pour le lieu dont il est, ie say que nostre Eglise de Noyon n'est remparée que de porteurs de sacz, de torchemarmites, et telles gens qui savent autant que c'est de gouverner Eglise comme un asne de chanter une bonne melodie. Or leurs privileges sont telz qu'en allant user le pavé du Chastellet ou du Palais, ou leichant la marmite du college, ilz seront pour toute leur vie exemptez de mettre le pied en leur paroisse.

cum quisque reputet, quibus illa finibus terminetur, vel quousque pateat. Non tantundem valet eiusmodi praefatio, ac si papae licitum esse iuberent quod libuerit? Quale, obsecro, malis remedium afferunt, sic agendo? Neque enim eorum quae corrigenda suscipiunt, quidquam hactenus usitatum fuit, tanquam communi iure permissum: sed quod leges prohibebant, dispensationibus effectum est, ut impune fieret. Itaque nunquam iactarunt,[1]) se regulam ipsam tenere: sed quia legibus soluti erant, licitum putarunt, quod per se legitimum alioqui non erat. Nunc cavent Neptunii patres, ne sit in posterum melius: quum diserte excipiunt, ne quid minuatur ex romanae curiae potentia: nam ut mille iam nectantur legum nodi, exsertus est Alexandri ensis, qui simul omnes rescindat. An poterant magis aperte illudere orbi christiano? Quid dico illudere? An contumelia maiore insultare poterant bonorum exspectationi, quum ita praecise barbaroque fastu tam effrenatae papae tyrannidi modum se impositures negant? Utcunque iam ad omnia mala occalluerint, qui sub papatu degunt, diceres [pag. 287] tamen hac una in parte servitutis oblitos, quod non modo liberos gemitus, sed altos clamores passim edunt: dispensationibus perditam esse ecclesiam. Conversi sunt omnium oculi in venerandos patres, quasi severi animosique censores, ad cohibendam eiusmodi libidinem, sedeant. Sesquiannum meditati, tandem pronunciant, sibi placere veterem disciplinam, modo sedi apostolicae ius dispensandi, quale fuit, maneat. Hoc est dicere: ut eatenus ratae sint leges, ne gratuita sit libertas, sed pretio redimatur.[2]) Et ne, verecundia impeditus, parum audacter exerceat papa hanc potestatem, titulum universalis episcopi, quem Gregorius nefarium, sacrilegum, scelestum, praenunciumque Antichristi appellat, subinde illi confirmant, dum episcopis nihil aliud relinquunt, quam ut sint ipsius vicarii. Ubi nunc illa, quam Hieronymus praedicat, aequalitas, dum romanum episcopum comparat Eugubino?[1]) Ubi illa Cypriani sententia: Unum esse Christi episcopatum, cuius a singulis in solidum pars tenetur?[2]) Scribit Bernardus, communem suo tempore fuisse querimoniam, truncari et mutilari ecclesias, quod romanus episcopus omnium potestatem ad se trahendo ordines confunderet.[3]) Ut medeatur huic malo sacra synodus iubet episcopos esse papae vicarios.[4])

[pag. 288] Ego, in exagitanda illorum impudentia, non plus sumam operae. Sed quum nemo non videat, esse plus quam deploratos: quisquis sapiet, non amplius morabitur eorum decreta, ut inde fidem habeat suspensam. Esset quidem maxime optandum, dissensiones, quibus hodie turbatur ecclesia, piae synodi autoritate componi: verum, ut res habent, nondum id sperare licet. Proinde, quum horrendum in modum dissipatae sint ecclesiae, nec ulla spes colligendae dispersionis ab hominibus appareat: singulis nihil est melius, quam ad vexillum properare, quod nobis filius Dei proponit. Hic non est quod alii alios exspectent. Ut quisque emicantem scripturae lucem animadverterit, eo mox sequatur. Quod autem ad universum ecclesiae corpus attinet, eius curam Domino commendemus. Non simus interea resides, nec securi: pro se quisque satagat: conferamus quidquid in nobis est consilii, studii, facultatum denique, ad instaurandas ecclesiae ruinas. Sed in rebus tam desperatis sustentet nos atque animet ista promissio: quia nemo prodit ex hominibus, qui has, virili et heroico animo, partes suscipiat, fore, ut Dominus sua iustitia armatus, brachioque suo instructus, omnia solus peragat (Ies. 59, 16).

1) *Scilicet:* ceux qui ont transgressé les canons anciens, *ut dicit Gallus.*
2) *Add.* comme de coustume.

1) Hieron. ad Evagrium.
2) Cyprian. de simplicitate praelatorum.
3) Bernard. de consid. ad Eugen. libr. 3.
4) *Addit h. l. translator haec:* Ie n'entend pas qu'ilz eussent beaucoup fait, laissant le tout à la pleine discretion des Evesques, et que chascun eust retenu sa iuridiction ordinaire, sans vicaire. Car de tous tant qu'ilz sont on pourroit bien tirer à la feve qui seroit le Roy, pource que l'un ne vaut guere mieux que l'autre. Mais ie remonstre ces choses afin que les plus ignorans et les plus bigotz entendent qu'ilz sont bien trompez, s'ilz attendent quelque reformation d'un tel Concile, pour reduire l'estat de la Chrestienté à quelque ordre conforme à celuy qu'ont tenu les Peres anciens, desquelz les Romanisques font leur grand bouclier.

IES. VIII.

Loquimini sermonem, et non stabit.

ADVERTISSEMENT

CONTRE

L'ASTROLOGIE QU'ON APPELLE IUDICIAIRE:

ET AUTRES CURIOSITEZ

QUI REGNENT AUIOURD'HUY AU MONDE.

PAR M. IEAN CALVIN.

A GENEVE
PAR IEAN GIRARD
1549.

Pour faire leur profit de tout, comme font gentz [4]) affamez, ilz nous obiectent les Eclypses et Cometes, [5]) et disent que s'ilz emportent quelque signification, on en peut bien autant [page 42] iuger de tous les astres. Ie respondz, quant aux Eclypses, que si elles sont naturelles, [6]) elles n'emportent nulle signification, si ce n'est de ce qu'elles peuvent engendrer, comme pluye, ou vent, ou tourbillon, ou telles choses, suyvant ce que nous en avons devisé cy-dessus. Mais qu'on puisse par icelles deviner de ce qui doit advenir aux royaumes et principautez, ou aux hommes particuliers, c'est à faire aux idiotz de le penser. [7]) Mesme nous lisons qu'il a fallu quelquesfois qu'un homme savant en l'Astrologie annonçast à l'armée Romaine l'eclypse de Lune qui se devoit faire, à ce que les soudarz, [1]) qui estoyent gentz ignorantz quant à cela, n'en fussent point troublez comme de quelque mauvais presage. Nous voyons donc que la vraye Astrologie oste la superstition que ces resveurs [2]) veulent remettre dessus. Quant aux eclypses miraculeuses, comme celle qui avint à la mort de Nostre Seigneur Iesus, ie ne nie point qu'il n'y ait signification. [3]) Mais tant s'en faut que cela serve a noz devins, que plustost c'est pour leur r'abbaisser le caquet. Que s'il faut qu'il y ait miracle extraordinaire pour signifier, comment trouveront-ilz telle proprieté et vertu en l'ordre commun? Il en est quasi autant des cometes, combien que non [page 43] pas du tout. Tant y a que ce sont inflammations [4]) qui se procréent, non point à terme prefix, ains selon qu'il plaist à Dieu. En cela desia on void combien les comettes different des Estoilles, veu qu'elles se procréent de causes survenantes. Et neantmoins ie n'accorde pas que leurs predictions soyent certaines, comme aussi l'experience le monstre. Car si une comette est apparue, et que tantost apres un prince meure, on dira qu'elle l'est venue adiourner. S'il ne s'ensuit nulle mort notable, on la laisse passer sans mot dire. Cependant ie ne nie pas, lors que Dieu veut estendre sa main pour faire quelque iugement digne de memoire au monde, qu'il ne nous advertisse quelquefois par les comettes: mais cela ne sert de rien pour attacher les hommes et leur condition à une influence perpetuelle du ciel.

Il reste maintenant de respondre aux exemples qu'ilz nous alleguent. Car il semble bien qu'il y ait une pleine approbation de leur art. Entre les autres il y en a un qui estonne tous

---

1) verborum immanitas.

2) Et isti fanatici affirmabunt nescio quod orbis signiferi sigillum et vim et autoritatem illi tribuere.

3) Quid verbis opus est? tangere manu propemodum istorum impietatem videmur. Quid enim est clarius quam eos omnes, qui tales ac tantas delirationes defendunt, de Deo et religione nihilo magis cogitare quam ipsas pecudes ac beluas omni diritate atque immanitate efferatas?

4) quasi canes famelici ut quidvis carpant ac vellicent.

5) easque stellas quas Graeci cometas Latini cincinnatas vocant.

6) si modo naturales sunt, id est, naturae ordini perpetuo atque usitato consentaneae.

7) Hoc vero arbitrari hominum est pueriliter atque imperite iudicantium. Scite enim Pericles, quanquam non philosophi sed imperatoris officio fungens, quum una cum exercitu navim instructam atque ornatam ascendisset, subitoque luna soli obiecta radios eius et lumen obscurasset, et navarchus caeterique Athenienses omnes summo timore commoverentur, pallio suo navarchi caput obvolvit, quaesivitque ab eo num id rarum illi ac prodigiosum videretur? Quod quum negasset: quid tu igitur? inquit: an putas quidquam inter hoc et illud interesse, nisi quod maius quiddam est pallio, quod nunc tenebras offundit? Simile quiddam in Romanorum exercitu de lunae defectione proditum est. Nam C. Sulpicius Gallus tribunus militum, ne quis ea re quasi auspicio malo perterreretur, consulis permissu ad concionem militibus vocatis pronunciavit, nocte proxima hora secunda usque ad quartam horam noctis lunam defecturam esse. Quod quum evenit, Macedones ut triste prodigium occasum regni perniciemque gentis portendens commovit. Alia praeterea commemorare possem paene innumerabilia. Quibus intelligi debet *etc.*

1) soldats 1566 *suiv.*

2) deliri atque amentes homines.

3) quandam camque magnam.

4) ardores quidam.

ceux qui le lisent: c'est du Mathematicien nommé Ascletario, qui predit que Domitian l'Empereur devoit estre tué. Or, Domitian estant fasché contre luy, l'appella et luy dit: puis qu'il se mesloit de deviner ainsi des [page 44] autres, qu'il devinast aussi de soy-mesme. Il respondit que l'heure de sa mort estoit prochaine, et que son corps seroit deschiré des chiens. Domitian le fait tuer, commande qu'on le brusle pour ensevelir ses cendres, selon la coustume.[1]) Mais voicy un orage soudain qui esteint le feu, et des chiens se ruent sur le corps pour le manger. Quelque temps apres, Domitian fut tué. Ce qu'on recite de Iule Cesar et de son Mathematicien Spurina n'est pas du tout si merveilleux: toutesfois il en approche. Car ledit Mathematicien advertist Cesar[2]) qu'il se gardast du premier iour du moys de Mars. Le iour estant venu, Cesar luy dit: Voicy le premier iour de Mars. L'autre respondit: Il n'est pas encore passé. Et de fait, estant venu au Senat, il fut là tué. Ainsi, noz Genethliaques pensent bien, sans contredit, avoir gaigné leur cause pour monstrer qu'il y a une vraye certitude en leur art. Or ie leur demande si, le iour mesme que Iule Cesar nasquit, et à l'heure, ilz pensent qu'il n'y en eust point d'autre[3]) à Rome et en toute l'Italie? Il est bien vray-semblable que il y en avoit grand' quantité qui estoyent nez souz un mesme horoscope[4]). Autant en est-il de Domitian. Sont-ilz tous mortz pourtant au mesme iour, et leur mort a-elle esté violente? [page 45] Mais, au contraire, tout ainsi que l'horoscope ne les a pas fait tous Empereurs, aussi il ne leur a point esté cause d'une mort semblable. On voit donc qu'il n'y[5]) a nulle raison ne verité. S'il y en avoit, elle auroit lieu par tout. En voyla trente qui ont une mesme nativité:[6]) l'un meurt à vingt ans, l'autre à cinquante: l'un de fievre, l'autre en guerre. Ainsi tous diversement, devant que mourir, chacun a sa façon de vivre et son estat different des autres: à savoir si chacun a son estoille au ciel où on lise ce qui luy doit advenir? Car si la constellation povoit quelque chose, cela seroit esgal en tous. Par une mesme raison, il est aisé de refuter ce qu'ilz alleguent d'Auguste: lequel ayant ouy de Theogenes que sa nativité luy promettoit l'Empire Romain, en memoire de cela forgea sa monnoye du signe de Capricorne,[7]) souz lequel il estoit nay. Qui est-ce qui doutera que souz le mesme signe ne fussent nayz beaucoup de povres malotruz, dont l'un estoit demouré porcher, l'autre vacher, et chacun en tel empire?[1]) Si l'horoscope ou le regard des astres eust donné l'Empire Romain à tous ceux qui estoyent nayz du mesme temps que Auguste, il luy en fust resté bien petite portion. Dont ie concludz que toutes les divinations [page 46] qui ont esté faites n'ont pas esté fondées en raison ne science.[2]) Ilz repliqueront que neantmoins on en void la verité par l'yssue. Ie respondz que cela ne sert de rien pour approuver que ce soit un art licite. Or nous sommes sur ce poinct là seulement,[3]) que c'est une curiosité mauvaise et reprouvée de Dieu: et non pas si les devins adressent quelque fois à dire verité ou non. Vray est que tout ce qui vient du Diable n'est que mensonge. Mais Dieu permet bien que les trompeurs addressent quelque fois à dire verité, quand il veut punir par ce moyen l'incredulité des meschantz. Prenons exemple de tous les deux en la sorciere de laquelle parle Samuel. Ce qu'elle dit au Roy Saul est bien advenu. Dirons-nous pourtant qu'elle eust une science fondée en raison, pour predire les choses cachées? Nenny. Dieu, par sa iuste vengeance, a lasché pour ce coup la bride à Satan, afin que ce malheureux Roy là fust trompé comme il en estoit digne. Pareillement, il ne faut point iuger de ce qu'elle dist verité, qu'il soit licite aux enfans de Dieu d'user de telz moyens: car ce n'est pas ainsi que Dieu veut que nous sachions ce qu'il nous est expedient de savoir. Et de cecy nous en avons une reigle generale [page 47] au 13. chapitre du Deuteronome, où il est dit que si quelque Prophete predit cecy ou cela, et qu'il advienne, et souz couleur qu'il aura bien deviné, s'il nous veut mener à servir des dieux estranges, que nous n'y devons point adherer, pource que Dieu veut esprouver s'il est aymé de nous ou non. Poysons bien ce mot: c'est que quelque couleur ou apparence de verité qu'il y ait es choses qui sont contraires à Dieu, et qu'il reprouve par sa parolle, que celuy qui chemine en bonne conscience s'en pourra bien garder, et qu'il n'y a que les infideles ou hypocrites qui soyent trompez: d'autant, comme dit sainct Paul (2 Thess. 2, 10. 11), que c'est bien raison que ceux qui n'ont point voulu suyvre la clairté cheminent en tene-

1) accuratissime.
2) Caesarem immolantem, ut caveret periculum quod non ultra Idus martias proferretur.
3) alium nullum natum esse.
4) qui eadem coeli affectione primum spiritum duxerint ac simul vitam ingressi sint.
5) istis Chaldaeorum praedictis.
6) triginta aut plus eo uno eodemque astro nascentur.
7) tantam mox fati fiduciam habuit ut thema suum vulgaverit nummumque argenteum *etc.*

1) et tamen similiter affecto coelo.
2) *Le traducteur ajoute:* ob eamque causam:
— incerta haec si quis postulet
Ratione certa facere, nihilo plus acturum
Quam si det operam ut cum ratione insaniat.
(*Vers tirés de l'Eunuque de Térence, Acte premier, Scène première, et legèrement changés.*)
3) nos id unum contendimus.

bres. Brief, ie tiens autant de conte de toutes les veritez qu'ont iamais dit ces Mathematiciens, que des faux miracles dont les Magiciens de Pharao ont combattu Moyse, et par lesquelz Iesus Christ a predit que le monde sera deceu.

Or, comme c'est un horrible labyrinthe et sans yssue que des folies et superstitions, desquelles les hommes s'enveloppent depuis que ilz ont une fois lasché la bride à leur curiosité, beaucoup d'espritz volages, apres s'estre amusez à la divination des astres, se fourrent encore [page 48] plus avant, assavoir en toutes especes de divinations. Car il n'y a nulle tromperie du Diable où ilz ne prennent goust, depuis qu'ilz ont esté affriandez à une. Et pour faire trouver bonne leur diablerie,[1]) ilz la couvrent du nom de Salomon, comme s'il eust esté un sorcier. L'Escriture parle bien de l'intelligence qu'il a eu des profondz secretz de nature: mais elle ne dit pas qu'il ait esté devin. Et de fait, nous voyons la condamnation universelle que prononce si souvent Moyse sur tous ceux qui s'en meslent, principalement au dixhuitiesme chapitre du Deuteronome, où il dit: Qu'il ne se trouve point en toy devin qui devine, ny observateur des iours, ny ayant egard aux oyseaux, ne magicien, ny enchanteur qui enchante, ny homme consultant avec les espritz familiers, ne sorcier, ne coniurant les mortz: car tous ceux qui font ainsi sont en abomination à Dieu, et pour telles iniquitez il a destruit les peuples qui ont habité en ce pais. Qu'il nous souvienne tousiours de ce que i'ay touché cy dessus, que Dieu, regardant aux Egyptiens,[2]) veut detourner son peuple de toutes leurs façons de faire. Parquoy il condamne toute l'Astrologie iudiciaire, qui passe les limites de vraye science en devinant: et pareillement toute magie, [page 49] entant que ce mot emporte revelation des choses cachées, qui se fait par enchantementz ou en coniurant les espritz, ou par telle vanité. Et notons que Dieu ne s'est point contenté d'un seul mot: mais voyant que les espritz des hommes sont si chatouilleux à extravaguer en vanitez,[3]) pour mieux oster tous subterfuges, raconte toutes les especes qui estoyent cogneues pour ce temps-là, et mesme use d'aucuns noms qui estoyent honorables, comme Chossem; qui se prent pour celuy qui revele, et quelques fois s'applique aux Prophetes qui predisent ce qui est encores caché. Apres Hober, qui vient de conioindre, et dit, celuy qui assemble ou conioint les conionctions, signifiant sans doute les astrologues qui conioignent les astres ensemble, de travers ou de biays, pour leur faire donner les œillades l'un à l'autre.[1]) Item, Iidoni, qui signifie sachant ou cognoissant. Comme nous voyons qu'ilz preschent leurs badinages, comme s'il n'y avoit nulle autre science au monde. Cependant nous voyons ce que Dieu en prononce, et l'horrible menace qu'il en fait, laquelle doit bien faire dresser les cheveux en la teste à tous ceux qui le craignent. Or, si tout genre de divination est ainsi reprouvé, que sera ce de ceux qui se meslent [page 50] de coniurer les espritz pour enquerir des choses secrettes? Car on void que c'est une sorcellerie tout evidente. Toutesfois, il y en a de si effrontez, comme i'ay dit, qu'ilz attribuent leurs cercles et autres enchantementz à Salomon: et mesme ilz alleguent: Puis que les espritz sont ordonnez pour estre ministres aux fideles, que il n'y a point de mal de les coniurer pour nous en servir. Mais en quelle foy est-ce qu'ilz attendent de s'en servir ainsi, veu que c'est contre la defense expresse de Dieu? Car tant s'en faut qu'il nous soit licite d'user de coniurations secrettes pour faire parler les anges à nous, que c'est une superstition mal-heureuse de les invoquer en quelque maniere que ce soit. D'autrepart, qui est-ce qui leur a vendu ou loé les Diables pour estre leurs valets? Car les enfans de Dieu les ont pour ennemiz mortelz, et les doyvent fuir et repousser, au lieu de cercher nulle communication avec eux. Ceux donc qui s'en veullent servir cognoistront en la fin qu'ilz se sont iouez à leurs maistres.[2]) Parquoy concluons, suyvant ce qui est prononcé de Dieu, que c'est un sacrilege enorme et detestable que toute divination: car pour condamner autant qu'il est possible la rebellion contre sa parolle, il l'accompare à la divination et idolatrie.

[page 51] Pourtant, ce n'est point sans iuste raison que les loix civiles condamnent si fort les Mathematiciens.[3]) Et ne faut point dire que c'est

1) diabolicam superstitionem.
2) quum Aegyptios damnat.
3) quoniam hominum ingenia, quasi in lubrico versentur, facile in omnia vanitatum genera labi possunt.

1) ut quasi sibi invicem annuant.
2) intelligent, se leonem, ut dicitur, tondere i. e. dominis suis illudere.
3) *Le traducteur ajoute:* Exstat autem ea de re Constantii et Iuliani ad populum constitutio in Codice, his verbis: Nemo haruspicem consulat aut mathematicum, nemo hariolum. Augurum et vatum prava confessio conticescat. Chaldaei ac magi et caeteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuo divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur gladio ultore prostratus quicunque nostris iussis obsequium denegaverit. Verba haec illorum sunt omnia. Neque ii audiendi sunt qui haec ideo constituta esse affirmant vel quia impostores arte abusi sunt, vel quia odiosum fuit imperitis magorum nomen. Non fuit Ulpianus imperitus aut rerum ignarus, qui diserte respondit, boni et innocentis viri officio eum fungi qui, quum arbiter familiae herciscundae invenerit

pour l'abus des affronteurs, ou bien que le nom en a esté odieux aux ignorantz, sans savoir pourquoy: car Dieu, comme iuge de la police d'Israel, a fait une ordonnance encores plus rigoreuse contre eux, c'est que tous fussent mis à mort avec leurs complices (Levit. 20, 6). Mais prenons le cas que ce fust chose permise des hommes. Puis que nous voyons que Dieu la deteste tant, quelle folie est-ce de la vouloir conioindre avec la Chrestienté, comme si on vouloit accorder le feu avec l'eau? [1]) Et c'est merveilles que ceux d'Ephese, qui avoyent esté adonnez à folles curiositez, apres avoir creu en Iesus Christ ont bruslé leurs livres, comme sainct Luc le recite aux Actes (19, 19); et maintenant qu'il y en a de si pervers, qu'il semble que la cognoissance de Iesus Christ ne leur serve, sinon pour aiguiser leur appetit à cercher toutes vanitez frivoles. Ceste diversité est par trop grande, que les uns, si tost qu'ilz ont gousté que c'est de l'Evangile, renoncent aux divinations ausquelles ilz s'estoyent amusez toute leur vie: et les autres, souz ombre d'avoir cogneu la verité de Dieu, soyent incitez de s'y adonner, [page 52] n'ayantz iamais sceu que c'estoit: que ceux dont parle sainct Luc ayent bruslé des livres iusqu'à la valeur de cinq mille francz, [2]) et que ceux icy soyent tellement enchantez d'une vaine imagination qu'ilz ont conceue, qu'ilz y consument toute leur substance. Mesmes il faut noter que sainct Luc ne dit point que ce fussent artz meschans ou diaboliques: mais il les nomme Perierga, qui signifie curiositéz frivoles ou inutiles. Non pas qu'à la verité ce ne fussent choses meschantes; mais afin de fermer la bouche à ceux qui ne demandent qu'à trouver des eschappatoires, [3]) comme nous voyons que font noz Mathematiciens: lesquelz sont d'autant pires que leur pere Simon magicien, que luy, voyant la vertu de Iesus Christ, en est si estonné, que son art ne luy est rien au pris. Et combien qu'il soit si mal-heureux [4]) de vouloir achetter par argent la grace du sainct Esprit, si est-ce neantmoins qu'il recognoist que la vertu du Filz de Dieu obscurcit toute la science qu'il avoit pensé avoir. Ceux-cy, ayantz esté illuminez de Dieu pour cognoistre sa verité, en destournent leurs yeux, et les iettent en tenebres mortelles, et ayment mieux estre esblouis en leurs mensonges que de iouyr de la clarté celeste, en laquelle nous avons vie et salut.

---

in haereditate libros improbatae lectionis, magicos forte vel similes (his enim ipsis verbis utitur) eos corrumpat. Sed quid haec nos testimonia persequimur. Exstat ipsius Dei lex *etc.*

1) quasi quis cum luce tenebras conciliet.
2) denariûm quinquaginta millium.
3) ut illis omnem tergiversandi occasionem rescinderet, qui diverticula tantum et flexiones quaerunt.
4) miser ac perditus.

[page 53] Quel remede donc pour obvier à telz inconveniens? [1]) C'est que la sobrieté que sainct Paul nous recommande nous soit comme une bride pour nous tenir en la pure obeissance de Dieu: et, pour ce faire, que chascun advise bien de garder ce thresor inestimable de l'Evangile en bonne conscience. [2]) Car il est certain que la crainte de Dieu sera un bon rempar pour nous munir contre tous erreurs. Ainsi, que nous ayons tous ceste reigle generale, de sanctifier noz corps et noz ames à Dieu, et le servir sans feintise. Apres, que chascun regarde à quoy il est appellé, pour s'appliquer à ce qui sera de son office. [3]) Que gens de lettres s'addonnent à estudes bonnes et utiles, et non point à curiositez frivoles, qui ne servent que d'amusefolz. Que grans et petis, savantz et idiotz, pensent que nous ne sommes point naiz pour nous occuper à choses inutiles, mais que la fin de noz exercices [4]) doit estre d'edifier et nous et les autres en la crainte de Dieu. Defait, quand on aura bien regardé de pres, qui sont ceux qui nous amenent ceste Astrologie erratique, sinon ou gens outrecuidez, ou des espritz extravagans, [5]) ou gens oysifz, qui ne savent à quoy prendre leur ebat, ou de quoy deviser? [6]) comme sont protonotaires damereaux, ou autres muguetz [page 54] et mignons de court. [7]) Non pas qu'ilz y soyent savantz (si toutesfois il y pouvoit avoir science en folie et mensonge), mais ce leur est assez de voltiger ou fleureter par dessus: [8]) et cependant ilz enveloppent beaucoup de povres gens en leurs tromperies. Voyla pourquoy i'ay dit qu'il nous faut arrester aux choses solides: car quiconque, en premier lieu, s'adonnera à craindre Dieu, et estudiera à savoir quelle est sa volonté, s'exerçant sur tout à la practique de ce que l'Escriture nous enseigne: puis secondement appliquera son esprit à ce qui est de sa vocation, ou pour le moins à choses bonnes et utiles: n'aura point le loisir de se transporter en l'air, pour voltiger entre les nues, sans toucher ne ciel ne terre. Ie say bien qu'ilz ne faudront point à iouer du rebec [9]) et dire que l'un n'empesche point l'autre. Surquoy ie dy brievement, que nulle bonne science n'est repugnante à la crainte de Dieu ny à la doctrine qu'il nous

---

1) mala.
2) quasi in sancta et fida custodia.
3) videat quisque quam provinciam susceperit, quam spartam nactus sit, ut eam quoad eius facere poterit exornet.
4) totius nostrae industriae, operae et laboris.
5) vel summa futilitate atque levitate praediti.
6) in circulis et conviviis.
7) protonotarii delicati, assectatores mulierculartum, aliique praeterea urbani, mundi, elegantes, aulici.
8) eam primoribus labris gustasse et extremis, ut dicitur, digitis attigisse.
9) eos non commissuros ut sine altercatione discedant.

donne pour nous mener en la vie eternelle, moyennant que nous ne mettions point la charrue devant les beufz:[1]) c'est à dire que nous ayons ceste prudence de nous servir des artz tant liberaux que mechaniques[2]) en passant par ce monde, pour tendre tousiours au Royaume celeste. Mais il est question icy de [page 55] une curiosité non seulement superflue et inutile, mais aussi mauvaise, et qui nous destourne tant de la fiance que nous devons avoir en Dieu, et de la consyderation qu'il veut que nous ayons de sa iustice, misericorde et iugement, que du devoir que nous avons envers noz prochains.

1) modo ne quid agamus praepostere.
2) liberalibus et sordidis vel mechanicis.

INTERIM ADULTERO-GERMANUM:

CUI ADIECTA EST

VERA CHRISTIANAE PACIFICATIONIS ET ECCLESIAE REFORMANDAE RATIO.

PER IOANN. CALVINUM.

1549.

CUM APPENDICE. 1550.

SACRAE CAESAREAE MAIESTATIS DECLARATIO QUOMODO IN NEGOTIO RELIGIONIS PER IMPERIUM, USQUE AD DEFINITIONEM CONCILII GENERALIS, VIVENDUM SIT, IN COMITIIS AUGUSTANIS XV. MAII ANNO MDXLVIII. PROPOSITA ET PUBLICATA ET AB OMNIBUS IMPERII ORDINIBUS RECEPTA. [1])

Imperatoria Maiestas, Dominus noster clementissimus, sacri Imperii Electoribus, Principibus et Statibus praesentibus, absentiumque Legatis ac Consiliariis clementer exponit, se ab initio Imperii sui omnem animi et consilii vim eo semper intendisse, ut providenda sibi ac promovenda esse existimaret, quae cum salute, utilitate, dignitate ac gloria Reipublicae christianae, et praesertim sacri Imperii germanicae nationis, patriae suae carissimae, coniuncta esse ullo modo viderentur, ut sic demum universi Imperii ordines, membra ac subditi, sub Maiestatis ipsius alias felici imperio, quieti ac concordes tranquillam et florentem vitam agerent.

Animadvertit autem sua Maiestas, et perspicuis argumentis, ac re etiam ipsa manifeste deprehendit, nisi rebus christiane compositis, et perniciosissimo religionis dissidio legitime summoto, unde ortae suspiciones, discordiae, bella, odia, omnes Imperii Status magnis hactenus incommodis affecissent, neque statuendae pacis, neque iuris exercendi, neque certae ullius tranquillitatis spem aliquam exsistere.

Quamobrem annis superioribus omne remediorum genus pertentans, varia colloquia aliasque tractationes instituit, sperans his rationibus noxiam hanc dissensionem, vel ad christianam conciliationem, vel certe ad sensum aliquem meliorem adduci posse. Verum quum animadversum esset, dum haec agerentur, huius discordiae malum eousque progressum, ut non Germanos tantum, sed plerosque etiam alios nominis christiani populos communi contagione attactos iam labes illa pervaserit, ideoque morbum hunc iam vere communem nulla ratione praesentius aut efficacius curari ac depelli posse, quam concilii generalis et christiani ordinario salutarique remedio, egit Caesarea Maiestas, efflagitantibus id sedulo universis sacri Imperii ordinibus, ac post multas tractationes impetravit, ut concilium generale Tridenti in Germania institutum tandem fuerit atque inchoatum. Quare sua Maiestas horum etiam Comitiorum initio communes Imperii Status eo induxit ut vestigia sanctorum patrum maiorumque nostrorum sequuti, qui in hisce causis laborantis religionis confugissent ad oecumenica concilia, eisque semper paruissent, ipsi quoque inchoato Tridentino concilio adhaererent, iudicium eius ac definitionem exspectarent, dicto audientes essent, eique se communi consensione summitterent: et ut simul Maiestati ipsius curam omnem permitterent rationes excogitandi christianas et commodas, quibus ipsi Imperii ordines, usque ad concilii definitionem, pie et quiete vivere, nemoque interea praeter ius atque aequitatem grave aliquid pati posset. Quem omnium Statuum consensum, quum in ipsius concilii obedientiam, tum in negotium alterum curae ipsius Maiestatis permissum, fatetur Caesarea Maiestas se eo tempore grato animo suscepisse, et nunc etiam perlibenter accipere.

Ergo negotium illud ad se remissum Caesarea Maiestas paterno affectu, summa fide ac singulari diligentia perpendens, omniumque ordinum (ut ipsi quoque probe norunt) rogatis de ea re intellectisque sententiis, et rerum conditione diligenter perspecta, non sine magno animi dolore cognovit, natam in religione discordiam vim malorum incredibilem inclytae Germanorum genti hactenus attulisse, eique non minorem inde calamitatem in posterum etiam impendere. Quare si pacem, iustitiam et concordiam statuere et conservare velit, si diffidentiae malum tollere, quo Status inter se vehementer laborare coepissent, necessitatem iam extremam atque inevitabilem postulare, ne causa

1) *De hac declaratione, quae in exx. libri calviniani genevensibus non legitur, adeas, quaesumus, Prolegomena nostra. Nos eum textum describimus quem ex ed. authentica Augustana repetitum unica tertia editio tractatus nostri in ipsa Germania impressa exhibet. Variantes nullas adscribimus, quum alter qui exstat textus ex nova aliqua versione archetypi germanici prodierit, eaque de causa cum hoc nostro non nisi quoad sensum, nusquam in verbis conveniat.*

haec religionis usque ad progressum et definitionem concilii, in hac rerum omnium perturbatione et confusione relicta penderet, sed potius ad christianam aliquam conciliationem moderationemque perducta, in meliore sensu, et concordiae publicae magis accommodato collocaretur. Non enim existimabat contrariis sectis undique erumpentibus, amplius dissimulandum esse, aut ullo modo ferendum, ut per eas pax publica impediri deinceps aut perturbari possit.

Haec ita agenti suae Maiestati, et nihil in re gravi ac difficili aut laboris aut operae intermittenti, quidam magni nominis et status egregia animi voluntate, qua pacem publicam et christianam concordiam prosequuntur, et singulari in patriam caritate permoti, sententiam suam in hoc religionis negotio, quae hic adiuncta est, opportune obtulerunt tradideruntque diligentius expendendam, simul polliciti, se eam diligenter observaturos esse.

Hanc vero consultationem sibi oblatam quum Caesarea Maiestas nonnullis theologis, peritia sacrarum literarum, singulari fide atque eruditione praeditis, excutiendam dedisset, ex eorum relatu accepit, eam consultationem, si in sensu recto et catholico intelligatur, nostrae verae et catholicae religioni, ecclesiasticae doctrinae statutis et ordinationibus (exceptis tantum duobus articulis, communionem utriusque speciei et coniugium sacerdotum contingentibus), minime adversari, sed potius ad promovendam ac consequendam in hoc religionis dissidio concordiam, ad pacem in Imperio stabiliendam, futuram utilem atque accommodatam, qualem et nunc sua Maiestas spectata horum temporum conditione esse iudicat, ut quae nihil magis optet, aut sibi curandum putet, quam videat aliquando universos Imperii ordines in altissima pace degentes, unius sanctae religionis concordi vinculo coniunctos, quemadmodum ex ratione imperatoriae dignitatis ad se existimat pertinere.

Quare nunc Caesarea Maiestas a communibus Imperii Statibus, qui ecclesiae catholicae institutiones ac decreta hactenus summa cum laude observaverunt, clementer requirit, ut eadem deinceps religiose observent, teneantque constanter, nec se ab eis avelli ullo modo patiantur, aut omnino quidquam immutent, quod ipsi se facturos et perseveranter observaturos esse iam antea obtulerunt ac receperunt.

A reliquis vero Statibus, qui novationes induxerunt, similiter sua Maiestas clementer valde ac serio requirit, ut vel ad communes Status accedentes in observatione constitutionum et caeremoniarum ecclesiae catholicae per omnia cum illis conveniant, vel saltem doctrinam suam et ecclesiarum institutionem iuxta praedictam consultationem in omnibus moderentur, nec ulterius quidquam instituant, aut longius progrediantur. Quod si qui forte iam longius abscessissent, ut ii ad consultationis illius moderationem modis omnibus se recipiant, atque illius se limitibus contineant, et ut omnes Imperii ordines, quo tranquillitati et paci publicae commodior locus esse possit, praedictam consultationem hoc tempore tolerent, eamque nec ipsi oppugnent, nec ab aliis oppugnari, aut doctrina, aut scripto, aut concionibus permittant, sed concilii generalis definitionem et declarationem aequo animo et obedienter exspectent.

Interea tamen sua Maiestas omnem curam, studium et diligentiam adhibebit, ut generale concilium, quod Status omnes efflagitant, celebretur primo quoque tempore, et germanica natio a praesenti hac dissensione penitus liberetur.

Nunc quoque Maiestas eius dat operam ut christiana reformatio concipiatur, his etiam comitiis Statibus publicanda, magna spe ac fiducia, quod haec ipsa ad disciplinae christianae conservationem et virtutum progressum, et ut abusus ac scandala tolli possint, multum utilitatis sit allatura.

Et quoniam in praedicta consultatione, sub titulo de caeremoniis, inter alia scribitur, tolli atque emendari debere, si quid forte irrepsisset quod causam dare possit superstitioni etc., reservat sibi sua Maiestas curam in hoc ipso negotio, atque aliis, ubi et quando opus fuerit, modum et ordinem legitimum constituendi. Si quid enim Caesarea Maiestas, quod ad Dei gloriam, ad pacificandam religionem, firmandam pacem, iustitiam et tranquillitatem in sacro Imperio germanicae nationis, denique ad omnium Imperii ordinum utilitatem pertineat, suscipere, instituere, efficere aut urgere poterit, in eo se cum omni clementia, ut Imperatorem facere par est, exhibet paratissimum, quaeque omnia Caesarea Maiestas, ut animum suum declararet, communibus Statibus clementer significare voluit.

SEQUITUR CONSULTATIO CUIUS PRIUS MENTIO FACTA EST.

De conditione hominis ante lapsum.[1]

Deus creavit initio hominem ad imaginem et similitudinem suam (Gen. 1, 26), *eumque gratia ornavit, et fecit per originalem iustitiam, ut esset omnibus quum corporis tum animi viribus rectus, nec agitaretur ullis turpidis*[2]) *et pravis motibus: sed in eo caro spiritui, atque inferiores animi vires superioribus, quae tantum ad bonum hortabantur, parerent.*

Quum igitur animus hominis tam bene constitutus esset, reliquit eum Deus in manu consilii sui usque eo, ut non minorem haberet vim ad eligendum bonum, quam malum (Eccl. 15, 14).

Quod si hac libertate sua usus fuisset recte, et mandatis quae ipsi Deus dederat, obedisset, bona quae acceperat homo, atque iustitiam sibi et omni posteritati suae conservasset, nihilque ei ac posteritati ipsius defuisset ad bene beateque vivendum: non fames, non sitis, non frigus, non aestus, non dolor, non morbus, non mors eum afflixisset: omne denique peccatum atque vitium vitasset: nec ab illis, tanquam peccatorum stipendiis, periculum ei ullum posterisque illius allatum fuisset.

De conditione hominis lapsi.

[pag. 4] *Verum, postquam primus parens noster contra quam mandaverat Deus fecit* (Rom. 5, 12); *incidit in poenam a Deo propositam, et iustitiae originalis donum pulcherrimum amisit: hinc carentia iustitiae huius, una cum vitioso concupiscentiae habitu, quae spiritui et superioribus animi viribus perpetuo repugnat* (Ephes. 2, 1 seqq.). *Quod peccatum, hoc est, privationem illius iustitiae, qua parte rationem subditam reddebat Deo, una cum concupiscentia in omnem posteritatem suam propagavit, ut cum eo omnes, quotquot in hanc lucem eduntur, homines nascantur: nec eo vacuus sit ullus, nec unius quidem diei infans, secundum scripturas* (Iob. 25, 4 s.).

Hinc illud naturae nostrae vulnus, ut animalis homo non percipiat quae sunt spiritus (1 Cor. 2, 14) *nec eadem ante gratiam expetat atque libere eligat: quum concupiscentiae et affectus carnis, qui in eo dominatur, inimicitia sit adversus Deum, et a lege Dei abhorreat: tantoque magis impediat in bono, quanto magis ad malum impellit* (Rom. 8, 7).

Et quanquam retinet homo talis libertatem arbitrii, licet infirmam et laesam, ex qua tanquam fonte profluunt et virtutes morales ethnicorum, et harum actiones: tamen ante gratiam Dei et reparationem, ad iustitiam [pag. 5] *quae coram Deo valeat, aspirare haud potest: sed est potius servus peccati, Satanae mancipium, inimicus Dei, et malis huius mundi obnoxius: premitur enim fame, siti, frigore, aestu, dolore, morbo, et ad extremum morte ipsa evertitur. Per unum enim hominem peccatum in hunc mundum introivit,*[1]) *et per peccatum mors* (Rom. 5, 12). *Hae autem istius primae praevaricationis poenae, renatis cum peccatoribus communes sunt. Illis tamen a Deo etiam ad exercitium adhibentur: iniustis vero et impiis infliguntur ad poenam.*

Adde huc quod in homine tali, quem peccatum originale depravavit, quoad natura tantum constat, nec per gratiam instauratur, regnat una cum concupiscentia prava etiam Satan, qui eum vinculis servitutis suae constrictum tenet, in eoque operatur, ut conversetur in desideriis suis, faciens voluntatem carnis et cogitationum, ac originale quod a parentibus traxit peccatum actualibus cumulet, sitque filius irae, secundum apostolum (Ephes. 2, 3), *ut si in hac miserrima conditione sua moriatur, iusto tandem Dei iudicio in gehennam coniectus, aeternis ibi suppliciis plectatur, ut nec ignis eius, ut apud Esaiam scriptum est, exstinguatur, nec vermis moriatur* (Es. 66, 24).

---

1) *Hinc incipiunt editiones genevenses nullo generali titulo praemisso.*
2) turpibus *Bez. et Amst.* (unordentlichen, troubles).

1) intravit *Aug. Mog. Herg. et Calvini ed. germ.*

De redemptione per Christum Dominum nostrum.

[pag. 6] *Deus igitur, qui dives est in misericordia, nolens perire quos condiderat, filium suum misit in mundum* (Ioann. 3, 16), *ut quum impossibile esset homini se ipsum liberare, in Domino hoc nostro atque salvatore haberet redemptionem per sanguinem eius, ut scriptum est apud apostolum* (Rom. 3, 24 s.; Ephes. 1, 7).

Posuit enim Deus super eum iniquitates nostras, ut in corpore suo peccata ferret in cruce, affigens ea in ligno (Es. 53, 4). *Hic quum innocens pro nobis peccatoribus pateretur atque satisfaceret, redemit quidem nos, et Deum patrem ita placavit, ut idem pater miseros nos et peccatis inquinatos, ob sanguinem ipsius absolveret, ac sibi reconciliaret* (1 Petr. 2, 24). *Vere enim, inquit Paulus* (2 Cor. 5, 19), *erat Deus in Christo, mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum.*

Et quanquam Deus gratuito (Rom. 3, 24) *et propter nomen suum propitius est nobis, et iniquitates nostras delet propter se: tamen ne sine ullo sanctificationis pretio peccata remitteret, ad ostensionem iustitiae suae pro incomprehensibili sapientia et immensa bonitate sua, iustitiam cum misericordia miscuit, et voluit, ut pretium pro redimendis nobis filii sui sanguine* [pag. 7] *constitueretur, ut quas nos peccatores dare deberemus poenas, easdem agnus ille innocentissimus perferret in cruce, nosque e vulneribus ipsius, quod nobis miseris deesset redemptionis pretium mutuari, et ad liberationem salutemque nostram usurpare possemus, ut quum misereatur nostri benignissimus pater gratuito, non tamen misereatur nisi interveniente sanguine filii sui: ut quod nobis hic gratis contingit, id tamen merito ac iustitiae Christi acceptum ferre debeamus, ut quicunque gloriatur, in hoc Domino redemptore et salvatore nostro glorietur* (1 Cor. 1, 31).

De iustificatione.

Iam qui pretioso sanguine Christi redimitur, et cui meritum passionis Christi applicatur, continuo is iustificatur: hoc est, invenit remissionem peccatorum suorum, a reatu aeternae damnationis absolvitur, et relevatur[1]) *per spiritum sanctum, atque ita ex iniusto fit iustus. Nam Deus quando iustificat, non humano tantum more agit cum homine, ut ei ignoscat duntaxat, peccatum donet, et reum absolvat, sed facit etiam meliorem: id quod homines attribuere nec*[2]) *solent, neque possunt. Communicat namque cum illo de spiritu suo sancto, qui purificat cor eius, et per caritatem in eodem corde diffusam incitat, ut quod* [pag. 8] *bonum ac iustum est expetat, et expetitum opere ipso persequatur.*

Haec est vera illa iustitiae inhaerentis ratio, quam desiderabat David, quum hanc emitteret vocem: Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis (Psal. 51, 12). *De hac apostolus scribit* (1 Cor. 6, 11)*: Abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, et quum inquit: Deum secundum suam misericordiam nos salvos fecisse per lavacrum regenerationis et renovationis spiritus sancti, quem effudit in nos abundanter per Iesum Christum salvatorem nostrum: ut iustificati gratia ipsius, haeredes simus secundum spem vitae aeternae* (Tit. 3, 5).

Quanquam autem iustitia haec, quae e fonte legis spiritus profluit, longe est abundantior, quam fuit scribarum atque Pharisaeorum iustitia (Matth. 5, 20)*: tamen in iis qui hac praediti sunt nihilominus concupiscentia repugnat spiritui quoad hic vivitur* (Gal. 5, 17). *Eo fit, ut iidem illi mente quidem serviant legi Dei: carne autem legi peccati* (Rom. 7, 23), *et sine peccato non vivant* (1 Ioann. 1, 8).

Quum igitur homo plenam iustitiae inhaerentis perfectionem, quoad in hac terra vivit, non consequatur: certe Christus, qui factus est nobis sapientia, iustitia, sanctificatio, et redemptio a Deo (1 Cor. 1, 30), *nobis in hac etiam parte benignissime succurrit, quatenus et per communicationem iustitiae suae iustitiam hominis* [pag. 9] *de illa participantis inhaerentem ut efficit:*[1]) *ita auget, ut de die in diem renovetur, donec in aeterna patria plene perficiatur et per meritum sanguinis sui pretiosi atque iustitiam, quam constituit perfectissimam, impetrat homini indulgentiam: ut quod homo per infirmitatem suam minus potest, id per ipsius Christi perfectionem recuperetur ac condonetur.*[2]) *Hinc illa Ioannis consolatio: Filioli, haec scribo vobis, ut non peccetis, sed etsi quis peccaverit, advocatum habemus apud patrem Iesum Christum iustum, et*[3]) *ipse est propitiatio pro peccatis nostris* (1 Ioann. 2, 1).

Concurrunt quidem Christi meritum et iustitia inhaerens, ad quam renovamur per donum caritatis: inhaerens, ut ex ea pie, iuste ac sobrie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem et adventum gloriae magni Dei et salvatoris nostri (Tit. 2, 13). *Sed meritum Christi, ut sit iustitiae nostrae inhaerentis causa, et ut, quum in multis labamur omnes, ac propter infirmitatem imperfectionemque nostram multa occurrant, quae animos nostros turbare, et ad desperationem sollicitare possint, in eodem merito et pretioso Christi sanguine respiremus, ac inveniamus quo ad spem salutis firmissime niti valeamus. Nam in Christo Iesu Domino redemptore et salvatore nostro, quem induunt pii* (Gal. 3, 27), *et cum quo donantur eis omnia, secundum* [pag. 10] *apostolum* (Rom. 8, 32),

1) renovatur *Aug. Mog. Herg. et Calvini ed. germ.* (verneuert, renouvelé).
2) tribuere neque, *iidem.*

1) effecit, *iidem.*
2) Augustin. ctr. Faust. lib. 19, cap. 7.
3) et *om. Aug. Mog. Herg. et ed. Calv. germ.*

omnia nobis sunt firmissima, solidissima et perfectissima, ut eisdem ipsis ad spem vivam recte fulciamur.

De utilitate et fructibus iustificationis.

Habent quidem iustificati pacem ad Deum per Dominum nostrum Iesum Christum: eis namque Deus est placatus, misericors et propitius, ut sperare possint, si, quum inimici essent, Deus reconciliaverit sibi ipsos per mortem filii, multo magis futurum esse, ut reconciliati salventur, ut verbis apostoli, quae consolationis plenissima sunt, utamur (Rom. 5, 1 seqq.).

Item, qui iustificantur, iidem etiam adoptantur Deo filii, ut haeredes sint patris aeterni in coelis, cohaeredes autem Christi, autore Paulo (Rom. 8, 17)*: et iam habeant ius adeundae haereditatis illius, quae est vita aeterna.*

De modo, per quem homo iustificationem accipit.

Etsi Deus non ex operibus iustitiae, quae fecit homo, sed secundum suam misericordiam iustificat eum, idque gratis (Tit. 3, 5), *hoc est, sine merito eius, ut si gloriari velit in Christo tantum glorietur* (1 Cor. 1, 31), *cuius solius merito redimitur a crimine, et iustificatur: tamen Deus misericors non agit hic cum homine, ut cum trunco, sed trahit eum volentem, si adultus sit. Talis* [pag. 11] *enim non accipit beneficia illa Christi, nisi praeveniente gratia Dei mens eius atque voluntas moveatur ad detestationem peccati. Nam quum peccatum separet inter Deum et nos, ut Esaias inquit* (59, 2), *nemo ad thronum gratiae et misericordiae accedere potest, nisi qui prius per poenitentiam ab eodem peccato fuerit aversus. Itaque Ioannes, quum praepararet viam Domino, dixit: Agite poenitentiam, appropinquat enim regnum coelorum* (Matth. 3, 2).

Mox eadem gratia divina movet mentem in Deum per Christum, ut hic modus est fidei, per quam homo sine haesitatione credens scripturis sanctis et promissionibus quas eaedem afferunt, assentitur. Christus enim ipse, quum primo exegisset poenitentiam, mox fidem talem requirit, inquiens: Quoniam impletum est tempus, et appropinquat regnum Dei, agite poenitentiam, et credite evangelio (Marc. 1, 15).

Qui ita credit, et divinae[1]) *iustitiae timore, quo utiliter concutitur, ad considerandam misericordiam Dei et redemptionem per sanguinem Christi est conversus: hic erigitur, et movente*[2]) *gratia Dei, concipit fiduciam atque spem, ut credat praeter spem meriti sui, in spe misericordiae promissae* (Rom. 4, 18), *tribuens gloriam Deo: atque ita perducitur ad caritatem.*

1) a divinae *Aug. Mog. Herg. et ed. Calv. germ.*
2) monente *Bez. et Amst.*

Tali in Deum fide, quicunque misericordiae [pag. 12] *divinae ac Christi merito nititur, seque eisdem committit, accipit promissionem spiritus, et sic iustificatur per fidem in Deum, secundum scripturam* (Gal. 3, 24), *ut ei non solum remittatur peccatum, sed idem etiam sanctificetur et renovetur per spiritum sanctum: ea namque fides impetrat donum spiritus sancti, quo diffunditur caritas in cordibus nostris* (Rom. 5, 5). *Quae quatenus ad fidem et spem accedit, eatenus per iustitiam inhaerentem vere iustificamur. Haec enim iustitia, fide, spe ac caritate ita constat, ut si aliquam harum iustitiae huic subtraxeris, eandem ipsam mancam plane reliqueris.*

De caritate et bonis operibus.

Caritas autem, quae est finis praecepti et plenitudo legis (1 Tim. 1, 5; Rom. 13, 10), *simul ac iustificationem ingreditur, foecunda est, iamque omnium bonorum operum semina intra se ipsam includit: quae ut parata est ferre bonos iustitiae fructus* (Psal. 1, 3), *ita fert eos in iustificato*[1]) *quamprimum, et quoties debet, eique operandi facultas impedimento aliquo non adimitur. Itaque fides, quae per dilectionem non operatur* (Gal. 5, 6), *non videtur viva, sed sterilis potius ac mortua, autore Iacobo* (2, 20). *Quin imo homo quantalibet fide praeditus, si ei desit caritas, manet in morte, ut Ioannes testatur* (1 Ioann. 3, 14), *quum praesertim caritas iam* [pag. 13] *esse debeat pars vitae aeternae in nobis inchoatae, et tandem per glorificationem perficiendae. Quanquam enim fides et spes desinent, quum migraverimus in illa aeterna tabernacula, caritas tamen manebit* (1 Cor. 13, 8), *et*[2]) *in eadem ipsa introibit, ut secundum eam beatissime vivere, ac Deo, qui tum nobis erit omnia, sempiterno aevo frui possimus. Est tamen fides nihilominus vera, qua Christiani ab infidelibus discernuntur, quatenus scripturis et revelatis a Deo assentiuntur, etsi eadem a caritate disiuncta sit.*

Ex hoc maximo Dei dono, quod quanto magis in nobis augescit, tanto magis vetustas carnis nostrae imminuitur, quae manant tanquam e fonte bona opera, ad salutem cuiusque iustificati tam necessaria sunt, ut qui ea non fecerit continuo,[3]) *gratiam Dei amittat, et tanquam palmes inutilis exscindatur a Christo, et in ignem proiiciatur, ut Christus ipse in evangelio suo docet* (Ioann. 15, 6; Matth. 7, 19).

Et quanquam opera haec talia sunt, ut Deus iure quodam suo ea a nobis exigere possit, et sancti,

1) *Sic edd. authenticae. Genevenses mendose:* iustificatos, *ex quo Beza per conjecturam fecit:* iustificatis.
2) et nobiscum in *Aug. Mog. Herg. ed. Calv. germ.* (mit uns, avec nous).
3) *Pro* continuo, *iidem habent:* quum tenetur (da er soll, quand il y est tenu).

etiam si omnia quae ex[1]) *eis praecepta sunt, fecerint, et agnoscere et dicere debeant se esse inutiles servos* (Luc. 17, 10): *tamen quum ex caritate Dei*[2]) *profluant, et gratiae Dei effectus sint, ac quia Deus secundum suam voluntatem operantibus mercedem liberalissime promisit:* [pag. 14] *eadem et temporalium bonorum, et aeternae vitae remuneratione dignatur, secundum apostoli testimonium, inquientis: Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino* (1 Cor. 15, 58). *Non enim est iniustus Deus, ut obliviscatur operis vestri et dilectionis, quam ostendistis in nomine eius* (Hebr. 6, 10).

Ac iustificati iam ut[3]) *servi facti iustitiae, membra sua exhibentes serva iustitiae ad sanctificationem* (Rom, 6, 13), *cooperante gratia, bonis operibus abundant: et quanto magis eisdem abundant, tanto maiora iustitiae incrementa ipsis adiunguntur, ut qui iusti sunt iustiores fiant. Ne verearis, inquit scriptura, iustificari ad mortem* (Eccl. 18, 22). *Item: Qui iustus est, iustificetur adhuc* (Apoc. 22, 11); *et: Qui in Christo fructuosus est, repurgetur a patre coelesti, ut fructum copiosiorem ferat, ut Christus ipse docet* (Ioann. 15, 2). *Et haec est illa ex operibus iustificatio, de qua Iacobus frater Domini.*

Quod reliquum est, etsi opera a Deo mandata, ut necessaria ad salutem, sunt praecipue urgenda, iuxta illud Christi: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (Matth. 19, 17): *quae tamen praeceptis superaddita aut pie aut honeste suscipiuntur, ipsa etiam commendanda sunt, ne a spiritu sancto multa horum in scripturis sanctis commendante, discrepemus: alias relinquere aut vendere omnia, et sequi Dominum: item, servare virginitatem aut continentiam,* [pag. 15] *bonum et utile non esset. Quin imo David quum saltaret ante arcam, iure fuisset irrisus a Michol* (2 Sam. 6, 20). *Item, Paulus frustra remisisset salarium iis, quibus verbum Dei praedicaverat* (1 Cor. 9, 17).

Breviter, discernenda sunt opera supererogationis, quae supra praeceptum (ut verbo Chrysostomi utamur) fiunt, ab iis quae contra fiunt. Haec enim Christus ipse damnat, ut fermentum Pharisaeorum (Luc. 12, 1): *at illa spiritus sanctus in scripturis loquens commendat, inquiens: Voluntaria oris mei beneplacita fac, Domine* (Psal. 119, 108).

De fiducia remissionis peccatorum.

Hic cavendum est, ne aut homines faciamus securos nimis, sibique fidentes, aut anxia dubitatione in desperationem impellamus. Itaque quum Paulus dicat (1 Cor. 4, 4), *se quidem nullius peccati conscium, sed in hoc tamen non iustificatum esse: homo non potest sine dubitatione propriae infirmitatis aut indispositionis, credere sibi peccata remissa esse. Sed tametsi non debet se in se ipso iactare, non ita tamen terrendus est, ut de promissis Dei deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet, et desperet se remissionem peccatorum et salutem consequi posse: quin ei omnis spes et totius fiduciae certitudo esse debet in pretioso sanguine Christi, qui effusus est propter nos, et propter nostram salutem: in quo ipso respirare nos* [pag. 16] *atque confidere et possumus certo et debemus, confirmante nos spiritu sancto, qui dat testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei* (Rom. 8, 16).

De ecclesia.

Nunc de ecclesia, quae est universitas Christi fidelium, agendum videtur, in quam spiritus sanctus ita contrahit ac iungit renatos atque Christianos, ut sint una domus, unum corpus, ab uno baptismo et una fide: quae (autore Paulo) una est in omnibus Christianis (Ephes. 4, 4). *Itaque*[1]) *necesse est, vitam Christianorum, ut ad perfectum finem, quo tendit ecclesia, perveniatur, bonam esse ac piam: nemo tamen sibi ipsi persuadeat, ullam vitae probitatem sibi profuturam esse, nisi se huic fidelium unitati et communioni iunxerit atque accommodaverit. Sit igitur ecclesia domus Dei viventis et corpus illud, cuius caput est Christus: multi enim unum corpus sumus in Christo, inquit Paulus* (1 Tim. 3, 15; Ephes. 1, 22; 1 Cor. 10, 17).

Pro hac ecclesia idem Dominus noster Iesus Christus se tradidit, ut eam sanctificaret, mundans ipsam lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata (Ephes. 5, 25 sq.). *Ac quum ecclesia unica sit illa columba* (Cant. 6, 9) *et corpus unum, certe ut hanc solam spiritu suo sanctificat* [pag. 17] *et fovet Christus: ita extra eam bona*[2]) *gratiae suae tribuit nemini. Qui igitur in communione huius corporis non est, nihilo magis spiritu sancto vivificatur ad salutem aeternam quam ullum membrum naturale a corpore suo abscissum atque avulsum ad vitam naturalem: eo quod spiritu vitali ab uno suo capite defluente, non amplius vegetatur. Itaque credendum est, neminem extra ecclesiam christianam et communionem eius spiritualem vitam aeternam consequi posse.*

Communionis autem huius eam esse rationem, ut quum spiritus Christi ab eo ut capite delabatur in corpus suum, hoc est, ecclesiam et omnia membra eius

---

1) ex *cum iisdem omittendum.*
2) Dei *perperam additum testibus iisdem.*
3) et *Mog. Aug. Herg. Ed. Calv. germ. Sic etiam Gallus, non vero germ. exemplar authenticum.*

1) Itaque etsi *scribendum cum iisdem* (combien que, wiewol.
2) dona *Edd. authenticae germ. et lat. Item Gallus et ed. Calv. germ.*

permeet, singula membra percipiant ex eo, quantum sibi satis sit ad salutem: et quod singulis bonum contingit, id omnibus commodare, atque adeo universitati ipsi consulere. Nam (ut ait apostolus Ephes. 4, 16) crescunt membra in caritate per omnia in illo, qui est caput Christus: ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit in aedificationem sui in caritate. In tali coniunctione atque societate hominum est summa coniunctio, dum membra pro se invicem sollicita sunt, et sive patitur membrum unum, compatiuntur [1]) omnia membra, sive gaudet [pag. 18] unum membrum, congaudent omnia membra (1 Cor. 12, 26).

Et quanquam ecclesia, quatenus constat membris talibus, quae secundum caritatem vivunt, sanctorum est tantum, et eatenus spiritualis et invisibilis: eadem tamen etiam sensibilis est, qualem Christus ipse monstrat, inquiens: Dic ecclesiae (Matth. 18, 17). Ad hanc eandem pertinent episcopi, qui regunt populum, quem Christus sanguine suo acquisivit. Pertinent alii item ministri. Dedit namque Deus quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios pastores et doctores (Ephes. 4, 11).

Ad hanc eandem ecclesiam pertinet verbum Dei, quod in aures influit: pertinent sacramenta, pertinent claves ligandi atque solvendi, [2]) pertinet potestas coercendi per excommunicationem, pertinet ius ordinandi ministros ecclesiae, pertinent vocationes ad munera ecclesiastica, pertinet denique ius sanciendi canones.

Debent autem quae ad sensibilem et externam ecclesiae partem pertinent servire ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi (Ephes. 4, 12). Iam in ecclesia non solum sancti, sed etiam mali, ut eius membra, licet arida, versantur: unde eam Christus modo reti in mare iacto, et tam bonos quam malos pisces comprehendenti, modo agro seminato, bonas fruges et zizania simul [pag. 19] ferenti, comparat (Matth. 13, 24. 47): nam qui membra facti sunt ecclesiae per baptisma, recidunt saepe in crimina: faciuntque se servos peccati atque aeternae damnationis reos. Et quanquam gratiam communionis sanctorum et spiritualis ecclesiae amittunt, haerent tamen nihilominus in externa Christianorum societate atque ecclesia: audiunt verbum Dei, et sacramenta capiunt, et alia item sensibilia cum ecclesia habent communia, nisi vel per excommunicationem iustam, vel per schisma, vel per haeresin, vel per defectionem a fide christiana abscindantur.

Misera est quidem conditio eorum, qui ex peccato mortali languent, et a spirituali communione remoti, in periculo aeternae damnationis versantur. Sed quia tamen eis verbum Dei audire, et sacramentis item uti licet, utiliter hisce tanquam instrumentis divinae gratiae in communionem sanctorum restitui facilius possunt: praesertim quum in ecclesia etiam externa spiritus sanctus salutem per verbum Dei et sacramenta operetur.

Verum schismatici, haeretici, et a fide christiana desciscentes, quia non solum a spirituali sed etiam externa ecclesiae societate seiuncti sunt, quamdiu in hoc calamitoso sunt statu, non habent quo possint iuvari ac recreari. Imo tanquam membra a toto ecclesiae corpore abscissa, in suam ipsorum perniciem putrescunt, non [pag. 20] digni qui in ulla corporis Christi parte consistant, cuius unitatem tam turpiter scindunt atque lacerant. Hinc illud apostoli: Hominem haereticum post unam et alteram admonitionem devita, sciens quia subversus est qui huiusmodi est, et delinquit, quum sit proprio iudicio condemnatus (Tit. 3, 10. 11).

De notis et signis ecclesiae verae.

Ac quoniam varii sunt coetus humanae consociationis, operae pretium est notas et signa, quibus ecclesia ab aliis societatibus humanis discernatur, nosse: quum praesertim, qui ab ecclesia vera deficiunt, schismatici atque haeretici constituant suos coetus, eisque autoritatem et nomen ecclesiae adiungere non dubitent, et alii eorum alio in loco Christum esse dicant: a quibus ut caveamus nobis, Christus ipse monet (Matth. 24, 26).

Sunt igitur signa ecclesiae verae, hoc est, magnae illius domus, in qua non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quaedam in honorem, quaedam in contumeliam (2 Tim. 2, 20): doctrina sana, et rectus sacramentorum usus, quibus ab ethnicorum et Iudaeorum coetibus ecclesia disiungitur: quorum utrique et sana doctrina et sacramentis Novi Testamenti carent.

Tertium signum est unitas, quae vinculo caritatis et pacis continetur, ac membra ecclesiae ita conglutinat, [pag. 21] ut non solum quod perpetuus sanctorum consensus ab apostolis usque ad nos recepit et approbavit, idem sentiant, sed etiam idem loquantur, monente apostolo: Obsecro autem vos per nomen Domini nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata: sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia (1 Cor. 1, 10).

Quartum signum ecclesiae verae est, quod sit catholica et universalis, hoc est, per omnia loca et tempora diffusa, et per apostolos eorumque successores continuata usque ad nos successione, propagata usque ad fines terrae, iuxta promissiones Dei: Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae (Psal. 2, 8). Item: Multi venient ab occidente et oriente, et recumbent cum Abraham,

1) patiuntur iidem.
2) absolvendi iidem.

Isaac et Iacob, in regno coelorum (Matth. 8, 11). *Item: Et eritis mihi testes in Hierosolyma, et in omni Iudaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* (Act. 1, 8). *Item: Et ego rogabo patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere* (Ioann. 14, 16. 17).

Haec duo signa distinguunt ecclesiam christianam a schismaticorum atque haereticorum gregibus, qui vinculum pacis rumpunt, et a catholica unione se ipsos in suam ipsorum perniciem divellunt, dum partem suam [pag. 22] *toti atque universae ecclesiae anteferunt.*

De autoritate et potestate ecclesiae.

Etsi scriptura, ut Christus inquit (Ioann. 10, 35), *solvi non potest, et idcirco immobilis et omni humana autoritate maior est: tamen fuit penes ecclesiam autoritas discernendi scripturas veras ab adulterinis. Hinc est ille*[1]) *canon scripturarum, qui germanas a falsis, quae sub nomine apostolorum atque discipulorum Domini obtrudebantur, discrevit.*

Et ut ecclesia huius rei autoritatem potestatemque habuit semper, sic etiam interpretandi atque adeo ex eisdem scripturis eliciendi et explorandi[2]) *dogmata: quippe quum huic spiritus sanctus non desit, qui ipsam in omnem ducat veritatem, quemadmodum Christus ipse promisit. Hinc illud Petri: Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit, sed spiritu sancto inspirati loquuti*[3]) *sunt sancti Dei homines* (2 Pet. 1, 20). *Atque haec interpretandi potestas cum primis necessaria est, in iis praesertim quae difficilia sunt intellectu: id quod res ipsa docet.*

Habet praeterea ecclesia traditiones a Christo et apostolis per manus episcoporum ad haec usque tempora delatas: quas qui convellit, is negat eandem columnam esse et firmamentum veritatis. Huius generis sunt baptismus parvulorum et alia.

[pag. 23] *Constat item, potestatem coercendi atque excommunicandi esse penes ecclesiam, idque ex instituto Christi de potestate ligandi* (Matth. 16, 19). *Huic consentaneum est illud apostoli: Tollite malum ex vobis* (1 Cor. 5, 13).

Habet item potestatem iuris dicendi. Nam cui competit ius coercendi, et potestas iuris dicendi deesse non potest.

Ac, si quaestiones dubiae oriantur in ecclesia, habet quidem haec potestatem iudicandi de eisdem atque decernendi, idque per synodum, et quod haec, in spiritu sancto legitime congregata, decernit, spiritus ipse sanctus decernere videtur, iuxta illud concilii Hierosolymitani: Visum est spiritui sancto et nobis (Act. 15, 28). *Itaque saluberrimam esse conciliorum autoritatem, dubitare debet nemo.*

Et quod ex eodem concilio Hierosolymitano intelligitur, est etiam penes ecclesiam potestas constituendi canones: idque ad utilitatem ecclesiae, cuius potestas omnis est ad aedificationem et non ad destructionem.

De ministris ecclesiae.

Habet ecclesia doctrinam divinitus traditam, quae populo explicanda est. Habet sacra et externa, quae pie et salubriter ad utilitatem Christianorum tractanda sunt atque [pag. 24] *explicanda, quo minus ministri, qui muneribus ad has res necessariis funguntur, eidem ecclesiae deesse vel possunt vel debent. Ac munera quidem haec, omnibus Christianis communia non sunt: verum Deus ipse initio dedit quosdam quidem apostolos, quosdam prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi* (Ephes. 4, 11).

Itaque tempore apostolorum non omnibus data fuit potestas ad functionem munerum ecclesiae, sed certis tantum, iisque ad eadem ipsa segregatis. Nam quum Antiochiae esset Barnabas, Lucius, Manahen et Saulus, ministrantibus illis Domino (ut Lucas in Actibus apostolorum 13, 1 *scripsit) et ieiunantibus, dixit illis spiritus sanctus: Segregate mihi Saulum et Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. Cavendum est igitur nobis, ne spirituale sacerdotium quod omnibus Christianis, quos spiritus sanctus unxit, commune est, cum hoc externo atque ministeriali, quod non omnium est, sed eorum tantum qui ad hoc vocati atque rite ordinati sunt, confundamus: quod sine gravi ac perniciosa ecclesiarum perturbatione atque calamitate accidere non potest.*

De pontifice summo et episcopis.

Atque ut ecclesia, quae est unius capitis, [pag. 25] *hoc est, Christi unum corpus, eo facilius in unitate contineri posset, etsi multos habet episcopos, qui populum eius, quem Christus pretioso sanguine suo acquisivit* (Act. 20, 28), *regant, idque iure divino: unum tamen in remedium schismatis, qui caeteris omnibus praesit cum plenitudine potestatis, summum pontificem habet, idque pro praerogativa Petro concessa: quod ipsum quam utile sit ad avertenda ab ecclesia schismata, satis constat iis qui non ignorant, a contemptu huius summi sacerdotis plerumque schismata orta esse, ut Cyprianus scribit, et res ipsa testatur.*

Qui igitur cathedram Petri tenet summus pontifex, eo iure quo Petrus accepit a Christo, dicente: Pasce oves meas (Ioann. 21, 15), *universam ecclesiam et gubernat et gubernare debet.*

Qua tamen potestate sua uti debet non ad de-

---

1) est ille *omitt. Aug. Mog. Herg. et. ed. Calv. germ.*
2) explanandi *iidem* (erklären, expliquer).
3) sic loquuti *iidem* (also). *Non vero Gallus.*

structionem, sed ad aedificationem (2 Cor. 13, 10). *Hanc autem plenitudinem potestatis sic videtur Christus Petro, eiusque successoribus dedisse, ut reliquis episcopis partem sollicitudinis eius commissae non abstulerit, sed suarum ecclesiarum et dioecesium veros iure divino episcopos esse voluerit. Debent autem christiani homines*[1]) *et pontifici summo, et singulis suis etiam episcopis parere, iuxta illud apostoli: Obedite praepositis vestris, qui vigilant pro animabus vestris* (Heb. 13, 17).

De sacramentis in genere.

[pag. 26] *Sacramenta duabus potissimum de causis divina autoritate instituta sunt. Altera, ut sint signa et notae quaedam magnae illius congregationis, quae est ecclesia: in nullum enim nomen coagulari homines possunt, nisi aliquo signaculorum vel sacramentorum visibilium consortio colligantur.*[2]) *Quamobrem Dominus noster Iesus Christus societatem novi populi sacramentis numero paucissimis, observatione facillimis, significatione praestantissimis colligavit: baptismo videlicet, confirmatione, eucharistia, poenitentia, extrema unctione, ordine et matrimonio.*

Altera vero est, ut non solum significent, sed etiam sanctificent et conferant invisibilem Dei gratiam, non propria rerum externarum virtute, aut merito ministri, sed Domini instituentis ac secretius operantis. Itaque etsi decet bonum esse sacramentorum ministrum, tamen malus etiam potest ea utiliter dispensare.

De baptismo.

Ac primo quidem, quia homini ad salutem necessarium est, ut regeneretur in novam creaturam, quum alias natura sit filius irae (Ephes. 2, 3)*: instituit Christus ipse sacramentum baptismi, ut sit lavacrum illius regenerationis* (Tit. 3, 5), [pag. 27] *quod sane homini non minus est necessarium ad vitam novam atque spiritualem, quam nativitas carnalis ad vitam naturalem. Nec salutem quisquam consequi potest, nisi aqua et spiritu sit renatus, ut Christus ipse testatur* (Ioann. 3, 5).

Hoc igitur sacramentum abluit nos, sanctificat, iustificat: hoc sacramentum facit, ut consequamur remissionem peccatorum nostrorum originalium atque actualium. Hoc denique sacramentum tale est omnino, tamque salutare, ut qui eo initiatur, induat Christum, ut Paulus scribit (Gal. 3, 27).

Constat autem sacramentum hoc verbo Dei et aqua. Nam simul ac verbum ad elementum accedit, fit sacramentum, cuius lavacro regeneramur et mundamur ab omni peccato. Itaque quoties aquam corpus abluentem cernimus foris: toties spiritum, quem non cernimus, intus plus operari cogitemus.

Iam formam verborum, sine quibus mysterium hoc confici non potest, Christus apostolis tradidit, quum praeceperit ut in nomine patris, et filii, et spiritus sancti baptizarent (Matth. 28, 19). *Huic praecepto Domini, quoties baptismus confertur, et fides accipientis, si adultus sit, pro infantibus vero, quum suscipientium eos et pro ipsis confitentium, tum totius ecclesiae fides et fungentis ministri verbum innititur, quatenus hic ait: Ego te baptizo in nomine* [pag. 28] *patris, et filii, et spiritus sancti.*

Ac nobis quidem videtur, ad excitandam fidem consolationemque adultorum vehementer pertinere, ut intelligant, qui in nomine patris, et filii, et spiritus sancti baptizantur, se iam potestate, virtute et potentia patris, et filii, et spiritus sancti consecrari ac sanctificari, seque totos reconciliari Deo, et iam peculium Dei fieri, qui est pater, et filius, et spiritus sanctus: in cuius tutelam iam transeunt, seque foedere sempiterno cum Deo iungunt, quatenus diabolo eiusque operibus abrenunciant, promittuntque se Deo militaturos.

Quod autem ad munus baptizandi attinet, etsi hoc ad sacerdotes maxime pertinet, tamen laicus etiam recte et utiliter in casu necessitatis baptizare potest: nec si haereticus baptizaret, dummodo debita materia, forma ac intentione utatur, sacramentum hoc iterandum est, quum hoc idem non dignitate ministri, sed veritate verbi divini et spiritus sancti virtute constet.

Quanquam autem baptismus aufert omnia inquinamenta nostra secundum scripturas, hic tamen non omnem vitiatae naturae languorem aufert, ut supra etiam monuimus: relinquit enim concupiscentiam ad malum inclinantem, reatu ipso sublato. Concupiscentia [pag. 29] *autem illa contra bonum in homine spiritum pugnare non desinit, quoad in hac terra vivimus* (Gal. 5, 17).

In quo tamen ipsa baptismi virtus nobis non deest, ut quae non solum peccati omnis reatum semel ademit, sed contra concupiscentiam adhuc haerentem in nobis et desideriorum bella cientem firmat vires nostras per spiritum sanctum: quo ipso ita munimur contra omnem concupiscentiae vim, ut resistere ei ac praevalere possimus, monente apostolo: Spiritu ambulate, et desideria carnis non perficietis (Gal. 5, 16). *Hactenus de baptismo.*

De confirmatione.

Atque ut homini ad vitam corporis non solum necesse est ut nascatur ac sit, sed etiam ut crescat atque nutriatur, ita eidem ad salutem non solum necesse est regenerari, verum etiam in bono confirmari, et per virtutem spiritus sancti augeri: in quam rem institutum est sacramentum cum primis utile, ipsa ni-

1) Christiani omnes. *Aug. Mog. Herg. Ed. Calv. germ. assentientibus exx. germanico et gallico.*
2) colligentur *iidem* (zusammengezogen, liés).

mirum confirmatio, quam celebrarunt apostoli, quum Samaritanis imponerent manus, cum utili huius efficacia, ut in Actibus apostolorum scriptum est (Act. 8, 17)*: et quod hic egerunt apostoli Christi nomine fecerunt: et in mysterio hoc inducendo, non aliter quam in aliis partibus muneris sui, vicem Christi gessisse videntur* [pag. 30]. *Innititur autem mysterium hoc promissionibus Christi de gratia spiritus sancti, huiusque missione: Ego mittam promissionem patris mei*[1]) *in vos* (Luc. 24, 49). *Item: Paracletus autem spiritus, quem mittet pater in nomine meo, ille docebit vos omnia* (Ioann. 14, 26).

Et quanquam sacramentum confirmationis initio impositione manuum tantum celebratum fuit, tamen ecclesia sub ipsis statim apostolorum temporibus ex eorundem traditione, ut externo signo internam spiritus sancti unctionem designaret, ritui eius adhibuit chrisma, cum impressione signi sanctae crucis: quem morem, eumque pervetustum, ecclesia catholica approbare non desinit. Et credit, quos famulos suos Deus regeneravit ex aqua et spiritu, eosdem hoc mysterio ita consignari, ut septiformem spiritum sanctum paracletum de coelis, spiritum sapientiae et intellectus, spiritum consilii et fortitudinis, spiritum scientiae et pietatis ac timoris, capiant (Es. 11, 2). *Haec quum credat et in huius sacramenti administratione testificetur ecclesia catholica, quae est optima mysteriorum Dei interpres: qui aliter sentit, eandem negat veritatis columnam esse atque firmamentum* (1 Tim. 3, 16).

Vis igitur sacramenti huius est, ut qui eo confirmantur, accipiant spiritum sanctum, quo in via salutis progredi, perseverare, et [pag. 31] *tentationibus atque insidiis carnis, mundi, diaboli feliciter resistere possint.*

At[2]) *quia plerique eorum qui baptizantur, infantes sunt, nec fidei professionem per se edunt, conveniet ut pueri, quum iam adulti, de religione Christi iam satis instructi, ad percipiendum confirmationis sacramentum accedunt, fidem Christi et obedientiam ecclesiae suo etiam ore profiteantur, et ieiuni atque confessi hoc sacro mysterio initientur, quemadmodum per concilium Aurelianense constitutum est. Non tamen censemus, propterea parvulos ab hoc sacramento repellendos esse, quum Christus ipse non dubitarit eis manus imponere* (Marc. 10, 14)*: non enim legem hic damus ecclesiis.*

Minister autem huius sacramenti sit episcopus: id quod consensu totius ecclesiae catholicae et apostolorum praxi comprobatur.

De sacramento poenitentiae.

Ac quoniam homines renati saepe in gravia crimina incidunt, instituit Christus sacramentum poenitentiae, quod post baptisma sit nobis tanquam secunda tabula in naufragio. In hunc enim usum tradidit clavem solvendi, inquiens: Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis (Ioann. 20, 23). *Simulac enim peccatorem peccati sui poenitet* [pag. 32] *vere, idemque cum fiducia accedit ad thronum misericordiae, et credit hoc sacramento accipi, quod Christus promisit, fit ei sicuti credit: nec deest sacramento huic quod promissum est. Ut enim sacramenta alia, sic et hoc vim habet sanctificandi. Consistit autem sacramentum hoc in absolutione sacerdotis, quae instituto et verbo Christi nititur, qui in hanc rem potestatem suam delegat sacerdotibus, inquiens: Sicut me misit pater, et ego mitto vos: accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.*

Sed quia tamen sacerdos non solum habet potestatem remittendi, verum etiam ligandi, quum utraque simul divinitus tradatur: videtur eatenus potestatem iudicandi accipere, quatenus hanc utriusque clavis potestatem accipit: nec eam exercere posse, nisi intelligat utrum remittere an retinere debeat. Tale autem iudicium non potest aliunde, quam ex confessione oris et peccatorum enumeratione hauriri. Nam quum pleraque hominum delicta sine teste committantur, occulta autem crimina animam etiam saucient atque obsideant,[1]) *ac manifestis interdum graviora et periculosiora sint, sacerdos de his non sane iudicare potest, nisi qui commisit ea recenseat et confiteatur, et haec sua quasi vulnera ipse aperiat.*

[pag. 33] *Itaque quatenus ad sananda hominum delicta poenitentiae remedium monstratum est, eatenus etiam confessio poenitentis, cum enumeratione peccatorum, nobis commendata videtur: quare ut sacramentum poenitentiae tanquam salutare et necessarium probandum est populo christiano, ita ipsa etiam confessio et peccatorum enumeratio, quae ut non nimis laxanda est, ita vicissim non nimis astringenda. Delicta enim quis intelligit* (Psal. 19, 13)*? Itaque enumeranda sunt peccata, quae non quidem anxie nimis, sed tamen diligenter cogitanti et sese excutienti in mentem veniunt. Quae autem in mentem non veniunt, generali confessioni recte includuntur, et nihilo minus ea remittuntur, quam si ea confitendo enumerasset. Et quoniam hic ex absolutione quaeritur venia, non tantum oneris imponit confessio, quantum consolationis absolutio credenti affert.*

Iam etsi illa satisfactio, quae culpam et aeternam poenam expiat, soli Christo tribuenda est, satisfactio tamen quae in poenitentiae fructibus consistit, maxime autem ieiunio, eleemosyna et oratione, sive a nobis ipsis suscepta, sive a parochis et dispensatoribus sacramentorum iniuncta: si ex fide et caritate peragitur,

1) mei *omitt. exemplaria authentica utriusque sermonis, item Ed. Calv. germ. et Herg.*
2) Ac (auch, et) *edd. eaedem.*

1) occidant (tödten, tuent) *edd. eaedem.*

peccatorum causas exscindit et peccati reliquiis medetur; ac temporalem poenam [pag. 34] vel tollit, vel mitigat, et in exemplum denique adhibetur.

Sed ut ad absolutionem sacerdotis, in qua consistit vis sacramenti poenitentiae, redeamus: forma eius et verbum tale esse debet, ut qui confitetur, audire atque intelligere possit sibi virtute, merito ac beneficio Christi peccata remitti, iuxta huius institutum et verbum: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Nam hoc munus est Dei, quum ministerium sit sacerdotis, ut verbis Ambrosii utamur.

De sacramento eucharistiae.

Qui iam per sacramentum poenitentiae revixit in Domino, ei item necesse est ali, et in bono spirituali crescere. Instituit igitur Christus sacramentum eucharistiae sub visibili specie panis et vini, quod verum Christi corpus et sanguinem nobis praebet, et hoc spirituali cibo unit nos sibi (Ioann. 6, 53 seqq.), ut capiti et membris corporis sui, ut in ipso ad omne bonum enutriamur, et cum sanctis, in eorumque communione, augescamus per caritatem. Unus enim panis, unum corpus multi sumus, omnes qui ex uno pane participamus, inquit Paulus (1 Cor. 10, 17).

Forma autem huius sacramenti sunt verba illa solennia, quae Christus ipse dedit: Hoc est corpus meum: et iterum: Hic est enim calix sanguinis [pag. 35] mei etc. (Matth. 26, 26 ss.).

Quod si igitur Christo et verbo eius tantum tribuimus, quantum debemus: dubium non est quin simulac verba eadem accedunt ad panem et vinum, ex his fiat verum corpus et verus sanguis Christi, quatenus panis ac vini substantia in verum Christi corpus et sanguinem transmutatur: quod qui negat, idem Christi omnipotentiam in dubium vocat, et eundem ipsum vanitatis insimulat.

Quo magis cavendum est, ne indigne hoc sacramentum sumatur. Scriptum est enim: Nam qui edit aut bibit indigne, iudicium sibi edit ac bibit, non diiudicans corpus Domini. Propter hoc multi inter vos infirmi sunt ac imbecilles, et dormiunt multi (1 Cor. 11, 29 seq.). Indigne autem sumit sacramentum illud, quicunque aut aliter de eo sentit quam oporteat, aut non vere resipiscit. Nam ut Augustinus inquit, mutet vitam, qui vult accipere vitam: nam si non mutet vitam, ad iudicium accipiet vitam: et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur: magis occiditur, quam vivificetur. Itaque probanda est consuetudo ecclesiae, quae hominem non ante ad sacramentum eucharistiae ducit, quam poenitentiae sacramentum eum repurgarit.

Habet eucharistia vim roborandi in bono spirituali: cui rei non sane ullus est locus nisi repurgatio peccatorum antecesserit. In quo ipso imitari debemus bonos medicos, [pag. 36] qui non ante praebent quae roborare ac confirmare possunt, quam malos humores e corporibus eiecerint: quod nisi fecerint, non prosunt aegroto, sed magis obsunt. Iam quanto maior hic adhibenda est cautio, ne indigne sumas: tanto plus consolationis capiunt, qui eucharistiam digne ac pie sumunt, et cogitant se pane e coelo descendente, qui vitam dat mundo, vesci, et ex hoc verum atque spirituale robur contra omnia mala percipere.

De sacra unctione.

Sacramenta, quae paulo superius posuimus, magnam sane et multiplicem utilitatem generi humano afferunt: dum aut ex vetustate carnis languentes regenerant, aut regeneratos in gratia quam acceperunt confirmant, aut relapsos in gratiam unde deciderunt restituunt, aut restitutos Christo firmius uniunt: in quem usum, eumque salutarem, non deest sacramentis gratia Christi, sed haec potius per eadem veluti instrumenta hominibus tribuitur. Quanquam igitur horum sacramentorum utilitas latissime per omnem vitam patet, tamen ne homo, quum aegrotat, desideret subsidium peculiare, quod hoc eius periculosissimo tempore, vel corpori ipsius subvenire, vel animam contra ignita Satanae tela munire possit, instituta est unctio sacra, ad [pag. 37] quam oratio ecclesiae accedat. Hanc unctionem primi exercuerunt apostoli: qui mandato Domini ad praedicandum evangelium missi, daemonia eiiciebant, et oleo ungebant multos infirmos, et sanabantur (Marc. 6, 13). Quae utique sacramentalis et mystica, non medicinalis aut corporalis, unctio fuit: ad quam inter initia fidei, externa etiam corporis sanitas, quasi quoddam internae sanationis signum, consequebatur, quemadmodum in aliis sacramentis, ad commendationem et confirmationem rudis adhuc fidei, interna virtus externis et sensibilibus signis et miraculis demonstrabatur. Nunc vero adulta et corroborata fides signa quae infirmis dantur non requirit.

Huius mysticae et salutaris unctionis a Domino fundatae ritum, quo administrari eam conveniat, apostolus Iacobus promulgavit: Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros ecclesiae, ut orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus, etc. (Iac. 5, 14).

Quanti autem in ecclesia esse debeat testimonium fratris illius Domini, testimonium dicimus, imo vero promulgatio: quam quum fecit legatus atque apostolus Christi, Christus ut a se factam procul dubio ratam habuit. Qui igitur contemnit hoc sacramentum, Christum ipsum contemnere, et gratiam quam hic per unctionem sacram nobis quodammodo [pag. 38] porrigit, aspernari videtur: atque hoc fuerit tanto periculosius, quanto gravius est discrimen, in quo aegrotus versatur, non solum corporis, sed etiam animae, in quod potestates tenebrarum eum adducunt, quatenus in extremo vitae tempore,

omnes quasi machinas ad exstinguendam salutem hominis admovent, eiusque animum terroribus incredibilibus frangere, et in desperationem impellere conantur.

Unctionem quidem hanc sacram, solis infirmis adhibendam Iacobus apostolus insinuat, quod reliqui etiam apostoli servaverunt: non tamen in omnibus, sed periculosis modo infirmitatibus, et ubi vitae huius interitus timetur, exercenda est mystica illa unctio.

De sacramento ordinis.

Quod autem ad ministeria ecclesiae attinet, quanto haec maiora sunt, tanto magis dono Dei ac gratia egent. Quanquam enim Christiani omnes sunt sacerdotes, quatenus spirituales hostias Deo offerre, et nomen item eius in omni loco utiliter invocare possunt: non omnes tamen sunt ecclesiae ministri, sed iam inde ab ortu ecclesiae segregati sunt quidam in ministerium ecclesiae, qui huius muneribus fungerentur: et eosdem ita distinxit Deus, ne iidem omnia possent, neve ex [pag. 39] *promiscua illa ratione perturbatio nasceretur. Neque enim Deus est confusionis autor* (1 Cor. 14, 33). *Institutum est igitur sacramentum ordinis, cum signo impositionis manuum, et aliis huic sacramento congruentibus ritibus, quo qui consecrarentur, ad munera ecclesiae acciperent gratiam, qua ad eadem ipsa munera administranda apti, habiles atque idonei efficerentur. Hinc illud apostoli ad Timotheum: Noli negligere gratiam quae in te est, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii* (1 Tim. 4, 14).

Hoc autem ordinis sacramentum verbis Christi nititur: Sicut me misit pater, et ego mitto vos: accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis (Ioann. 20, 22 s.). *Item: Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae* (Marc. 16, 15). *Item: Euntes, docete omnes gentes, baptizantes eas* (Matth. 28, 19). *Item: Hoc facite in meam commemorationem* (Luc. 22, 19). *Quibus igitur in perpetua ecclesiae successione manus imponunt episcopi, ut ordinibus initientur, potestatem muneris sui exsequendi dant: quae sane duplex est, ordinis videlicet et iurisdictionis. Sub alteram cadit ministerium verbi divini, administratio sacramentorum, et ecclesiarum ordinatio ad aedificationem: sub alteram vero, potestas excommunicandi et poenitentes absolvendi. Ordines autem quos catholica ecclesia agnoscit sunt hi septem,* [pag. 40] *presbyterorum, diaconorum, subdiaconorum, acolytorum, lectorum, exorcistarum, ostiariorum, quibus distincta munera, eaque aut necessaria ecclesiis, aut utilia, assignari debent: ut facile appareat, eum de ecclesia christiana male mereri, quicunque ordines hos vel spernit vel tollit.*

De sacramento matrimonii.

Instituerat Deus in paradiso matrimonium, quo mas et foemina ad perpetuam et individuam vitae societatem coniungerentur, iuxta verbum Domini: Quamobrem homo relinquet patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una (Matth. 19, 5).

Quanquam autem matrimonium ad tam arctam hominum societatem institutum erat, tamen sub lege patrum matrimonia a prima institutione duobus modis degeneraverunt: videlicet, ut et unus plures uxores duceret, et ductam aliquando dato libello repudii a se dimitteret: quorum prius ex dispensatione Dei permissum, futuri temporis mysterio serviebat, ut per plures unius viri uxores insinuaret, Christum tam ex synagoga, quam ex multitudine gentium, ecclesiam sibi collecturum, et sponsam sibi adiuncturum: et ut foecunditate plurium uxorum, Christo salvatori ex eodem semine nascituro servirent.

Repudium vero [pag. 41] *Moyses populo ob duritiam cordis permisit* (Deut. 24, 1; Matth. 19, 8), *levius ducens, uxorem a viro odio habitam dimitti, quam occidi, ut caede eius novis nuptiis locum aperiret.*

Verum postquam plenitudo gratiae Dei[1]) *venit, ut alia, quae vel in coelo vel in terra essent, restauravit Christus, sic etiam matrimonium restituit. Hinc illud Christi: Qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos Deus,*[2]) *et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae et erunt duo in carne una. Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quos igitur Deus coniunxit, homo non separet. Et paulo post: Moyses ob duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras, ab initio autem non fuit sic. Quamobrem quicunque dimittit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur. Quod apostolus interpretatur, quum ait: Iis qui matrimonio iuncti sunt praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere: quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari* (1 Cor. 7, 10).

Hae itaque christiani matrimonii singulares conditiones, manifestis scripturae sanctae testimoniis comprobantur. Una, ut sit matrimonium duorum tantum, hoc est, viri unius cum una muliere coniunctio. Duo, inquit, erunt in carne una. Nec sic iunctis liceat, defraudato coniuge suo, alicui tertio corporis [pag. 42] *sui potestatem permittere, prohibente apostolo et dicente: Mulier potestatem corporis sui non habet, sed vir: similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier* (1 Cor. 7, 4). *Altera conditio est ut vinculum coniugii inter duos semel colligatum nullo amplius divortio sed sola alterutrius morte dissolvatur. Nam quod Christus ob fornicationem dimitti posse uxorem insinuat, haec separatio thori et mensae consuetudinem*

---

1) Dei *omitt. edd. authenticae et quae easdem sequi solent.*
2) Deus *om. eaedem.*

inter coniuges scindit, vinculum coniugii non solvit, ita ut adulterium committat, ut [1] *alienam contrectans uxorem, quisquis sic dimissam duxerit.*

Quoniam igitur Christus matrimonium gratia sua melius fecit, et arctiori quasi vinculo constrinxit, ut quemadmodum Christus unius ecclesiae unus est sponsus, idque indissolubili nexu, sic unius uxoris unus sit maritus, idque perpetua coniunctione, et similiter atque Christus cum ecclesia sponsa sua perpetuo iungitur: quare matrimonium non solum coniunctio est maris atque foeminae, sed etiam sacramentum, ob gratiam Christi, quae ei nunquam deest: ut quum vir uxorem suam diligere possit, perinde quasi Christus ecclesiam (Ephes. 5, 25), *sic ille cum hac colat societatem individuam, ut una sit in perpetuum contentus. Nec cum hac invita divortium faciat, exceptis causis quae iure divino explicantur.*

[pag. 43] *Ac quoniam Deus fovet matrimonium gratia sua, idemque approbat, quatenus coniuges inter se matrimonium contrahunt, signum datur illustre, ad sperandum,* [2] *consuetudinem ipsorum quum bonam esse per se, tum Deo gratam. Et quanquam prolis procreandae causa matrimonium potissimum contrahi debet, tamen qui contrahit etiam fornicationis vitandae causa non peccat. Habeat enim unusquisque uxorem suam propter fornicationem, inquit Paulus* (1 Cor. 7, 2). *Vis igitur sacramenti huius est, ut intelligant coniuges, se non humana sed divina autoritate coniunctos gratiam accepisse, qua ipsis legitimus congressus non imputetur ad culpam: qua item Christianus uxorem gentilem, cum eo manere volentem, sanctificet* (1 Cor. 7, 12), *et sanctos, hoc est, Deo dicatos filios procreet: qua denique perpetuam fidem coniugi servet, ut sint duo in carne una: et qua mulier fidelis salva fiat in procreatione filiorum, si permanserit in fide et dilectione et sanctificatione cum sobrietate* (1 Tim. 2, 15). *Itaque matrimonium honorabile, in eoque thorus immaculatus esse potest* (Hebr. 13, 4).

Quod quum Manichaei, Tatiani et Encratitae ignorarent, matrimonium reprehendere non dubitarunt: quam eorum sceleratam temeritatem, a doctrina daemoniorum profectam, apostolus Paulus damnat (1 Tim. 4, 1).

Ac quoniam vinculum matrimonii tale [pag. 44] *est omnino, tantamque vim habet ad coniungendum, ut non sit ullum coniunctionis humanae vinculum quod magis constringat: quod quum agnosceret Adam in paradiso, sic de muliere, quam Deus e costa corporis ipsius aedificaverat, loquutus est: Hoc nunc os de ossibus meis, et caro de carne mea: ob hoc vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quamobrem relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una* (Gen. 2, 23).

Itaque quum patria potestas huic inter coniuges coniunctioni suo iuri [1] *cedat, audiendi non sunt, qui volunt hoc tempore matrimonium vel sponsalia contracta scindi et irrita esse, si parentum consensus non accesserit. Nihil hic detrahimus obedientiae, quam liberi parentibus debent, sed nolumus parentes in impediendis aut dirimendis matrimoniis potestate sua abuti. Quia tamen censemus honestatis esse, ut liberi sine consilio et consensu parentum non contrahant,* [2] *huius officii sui per concionatores sedulo admonendi sunt. An vero parentibus potestas permitti debeat in hoc casu, liberorum inobedientiam derogatione, aut saltem diminutione dotis, aut aliqua alia via puniendi, de hac re ordinariae potestati cura relinquenda videtur.*

De sacrificio missae.

[pag. 45] *Ut religionem, sine qua nulla gens vivit, ius naturae introduxit, sic etiam caeremonias, sine quibus religio coli non potest, nec solet. In ipsis vero caeremoniis externam oblationem, velut praecipuam, omnes omnium saeculorum gentes observaverunt, quae etsi (teste Cypriano) circumcisionem velut crudelem et naturae inimicam horruerunt, non tamen similiter repudiarunt reliqua sacrificia: sed in multis legem naturae sequentes, expiationum retinuerunt instrumenta, et immolare victimas, et incendere adipes, et libaminibus fundere coram Deo vota et preces, cultu cum ipsa natura hominibus insito, et per omnium animos divinitus purgato, perseveraverunt. Sed et hoc commune et omnium animis affixum, omnes gentes tenuerunt, ut externae oblationis cultu, vim Deo deberi magno consensu existimarent.*

Nemo enim externa oblatione colendum unquam censuit, nisi quem Deum esse aut scivit, aut putavit, aut finxit. Huius cultus antiquitatem duorum fratrum Cain et Abel sacrificia comprobant, quorum priorem simul et munera eius aversatus reprobavit Deus, minoris vero oblationem placatus aspexit.

Hunc vero sacrificandi ritum Deus, volens omnes homines salvos fieri, mentibus hominum hac de causa divinitus insevit. Quum enim propter unius hominis peccatum, [pag. 46] *universum genus humanum irae Dei et iustae damnationi obnoxium teneretur, tantoque gravior et periculosior illis damnatio immineret, quanto magis peccata peccatis accumulando iustam Dei iram contra se incitabant: Deus nolens perire quos condiderat, mediatorem et reconciliatorem humano generi destinavit, qui nos cum autore nostro reconci-*

1) velut *eaedem exhibent omnes.*
2) *Sic omnino legendum cum iisdem. Edd. Calvinianae omnes, praeter illam quam germanicam dicimus:* ad sperandam consuetudinem, *sine distinctione.*

1) *Lectio haec libris Calvinianis propria. Edd. authenticae earumque asseclae:* summo iure.
2) *Adde* matrimonium, *cum iisdem testibus.*

liaret, et iustam Dei iram singulari [1]) *sacrificii oblatione placaret. Deus igitur magnae dilectionis filium suum carne nostra circumdatum misit in mundum, qui peccata nostra in se suscipiens, in corpore suo ea pertulit in cruce, et semetipsum pro nobis hostiam appendens, per proprium sanguinem in sancta semel ingressus, aeternam redemptionem adinvenit* (Hebr. 9, 12; 1 Petr. 2, 24).

Huius pretiosissimae hostiae nidore delinitus pater iram remisit, et homines prius peccatis immersos, impuros et iniustos, et damnationi obnoxios, nunc filii sui sanguine ablutos absolvit, iustificavit, ac sibi reconciliavit (1 Cor. 6, 11).

Huius unicae oblationis virtus atque efficacia, non illi modo tempori serviens, quo Christus in carne hostiam se appendit, sed omnes omnium saeculorum aetates complectens, omnium hominum qui ab origine mundi fuerunt, et in finem usque saeculi nascituri sunt, delendis peccatis suffecit. Vere enim erat Deus in Christo, mundum sibi reconcilians (2 Cor. 5, 19). *Et: Ecce* [pag. 47] *agnus Dei qui tollit peccata mundi* (Ioann. 1, 29). *Et: Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, et non pro nostris tantum, sed etiam pro totius mundi* (1 Ioann. 2, 2). *Mundus autem non unius temporis, sed omnium aetatum homines comprehendit. Hinc in Apocalypsi Christus agnus dicitur ab origine mundi occisus* (Apoc. 13, 8), *quoniam sanguis eius omnium aetatum iam inde ab initio mundi delicta emundavit.*

De hac oblatione, quae ad totius generis humani reconciliationem una suffecit, Paulus ait: Unica oblatione consummavit in aeternum sanctificatos (Hebr. 10, 14). *Et: Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliari omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis, sive quae in terris sive quae in coelis sunt* (Col. 1, 19). *Et: Placuit instaurari omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt in ipso* (Ephes. 1, 10). *Et in Esaia* (63, 3)*: Torcular, inquit, calcavi solus, et: Cuius livore sanati sumus* (ibid. 53, 5).

Ut vero huius tam efficacis oblationis, quae omnium hominum salutem plenissime, sufficientissime et perfectissime meruit, omnes homines participes fierent, et eius fructum in se transferrent: Deus ab initio mundi, sub lege naturae divina inspiratione in animis hominum sacrificandi ritum excitavit, et mox data lege diversa sacrificia monstravit.

Quorum omnium hic usus erat, non ut homines Deo [pag. 48] *reconciliarent, et salutem ipsa mererentur, sed ut per haec externa sacrificia venturi sacrificii, in quo redemptionem omnium Deus promiserat, memoria in animis hominum subinde excitaretur, fides confirmaretur, et fructus eius credentibus, et in virtute venturi sacrificii sperantibus applicaretur: et ut, quoties ista sacrificia celebrarentur, homines quum aliorum beneficiorum Dei quae continua eius benignitate accipiebant, tum salutis suae per promissum reconciliatorem accipiendae gratis animis recordarentur.*

Nullum itaque sive sub naturae, sive sub Moysis lege sacrificium per se Deo placebat, quippe qui iis quae offerebantur, se non indigere saepe protestatus est: Si esuriero, inquit, non dicam tibi: meus est enim orbis terrae et plenitudo eius. Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo (Psal. 50, 12)*? Sed quatenus haec visibilia sacrificia invisibilis et futuri sacrificii sacramenta erant, si quis ea in fide a Deo promissi reconciliatoris obtulisset, hoc agens his externis sacrificiis, ut fidem in venturum Christum ostenderet, et salutaris illius sacrificii fructum, quem iam ex fide conceperat et firma spe exspectabat, in se transferret, et Deo pro tantis beneficiis animi sui gratitudinem declararet: utique* [1]) *talia sacrificia et Deo grata, et offerenti salutaria erant,* [pag. 49] *nulla quidem sua propria, sed futuri sacrificii virtute, quam per fidem offerenti applicabant.*

Et ut ratio sacrificiorum diserte intelligatur, unicum est sacrificium meritorium, cuius virtus delendis hominum peccatis efficax, homines a Deo alienatos, et irae eius ac damnationi obnoxios reconciliavit, et aeternam salutem et redemptionem toti hominum generi meruit: illa videlicet Christi victima salutaris, qua pro delictis hominum in cruce se hostiam appendens, in aeternum consummavit sanctificatos.

Cuius meritum non accipit augmentum, quia perfectum est: nec diminuitur aut exhauritur, quia aeternum est. Unde et reliqua omnia sacrificia nihil huic sacrificio superaddunt, nihilque ipsa per se merentur: sed unicae huius oblationis fructum credentibus applicant, et ad excitandam et retinendam in animis hominum huius unicae oblationis memoriam, et fidem confirmandam, et pro omnibus Dei beneficiis declarandam gratitudinem serviunt.

Sunt autem huiusmodi applicatoria sacrificia quaedam legibus omnibus communia, et promiscue omnibus hominibus permissa: qualia sunt sacrificium contribulati cordis et humiliati spiritus, et ob colendam pietatem susceptae carnis afflictiones, sacrificium labiorum, precum, gratiarum actionis et laudis, et si qua [pag. 50] *sunt similia.*

Quaedam vero semper fuerunt uniuscuiusque legis propria, et certis hominum officiis alligata, a quorum oblatione alii magnis comminationibus et poenis arcebantur, primo Regum decimo tertio, secundo Paralipomenon vigesimo sexto. Nec ulla lex, quemadmodum nunc, nec ulla gentium religio sacrificiis caruit: haec

---

1) singularis (unique). *Mog. Aug. etc.*

1) *Sic legendum testibus Aug. Mog. etc. Edd. Genev. Bez. Amst. male:* utque

enim tria colligata sunt, et se invicem necessario consequuntur: lex, sacerdotium et sacrificium (Hebr. 7, 12).

Sic itaque sub lege naturae iusti homines et de Dei promissionibus edocti, in eum quem futurum sciebant salvatorem credentes sacrificia offerebant: quorum oblatione futurae salutis fidem et spem, et pro ea gratitudinem suam declarabant, et eius, quod futurum exspectabant, salutaris sacrificii meritis adiuvari ambiebant. Hunc morem caeterae gentes occulta inspiratione animis eorum insita imitantes, non quidem Deum, [1]) *sed quem Deum aut putabant, aut fingebant, sacrificiis placare voluerunt.*

Lex vero per Moysen data, ad legem naturae accedens, non ut eam tolleret, sed ut meliorem redderet, oblationes externas instituit: quae et praefigurarent futurum Christi sacrificium: et quoties eas celebrarent Iudaei, tum aliorum beneficiorum Dei gratis animis recordarentur, quum illius venturi sacrificii [pag. 51] *virtutem in se, credendo et sperando et orando, transferrent.*

Christus autem [2]) *qui non venerat legem solvere, quatenus vel naturalis, vel moralis erat, sed eam potius adimplere, quum novam legem suam, de qua iam ante per Ieremiam* (31, 31) *promiserat, in mundum induceret, ne eam solam in hac parte, contra praecedentium legum communem morem, mancam aut imperfectiorem relinqueret, peculiari sacrificio pariter et sacerdotio eam instruxit: siquidem necesse fuit, iuxta apostoli sententiam, succedente nova lege etiam sacrificium huic legi peculiare consequi* (Hebr. 7, 11 ss.) *et sacerdotes velut huius sacrificii ministros assumi* (Hebr. 5, 5 ss.).

In qua legis parte, sane bona, sancta et pia, idem Dominus noster Iesus Christus, ne ecclesiae suae deesset, in ultima coena quum gratias egisset Deo, sacramentum corporis et sanguinis sui instituit, duplicem eius usum statim commendans: ut a fidelibus velut animae salutare alimentum sumeretur: Accipite, inquit, et comedite: et ut in memoriam passionis suae offerretur, cuius oblationis ministerium apostolis, velut novae legis sacerdotibus, contradens: Hoc, inquit, facite in mei commemorationem.

Quemadmodum igitur ante Christi adventum Deus patribus certa quaedam sacrificia tradidit, quibus magni istius sacrificii, [pag. 52] *quod futurum ipsi exspectabant, memoriam in animis suis excitarent, fidem stabilirent, et fructum eius credendo et orando sibi applicarent, et per eorum oblationem beneficiorum Dei gratis animis recordarentur: sic Christus ecclesiae suae mundam et salutarem corporis et sanguinis sui oblationem sub speciebus panis et vini commendavit, qua corporis eius in cruce pro nobis appensi, et sanguinis effusi memoriam subinde in animis nostris renovaremus, et fructum istius oblationis cruentae, qua in aeternum consummavit sanctificatos* (Hebr. 10, 14), *in nos transferremus. Hoc est enim facere in memoriam eius, id est, gratis animis commemorare mortem Domini, et per memoriam et meritum passionis eius deprecari patrem, ut nobis reconcilietur.*

Haec est munda et salutaris oblatio, illius unici sacrificii, quo omnium salus comparata est, rememorativa, non solum significans, sed re ipsa in se comprehendens veritatem illarum rerum, quas diversorum sacrificiorum oblationes olim praesignabant: eadem nimirum corporis et sanguinis Christi hostia, quae in cruce est oblata, non alia: idem agnus, non alius, et unus utrobique Christus, sed tunc cruento et passibili modo oblatus est, qua oblatione omnibus credentibus remissionem peccatorum et redemptionem sufficienter impetravit.

[pag. 53] *Nunc vero eundem sub mysterio et modo incruento et impassibili offerimus, non ut peccatorum remissionem et animarum nostrarum salutem iam primum promereamur, sed ut passionis dominicae memoriam recolentes Deo gratias agamus pro salute nobis in cruce impetrata: et ibi promeritam peccatorum remissionem et redemptionem fide et devotione nobis applicemus et appropriemus.*

Hanc tam salutarem victimam in spiritu praevidit Malachias, quum ait: Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, et munus non suscipiam de manu vestra: ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda (Mal. 1, 10). *Quod vaticinium de solis spiritualibus sacrificiis accipi non potest, quae nullius legis propria, sed omnibus temporibus et hominibus communia exsistunt, et cum sacrificiis veterum semper commixta duraverunt. At ipsa verborum serie satis convincitur, prophetam loqui de sacrificio quod sublatis veteribus sacrificiis in locum eorum erat successurum. Unde recte haec verba de sacratissimo Christi sacrificio accipiuntur, non illo quidem, quo se in cruce pro peccatis generis humani obtulit (illud enim nec inter gentes, nec in omni loco, sed in Iudaea consummatum est) sed quod ex gentibus* [pag. 54] *congregata ecclesia per totum terrarum orbem offert ad recordationem mortis Domini, et ad virtutem eius in credentes transfundendam: atque hic loci illius intellectus luculentis patrum testimoniis roboratur.*

Irenaeus lib. 4. contra haereses cap. 32: Eum qui ex creatura panis est accepit, et gratias egit, dicens: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui est ex ea creatura, quae est secundum nos, suum sanguinem confessus est, et novi testamenti novam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo: de quo in 12. Prophetis Malachias sic praesignavit: Ab ortu solis usque ad

1) Verum Deum *Aug. Mog. etc.*
2) autem *om. edd. Genev. Bez. Amst.*

occasum, nomen meum glorificatur inter gentes, et in omni loco incensum offertur nomini meo et sacrificium purum.

Augustinus: Noverint, inquit, qui legunt, quid protulerit Melchisedech quando benedixit Abraham. Et si iam sunt participes eius, vident tali sacrificio[1]) *nunc offerri Deo toto orbe terrarum. Unde alius propheta dicit ad eum, qui secundum carnem est Israel: Non est mihi voluntas in vobis, etc.*[2])

Ambrosius de hoc novae legis sacrificio testatur: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus: nunc Christus offertur quasi recipiens passionem, et offert se ipsum quasi sacerdos.

Chrysostomus: Nonne per singulos dies offerimus? offerimus quidem, sed recordationem facientes mortis [pag. 55] *eius: et una est haec hostia, non multae. Quomodo est una, et non multae? quia*[3]) *semel oblata est illa, oblata est in sancta sanctorum. Hoc autem sacrificium exemplum est illius: id ipsum semper offerimus. Nec nunc quidem alium agnum, crastina alium, sed semper id ipsum, etc.*

Athanasius: In aeternum, inquit, Christi est sacerdotium: quia quotidie offertur per ministros Dei oblatio, Christum et pontificem habens, et sacrificium.

Hanc vero oblationem, quam ecclesiae in recordationem mortis suae faciendam Christus commendavit, prius ipsum in coena exercuisse, et patri se ipsum sub speciebus panis et vini obtulisse, magni testes comprobant: inter quos David, Christum appellans sacerdotem secundum ordinem Melchisedech (Psal. 110, 4), *satis ostendit Christum, sacrificio panis et vini, figuram, quae in Melchisedech sacerdote praecesserat, adimplevisse. De qua re sanctus martyr Cyprianus lib 2. Epist. 3. Qui ordo utique est de illo sacrificio veniens, et inde descendens, quod Melchisedech sacerdos Dei summi fuit, quod panem et vinum obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos Dei summi, quam Dominus noster Iesus Christus, qui sacrificium Deo patri obtulit, et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem et vinum, suum scilicet corpus et sanguinem?* [pag. 56] *Et mox: Ut ergo*[4]) *in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham posset rite celebrari, praecedit ante imago sacrificii, in pane et vino scilicet constituta: quam rem perficiens et adimplens Dominus, panem et calicem mixtum vino obtulit, et qui est plenitudo, veritatem praefiguratae imaginis adimplevit.*

Arnobius: Hic (inquit, de Christo loquens) qui per mysterium panis et vini sacerdos factus est in aeternum secundum ordinem Melchisedech, qui panem et vinum solus obtulit in sacerdotibus, dum Abraham victor reverteretur de praelio.

1) *Lege:* tale sacrificium *cum edd. authenticis.*
2) August. contra adversarium legis, lib. 1, cap. 20.
3) *Plures minus bene:* Et quia. *Exemplar germanicum authenticum nobiscum facit.*
4) ergo *om. Aug. Mog. Herg. etc.*

Damascenus: Pane et vino suscepit Melchisedech Abraham ex caede alienigenarum, qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam praefiguravit mensam, velut et sacerdos ille Christi veri sacerdotis praefiguratam prae se ferebat imaginem. Tu es, inquit, sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Similia multa testimonia inveniuntur apud Hieronymum ad Evagrium, Augustinum de doctrina christiana lib. 4, cap. 21. Ambrosium de Sacramentis lib. 4. Chrysostomum, Theophylactum.

Secundum haec sacrae scripturae et sanctorum patrum testimonia, catholica ecclesia duo Christi sacrificia agnoscit, eadem secundum substantiam, sed secundum rationem [pag. 57] *et ritum offerendi multum diversa: unum in cruce cruentum, alterum, quo in coena sub panis et vini specie corpus et sanguinem suum ipse sacerdos iuxta ordinem Melchisedech patri obtulit, perpetuum condens novae legis sacrificium, quod apostolis suis ac successoribus ipsorum, ut ad finem usque saeculi in memoriam ipsius facerent, commendavit.*

Horum ut modus offerendi diversus, sic et usus discretus est, cruento suo sacrificio Christus totius mundi reconciliationem et propitiationem pro peccatis, et plenam omnium redemptionem impetravit. Alterum vero sacrificium, ad recordationem cruenti sacrificii institutum et ecclesiae commendatum est, quo Christum impassibili et incruento modo sistimus patri, non ut remissionem peccatorum et redemptionem de novo mereamur, sed ut in cruce meritam fide et devotione nobis applicemus, Christi iussionem sequentes, qua iussit ut hoc in memoriam sui faceremus: id est, ut per memoriam et meritum passionis suae patrem pro reconciliatione nostri et peccatorum remissione, et animarum nostrarum salute, proque corporum ac rerum nostrarum incolumitate deprecaremur.

Hactenus ostensum est, quibus rationibus et testimoniis sacrificium altaris subnixum subsistat: nunc de ritu eius pauca [pag. 58] *subiiciantur.*

In celebratione sacrificii altaris, nunc laudes Dei, nunc fideles[1]) *populi preces, nunc gratiarum actiones, nunc scripturarum lectiones subinde admiscentur. Unde et laudis, et gratiarum actionis, et precum sacrificium recte nuncupatur: quo ritu catholica ecclesia Christi exemplum refert, qui in coenae sacrificio pro incolumitate ecclesiae, quam in terris relicturus erat, multas preces ad patrem fudit, et tandem hymnis et gratiarum actione coenam mysticam consummavit.*

Sed et hanc Pauli seriam[2]) *commonitionem, qua in primis fieri voluit obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus hominibus,*

1) fidelis *Aug. Mog. Herg. etc.*
2) tam seriam *eaedem.*

pro regibus et omnibus qui in sublimitate constituti sunt, ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate (1 Tim. 2, 1 sq.), *ecclesia in celebratione sacrificii altaris, iuxta Augustini sententiam, plene et examussatim observat, dum obsecrationes facit, antequam illud, quod est in Domini mensa, incipiat benedici: orationes vero, quum benedicitur et sanctificatur: postulationes autem, seu interpellationes, quum populus benedicitur, et misericordissimae potestati commendatur.*

Quibus peractis, et participato sacramento, gratiarum actio cuncta concludit. Vide Augustinum Epistola 59 ad Paulinum, ubi ritum celebrandi [pag. 59] *sacrificii altaris, qualem hodie observat ecclesia, perspicue agnosces.*

Sed et apud alios omnium aetatum viros catholicos hunc ritum receptum et confirmatum videre licet, qui admixtas in celebratione huius sacrificii preces, et gratiarum actiones, et ipsam hostiam solenni prece consecrari solitam, magno consensu meminerunt, de qua re Chrysostomus in Matthaeum homilia 83, de Sacerdotio libro tertio, Basilius Magnus de Spiritu sancto capite 27, Theophylactus in cap. 14 Marci, Gregorius Epist. 63 ad Ioannem Episcopum Syracusanum, Ambrosius de Sacramentis libro quarto, capite 5 qui et hunc canonem, quo nunc utitur ecclesia paene secundum singula eius verba, passim in libris a se editis recenset.

De memoria sanctorum in altaris sacrificio fieri consueta, et de eorum intercessione inibi expedita, et obiter de sanctorum invocatione.

Quum itaque in hoc altaris sacrificio immensi istius beneficii memoriam recolamus, quo Christus semetipsum pro totius corporis sui mystici, id est, pro omnium credentium incolumitate et salute hostiam fecit, ibique secundum Domini exemplum et apostoli commonitionem, pro totius ecclesiae incolumitate [pag. 60] *preces ad Deum fundendae, et pro omnibus eius beneficiis gratiae agendae sint: ecclesia intra sese omnia sua membra colligens, eorum etiam memoriam facit, qui hac mortalitate exuti, apud Dominum vivunt, et in primis grata veneratione Deo dilectos sanctos complectens, pro his gratias Deo agit, qui eos, quum natura imbecilles essent, gratiae suae munere ita roboravit, ut vitia carnis superarent, et contra peccatum, diabolum et mortem, non sua sed Dei virtute fortes, viriliter dimicando, coronam iustitiae a iusto iudice impetrarent. De huius gratiarum actionis pro sanctis antiquitate et consuetudine, per totam ecclesiam divulgata, vide apud Dionysium Areopagitam, Cyprianum lib. 3 Epist. 6, lib. 4 Epist. 5, Augustinum, de civitate Dei lib. 8 cap. 27, lib. 22 cap. 10, contra Faustum Manich. lib. 20 cap. 21.*

Nec solum veneramur sanctos, et pro his gratias agimus, sed eorum precibus et meritis in omnibus divinae protectionis auxilio muniri postulamus, recte sentientes, eos velut eiusdem communionis cives, et corporis eiusdem membra, etiamnum uno spiritu et vinculo caritatis nobiscum colligatos, salutem nostram appetere, et malis nostris indolere: ideoque pro necessitatibus nostris apud communem Deum patrem, per Iesum Christum communem [pag. 61] *omnium mediatorem, interpellare. Quod ut faciant, ipsum ius communionis qua nobis iuncti sunt, simul et praeceptum eos adducit: Orate, inquit, Iacobus* (5, 16), *pro invicem ut salvemini: et caritas qua erga nos afficiuntur, suadet et monet, et ea, qua apud Deum nunc pro se securi et ab infirmitatibus et defectibus immunes vivunt, facultas non prohibet: quodque eos in alia vita facere apertis scripturae testimoniis cognovimus, 2 Machab. 15* (v. 12), *ubi Onias conspicitur manus protendens, et orans pro populo: et alius vir, aetate et gloria mirabilis, de quo dicitur: Hic est fratrum amator et populi Israel: hic est qui multum orat pro populo et universa sancta civitate Hierusalem, Ieremias propheta. Et Zachariae primo* (v. 12) *angelus pro civitatibus Iuda interpellat: Domine exercituum, usque quo non misereberis Hierusalem, et urbium Iuda, quibus iratus es?*

Hac fide, sicut eorum qui nobiscum in carne vivunt, ita et sanctorum apud Deum viventium preces pro nobis postulamus: et ut pro nobis orent, eos nominatim appellamus, nec dubitamus quin ei, qui potest omnia, facile sit efficere, sive per angelorum ministeria, sive alia sibi placita ratione et via, ut nostras petitiones sancti resciscant, qui utique hoc praestat, ut angeli peccatoris conversionem [pag. 62] *in coelo cognoscentes gaudio exsultent* (Luc. 15, 7).

Merita vero sanctorum non talia esse asserimus, qualia in Christo invenimus, qui semetipsum pro nobis impendens, et sanguinem suum pro nobis fundens, plenam cum Deo reconciliationem mundo promeruit. Sancti vero merita sua, quibus et ipsi salvati sunt, et nobis suffragantur, ex eodem omnis salutis et totius meriti fonte, Christi videlicet passione, hauserunt. Non enim si iustitiae rigorem spectemus, cuiquam sanctorum operationes suae, quantumvis fructuosae, ad propriam salutem suffecissent, iuxta illud: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psal. 143, 2). *Et illud Christi: Si feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite: Quia servi inutiles sumus* (Luc. 17, 10). *Et illud Pauli: Non sunt condignae passiones huius temporis, ad futuram gloriam quae revelabitur in vobis* (Rom. 8, 18). *Ex Dei autem misericordia et liberalitate, et Christi gratia, non solum ipsis ad salutem sanctorum merita conducunt: sed etiam nobis ad protectionem et gratiae divinae impetrationem prosunt, Deo in eis misericorditer complente, quod veraciter promisit, quum ait: Ego sum Deus tuus*[1]) *fortis, zelotes, visitans iniquitates filiorum*

1) tuus *omitt. edd. authenticae.*

in tertiam et quartam generationem, eorum qui oderunt me: et faciens misericordiam in millia iis qui diligunt me et custodiunt praecepta mea (Exod. 20, 5). Sic defuncti [pag. 63] Abrahami merita, filio Isaac profecerunt (Gen. 26, 5): et Iacob in religione[1]) nepotes suos erudiens, nomen suum et patrum suorum super ipsos invocari edocuit, Genes. 48 (v. 16) quod et Moyses plena fiducia fecit: Quiescat, inquit, ira tua, et esto placabilis super nequitia populi tui: recordare Abraham, Isaac et Israel servorum tuorum, Exod. 32 (v. 13). Sic propter gratiam, qua apud Deum valuit David vir secundum cor Dei, tota eius posteritas indulgentiam Dei in commodum suum persaepe sensit, 3 Reg. 12[2]); 4 Reg. 19 (v. 34); Esa. 37 (v. 35); Ezech. 14 (v. 14, 20).

De memoria defunctorum in Christo.

Dominus noster Iesus Christus, secundum voluntatem patris hostiam redimendis hominibus salutarem se ipsum in cruce affigens, utique omnes eos, qui hanc victimam suam salvandis hominibus iam inde ab origine mundi destinatam fide et voto praevenissent, vel in sequentibus temporibus fide eam amplexuri essent, intra se ipsum velut membra sua collegerat, volens passionis suae fructum ad omnes pariter qui corporis eius membra unquam effecti essent, pervenire: unde ecclesia communis huius sacrificii memoriam recolens, omnia sua membra pariter advocare, nec quenquam eorum excludere debet, qui [pag. 64] secundum Domini liberalem voluntatem, utilitatis huius sacrificii capax exsistit. Ideoque, quemadmodum prius sanctorum, ita postea etiam reliquorum Christianorum memoriam circa sacrificium altaris inducit, quos in vera Christi fide decessisse pie credit, de quibus tamen satis certum esse nequit, utrum satis emundati et purgati hinc emigraverint. Aliam tamen sanctorum, et aliam aliorum in somno pacis quiescentium, memoriam servat. Illorum quidem, non ut oremus pro eis, sed magis ut orent ipsi pro nobis, ut vestigiis eorum inhaereamus: horum vero, ut communi Domino pro eis supplicemus, quatenus Deus omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii lucis et pacis indulgere dignetur per Christum Dominum nostrum.[3])

Eos vero, qui nos in signo fidei praecesserunt, ut a commercio orationum nostrarum non secludamus, ipsa communionis, quam cum omnibus sanctis confitemur, ratio diserte exposcit: quippe qui etiam corporibus soluti, spiritualibus tamen nexibus nobiscum cohaerent, et uno spiritu velut eiusdem corporis membra nobis adglutinantur, et vinculo caritatis connexi adhaerent nobis, nec mors eos corporalis ex mystici corporis Christi compage praescindere aut separare potest.

Quum itaque talem orandi formam nobis [pag. 65] Dominus insinuaverit, ut nemo pro sua tantum, sed, velut magnae communionis civis, pro omnium utilitate rogare debeat, et per apostolum praecipiat nos pro invicem orare, ut salvemur: magnae in consortes suos crudelitatis, et contra Dominum detestandae temeritatis fuerit, si quis a commercio orationum nostrarum in Christo defunctos excluserit: quod eum facere nusquam scriptura praecipit, et communionis spiritualis, quam cum sanctis omnibus profitemur, ratio diserte vetat.

Hanc autem consuetudinem per totam Christi ecclesiam divulgatam, qua circa altaris sacrificium memoria defunctorum adhibetur, ex apostolica traditione promanasse, magnis et fide dignis testimoniis abunde doceri potest. Dionysius Areopagita lib. Ecclesiasticae Hierarchiae cap. 7: De prece super defunctis facienda, ex divinis ducibus, hoc est, apostolis traditio pervenit ad nos. Ubi et totum harum precum ordinem et rationem luculenter explicat. Precatur, inquit, oratio illa divinam clementiam, ut cuncta dimittat per humanam infirmitatem admissa peccata defuncto, eumque in luce statuat et regione vivorum.

Chrysostomus ad populum Antiochenum Hom. 69: Non temere, inquit, ab apostolis haec sancita fuerunt, ut in tremendis mysteriis defunctorum agatur commemoratio. [pag. 66] Sciunt enim illis inde multum contingere lucrum: quum enim constiterit populus extensis manibus, et tremendum proponatur sacrificium, quomodo Deum non exorabimus pro his deprecantes?[1])

Damascenus[2]): Apostoli, inquit, discipuli salvatoris, qui totius mundi circulum cepere praedicando verbum vitae, quod suis oculis viderant, in tremendis vitalibusque sacramentis, memoriam eorum qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt: quod adhuc firmiter atque adeo sine contradictione observat apostolica et catholica ecclesia Christi et Dei, a finibus usque ad fines terrae, ab eo tempore usque in praesens et in finem mundi usque.

Augustinus: Neque negandum est, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari,[3]) quum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel eleemosynae in ecclesia fiunt: sed haec eis prosunt, qui quum viverent, ut hac eis prodesse possent, meruerunt,[4]) etc.

Similia vide apud Epiphanium lib. 3 contra

---

1) in hac religione eaedem.
2) imo (1 Reg.) 11, 36.
3) August. in Io. tract. 84.

1) cf. Chrys. in 1 Cor. homil. 41.
2) In sermone de iis qui in fide hinc migraverunt.
3) In nonnullis edd. perperam legitur revelari. Versio habet: soulagés. Exemplar germanicum authenticum: erleuchtet (erleichtert?).
4) In Enchirid. cap. 110; in quaest. 2 ad Tulit. (Dulcitium).

Haereses, Tertullianum ad Uxorem, de Corona militis, [1]) *Ambrosium in oratione pro imperatore Theodosio de excessu fratris. Item libro 2 Epistolarum ad Faustum. Cyprianum libro 1 Epist. 9, Bernardum in Canticum 1 serm. 66.*

Post hanc defunctorum memoriam, ubi iam iterum ecclesia communem viventium salutem [pag. 67] *clementi Domino commendavit, reliquae preces ad dignam sumendae sacrosanctae eucharistiae praeparationem referuntur: quae pars missae peculiaris est praesentibus, et sacrosanctam eucharistiam sacramentaliter aut saltem spiritualiter sumentibus: nec in commune admodum servit, quum nemo sicut pro alio baptisari, ita nec sacramentum sumere utiliter possit. Participato tandem sacramento, et caeteris rite peractis, gratiarum actio cuncta, ut ait Augustinus, concludit.*

De communione cum sacrificio iungenda.

Atque hic expedierit, quum verissimum illud et singulare sacrificium offertur, veterem ecclesiae morem revocare, quo non solum sacrificans ipse, sed et diaconi et reliqui ecclesiae ministri, qui diebus solennioribus velut testes tanti sacrificii et necessariorum ministeriorum coadiutores adhibentur, ut perceptionis corporis et sanguinis Domini nostri Iesu Christi participes se praeberent, seria canonum sanctione iubebantur: [2]) *Sed et fideles omnes pro recolenda mortis Domini et nostrae redemptionis memoria, ad hoc mediatoris nostri sacrificium confluentes, sedulis exhortationibus monendi et excitandi sunt, ut prius explorati, confessi et absoluti, sacrosanctae* [pag. 68] *communionis gratiam sumant, et divinissimae eucharistiae participationem una cum sacerdote sedulo et devote frequentent.*

De caeremoniis et usu sacramentorum.

Caeremoniae veteres, quae sacramento baptismatis adhibentur, retineantur omnes, exorcismus videlicet, abrenunciatio, professio fidei, chrisma et alia: pertinent enim ad efficaciam huius sacramenti adumbrandam et significandam.

Item, in caeremoniis veteribus, quae ab ecclesia catholica adhibentur missae, nihil mutandum videtur: sunt enim omnes ad id, quod in missa agitur, cum primis aptae.

Et quod ad usum huius sacri attinet, debent in singulis civitatibus et in singulis ecclesiis (etiam si in una civitate aut loco plures sint) quae proprios sacerdotes et populi illuc convenientis frequentiam habent, singulis diebus duae ad minimum missae celebrari. Altera matutina, cui interesse possint homines qui labore manuum rem quaerunt, ut convenientes vel communicent de eucharistia, vel se Deo pie commendent. Altera vero celebrior, quae canetur circa horam octavam diei antemeridianam, cui eodem modo adsint, qui vel communicare de eucharistia, vel se Deo commendare velint. In pagis autem singulis quibusque [pag. 69] *dominicis et festis diebus, singulae missae ad minimum celebrentur.*

Atque ut populus ad usum missarum revocetur commode, concionatores iuxta sententiam de hoc sacro superius explicatam populum hortari debent, ut eidem libenter intersit, cui etiam praescribendae sunt certae meditationes, eaeque ad singulas missae partes aptae, et ante praefationem presbyter aut diaconus, si huius copia sit, ostendat verum missae usum, eumque populo ex praescripto, de quo etiam conveniat, commendet pro ratione de sacro hoc superius explicata.

Canon item, in quo nihil mutetur, habeat etiam suam succinctam et dilucidam interpretationem, ut inde presbyteri et functionem officii sui eo melius intelligere, et quod intelligunt, populo explicare possint.

Caeremoniae reliquae sacramentorum, iuxta praescriptum Agendarum veterum, adhibeantur: in quas tamen si quid irrepsit, quod causam dare possit superstitioni, tollatur.

Altaria, vestes sacerdotum, vasa ecclesiae, vexilla: item, cruces, candelae, imagines, retineantur in ecclesia. Sed ita tamen, ut sint monumenta, nec cultus latriae in hoc genus transferatur, nec ad imagines et statuas superstitiose concursus fiat.

Horae item canonicae, et illa pia psalmodia, [pag. 70] *quam nobis apostolus ipse commendavit, ex ecclesiis minime tollantur: et ubi sublatae sunt, restituantur, maxime vero de tempore et dominica et aliis vetustis et solennioribus festis.*

Quae autem de sanctis adiecta sunt, ad ea quae in veteri de sanctis communi posita sunt, revocanda: et sicubi modum excedunt, corrigenda videntur.

Vigiliae item et exsequiae mortuorum de more veteris ecclesiae celebrentur: esset enim immane, in ecclesia nullam illorum memoriam retinere, quasi animae ipsorum una cum corporibus interierint.

Festi item dies ab ecclesia recepti retineantur, si non omnes, tamen praecipui:

Dominicae dies,
Natalis Domini,
Circumcisio Domini,
Epiphania, [1])

1) *Edd. nonnullae ex duobus unum faciunt librum et Gallus habet:* escrivant à sa femme au livre de la Coronne du gendarme.

2) De consecr. distinct. 2 ca. peracta. ca. relato.

1) der Hailigen drey Künig tag.

Palmarum, [1])
Pascha cum duobus diebus sequentibus,
Ascensio Domini,
Pentecoste cum duobus diebus sequentibus,
Corporis Christi.
Festi item dies beatae Mariae virginis, et sanctorum Apostolorum,
Sancti Ioannis Baptistae,
Mariae Magdalenae,
[pag. 71] *Stephani,*
Laurentii,
Martini,
Michaelis,
Omnium Sanctorum, [2])

et apud singulas ecclesias eorum sanctorum, qui ibidem singulares patroni habentur, ut in eisdem sanctorum festis Deum in sanctis honoremus, nosque ad imitationem ipsorum excitemur, et desideremus [3]) *orationibus ipsorum adiuvari et meritis associari.*

Dies item Rogationum ante Ascensionem Domini, et Letania in die sancti Marci, et per annum aliae consuetae processiones pro veteri more observentur.

Similiter in hebdomada sancta et circa reliqua ecclesiae festa debitae solennitates adhibeantur, et in vigilia Paschae et Pentecostes aqua baptismalis per omnes ecclesias parochiales solenni benedictione praeparetur.

Ac quum abstinentia carnium, quae non abominationis sed temperantiae causa suscipitur, per se bona et ad carnem castigandam apta sit, ac etiam publica utilitas postulet, ut certis temporibus a carnibus abstineamus, quum alias pecora ad assiduum carnium esum sufficere vix possint, mos et institutum veteris ecclesiae diebus ieiuniorum, feria sexta et sabbato, a carnibus abstinendi, retineatur.

Hanc enim [pag. 72] *abstinentiam ecclesia ex nulla superstitione suscepit, quae a cibis quibusdam certis temporibus abstinet, non ob ullam ciborum immunditiem (sciens omnia munda esse mundis, et nihil inquinare hominem quod per os ingreditur)* (Tit. 1, 15; Matth. 15, 18) *sed ad edomandam carnem, ut anima a pravis cupiditatibus et a malis motibus melius humilietur: eamque abstinentiam praecipue diebus feriae sextae et sabbati indixit, ut homines ad cultum Deo debitum persolvendum, ad auditionem verbi Dei, et ad sacrosanctae eucharistiae perceptionem (quae olim frequentior diebus dominicis servabatur) biduana* [4]) *abstinentia praeparati, magis idonei et digniores accederent:*

1) *omitt. in exemplari germanico authentico.*
2) *In nonnullis editionibus observato ordine calendarii Martinus ultimus venit.*
3) *Edd. genevenses, Beza, Amst. mendose:* consideremus.
4) hac biduana *edd. authenticae.*

et ut hac voluntaria castigatione quasi cum Christo (cuius passionis memoria his diebus potissimum a fidelibus recolitur) carnem suam crucifigerent.

Consueta etiam ecclesiae ieiunia observentur, sed ita tamen, ut non astringantur quos necessitas excusat: quales sunt qui gravioribus laboribus exhauriuntur, et peregrinantes, item gravidae mulieres, lactentes pueri, [1]) *senes, aegroti.*

Nec improbetur benedictio earum rerum, quae exorcismis et orationibus ad usum hominum praeparantur, dummodo operationes quae inde nascuntur, non rebus ipsis, sed divinae virtuti tribuantur: et caveatur, ne eaedem ad ullum incantationis aut superstitionis genus transferantur.

[pag. 73] *Et quanquam cum apostolo sentiendum est, eum qui caelebs est curare quae sunt Domini, etc.* (1 Cor. 7, 32) *eoque magis optandum, multos inveniri clericos, qui quum caelibes sint, vere etiam contineant: tamen quum multi, qui ministerii ecclesiastici functiones tenent, iam multis in locis duxerint uxores, quas a se dimittere nolint: super ea re generalis concilii sententia exspectetur, quum alioqui mutatio in ea re, ut nunc sunt tempora, sine gravi rerum perturbatione nunc* [2]) *fieri non possit.*

Illud tamen negandum non est, etsi coniugium per se honorabile est, iuxta scripturam (Hebr. 13, 4)*: eum tamen qui non ducit uxorem, et vere continet, melius facere, secundum scripturam* (1 Cor. 7, 8).

Eadem est ratio usus eucharistiae sub utraque specie, cui multi etiam assueverunt, et ab eo avelli sine gravi rerum motu hoc tempore non possunt: et quia concilium oecumenicum, cui omnes Imperii Status se submiserunt, procul dubio piam et sollicitam curam adhibebit, ut in hoc casu conscientiis multorum et publicae tranquillitati optime consulatur, qui usum utriusque speciei antehac receperunt, eumque relinquere nolunt: super ea quoque re deliberationem et sententiam oecumenici concilii exspectent.

Hi tamen qui utriusque speciei usum amplectuntur, illam inveteratam sub una specie [pag. 74] *communicandi consuetudinem reprehendere non debent: nec alteri alteros perturbent donec super ea re concilium oecumenicum decreverit.*

Et quanquam sacramentum eucharistiae sub utraque specie institutum est, non tamen sentiendum est Christum in carne dividi, contra quam scriptura divinitus inspirata tradit, sed sub singulis speciebus integrum contineri.

Ac quoniam in sacramento eucharistiae est verum Christi corpus, et verus Christi sanguis, in hoc sacramento Christum merito adorari debere.

1) *Sic ridicule edd. genevenses, Beza, Amst. Omnino legendum:* lactantes, pueri.
2) *Pro* nunc *legitur* modo *in edd. germanicis.*

Item sacramentum eucharistiae semel verbo Christi consecratum, etiam si asservetur diutius, tamen sacramentum et corpus et sanguinem Christi remanere donec sumatur.

Quae vero ad disciplinam cleri et populi pertinent, videntur cum primis necessaria esse ad tollenda ex ecclesiis scandala, quae dant magnam causam horum temporum perturbationi, id quod res ipsa loquitur. Itaque si quam ecclesiis utilem reformationem Caesarea Maiestas procuraverit, tantum abest ut quisquam sanctae religionis nostrae et publicae tranquillitatis studiosus repudiare eam velit, ut omnes etiam pro ea citius promovenda et procuranda Caesaream Maiestatem obnixe et humillime precari debeant.

INTERIM FINIS.

VERA CHRISTIANAE PACIFICATIONIS ET ECCLESIAE REFORMANDAE RATIO.[1])

Speciosum quidem nomen est pacis (inquit Hilarius)[2]) et pulchra opinio unitatis. Sed quis ambigat, eam solam unicam ecclesiae pacem esse quae Christi est? Digna profecto sententia, quae nobis in mentem veniat quoties de constituenda inter Christianos pace concordiaque agitur: ac praesertim ubi quaeritur in doctrina consensus. Nam quia a dissidiis pii et moderati homines abhorrent, contentiones vero et certamina detestantur: fieri vix potest, quin plausibilis sit, primo auditu, quaecunque de illis sedandis habetur oratio. Et quis, nisi humanitatis expers, si pacificandae ecclesiae vera et seria fiat mentio, non libenter aurem animumque accommodet? Nemo enim est, vel modico duntaxat pietatis sensu praeditus, quem non excruciet, ac moerore conficiat foeda haec, horrendaque corporis Christi laceratio. At vero quum astuti homines hoc se praetextu non raro insinuent, dum adulterare volunt sinceram Christi doctrinam: quis neget prudenter circumspiciendum esse, qualis pax nobis afferatur? Nam sicuti ubique nobis pacem imprimis commendat Christus, ita evangelii sui veritatem unicum esse illius vinculum docet. Proinde, non est cur nobis fucum faciant concordiae nomine, qui a sincera evangelii professione [pag. 76] abducere nos tentant. Quid ergo? Optanda quidem est pax, summoque studio quaerenda. Sed potius quam redimatur ulla pietatis iactura, coelum terrae, si ita opus est, misceatur.

Neque vero hic mihi vel cum Turcis ac Iudaeis disputatio est, qui nomen Christi cuperent penitus exstinctum, vel cum crassioribus Papistis, qui apertam verae doctrinae abnegationem a nobis flagitant: sed cum fucatae nescio cuius pacificationis architectis, qui nobis ita dimidium relinquunt Christum, ut nullam interea doctrinae ipsius partem vel non obscurent, vel non aliqua mendacii labe aspergant. Atque hoc deformandae pietatis artificium reformationis titulo,[1]) si Deo placet, venditant. Itane? ut quum nos furtim abducant a pacis autore, fucum nobis faciant, pacem frustra pollicendo?

Quanquam simulando nunquam tantum proficient, quin pateant ipsorum consilia. Sperant proculdubio, si ecclesiae, quae puriorem Christi doctrinam amplexae sunt, semel declinaverint, passaeque fuerint aliqua ex parte se corrumpi, facile, quod reliquum erit boni, mox perdituras. Nec sane opinione falluntur. Haec enim et iustissima et ordinaria est Dei ultio: ut qui sacrosanctam suam veritatem scientes ac volentes sinunt mendaciis inquinari, tanti boni possessione in totum exuantur. Neque enim res est adeo vulgaris, ut vel minima eius diminutione, quod pretiosissimum ducitur inter homines, redimi debeat. Equidem scio impios et profanos homines, non ex Dei iudicio aestimare, quid futurum sit.[2]) Sed causam nescientes de eventu recte iudicant.

[pag. 77] Atqui mirum est, quosdam esse tam leves, ne dicam mente alienatos, qui fidem talium hominum dictis habeant. Neque vero me latet quid cogitent: si paululum nunc cesserint, maiores deinde progressus, oblata occasione, se facturos. Sed unde subito illa, quam sibi promittunt, occasio emerget? Video nunc eos a via recedere. Proinde nihil minus sperandum, quam ut errando ad scopum perveniant. Quin potius timendum est, ne Deus, dimidium hoc quod retinent auferendo, tam perfidae defectionis ultor appareat. Verum qualemcunque sibi spem fingant, nimium tamen, ac plus nimio sibi permittunt, quum de aeterna et immutabili Dei veritate paciscuntur, quousque valere debeat.

---

1) La vraye façon de reformer l'Eglise chrestienne et appointer les differens qui sont en icelle. *Editio quam nos germanicam dicimus* (*vide Prolegg.*) *hoc loco addit:* Per Iohannem Calvinum.

2) de Conciliis.

1) pour bien colorer une telle malice, ilz l'appellent reformation.

2) Ie say que telles gens, comme ilz se gaudissent de Dieu, n'estiment pas que cela doyve venir de sa iustice.

Modo quod praecipuum est maneat salvum, inquiunt, aliorum tolerabilis erit iactura. Hoc vero perinde dicunt, ac si Christus eorum arbitrio se dividendum tradidisset. Est aliquid, fateor,[1]) quum integra pietatis instauratio obtineri primo statim die nequit, praecipua saltem capita consequi: modo quod adhuc deest, persequi non desinamus. Verum, ubi integram evangelii sui doctrinam nobis fruendam dedit filius Dei, eam ex compacto lacerare, ut partem aliquam nobis servemus, quam indignum sacrilegium est?

Sed hoc est, scilicet: quum subeunda est vitae dimicatio, pauci, quid sit Christi causam defendere, noverunt. Quin etiam eo usque progreditur istorum[2]) impudentia, ut sibi in animo esse negent, temere Deum tentare. Quasi vero in discrimen se proiiciant non necessarium, qui extrema quaeque experiri malunt, quam a vitae doctrina vel minimum unguem deflectant. [pag. 78] Ubi ergo sunt magnificae illae voces, quas paulo ante gladiis accincti edebant? Qui fit, ut illis temeritas esse incipiat tuendae veritatis constantia, simul ac moriendum esse vident, potius quam ab ea recedatur? Nos vero, Paulinae[3]) exhortationis memores, Christo eiusque evangelio gloriam dare pergamus, sive per vitam sive per mortem. Quidquid autem accidat, constitutum hoc cum animis nostris habeamus, nullas auribus conditiones pacis admittere, quae purae Dei veritati hominum figmenta permisceant. Maneat, inquam, illud fixum, audiendum ab omnibus esse solam pastoris vocem: alienorum cavendam esse, ac respuendam.

Hinc colligere promptum est, quaenam sit in pacandis dissidiis ineunda ratio. Nisi enim nos terrerent hominum offensae, et quasi oculos perstringerent: imo nisi quidam, dum nimium cauti esse volunt, caecutirent in clarissima luce, facile, quae necessaria sint ad conservandum ecclesiae statum doctrinae capita, inter nos conveniret. Sed quia rectum iudicium, nisi ex re ipsa, fieri nequit, operae pretium mihi videor facturus, si ea ipsa, in quibus nihil remitti potest, breviter recenseam. Scio multis tritam esse hanc vocem: de caeteris non esse pertinacius litigandum, modo salva maneat gratuitae iustificationis doctrina. Qui sic loquuntur, neque totum, neque nihil dicunt. Fateor equidem, nunquam nobis constare solidam salutis nostrae notitiam, quin totam fere summam christianae doctrinae secum trahat. Sed primum, in christianae doctrinae summa Dei cultum (in quo eius honor vertitur) non modo posthaberi saluti hominum, sed silentio praeteriri, perquam iniquum erat, ut postea [pag. 79] iterum attingam. Deinde multum interest, verbone uno duntaxat proferas, fide nos iustificari, an rem totam diserte explicatam proponas. Quod si in rebus quoque minutis sedulo obviare omnes solent controversiis, quae oriri ex verborum obscuritate possent, cur non in re maximi momenti eadem saltem, si non maior, adhibebitur cautio?

Proinde, quo probent isti homines, sibi curae esse, ut hanc doctrinae partem de gratuita iustificatione salvam retineant, primo statuendum est, quid per se valeat homo. Nam hoc ordine primum est, quum inter hominis naturam et Dei gratiam discernimus, videre quidnam illa proprium habeat. Hic mediatores nescio qui exoriuntur, qui ut flexiloquis ambagibus adversarios placantes interimant pias animas, arbitrii libertatem homini relinquunt, licet infirmam ac laesam. Scilicet de alieno sunt liberales, quum ad hominem transscribunt, quod proprium erat Dei gratiae. Fatendum est sane, homini restare voluntatem, etiam dum captivus tenetur sub peccati et Satanae tyrannide. Sed cui[1]) se putant satisfacturos, quum superbum libertatis nomen infirmae potentiae epitheto defunctorie temperant? Quum vero modum adipiscendae iustificationis describunt, Deum non agere cum homine docent, quasi cum trunco. Non enim trahere, nisi volentem. Quis negat?[2]) Sed hoc quaeritur, unde ista humanae voluntati docilitas, ut se Deo obsequentem praebeat, quum natura prorsus contumax sit et immorigera? Annon hoc est in limine impingere, quum hinc extenuant hominis miseriam, hinc divinae gratiae auxilium obscurant? Aut ergo vera [pag. 80] iustificationis ratio nobis minime constabit, aut hinc faciendum erit exordium: caecam esse hominis mentem, donec a Dei spiritu illuminetur: voluntatem malo esse addictam, totamque ad malum ferri ac rapi, donec ab eodem corrigatur: nec aliunde nasci voluntariam gratiae receptionem, nisi quod Deus cor ex lapideo carneum formans, ad se nos reflectit, qui prius eramus aversi.

Quum autem ad ipsam verbi definitionem venitur, hic vero cavendum est, ne operum respectus admisceatur gratuitae reconciliationi, quae tota in remissione peccatorum posita est. Etsi enim nunquam reconciliamur Deo, quin simul donemur inhaerente iustitia, distingui tamen debent, quae separari nequeunt. Atque hoc secundum est in hac quaestione membrum: definitam habere rationem, qua nos Deus iustificat. Dicimus itaque, nos fide iustificari, quia nobis imputatur Christi iustitia. Si

1) ilz confessent bien.
2) ces ioliz Moyenneurs.
3) *Edd. Bezanae et Amstelodamensis mendose:* Palmae.

1) *Gallasius scripsit* qui *adverbium, quod servarunt Beza et Amst.*
2) *Sic bene omnes praeter ed. germanicam, quae habet:* Non enim trahere nisi volentem, quis negat?

quis ex adverso obiiciat, non aliter nos fieri participes Christi iustitiae, quam dum eius spiritu in obedientiam legis [1]) renovamur, hoc quidem fatendum est: sed in regeneratione,[2]) qualiscunque sit, negamus constituendam esse iustitiam. Neque id facimus vel litigandi studio, vel quia nihil, quod [3]) minus nobis placeat, velimus praetermissum. Urget nos causa maxime necessaria. Agitur enim conscientiae tranquillitas: sine qua nos omnes miserrimos esse oportet, imo iam fere perditos. Quaeritur, inquam, ubinam tuto acquiescant conscientiae, quum de salute nostra agitur. Si inquietudine agitantur vel haesitant,[4]) Paulus (Rom. 4, 14) exinanitam esse fidem docet. Id autem necessario accidere pronunciat, quamdiu in [pag. 81] legem respiciunt.[5]) Quid igitur? Ut nobis salus constet, simul necesse est certam constare iustitiae fiduciam. Huius quantulacunque pars in operibus fuerit reposita, tanquam parum solido fundamento suffulta, nutabit. Restat igitur, ut in solam peccatorum veniam recumbat. Plana res est, non aliter nos posse in Dei iudicium intrepidos venire, quam si certo persuasi simus, eum nobis esse patrem: quod fieri nequit, quin iusti coram eo censeamur. Adeoque praeclusus est nobis omnis ad ipsum aditus, nisi paterna eius benevolentia freti, ut patrem non dubitanter [6]) invocemus. Quod si nulla est nec salus, nec Dei invocatio, sine tranquilla certaque conscientiae fiducia, rursus autem nusquam acquiescere conscientia potest, nisi in certa iustitia: quis dubitet totam hominis iustitiam, cui inniti debet, gratuita peccatorum remissione contineri? [7]) Fucum itaque faciunt mediatores, qui iustitiam inhaerentem concurrere fingunt cum Christi merito, quum de iustificando homine disputatio est instituta. Eiusmodi concursus horribilem conflictum pariat necesse est, donec operum prorsus obliti, abiectaque eorum mentione,[8]) non iustitiae modo partem, sed totam ipsam in solidum a Christo mutuamur.[9])

Negant Deum terreni iudicis more agere nobiscum, ut absolvat tantum, non etiam vera iustitia donet. Fateor. Sed quum duplex simul gratia nobis a Christo conferatur, ad quid utraque valeat, sedulo considerandum est. Nunc quaeritur, unde fiat, ut Deo simus accepti. Si opera cum gratuita iustitiae imputatione misceantur, altera mox emerget quaestio, quousque in conciliando Dei favore illa valeant: an haec [pag. 82] praecipuas obtineat partes, an quasi inferius sit adminiculum. In hunc modum si distrahatur salutis fiducia, nihil poterit quam vacillare. Quid hoc aliud est, quam subvertere ab imo fundamentum? Itaque merito Paulus fidei iustitiam in peccatorum remissione simpliciter includit, docens eam a Davide describi, quum beatum hominem pronunciat, cui non imputantur peccata (Rom. 4, 6; Psal. 32, 1). Et certe beatitudo illa, cuius David meminit, ex iustitia manat. Sequitur ergo, nos eo esse iustos, quia nobis peccata non imputantur. Unde et hanc salutis scientiam nuncupat in cantico suo Zacharias (Luc. 1, 77), ubi de peccatorum remissione sumus edocti. In summa, meminerimus, non hic simpliciter de multiplici Dei erga nos gratia esse disputationem sed de causa nostrae cum ipso reconciliationis: quae nisi unica statuitur, nulla est. Neque enim scriptura partem duntaxat nostrae iustitiae mutuari a Christo iubet, ut suppleat quod operibus nostris deest: sed palam testatur apostolus, ipsum nobis factum esse iustitiam (1 Cor. 1, 30). Et alibi, nos in ipso iustos esse apud Deum, quia non imputentur nobis amplius peccata (2 Cor. 5, 19).

Commendanda quidem eorum, quae a Christo percipimus, bonorum tum amplitudo, tum varietas, neque ad unam speciem eius officium vimque restringi decet. Nec vero, quum homines dicimus gratis iustificari Christi beneficio, tacenda est regenerationis gratia: quin potius cavendum, ne a nobis separentur, quae perpetuo Dominus coniungit. Quid ergo? Doceantur homines, fieri non posse, ut iusti censeantur Christi merito, quin renoventur eius spiritu in sanctam vitam: frustraque gratuita Dei [pag. 83] adoptione gloriari omnes, in quibus spiritus regenerationis non habitat. Denique, nullos a Deo recipi in gratiam, qui non iusti quoque vere fiant. Sed distinctione opus est, ne ex duobus donis alterum alteri quid deroget. Ita sibi necessariam esse sentiant [1]) regenerationem filii Dei, ut plenam nihilominus sibi iustitiam in Christo constare sciant. Ita se intelligant ad vitae sanctitatem bonorumque operum studium creatos et ordinatos, ut in unum Christi meritum toto animi sui sensu recumbant. Ita fruantur, qua donati sunt, vitae iustitia, ut ea tamen diffisi non aliam quam obedientiae Christi fiduciam in Dei iudicium afferant.

Atque, ut removeantur ambages, necesse est ita in summo gradu collocari quam fide obtinemus iustitiam, et quae gratis nobis accepta fertur: ut

1) pour servir à Dieu.
2) regeneration ou saincteté que Dieu nous donne.
3) *Germanica male:* quidem.
4) *Sic interpunxit Gallasius isque omnino sequendus. Antiquiores post* haesitant *claudunt puncto majori et comma hoc praecedenti iungunt. Gallus nobiscum facit.*
5) tandis que nous avons esgard à noz œuvres.
6) *Ed. germ.* indubitanter.
7) *Gallus addit:* veu qu'en la Loy et noz œuvres nous aurons tousiours difficulté et scrupule.
8) et n'en faisant ne mise ne recette.
9) mutuemur. *Gallas. Beza et Amst.*

1) censeant *Beza et Amst.*

quoties ad Dei tribunal vocantur conscientiae, ipsa sola emineat. Ita fiet, ut operum iustitia, qualiscunque esse in nobis potest, in ordinem suum [1]) coacta, illi minime veluti ad conflictum opponatur. Et sane aequum est, quum haec ab illa pendeat, ita subordinari, ut totam illi possessionem in hominis salute relinquat. Nec dubium est, quin Paulus, ubi disputat de hominis iustificatione, in hoc uno capite versetur, quomodo Deum sibi propitium esse statuat. Hic non ad qualitatem nobis infusam nos revocat, sed praeterita operum mentione, quaerendam extra nos iustitiam esse docet. Alioqui nunquam stabit illa, quam tantopere ubique urget, fidei certitudo. Multo minus illa inter fidei et operum iustitiam antithesis, quam affert decimo ad Romanos capite [2]) (v. 3). Ergo, nisi ludere in [pag. 84] re tam seria lubet, quod nimis periculosum foret, retinenda est verbi proprietas, quae rei cognitionem [3]) secum trahit. Nam si rem nobis concederent, qui hanc doctrinae partem involvunt suis commentis, ego certamen de verbo facile remitterem. Sed qui duas inter se iustitias committunt, quia hoc moliuntur, ne gratuita sit in solidum hominis iustitia, nequaquam ferendi sunt.

Obviandum etiam est eorum calumniae: dum Iacobum obtendunt, et alios similes locos colligunt in scripturis, ubi verbum iustificandi aliter capitur: ut suum inde concursum stabiliant. Neque enim intelligit Iacobus (2, 22), hominem vel minima ex parte sibi apud Deum acquirere iustitiam operum meritis: sed de iustitiae tantum approbatione tractat. Quis autem negat, factis unumquemque suis probare qualis sit? Sed longe aliud est, hominibus facere affectus tui fidem, quam salutem coram Deo promereri. Proinde, ne ex diversa vocis significatione fucus nobis fiat, semper notanda est relatio vel ad Deum, vel ad homines. Porro non negamus, iustos nominari Dei filios, aut a vitae sanctitate, aut a pura conscientia. Sed quia nullum opus, si appendatur in Dei trutina, reperietur nisi mancum, et sordibus etiam inquinatum: inde constituimus, hanc iustitiae appellationem, ubi operibus tribuitur, in gratuita venia fundatam esse. [4]) Ergo ideo iusti sunt operibus fideles, quia nullo operum merito aut respectu iusti: quum operum iustitia ex fidei iustitia pendeat. Hinc etiam apparet, quid de operum mercede sit sentiendum. Non est certe inanis in Domino piorum labor, cui et varia quotidie praemia [pag. 85] in mundo rependuntur, et summum in coelis repositum est. Sed longe falluntur, qui putant, quidquam mercedis bonis operibus, quasi debitum, rependi. Semper enim huc redeundum: sicuti nullam esse iustitiam Deus pronunciat, nisi in perfecta legis obedientia, ita, nihil homines promereri, nisi omnia legis mandata in solidum praestent. Quisquis enim vel in uno apice defecerit, eum manet aeterna maledictio, si iure cum ipso agatur. Quare promissiones universas, quae pactum legis implendae continent, non dubitat Paulus irritas facere, donec gratuitae promissionis beneficio mitigatus fuerit ille rigor. Promissionem gratuitam accipio, non qualiter multi solent: quia quum nos et nostra omnia debeamus Deo, ipse ultro et liberaliter operibus, quae iure suo exigere a nobis poterat, mercedem promiserit: sed quia mercedem ex voluntaria potius favoris sui dignatione, [1]) quam ex propria eorum dignitate assignat. Nam illa quamvis liberalis promissio, quae pacto legis implendae annexa est, per se nihil nos iuvat: quia nemo, qui officio suo satisfaciat, unquam reperietur. Proinde novae iterum promissionis subsidio opus est: ut scilicet ideo praemium habeant opera, quia cum venia placent. [2]) Ita fit, ut non fraudentur spe mercedis fideles, qui illis stimulus esse debet ad bonorum operum studium: neque tamen rursus vel perversa fiducia inflentur, neque efferantur inani gloria. Haec vera est mercedis ratio: non ut operum merito aut dignitati ex aequo respondeat, sed ut gratuita eorum acceptione nitatur.

Ad haec minime ferendum, ut fides ipsa, quae [pag. 86] causa est iustitiae, falsa interpretatione non obscuretur modo, sed etiam adulteretur. Quod faciunt, qui eam vere stare fingunt absque caritate. Vetus est sophistarum commentum, [3]) fidem quae sit informis, veram nihilominus esse: accessione vero caritatis formari. Porro inde natus est error, quod fidem esse putant nudam frigidamque notitiam, quae Deum esse veracem confuse apprehendat. Nos de vocibus non litigamus: sed quum in hac quaestione vertatur salus hominum, nimis periculosa est ambiguitas, quae totam doctrinam tenebris involvat. Sicuti nos gratis iustificat Deus, Christi obedientiam nobis imputando, ita tanti beneficii non nisi sola fide compotes efficimur. Sicuti peccata nostra expiavit filius Dei mortis suae sacrificio, patrisque ira placata adoptionis gratiam nobis acquisivit, nuncque iustitia sua nos donat: ita non nisi fide ipsum induimus, ut simus bonorum eius participes. Nunc si nesciamus quid sit fides, quis nobis ad salutem adipiscendam aditus patebit? Qui autem obliquis suis moderationibus [4]) pacem

1) un ordre inferieur.
2) *Ed. germ. simpliciter* Roma. 10.
3) la substance de toute la matiere.
4) que Dieu leur fait en les supportant.

1) dignitate *Beza et Amst.*
2) pourtant que Dieu les accepte d'une faveur gratuite, supportant l'imperfection qui y est.
3) la vieille resverie des Sorboniques.
4) ces beaux moyenneurs qui par leurs gloses obliques et tortues veulent appointer avec les Papistes.

hodie redimunt a Papistis, fidem veram, quae Christianos ab infidelibus discernit, fatentur caritate posse esse vacuam.[1]) Perinde ergo faciunt, ac si quis vinum in dolio inclusum commendet, epistomium vero abscindat,[2]) ne cui liceat inde haurire.

Iam satis patere arbitror, quantopere referat, ut salva maneat de iustificatione doctrina, habere certam fidei definitionem. Et certe, quaenam sit, partim ex iustificationis effectu licet colligere. Iustificat enim, quia facit ut Christum induamus, ut habitet in nobis, ut simus eius membra. Quae cum filio Dei [pag. 87] nos unum facit, an sine eius spiritu esse potest? Id vero non minus est absurdum, quam si quis asserat, animam carere vita, quae ipsa corpus inspirat, quae motum illi dat et sensum, quae ipsius denique vita est. Si quis hoc unum teneat, fide Christum possideri, in illa distinctione fidei formatae et informis non amplius haesitabit. Fides, inquam, firma est conscientiae certitudo, quae Christum amplectitur, qualis nobis per evangelium offertur.[3]) Atqui, nonne unum est ex praecipuis donis quae nobis confert vitae novitas? Unde et in sanctificationem[4]) nobis datus esse dicitur. Fides animae est resurrectio, quemadmodum Christus pronunciat his verbis: Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet (Ioann. 11, 26). Quomodo igitur mortua esset, quum sit vivifica? Fides divinae adoptionis est testimonium. Quomodo autem filii Dei, nisi qui spiritu eius reguntur? Fides nobis aditum ad Deum patefacit. Quomodo id fieret sine bona conscientia?

Ut haec vel non sint, vel taceantur: tamen ut pax in unitate fidei nobis constet, prius de fidei nomine inter nos convenire necesse est. Sed quia iam praefatus sum, mihi in praesentia sufficere, si demonstrem quam procul a retinenda iustificatione absint, qui dum hostes veritatis placare student, medium excogitant doctrinae genus, quod neque coelum neque terram attingit: in hoc argumento me contineo. Ergo quantum ad obtinendam coram Deo iustitiam spectat, haec quinque de fide necessario tenenda esse dico. Primum, indubiam esse persuasionem, qua verbum a prophetis et apostolis allatum, tanquam veritatem a Deo profectam, suscipimus. Deinde, hanc in verbo Dei proprie [pag. 88] intueri gratuitas promissiones, Christumque praesertim earum pignus et fundamentum: ut in paterno Dei favore acquiescentes, salutis aeternae fiduciam concipere audeamus. Tertio, non esse hanc nudam notitiam, quae in mente volitet, sed vivum quoque affectum secum trahere, qui cordi insideat. Quarto, non ex humanae mentis perspicacia eandem hanc nasci, vel ex proprio cordis motu, sed esse singulare spiritus sancti opus, cuius est, tum mentes illuminare, tum obsignare corda. Postremo, non omnes promiscue hanc spiritus efficaciam sentire, sed qui ad vitam sunt ordinati.

Quod ordine primum posuimus, quia in confesso est apud omnes, probatione nulla indiget. In secundo etiam probando, non tam sedulo colligenda sunt testimonia, quam admonendus lector, ut quae passim occurrunt in scripturis expendat. Sunt enim prope innumera, et brevitati studendum est. Paulus quum a lege discernit evangelium, fidei doctrinam appellat (Rom. 10, 6). Et alibi, revelari in ipso Dei iustitiam docet ex fide in fidem (Rom. 1, 17). Item: Ideo, inquit, ex fide, ut secundum gratiam: quo firma sit promissio (Rom. 4, 16).[1]) Eodem pertinet quod scribit, evangelium in obedientiam fidei praedicari (Rom. 1, 5). Et ubi evangelium non ex lege, sed ex promissione esse docet: continuo post concludit, ut promissio ex fide detur (Gal. 3, 22). Quibus verbis aperte notatur mutua inter fidem et gratuitas Dei promissiones relatio. Hinc iam conficitur, fidem in Christo solo quiescere: utpote in quo omnes Dei promissiones sunt Etiam et Amen (2 Cor. 1, 20). Ita enim Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum dederit, ut quisquis in eum credit, non pereat (Ioann. 3, 16). Quae sententia non frustra toties [pag. 89] repetitur. Quare alibi Paulus, quum lucem evangelii commendat, dicit illic refulgere Dei gloriam in facie Christi (2 Cor. 4, 6). Nec temere, quum de fide meminit scriptura, quasi expositionis vice additur: in Christum. Significat enim haec particula, quod latius docetur tertio capite ad Romanos (v. 24): Christum esse propositum reconciliatorem, ut per fidem, intercedente ipsius sanguine, gratis iustificemur Dei gratia. Quod ipsum deinde pluribus locis confirmat. Idem sibi vult quod ad Galatas (3, 16) scribit, non nisi in uno semine, hoc est, Christo, stabilitas fuisse promissiones. Eadem ratione, tam ad Ephesios quam ad Philippenses fidem interpretatur, cognitionem filii Dei: in qua etiam totam sapientiam piorum includit (Ephes. 4, 13; Philip. 3, 8): quemadmodum alibi negat, quidquam sibi aliud esse eximium: et se Iesum Christum praedicasse gloriatur, tanquam in quo consistat evangelii summa (1 Cor. 2, 2).[2])

Porro ex fide gigni divini in nos amoris fidu-

1) *Add.* comme si c'estoit une chose de neant.
2) et qu'il exhortast les autres d'en boire, cependant qu'il coppast la broche.
3) *Ed. germ. habet:* affertur.
4) *Beza et Amst.* significationem, *mendose.*

1) *In editione germanica, et quidem in ipso textu, h. l. appositus legitur locus Gal.* 3. *ex lapsu memoriae, sine dubio; quod tamen caeterae omnes servarunt, sed allegatione in marginem relegata.*
2) *Add.* mesme il en parle au premier des Romains.

ciam, vel unus locus abunde testatur quinto ad Romanos capite (v. 11) ubi docet Paulus tranquillas nobis esse conscientias, ut audeamus de spe vitae aeternae gloriari. Et prius dixerat, nos ex fide esse haeredes, ne vacillemus trepidi et dubii (Rom. 4, 16). Unde constat requiri firmam certitudinem. In eundem modum ad Ephesios (3, 12) scribit, nos per Christum habere audaciam et aditum ad patrem cum fiducia, quae est per fidem eius. Nec Ioannes opinari nos dicit, sed scire, quod filii Dei simus: tametsi nondum appareat (1 Ioann. 3, 2). Hoc ergo qui non tenet, fidei naturam prorsus ignorat. Hoc autem posito, liquet fidem cum serio affectu semper coniunctam esse. Alioqui, non iuberet nos Paulus (Col. 2, 7) radices agere in Christo [pag. 90] et superstrui fide, nec ipsa haberet nomen obedientiae (Rom. 1, 5): multo minus victoria nostra adversus mundum diceretur (1 Ioann. 5, 4). Et sane quum Paulus scribit, corde ad iustitiam credi (Rom. 10, 10), non eam in cerebro locat: sed penitus defixam esse significat in hominis anima. Elogia illa, quae prius commemoravi, nunc omitto: quod sit vita animae, quod per eam Christus in nobis habitet, quod nobis adipiscendae salutis sit causa, ac similia: quae tamen simplici notitiae nequaquam convenirent. Atque hoc est quod alibi intelligit Paulus, quum dicit, nos faciem Dei in evangelii speculo intuentes in ipsam transformari ex gloria in gloriam (2 Cor. 3, 18). Viva enim et efficax sit oportet cognitio, quae ita nos in imaginem Dei transformet.

Iam fidem divinae illuminationis opus esse tot testimoniis scriptura confirmat, quoties caecitatis damnat humanam mentem. Sed quoniam nimis longum esset locos omnes colligere, paucos tantum annotabo qui se primi offerent. Aliud nihil agit Paulus primo et secundo capite epistolae ad Corinthios prioris, nisi ut hebetem esse et nihili [1]) omnem humani ingenii perspicaciam in Dei mysteriis ostendat. Qui ergo ad ea penetrant, non ex voluntate hominis aut carnis, sed ex Deo nati sunt (Ioann. 1, 13). Neque enim caro et sanguis revelant, sed pater qui in coelis est (Matth. 16, 17). Quare rogat Paulus Deum ut Ephesiis aperiat mentis oculos, detque illis spiritum sapientiae et revelationis in agnitionem sui, ut comprehendere queant, quae sit sua vocatio (Ephes. 1, 17. 18). Et merito: si quidem, ut postea subiicit, dilectio Christi ad quam vocamur, omnem cognitionem supereminet (Ephes. 3, 19). Unde sequitur, quod alibi affirmat, nobis dari ut [pag. 91] credamus (Philip. 1, 29): nec posse homines quidquam accipere, nisi illis e coelo datum fuerit (Ioann. 3, 27): neminem ad Christum venire, nisi trahatur a patre (Ioann. 6, 44). Ad haec, si excutiamus cor humanum, reperiemus non modo ad diffidentiam propensum esse, sed toto naturae instinctu illuc ferri. Quare iterum hic nobis subveniat Dei spiritus, necesse est: sitque nobis et arrabo et sigillum. Hic est, qui nobis os aperit, ut audeamus absque metu Deum patrem invocare (Rom. 8, 15; Gal. 4, 6), qui sanguine Christi animas nostras irrigat (1 Petr. 1, 2), qui ratam nobis facit eius gratiam, qui Dei caritate corda nostra perfundit (Rom. 5, 5), ut intrepide gloriemur, nos esse eius filios, qui denique nos ducit in omnem veritatem (Ioann. 16, 13): idque ut sciamus, quae nobis a Deo donata sunt (1 Cor. 2, 12).

Quod ultimo loco posui sumptum est ex Luca, qui Pauli doctrinae credidisse narrat, quotquot ad vitam erant praeordinati (Act. 13, 48). Et sane, quum omnes promiscue externa praedicatione invitet Deus, hoc solo electos suos discernit a reprobis, quod hos caecutire in luce sinens, illos novis oculis donat quibus cernant, et corda in obedientiam verbi sui inclinat. Proinde efficaci vocatione arcanam suam electionem patefacit. Vocat nos, inquit Paulus, quemadmodum in filio suo elegit ante creatum mundum (Ephes. 1, 4). Item: Illius opus sumus, creati in Christo ad bona opera, quae praeparavit, ut in illis ambulemus (Ephes. 2, 10). Hoc ideo notandum est, quia, ut plus aequo superbi sunt homines, ad se rapiunt quod erat uni Deo adscribendum. Cui praeposterae arrogantiae gratuitam suam adoptionem opponit Deus, quae ipsa sibi causa est ad nos vocandos, adeoque sola nos discernit. [1]) Nunquam certe praevenitur [pag. 92] a nobis Deus, sed quaerit oves errantes ac perditas. Porro efficacia vocationis, cuius memini, sic accipi debet, quod non tantum nobis offertur Dei gratia, sed ad eam amplexandam voluntas quoque nostra formatur. Nam inter electos et reprobos id interest, quod quum utrosque alloquatur Deus voce hominis, illos peculiariter spiritu suo intus docet. Commune, inquam, utrisque est hominis ministerium: sed interior spiritus gratia specialis est electis. [2]) Quo pertinet Christi sententia: Quicunque a patre audivit ac didicit, venit ad me (Ioann. 6, 45).

Nisi haec extra controversiam posita fuerint: licet avium more subinde garriamus, nos fide iustificari, iustificationem ipsam nunquam tenebimus. Nihilo autem melius est, furtim subduci ab unico salutis fundamento, quam palam excuti. Verum sunt etiam alia, in quibus larvati mediatores hanc doctrinae partem malitiose subvertunt, quam velle se tueri verbo profitentur. Peccatorum confes-

1) sans intelligence.

1) *Add.* d'avec les reprouvez.
2) la grace qui touche au vif est speciale aux enfans de Dieu.

sionem obtinendae veniae necessariam esse fingunt. Cui autem confiteri nos iubent? Non Deo: sed sacerdotibus. Nonne plusquam impudenter obtenditur nomen gratuitae iustificationis, quum haec conscientiis imponitur necessitas? Ut liberae sint conscientiae a metu aeternae mortis, ipsam quoque Dei legem abrogari oportet, ne maledictione eas obstringat. Quid nunc, si novarum legum laqueis induuntur, quae fortius eas adstringant? Scriptura nos iustificari testatur, non quia impleamus legem, sed quia recumbamus in Christi sacrificium, quo expiata sunt peccata. Non ergo legis observatio, sed transgressionum venia nos iustificat. [pag. 93] Nunc quum ipsa peccatorum remissio quae a vinculis omnibus nos solvit, conditioni illigatur, nonne tota conscientiis excutitur salutis certitudo? Peccatorum remissionem nobis promittunt: sed hac lege, si in aurem sacerdotis confessi fuerimus. Quid hoc, quaeso, aliud est, quam humanae legi subiicere divinae legis absolutionem, et ipsi, ut ita loquar, manumissionis vindictae servitutem imponere? Sic enim statuunt eiusmodi legislatores, ne peccatorum remissio, quae nos liberat, ipsa sit libera.

Praeterea atrocem Deo iniuriam faciunt, qui tantum arrogant hominibus, ut ipsorum arbitrio remittantur peccata. Praesertim quum hoc uni sibi tam severe vindicet apud prophetam. Ego sum, ego sum, inquit, qui deleo iniquitates tuas (Ies. 43, 25). Quid autem? an Deus ipse, quum beneficium istud nobis offert, confitendi legem imponit? An Christus ipse cuius maxime proprium est hoc officium et mandatum, tale quidquam praescribit peccata remittendo? Nusquam hoc legitur. Nunc quum insurgunt homines, manumque iniiciunt Christo ad restringendam eius gratiam, nonne plus quam sacrilega audacia est? Et nos, si tantum iuris permittimus hominibus, ut reconciliandae inter nos et Deum gratiae ipsi sint arbitri ad leges dictandas, nonne Christi beneficium tali ingratitudine repudiamus? Hoc certe, nisi impudenter, negari non potest. Confugimus miseri omnes nos, ut necesse est, ad peccatorum veniam, tanquam ad unicum salutis asylum. Certa nobis via a filio Dei monstratur. Certa ratio traditur tanti boni potiendi. Hic se interponit mortalis homo, aditumque praecludere audet: ianuam [pag. 94] ostendit a se obseratam, nec aperiri nisi confessionis clave patitur. Hanc in se tyrannidem qui suscipiunt, statuuntne Christum unicum iustitiae autorem, ac non potius honoris partem illi ereptam alio transscribunt? Et ubi gratuita iustitia, si hoc modo redimitur?

Porro, quoniam hactenus expertae sunt piae animae, quam dira esset carnificina, quum ad huiusmodi confessionem adigebantur: ut minore doloris sensu eas interimant falsi mediatores, mediam viam excogitant. Dicunt enim, neque nimis laxandam confessionem, neque rursus nimis stringendam. Videtur certe aliquid profectum, quum ex illa anxia [1]) enumeratione aliquid remittitur. Nugae scilicet: nam si statuimus non absolvi coram Deo, nisi qui sacerdoti sua peccata confessi fuerint, cui inde apiculum detrahere fas erit? Nonne semper periclitabimur, ne, si quid a nobis praetermissum est, in iudicium Deus revocet? Haec demum pax est conscientiae, sine qua nulla est salus, quum indubia est absolutionis fides. Si confiteri prius quempiam necesse est, quam absolvatur, quousque urgeat haec necessitas, non est in hominis arbitrio definire. Ita nihil praeter assiduam inquietudinem lentumque tormentum et perplexas ambages relinquitur, quae animam nihilo minus conficient, quam si aperte iugularetur. Contenti sunt mediatores, si recenseantur peccata, quae diligenter cogitanti, et sese excutienti in mentem veniunt. Quid hoc est aliud, quam venenum gutta mellis illinere, ut primo gustu minus sentiatur? Nam si quid iustae diligentiae vel minimum defuerit, hic haerebit peccator: [2]) imo labefactabitur [pag. 95] tota promissio: et tandem abyssus abyssum trahet. Si haec est salutis scientia, tranquillo animo in peccatorum veniam recumbere: quisquis hunc laqueum sponte induet, sciens ac volens salutem suam proiicit.

Quod autem huic impiae tyrannidi praetexitur Christi autoritas, non minore fit impudentia quam malitia. Antehac Sorbonicis theologastris [3]) propter crassam inscitiam poterat ignosci, quum scripturam perperam corrumperent. Nunc in tanta luce non eadem valere debet excusatio. Obtendunt mediatores, ligandi et solvendi potestatem apostolis esse datam. Addunt postea, exerceri non posse, nisi intelligat qui ea fungitur, retinerene an solvere debeat. Inde enumerationem conficiunt. Quid tam puerile obiectum, toties a nobis refutatum, nunc de integro excutiam? Quum instruuntur ligandi et solvendi potestate apostoli, hoc elogio vim et fructum evangelii commendari certum est. Magnopere enim refert, ut ratam esse coram Deo absolutionem sciamus, quae nobis nunciatur ore hominis. Meminerimus, homines esse mortales, qui nos ab aeternae mortis reatu exemptos esse testantur. Tantae rei testimonio [4]) ne angeli quidem pares forent. Quid ergo nobis fieret, nisi suam autoritatem interponeret ipse filius Dei, ad sanciendam mandati sui fidem? Ipsa porro mandati exsequutio omnem hac de re dubitationem tollit. Neque enim audiendis confessionibus, sed praedicando evangelio, ligandi solvendique munus exercuerunt apostoli. Quin

1) entier.
2) le pecheur sera là tenu court et ne saura où il en sera.
3) badaux de Sorbonne.
4) pour porter un tel message.



etiam palam est, melioribus saeculis, quibus floruit religio,[1]) vel ignotum fuisse confitendi [pag. 96] ritum vel non ita communiter receptum fuisse. Certe extra controversiam est, totos mille annos et supra, hac lege solutas fuisse ecclesias, quam novi mediatores quasi perpetuam et una cum evangelio natam obtrudunt. Quod si necessaria est quam fingunt cognitio, ut peccata remittere nequeat nisi qui audivit: temeritatis damnandi sunt, non modo praestantissimi quique veteris ecclesiae pastores, sed apostoli ipsi, adeoque omnium magister et dominus, qui omnes, quum morem confitendi nescirent, ligare tamen et solvere ausi sunt.

Scio eiusmodi homines, ubi species aliqua utilitatis se ostendit, quidvis sibi iubendum permittere. Atque haec ratio est, cur tantopere confessionem urgeant, quia mundum volunt sibi obnoxium facere, ut obsequentem habeant.[2]). Multis ergo nominibus confitendi ritum utilissimum esse contendunt. Nempe, si reputamus, quid privatim ipsis expediat. Quum tamen omnia dixerunt, nihil afferunt magis speciosum, quam quod impios cogunt semel quotannis erubescere. Scilicet, multum profectum est, quum apud nos plus hominum valet pudor, quam Dei et angelorum reverentia. Et tamen hoc ipsum esse falsissimum, usus, qui optimus est magister, docet. Eo enim maiore peccandi protervia lasciviunt, quia se fore salvos confidunt, simul ac in aurem sacrifici quidquid intus eos gravat exoneraverint.[3]). Perinde ac si Dei tribunal effugerent, iudicium hominibus deferendo. Denique, non secus ac ebriosi, vomendo ad novam crapulam se comparant.[4]) Quid autem ex adverso nobis promptum esset obiicere? Annon ex hac lerna innumeras [pag. 97] malorum species prodire notum est? Verum ut demus, esse verum quod postulant, nihil tanti esse debet, ut in servitutem redigantur conscientiae, prostituatur Christi gratia, opprimatur fides. Ut maxime, inquam, expediat, cogi ad confitenda sua peccata homines, fucum tamen facere, quasi res sit ad salutem necessaria, neque fas est, neque expedit. Stringi enim talium legum vinculis conscientiae nequeunt, quin strangulentur. Ergo omnibus illis abruptis, discamus solis gratuitae misericordiae promissionibus omnes sensus habere devinctos.

Similiter, quum de spirituali conscientiae foro agitur, nulla satisfactionum fiat mentio. Unica enim est Christi satisfactio, quae non culpae tantum aeternaeque mortis reatu nos eximit, sed temporalibus quoque poenis redimendis est pretium. Arridet quidem, prima specie, illa distinctio: poenam aeternam gratis remitti Christi beneficio, temporales autem nostris satisfactionibus. Sed re propius inspecta, protinus evanescit.[1]) Reclamant primum omnes prophetae, qui Dei misericordiae poenarum relaxationem ubique assignant. Quod Deus gratis condonat, certum est, nullis operibus nos promereri. Atqui, dum ita Deum loquentem inducit propheta (Ezech. 20, 44 et 36, 22): Propter me faciam, non propter vos: de remittenda temporali poena sermo habetur. Imo quoties fere ad petendam gratuitam veniam confugiunt, externas calamitates deprecantur, ut sunt irae Dei indicia.[2]) Et quum nos recipit Deus in gratiam, simul finem malis se impositurum promittit. Denique sicuti culpam poena sequitur, tanquam fructus arborem: ita culpa remissa, tanquam [pag. 98] excisa radice, poena quoque exstinguitur. Verum est quidem hoc optimum esse remedium, ne iudicentur homines a Deo si se ipsos iudicent: quemadmodum testatur Paulus (1 Cor. 11, 31). Id tamen perinde accipi non debet, ac si mutua compensatione ipsum placarent. Sed quum hoc unum agat Deus nos puniendo, ut ad poenitentiam cogat, non mirum est, si poenae dicatur occurrere peccator, qui sponte se corrigit. Verbis enim nos invitat prius coelestis pater, quam manu feriat. Si voluntaria in nobis conversio apparet, obtinuit quod volebat. Illic iam cessat puniendi materia. Denique, sicut in futurum tempus respiciunt, quae piis infliguntur poenae: ita qui eas avertere cupit, non est quod studeat satisfactione aliqua quod deliquit expungere: sed se quibuscunque potest modis quum ad humilitatem, tum ad veram resipiscentiam erudiens, sui ipse peccati ultor sit homo, ne Deum experiatur ultorem. Qui Deum sibi vult parcere, ipse sibi ne parcat, nec indulgeat. Qui erigi vult a Deo, se ipse humiliet. Sed hoc totum nihil ad mutuam compensationem.[3]) Nam qui in hunc modum de se poenas sumunt, quo praeveniant Dei iudicium, constituunt sibi nihilominus in Christi sacrificio non modo culpae expiationem, sed poenarum etiam, quascunque meriti sunt, veniam. Satisfactiones porro, quarum usus est in ecclesia, quum ad exemplum magis pertineant, pars sunt ordinis politici, non autem spiritualis iustitiae subsidia.[4])

Huic doctrinae, qui vel tantillum derogant,

---

1) que la chrestienté a fleuri et a esté en son integrité.
2) comme s'ilz avoient le pied sur la gorge de ceux qu'ilz contraignent à se confesser.
3) si tost qu'ilz auront desgorgé en l'aureille d'un prestre ce qui leur charge l'estomach.
4) qui degausillent pour tousiours boire mieux que devant.

1) ceste subtilité.
2) *Ed. germ. mendose:* iudicia.
3) recompense pour racheter noz fautes.
4) et n'attouchent point à la conscience, pour estre moyens d'acquerir salut ou portion de la iustice spirituelle que nous avons devant Dieu.

nunquam tam speciosos habebunt praetextus, quin saltem palam fiat, exitiales ipsos tendere insidias hominum [pag. 99] saluti: quas si cavere negligimus, frustra posthac gememus salutem amissam, quam ipsi sponte prodiderimus Satanae et eius ministris. Cavendum itaque, ne illae nos demulceant Sirenum voces:[1]) Hoc parum est: hoc commoda interpretatione mitigabitur: hoc facile latebit: hoc admittetur non magno periculo.[2]) Potius audiamus monentem Christum: Ambulate dum lucem habetis (Ioann. 12, 35). Nam si quas patimur clarae luci nubeculas[3]) opponi, citius quam putemus obruent nos tenebrae. Unica est ianua, qua ingredi nos vitam aeternam oportet: unica est via, qua ad eam pervenitur. Minimus ab his deflexus, proclivis est in mortem error. Huc accedit, quod obliquis velut cuniculis simul impetitur Christi gloria, quam ita coniunctam esse cum salute nostra voluit, ut alteri qui detrahit, utrumque violet. Ergo in asserenda gratuitae iustificationis doctrina, non tantum quam sit nobis cara nostra salus, sed etiam quam pretiosa Christi gloria, specimen edendum est. Unde apparet, quam detestandum interitum[4]) nobis moliantur perfidi mediatores, qui suis fucis huc nos inducunt,[5]) ut non minus in filium Dei simus ingrati, quam propriae salutis proditores.

Atque ut demus, relinqui istud nobis integrum, iustificari sola fide hominem: qui tamen nihil praeterea relinquunt, quo tandem loco habendum censent cultum Dei? Estne illis res tam frivola, ut pacem ecclesiae morari non debeat? Atqui, hominum et angelorum saluti praeferendam esse dico. Proinde, qui non tantum posthabito, sed etiam relicto Dei cultu, alterum illud caput duntaxat urgent, quid sit [pag. 100] vera religio nondum didicerunt. Si quis obiiciat, praecipuam divini cultus partem fide eiusque exercitiis contineri: ego id quidem fateor: sed disputare, quomodo salutem adipiscantur homines, quomodo autem rite colatur Deus tacere, nimis est praeposterum. Adde, quod huius rei cognitio propriam explicationem desiderat:[6]) cuius duo potissimum sunt membra. Primum enim statuendum est, spiritualem esse Dei cultum, ne in externis vel caeremoniis, vel aliis quibuslibet operibus reponatur: deinde non esse legitimum, nisi ad eius cui praestatur voluntatem sit compositus, tanquam ad suam regulam. Utrumque plus quam necessarium est: nam ut nihil quam terram et carnem sapimus, ita Deum metimur nostro ingenio. Unde fit, ut semper magis arrideant externae pompae, quae nihili sunt coram Deo, quam interior cordis veritas, quam solam probat ac requirit. Rursus, nota est ingenii nostri lascivia, quae hic maxime exsultat, ubi nihil prorsus audendum erat. Quoslibet cultus, et alios subinde atque alios comminisci, homines sibi permittunt. Neque hoc est saeculi unius vitium. Usque ab exordio mundi, ita licenter mundus cum Deo lusit. Ipse autem clamat, nihil sibi pluris esse, quam obedientiam (1 Sam. 15, 22). Itaque omnes cultus, praeter mandatum suum confictos, non modo tanquam irritos respuit, sed plane damnat. Quid testimoniis utar in re tam aperta, quum proverbiales inter Christianos esse debeant eiusmodi sententiae?

Quod prius membrum, quasi supervacuum secure omittunt fucosi mediatores, ut ne verbulo quidem attingant, spiritualem esse Dei cultum: quid aliud, [pag. 101] quam latebras quaeritant ad fallendum? Fingamus tamen id esse tolerabile. Quod autem in operibus per se bonis numerant, quae sponte suscipiuntur absque Dei mandato, in eo totam pie recteque vivendi regulam pervertunt. Ubi enim erit illud: Frustra me colunt, docentes praecepta hominum (Matth. 15, 9): si vagari suo arbitrio, extra Dei legem, hominibus liceat? Ac eo impudentiae erumpunt, ut dicant a spiritu sancto discrepare, qui non probant supererogationis opera. Cur istud? An quoniam eiusmodi opera apud Iesaiam commendat spiritus, quum hoc solo titulo damnat quaecunque pulcherrimam alioqui speciem habent, quod ea Deus non requirat e manibus nostris (Ies. 1, 12)? Video quid obiiciant: ut omnia vendamus, ut perpetuam colamus virginitatem, ut gratuitam praedicationis operam impendamus ecclesiae, non praecipi quidem a Domino, placere nihilominus. Atqui respondeo, etiam si quis haec omnia simul, et longe maiora praestet, nihil ultra praestare, quam quod lex continet. Illic enim iubemur Deum ex toto corde diligere. Quis hominum hanc metam sua perfectione superet? Si excipiant, nullum tamen de operibus ipsis speciale exstare mandatum, ad hoc quoque facilis est responsio. Neque enim haec omnibus convenirent. Neque rite suscipiuntur in eum finem, quasi per se valeant, aut quasi ita coli Deus velit. Si quis, nulla necessitate inductus, vendat quaecunque habet, abiecta familiae suae cura, quasi venditio per se sit virtus, nonne stultitiae merito damnabitur? Neque enim omnes promiscue alloquitur Christus, quum dicit: Vade, et vende omnia: sed eum qui se falso tota lege perfunctum putans [pag. 102] inani fiducia turgebat (Matth. 19, 21). Ut eum ostendat Christus procul adhuc a tota perfectione abesse, vitium, in quo sibi blandiebatur, attingit: quod scilicet opibus suis ni-

---

1) de nous laisser endormir ou amadouer par ces flatteries qu'aucuns ameinent.
2) *Add.* Ceci est de peu d'importance.
3) petites bruines.
4) *In margine ed. germ. ludit aliquis:* Interim est interitus.
5) *Ed. germ. male:* induunt.
6) pour en avoir une declaration sommaire.

mium addictus esset. Unde patet, tale venditionis genus sub legis mandatis contineri. Idem et de virginitate sentiendum. Videre enim quisque debet quid sibi datum sit, ne quis incontinentia laborans, dum caelibatam appetit, cum Deo luctetur. Deinde, qui continentiae dono praeditus est, placere sibi non debet cum suo caelibatu, quasi genus vivendi colat aliis perfectius. Neque enim virginitas, quasi per se virtus sit, laudatur: sed dum refertur in suum finem: ut liberius, avocamentis omnibus [1]) soluti, studia nostra et curas omnes conferamus in Dei obsequium. Et cur stipendio abstinuit Paulus, nisi ut obviam iret pseudoapostolorum malitiae, qui ideo nihil poscebant, ut infamiam crearent eius ministerio, vel saltem autoritati detraherent? Quid autem, obsecro, praeter officii sui modum supererogat minister, dum nihil praetermittit, quod ad ecclesiae utilitatem facturum videt? Non potuit aliter facere Paulus, quin se et apostolatum suum improborum ludibrio exponeret. Quid ergo fecit, primum quod non debuerit, deinde quod non esset ex Dei praescripto?

Iactant etiam exemplum Davidis, qui coram arca saltavit. Verum, quid hoc ad commentitios cultus stabiliendos? Nam si novum quempiam cultum erigere in animo habuit David, quis eius temeritatem excuset, quum rem tam severe a Domino prohibitam aggressus sit? Lex certe illa communis erat omnium: ne facerent quod singulis placeret, sed tantum quod [pag. 103] Dominus praeceperat (Deut. 12, 8). Si quid ergo ad mandatum de suo addidit David, perperam ausus est plus quam licebat. Si fatemur peccasse: quid imitatores iuvat perversum exemplum? Ego vero non concedo, hoc animo saltasse Davidem, ut cultum sibi non mandatum Deo exhiberet. Satis scitur, caeremonias ita pietatis fuisse exercitia, ut non tam ex se, quam ex fine aestimarentur. Quid ergo sibi aliud voluit illa Davidis saltatio, nisi ut arcam Domini magnifice in locum coelitus illi destinatum et consecratum deduceret? Quanquam non dubium est, quin peculiari spiritus instinctu huc adductus fuerit: quod in extraordinariis sanctorum factis semper observandum est.

Verum, ne quis calumnietur, nos in rebus externis nimium esse morosos, qui adeo praecise tollamus omnem libertatem: hic testatum velim piis lectoribus, me non de caeremoniis litigare, quae decoro tantum et ordini serviunt: vel etiam symbola sunt et incitamenta eius, quam Deo deferimus, reverentiae. Nobis enim de operibus disputatio est, quae per se Deo placere fingunt mediatores, et quibus eum rite coli affirmant. Nam quum illis de operum iustitia, adeoque meritoriis operibus sermo est, eiusmodi figmenta [1]) obtrudunt, quae ad Dei legem hominum arbitrio adduntur. Quis autem non videt hoc modo ἐθελοθρησκείας, [2]) quae a Paulo damnantur, Dei mandatis opponi? Certe, si verum dicerent, falsum esset illud Christi: Frustra Deum coli hominum mandatis (Matth. 15, 9). Nego igitur, legitimum esse alium Dei cultum, quam qui ad eius voluntatem exigitur: nam is solus rationabilis [pag. 104] a Paulo (Rom. 12, 1) vocatur hac de causa, quod, ubi sapere plus quam oportet homines volunt, a ratione viaque aberrant. De operibus autem mediis, quorum libera est electio, alibi erit opportunior dicendi locus. Tantum ostendere volui, si absque Dei mandato suscepta a nobis opera in partem divini cultus spiritualisque iustitiae obrepant, quod in religione praecipuum est everti.

Quoniam in tradenda reformationis formula, postquam de iustificatione egerunt mediatores, ad ecclesiam descendunt: videndum quatenus eorum placitis acquiescere pio homini liceat, qui nolit a veritate discedere. Quas ponunt dignoscendae ecclesiae notas, ego quoque libenter recipio, puram doctrinam, rectum sacramentorum usum, et sanctam, quae inde pendet, unitatem. Sed quod addunt de continua episcoporum successione, quis non animadvertat captiose ab illis dici? Non abs re contendimus, ita saeculis aliquot laceratam et dissipatam fuisse Dei ecclesiam, ut destituta fuerit veris pastoribus. Contendimus nihil minus quam pastores fuisse, qui hunc honoris titulum sibi arrogarunt. Isti, non modo lupos [3]) censeri volunt pastores, sed ecclesiam alibi quam apud eos quaerendam esse negant. Nos certe non negamus semper fuisse Dei ecclesiam in mundo. Audimus enim quid de perpetuo Christi semine Deus promittat. Hoc etiam modo non negamus, quin ab exordio evangelii continua usque ad nos fuerit ecclesiae successio: quemadmodum certo persuasi sumus, ad finem usque mundi fore. Sed non concedimus, ita affixam esse externis larvis, ut penes episcopos vel [pag. 105] fuerit antehac, vel posthac futura sit. [4]) Et unde, quaeso, id necessarium esse probant? Nulla usquam invenietur promissio. Quin potius, dum Petrus admonet, falsos doctores in ecclesia christiana fore, sicuti in populo veteri fuerunt (2 Petr. 2, 1): et Paulus sessurum in templo Dei Antichristum pronunciat (2 Thess. 2, 4), non extraneos hostes designant, qui violenta irruptione ad exiguum tempus turbent ecclesiam: de ordinaria quam vocant,

1) de tous destourbiers.

1) menus fatras.
2) devotions volontaires.
3) telles gens.
4) ou la doivent avoir enclose en leur sein.

praesulum administratione loquuntur: ne quis tranquillum ac florentem regni Christi statum somniaret. Ergo, si penes apostolorum successores residet ecclesia, eos quaeramus successores, qui traditam ab illis doctrinam posteris fideliter per manus tradiderint.

Scio, ut continuam hanc successionem commendent Irenaeus, Origenes, Augustinus, et alii quidam ex veteribus. Sed merum fucum faciunt qui eiusmodi testimonio tyrannidem papatus, quae nihil commune habet cum antiqua ecclesiae forma, defendere conantur. Irenaeo et Origeni negotium erat cum improbis nebulonibus, qui, quum prodigiosos errores proferrent in medium, eos sibi divinitus revelatos esse iactabant. Huius mendacii facilis erat refutatio, quod adhuc superstites erant multi, qui familiares apostolorum discipulis fuerant. Recens erat eius doctrinae memoria quam apostoli tradiderant. Ipsi quodammodo parietes adhuc eorum vocibus personabant. Miramur, si illi sancti viri testes citaverint ecclesias, quae et ab ipsis apostolis institutae fuerant et eorum institutionem, sine controversia, retinuerant? Pugnabat Augustinus contra Donatistas, qui furiosa superbia inflati solos se ecclesiam habere gloriabantur, quum [pag. 106] tamen nihil esset causae cur ab aliis dissiderent. Obiicit illis Augustinus, quas illi repudiabant ecclesias, et a quibus discessionem fecerant, continua serie ab ipsis apostolis fluxisse. Optimo id quidem iure: quum eas in recepta semel doctrina perstitisse Donatistae agnoscerent. At longe diversa est nostra ratio. Successores enim apostolorum fuisse negamus, qui ab eorum fide doctrinaque desciverint. Perfidiosi isti mediatores, qui tenebras miscent cum luce, quam dissimilis sit antiquo ecclesiae regimini, vel potius contraria praesens dissipatio, non ignorant. Cuius ergo impudentiae est, ad opprimendam ecclesiam, nomen ecclesiae ipsius obtendere? Utinam vero ad hunc usque diem stetisset illa, quam mentiuntur, successio. Apud nos certe non difficulter inveniret, quam meretur, reverentiam. Sit, inquam, Petri successor papa, si apostoli fungatur officio. Sed in quo sita est successio, nisi in perpetuitate doctrinae? Si autem ab iis corrupta est, imo exstincta et abolita apostolorum doctrina, qui eorum haberi volunt successores: quis non stultam eorum iactantiam derideat? Eodem nempe argumento probare mihi liceat,[1]) tyrannos omnes optimos fuisse libertatis vindices: quoniam a republica ad eorum monarchiam continuus fuerit transitus. Nunc an ita sit, ex re fiat aestimatio.[2]) Sed hoc ipsum ne fiat, ex professo cavent mediatores, qui ex honore, quem personis deferunt, praeiudicium fieri volunt de doctrina.

Ut locum hunc breviter concludam: ecclesiam Dei quaerimus. Fatemur omnes, sic propagatam fuisse ab initio, ut continuo saeculorum ordine ad nos usque duraverit, et hodie diffusa sit per totum orbem. [pag. 107] Restat altera quaestio: sitne personis alligata. Nos quam periculosum sit hoc fateri, tametsi videmus, nolumus [1]) tamen adeo esse solliciti, ut caveamus in posterum. Sed quum sibi usurpent nomen ecclesiae, qui eam funditus, quantum in se erat, perdiderunt, cuius socordiae fuerit, saltem praesenti malo non reclamare? Iam suo tempore dicebat Hilarius, ecclesiam potius delitescere in cavernis, quam in primariis sedibus eminere. Quae ad tam horrendam, quae ubique hodie grassatur, vastitatem deplorandam querimoniae sufficiant? Aliunde igitur, quam ex hominum titulis, petenda erit ecclesiae cognitio. Et frustra in eius investigatione circuimus, quum ultro se nobis verissima ratio offerat. Quis enim nostrum, ut hominem agnoscat, eius calceos vel pedes intuebitur? An non in faciem potius recta coniiciemus oculos? Cur ergo in consideranda ecclesia, non ab ipso capite incipimus, praesertim quum eo nos Christus ipse revocet? Ubi erit cadaver, inquit, illuc congregabuntur aquilae (Matth. 24, 28). Quare si in certam ecclesiae unitatem coalescere libet, in veritatem Christi tantum consentiamus.

Quum ad ecclesiae autoritatem ventum est, quibuscunque fucis imperitorum oculos ludant mediatores, huc tandem recidunt, ut pro verbo Dei sola valeat hominum libido. Nota est illa triplex cantilena: esse penes ecclesiam discernere veras scripturas ab adulterinis: eandem habere ius interpretandi: eius traditionem oraculorum vim habere. His iactis fundamentis palam est, ereptum Deo imperium ad lituos et infulas transferri. Qualiscunque sit eorum caterva, qui modo episcopali titulo sint ornati, [pag. 108] ecclesiam constituit. Porro, immensum est quod illis licebit, si arbitrio suo interpretentur scripturam, si fidei articulos fabricent, leges imponant conscientiis. Quid igitur Deo fiet reliquum? Haec plus quam manifesta est regni Christi, sanae doctrinae, salutis nostrae proditio. Et nos discordias alere pacemque impedire ac turbare clamabunt, nisi protinus assentiamur? Quin proprium ecclesiae officium sit, scripturas veras a supposititiis discernere, non nego: nempe, quia obedienter amplectitur, quidquid Dei est: et oves audiunt vocem pastoris, alienorum vocem non admittunt. Sed ecclesiae iudicio submittere sacrosancta Dei oracula, ut quasi precario suam inter homines

---

1) licet *Gallas. Bez. et Amst.*
2) assavoir que le Pape avec ses suppostz ont destruict toute la verité de Dieu.

1) *Beza et Amst. mendose:* noluimus.

autoritatem obtineant, sacrilega est impietas. Nam quum super apostolorum et prophetarum doctrinam, teste Paulo (Ephes. 2, 20), fundata sit ecclesia, perinde isti loquuntur, ac si garrirent matrem a filia esse genitam. Notum est praeterea, quid captent. Hinc ille, aiunt, canon etc. Primum quaero, quo ipsum tempore editum fuisse putent: nam in Niceno concilio nulla eius mentio. Et tamen illic satis validis contra Arrium instructi armis erant sancti patres, quum scripturas in manu haberent.[1] Deinde, quid legi librisque propheticis fiet, si tamdiu pependit eorum autoritas, donec aliquid post duo tandem annorum millia, ex quo lex lata fuerat, decerneretur? Nam Machabaeorum libros, Tobiam, eiusdemque farinae alia, quoniam in vulgari eorum canone continentur, pro legitimis haberi volunt. At de ipso canone, quem adeo superciliose nobis obtrudunt, inter se non consentiunt veteres scriptores. Suis ergo fruantur mediatores, ut libet, modo nobis [pag. 109] liberum sit ea repudiare, quae divinitus non esse prodita, sani omnes, saltem ubi moniti fuerint, iudicabunt.

Sequitur ius interpretandi, quod ut mediatores confictae a se ecclesiae asserant, adducunt Petri testimonium: non esse privatae interpretationis prophetiam, quia non a se ipsis loquuti sint prophetae, sed a spiritu Dei impulsi. Sed hac consequentia apud intelligentes parum proficient. Admonet Petrus, nihilo nunc magis humani ingenii perspicacia intelligi posse prophetias, quam olim conflari potuerint. Hortatur ergo, ut quemadmodum divinitus sunt allatae, ita genuinum earum sensum postulemus a Dei spiritu nobis patefieri. Nihil ambitioni, nihil arrogantiae esse dandum. Sed an inde consequitur, ius interpretandi rediisse ad paucos?[2] Obtendunt etiam, promissum esse ecclesiae spiritum, a quo ducatur in omnem veritatem: et qui suggerat quaecunque docuit Christus. Atqui, quum eripiant interea ecclesiae quod illi a Christo datum est, annon detegenda est eorum fallacia? Dono interpretationis instruit spiritus Domini quos visum est, in communem ecclesiae aedificationem. Huius doni vim et usum non supprimunt tantum, sed in nihilum redigunt, qui solis episcopis potestatem faciunt aliis dictandi, quod necessario sequantur. Saepe accidit, ut genuina scripturae intelligentia destituti sint episcopi. Ergo qui nos ad tenenda eorum praescripta cogunt, furiosos armant gladio, quo scripturam totam misere conscindant.[3] Denique, quisquis scripturae sensum episcoporum subiicit arbitrio, interempta eius anima, nihil praeter [pag. 110] mortuum corpus relinquit. Extrahendus enim nobis est anguis, quem sub hoc dumeto mediatores occultant. Nempe hoc volunt, ut nihil tam sit firmum et perspicuum in scripturis quod non uno verbo eludere[1] promptum sit, siquidem cornutis bestiis minus adlubescat.

Tertiam partem ecclesiasticae potestatis locant mediatores in sanciendis tam dogmatibus quam legibus.[2] Atque priorem illam speciem traditiones vocant:[3] quas si quis convellat, eorum sententia, negat ecclesiam fundamentum esse veritatis. Hac captione irretiuntur miserae animae, ne quam omnino superstitionem reiicere audeant, quae modo longi temporis usu invaluerit. Plausibile quidem exemplum adducunt in baptismo parvulorum,[4] sed quum nullum sit tam crassum aut puerile commentum, quod non traditionis nomine venditetur in papatu, omni superstitionum genere ultro se implicat, quisquis ab hac captione sibi non cavet. Tametsi, ne hoc quidem illis concedo, ex ecclesiae traditione fluxisse paedobaptismum, quem certo constat, in ipsa Dei institutione esse fundatum, et a circumcisione habere suam originem. Parum enim haberet firmamenti, si hominum tantum arbitrio staret. Adeoque haec tenenda est universalis regula, non esse legitimum sacramentum, nisi quod a Deo est, non ab hominibus. Sed ut ad praesentem causam revertar: non modo cerei paschalis benedictionem, aquae exorcismum,[5] et similes nugas, quae numero sunt infinitae: sed missandi ritum, et impios omnes eiusdem formae cultus, una, ut aiunt, fidelia dealbant, quam illis traditionum [pag. 111] imponunt nomen. Ut quidquid longi temporis praescriptione defenditur, quasi extra controversiam positum, inter ipsa Dei mandata emineat. Et hic se nemo opponet? Imo subeunda potius millies turbatae pacis infamia, quam ut perfida dissimulatione prodamus tam necessariam Dei veritatem, quae hic alioqui periclitatur.

Leges non alias unquam tulit vera Christi ecclesia, nisi quae ad retinendum ordinem, ad fovendam concordiam, ad tuendam disciplinam[6] facerent. Tales nemo sobrius non fatebitur, et iure ferri, et ab omnibus piis servandas esse. Nec vero de eo contendimus. Sed duobus malis subvenire necesse est, si volumus salvam esse ecclesiam. Quod hodie nihilo leviora et aeque multa et varia

1) *Add.* Il faut donc que l'Escriture fust assez authentique sans estre canonisée par les hommes.
2) à quelques conciliabules d'Evesques.
3) pour coupper, desbriser et deschiqueter malheureusement toute l'Escriture.

1) caviller par une glose faite à la vollée.
2) de bastir tant des articles de Foy que des reigles et statuts pour servir à Dieu.
3) suyvant la façon accoustumée.
4) *Add.* lequel est, ainsi qu'ilz disent, descendu de coustume plustost que commandé par l'Escriture.
5) l'eau beneiste.
6) pour garder quelque honnesteté et modestie.

legum onera imposita sunt Christianis, quam olim sustinebant Iudaei, id esse praeter Christi institutum,[1]) nemo dubitat. Qui enim Dei leges abrogavit, ut nos a servitute laxaret, novis profecto hominum legibus nos premi noluit. Factum est tamen. Nec tantum liberale illud regimen ablatum, sed quasi in diram carnificinam coactae sunt animae. Saltem fieri nequit, quin assidue torqueantur. Nam et quaedam aperte cum praescripta a Deo regula pugnant, et quarundam observatio impossibilis. Tam procul absunt a levanda hac tyrannide, qui habenas tenent,[2]) ut tantum de ea stabilienda cogitent. Et nunc moderatores nostri, opposita ecclesiae autoritate, impiorum libidini obsequuntur. Alterius quoque mali non minus necessaria est correctio. Leges, quas sub ecclesiae nomine commendant tyranni,[3]) spirituales vocant: ut quae regendis conscientiis sint [pag. 112] destinatae. Huius mali appendix est illa cuius memini superstitio: quod earum observationem ad cultum Dei pertinere fingunt. At Deus sibi uni spirituale regimen, verboque suo vindicat: ut intactae ab hominibus conscientiae in solum eius nutum respicere discant. Unus legislator, inquit Iacobus (4, 12), qui salvare potest ac perdere. Et Paulus severe admonet, ne se hominibus addicant, qui Christi beneficio sunt manumissi (1 Cor. 7, 23). Et alibi Colossenses obiurgat, quod decretis teneantur (Col. 2, 20). Quid ad haec mediatores? Nulla remedii facta mentione, simpliciter, ut hactenus, parendi necessitate nos obstringunt. Atqui, tantundem abrogatur imperio Dei, quantum hominibus tribuitur. Valeat ergo praevaricatrix ista obedientia, quae Dei fraenum abrumpit, ut nos hominum laqueis strangulet.

Iam quod toti ecclesiae praeficiunt romanum pontificem, quum per se non est tolerabile, tum vero acrius refutandum, quia praerogativam esse Petro concessam fingunt. Mandat Petro Christus, ut pascat oves suas (Ioann. 21, 16). Quid? Aliis non mandat? Sed non frustra hunc nomine compellat Christus. Quasi non constet, illic ter repetito oves pascendi iussu, eum restitui in honorem apostolatus, unde ter Christum abnegando exciderat. Nomen autem ovium, qua fronte, quaeso, universam ecclesiam interpretantur? Eodem nempe argumento dicam, munus, quod Christus illi contulerat, aliis resignasse, quos ad pascendum Christi gregem hortatur (1 Petr. 5, 2). Gubernare, secundum istos, debuit Petrus totam ecclesiam, quia illi dictum fuerat: Pasce oves meas. Ergo si aliis idem faciendum iure scribit: aut in eos transfert ius sibi commissum, vel ex aequo cum illis [pag. 113] participat. Nimium vero proterve scripturis ludunt, quum totam ecclesiam fingunt in nomine ovium comprehendi. Ipse quidem pastor fuit ovium Christi, sed quibus operam suam impendit, et quam late se extendere potuit eius ministerium. Nam si cum plenitudine potestatis, ut garriunt mediatores, praeesse debuit ecclesiis omnibus, inique Paulus agebat, superiorem illi gradum negando. Et quis unquam fando audivit, Petrum quidquam sibi in alienas ecclesias vendicasse? Quin potius quum ab ecclesia mittitur, obtemperat, tanquam unus quilibet ex consessu. Fuit inter alios eximius, non nego, et pro excellentia donorum, quibus pollebat, illi honor deferebatur, ut primas teneret quoties erant congregati. Sed aliud longe est, orbi universo praeesse, quam praesidere in exiguo hominum coetu.

Sed fingamus, datum fuisse Petro quantum iactant. Quis tamen concedet patrimonium fuisse donatum, quod in haeredes transmitteret? Successoribus idem, inquiunt, quod acceperat, ius reliquit. Ergo Satanam esse oportet, quisquis est Petri successor: quoniam hoc elogio insignitus fuit.[1]) Ubinam fit ulla successionis mentio? Paulus, quum de tota ecclesiae administratione ex professo disserit, neque unum constituit caput, neque primatum haereditarium facit. Et tamen illic totus est in commendanda unitate. Postquam autem commemoravit unum Deum patrem, unum Christum, unum spiritum, unum corpus ecclesiae, unam fidem, unum baptisma, modum conservandae unitatis describit: quia unicuique pastorum distributa sit gratia secundum mensuram, qua donati [pag. 114] sunt a Christo (Ephes. 4, 4 seqq.). Ubi plenitudo potestatis, quum singulos ad certum modum revocet? Cur non unum papam mox subiecit, quo nihil ad praesentem causam erat commodius, si quidem ita res tulisset?[2])

Demus praeterea sancitam in Petro fuisse primatus in ecclesia perpetuitatem: cur tamen Romae potius sedes primatus, quam alibi collocabitur? Causam allegant, quia fuerit Petri sedes. Perinde ac si quis in deserto constituat praecipuam ecclesiae iudaicae sedem: quia illic Moises summus omnium propheta, et Aaron primus sacerdos, usque ad mortem, munere suo defuncti sint. Sed valeat haec ratio. Quid Antiochia? Romam praeferunt: quia illic mortuus sit Petrus. At probabiles sunt coniecturae, unde colligere licet, fabulosum esse, quod de romano Petri episcopatu tradunt. Complures

1) contre l'intention de Christ et contre le regime qu'il a mis.
2) ceux qui se nomment Prelatz.
3) le Pape et les siens qui sont bourreaux des ames.

1) Ie laisse cela, *prudenter addit Gallus.*
2) *Add.* Quand il s'en taist, ce n'est point par oubly. Concluons donc qu'il n'en estoit rien.

privatos [1]) salutat Paulus, quum scribit ad romanam ecclesiam. Triennio post, illuc vinctus adducitur. Exceptum a fratribus fuisse refert Lucas. Iterum nulla Petri mentio. Scribit Paulus ex carcere varias epistolas. Nomina quorundam, etiam ignobilium, exprimit. Petro nullus inter eos locus. Si illic fuisset, non caruisset insigni contumelia tale silentium. Iam quum sibi neminem adfuisse in prima sua defensione conqueritur, an non turpem nimis perfidiae notam Petro inureret, si tunc fuisset urbis pastor? Item, dum alibi omnes, quos secum habet, perstringit, quis credat in hoc numero fuisse Petrum? Et tamen illud fere totum est tempus, quod romanae illius sessioni assignant. Verum, ut istam quaestionem non moveamus: si ideo primatum obtinet Roma, quia fuerit ultima Petri sedes, cur saltem Antiochia secundum [pag. 115] locum inter patriarchias non tenuit? Cur Iacobus et Ioannes, qui cum Petro videbantur columnae esse, non proximam sedibus suis dignationem acquirere potuerunt? Quam praepostera fuit distributionis ratio, quum Alexandriam sedem Marci, qui tantum unus erat ex discipulis, Epheso et Hierosolymae [2]) praetulerunt? Verum apostolos inter se conferre desino: ipse enim dominus omnium ac magister, ad cuius fulgorem evanescit omnium dignitas, ubi summi sacerdotii munus, et docendo et moriendo, nisi Hierosolymae obiit? Ergo Hierosolyma Christi sedes nulla erit, et Roma ad se honorem rapiet? Huc accedit, quod Petri apostolatus Iudaeis fuit peculiaris teste Paulo (Gal. 2, 8): ideoque proprie ad nos non spectat. Quare Iudaeos, quorum res agitur, sinamus de hac successione litigare.

Eodem pudore Cyprianum advocant testem in hac causa. Nempe is est qui tyrannicae superbiae damnat episcopos, si in collegas quidquam imperii sibi usurpent. Unum quidem episcopatum nobis commendat: sed [3]) Christi, cuius partem in solidum, ut loquitur, quisque episcoporum tenet. [4]) At schismata ex summi pontificis contemptu orta esse, alicubi tradit. En eorum ingenuitas. [5]) Quod de sacerdotio levitico scribit Cyprianus, ad papatum rapiunt. Nam si pro schismaticis haberet Cyprianus, quicunque pontifici romano subesse renuunt, quo loco habendus ipse foret, qui adversus Stephanum [6]) tam libere invehitur, non inscitiae modo et arrogantiae ipsum accusans, sed perinde ipsum cogens in ordinem, ac si unus esset ex gregariis? [7]) Quare desinant hic Dei et hominum [pag. 116] testimonio tam impudenter abuti. At utile, inquiunt, remedium est, tollendis dissidiis, si unus emineat, cui cogantur omnes parere. De hoc itaque liberam ecclesiae consultationem relinquant, nec fingant verbo Dei praescriptum esse, quod statui ex usu debet. Quanquam haec quoque utilitas falso ab ipsis praetexitur. Praesertim ubi ista, quam iactant, plenitudo potestatis licentiose exsultat, quae nihilo minus potest a tyrannide seiungi, quam ignis a calore suo. Et ne hic diutius haeream, si plena in christianum orbem potestas nihil aliud est quam episcopatus universalis, hanc Gregorius, ut nefariam et sacrilegam, et soli Antichristo congruentem, ubique detestatur. Cui de papatu fides habenda potius quam ipsi papae? Nunc sibi, ut volet, blandiatur romanus pontifex hoc imperio, quod illi adulatores tribuunt: sed apud sanos nihil aliud proficiet, nisi ut Antichristum se ostendat. [1])

Nunc, ut alia omnia remittam, si romanum pontificem volunt totius ecclesiae caput agnosci, primo loco dent nobis verum episcopum, necesse est. Quis enim inter episcopos eminebit, nisi unus, et quidem eximius in ordine episcoporum? Et ipsi quoque, dum papatum ornare volunt, subinde in ore habent Petri successionem et Christi vices. Porro, quem Christi vicarium dicere audebunt mediatores, qui profligata Christi veritate, exstincta luce evangelii, salute hominum eversa, corrupto et profanato Dei cultu, calcatis atque laceratis omnibus sacris eius institutis, dissipato ecclesiae ordine, barbarum in morem dominatur? [2]) Quid simile, obsecro, habet cum Christo papa, ut eius vices personamque sustineat? quid habet [pag. 117] commune eius dominatio cum ministerio Petri, ut censeatur eius successor? Ergo, ut inter nos conveniat de primatu, inde faciendum erit exordium, ut episcopum vere praestet, cui primas in ecclesia deferamus. Nam qui hoc statuit unitatis vinculum, qualis qualis sit romanus episcopus, [3]) totum illi orbem subesse debere, non aliter hoc consequetur, quam impiam a Christo defectionem excitando.

In sacramentis hanc boni et aequi pacificatores moderationem adhibent, ut septenarius numerus, qui temere indoctorum hominum confictus audacia stulta mundi credulitate obrepsit, quasi sacer retineatur. Subinde obtestandi sunt mihi lectores, ut causae, quae tractatur, magnitudinem pondusque reputent. Sacramenta instituit Christus, ut sint non modo symbola verae religionis, quae filios Dei a profanis hominibus discernant, sed testimonia quoque divinae erga nos gratiae, adeoque pignora. In

1) entre lesquelles il ne nomme point Pierre.
2) où sainct Iean et sainct Iaques avoyent presidé.
3) *Ed. germ. male:* sedem.
4) *Add.* comme s'il disoit que l'un n'est point plus Evesque que l'autre.
5) voicy la honte qu'ilz ont de mentir.
6) qui estoit pour lors Evesque de Rome.
7) un petit compagnon.

1) Nunc sibi . . . ostendat, *om. in versione.*
2) *Add.* comme si c'estoit entre les bestes.
3) quelque diable qui soit là assis.

baptismo nobis et remissio peccatorum et regenerationis spiritus offertur. In sacra coena invitamur ad fruendam Christi vitam, una cum bonis omnibus. Quale nunc temperamentum erit, si his misceantur hominum figmenta? Obtendunt quidem, Deum esse omnium autorem. Sed haec postea quaestio expedietur. Nunc tantum dico, nimium nos fore socordes, si natas in hominum cerebris qualescunque caeremonias talibus mysteriis patimur aequari, in quibus salutis nostrae summa continetur. Quum rogat Christus (Matth. 21, 25), ex coelone an ab hominibus sit Ioannis baptisma, non aliter legitimum ratumque nobis esse debere significat, quam si coelitus fuerit institutum. Eadem in sacramentis [pag. 118] omnibus valet ratio. Et sane quum profiteantur isti mediatores, sacramenta non testari nobis modo, sed etiam exhibere,[1] quae supra hominum captum sunt ac facultatem: nimium perversos fore palam est, illa si subiiciant hominum arbitrio. Sacramenta duo a Christo nobis esse commendata, extra controversiam est. De quinque ergo reliquis videamus quid sit sentiendum.

Prius[2]) tamen quam huc progrediar, in baptismo breviter adnotare operae pretium est, melius potuisse omitti quod de praecisa eius necessitate commemorant.[3]) Praeterquam enim quod externis signis perperam alligatur animae salus, iniuria fit non levis promissioni, ac si minus ad praestandam, quam offert, salutem, nisi aliunde adiuta sufficeret. Sancta ideo nascitur ex fidelibus progenies, quod adhuc utero inclusi, ipsorum liberi, antequam vitalem spiritum hauriant, cooptati tamen sunt in foedus vitae aeternae. Nec sane alio iure per baptismum aggregantur in ecclesiam, nisi quia ad corpus Christi iam ante pertinebant, quam in lucem ederentur. Alios enim ad baptismum qui admittit, ipsum profanat. Nunc ergo, qui ita necessarium statuunt baptismum, ut a spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerunt, tum in Deum sunt contumeliosi, tum se quoque ipsos implicant magna absurditate. Nam a Christo alienos sacra Christi nota insignire, qui fas esset? Baptismum ergo praecedat adoptionis gratia, necesse est: quae non dimidiae tantum salutis causa est, sed eam ipsam salutem in solidum affert, quae baptismo deinde sancitur. Hinc, ut error alius ex alio scaturire solet, baptizandi munus [pag. 119] quod solis ecclesiae ministris peculiariter mandavit Christus, non ad unum modo quemlibet ex plebe, sed ad mulierculas etiam delegant. Taceo quod de forma baptismi disputantes, posthabita mysterii explicatione, quasi parum ad rem faceret, in nudam verborum pronunciationem insistunt: ac si Christus, quum apostolos in nomen patris et filii et spiritus sancti baptizare iussit, magicum nescio quod carmen dictasset: ac non potius summatim indicare voluisset, unde et tota vis baptismi fluat, et cuius nomine iussuque administretur, et cuius fide nitatur, et quorsum referri debeat.

Caeremonias omnes, quibus purum Christi baptismum posteritas partim vitiavit, partim obfuscavit, illibatas manere iubent:[1]) imo etiam restitui, sicubi sint abrogatae. Hoc autem quid aliud est, quam coenosis hominum inquinamentis coeleste filii Dei lavacrum inficere? Simplex aquae symbolum nobis mandavit Christus. Eo, ut par erat, contenti fuerunt apostoli. Non eadem apud successores valuit sobrietas. Arrisit enim oleum, et cereus, et similes nugae. Demum obrepsit, quae solet, perversa superstitio: ut chrisma ab hominibus additum pluris quam aqua ore Christi consecrata fieret. Aquam vero ipsam novo et sumptuoso ritu,[2]) quasi alias profana esset, oportuit consecrari. Denique ipsa baptizandi actio ex tam variis et multis partibus consarcinata est, ut aquae symbolum, quod solum debuerat illic eminere, sub magno cumulo lateat. Causantur superstitionum magistri, haec additamenta ornando baptismo servire: verum res ipsa clamat, obscurari potius puram eius administrationem. [pag. 120] Aliqua igitur saltem correctione opus erat. Eam mediatores adeo non admittunt, ut diserte caveant, ne quid novetur. Detur hoc sane vetustati: ut quae non supervacua modo, sed etiam inutilia sunt, tolerentur.[3]) Quid autem, si qua absurda et ridicula, parumque congruentia cum mysterii dignitate reperiantur? Atqui eiusmodi esse sputum fateri cogentur, quo summa parvulorum labra irrigant.[4]) Sputo Christus attigit os muti,[5]) cui sermonem restituere volebat. Quam praepostera est aemulatio, quum idem in parvulis tentant. An sic decebat commemorari Christi miracula? Ludibrium hoc, quod unde vel quando emerserit nescitur, nullum certe gravem autorem habet, pertinaciter quum defendunt, nonne aperte huc se tendere ostendunt, ne qua lucis scintilla nobis maneat?

In tractanda coena, transsubstantiationis commentum revocant: cui reclamare coguntur, quicunque verum coenae usum sibi perire nolunt.[6]) Hoc

---

1) les graces spirituelles qui surmontent *etc.*

2) *Quae hic sequuntur, usque ad verba:* quorsum referri debeat, *absunt ab editione germanica cuius textus sic habet:* Prius tamen quam huc progrediar, breviter adnotabo quod caeremonias omnes *etc.*

3) assavoir que nul ne peut estre sauvé sans estre baptizé.

---

1) *Ed. germ. add.:* mediatores.

2) avec ie ne say quelle parade.

3) *Add.* pource qu'elles ont si longuement esté en usage.

4) le crachat qu'ilz mettent sur les aureilles des enfans.

5) *Edd. recentiores hic apponunt l. Ioann.* 9, 6 *quum laudare deberent Marc.* 7, 31.

6) si nous voulons avoir le vray usage d'icelle.

habent proprium sacramenta ut, pro humani ingenii modulo, quod spirituale est, in visibili signo conspiciendum praebeant. Haec porro coenae spiritualis est veritas, carnem Christi esse cibum, et sanguinem eius potum, quibus animae nostrae pascuntur. Huic, nisi signum respondeat, sublata est sacramenti ratio. Panem ergo nobis porrigi et vinum necesse est, ex quibus discamus quod hic nobis Christus figurat. Iam si inane est panis simulacrum, quod cernimus, quid nobis testabitur, nisi inanem carnis Christi umbram? Speciem panis[1]) esse fingunt, quae oculos ludat. Quo nos tandem haec imago perducet? Proinde, ut verum animae pastum hic fideles agnoscant, signum illis sisti [pag. 121] oportet, quod corpori pascendo conveniat. Denique, hoc in sacramentis agitur, ut signi reique signatae analogia et affinitas, quidam sit veluti transitus a sensu corporis ad animae intelligentiam. Quid nunc boni moderatores? Quod te panem gustare putas et vinum, falleris: desiit enim panis esse qui erat, nec quidquam restat, nisi spectrum. Cuius ergo rei mihi symbolum erit? Quo res melius pateat, similitudinem mutuemur ex baptismo. Si quis aquam esse neget, qua illic abluimur, annon protinus evanescet tota baptismi veritas? Quis enim sibi persuadeat, lavacrum se habere regenerationis, si in signo nihil tale inveniat? Ergo ut fructuosum sit nobis sacramentum, hoc[2]) nobis nunquam patiamur excuti, quod etiam compluribus et firmis scripturae testimoniis comprobatur: panem qui frangitur inter nos esse corporis Christi *κοινωνίαν*: similiter et vinum, sanguinis.

Accedit ad perspicuam scripturae doctrinam veteris ecclesiae consensus. Nihil certius est, quam hoc delirium, quum plus sexcentis annis nemini venisset in mentem, a rixosis sophistis subito, quasi abortivum aliquem foetum, prodiisse: et tamen sic obtinuerat[3]) illa, quam dixi, de signi cum re signata analogia persuasio, ut initio explosum fuerit. Fluxerunt deinde complures anni, quibus crevit barbaries, et una cum bonarum omnium artium studio purior religio obsolevit. Hoc vero[4]) fuit opportunum Satanae tempus, quo reiectitium hoc dogma de integro inveheret. Et tamen exstiterunt, saeculis fere omnibus sani homines, qui saltem displicere sibi non [pag. 122] dissimularent, idque non libera modo voce, sed scriptis quoque facerent testatum. Sed demus sane errorem esse longa vetustate confirmatum, nos tamen religione constrictos tenent verba Christi, ne ullis hominum placitis, quae nos inde abducant, subscribere audeamus. Iubet Christus panem accipere et edere. Haec omnium maxime seria actio est. Promissio additur, quae aliter stare nequeat, nisi panem vere edamus. Retinenda est enim semper illa, quam notavi, similitudo. Sicuti pane et vino alitur corpus, ita cibum animae esse Christi carnem, et sanguinem eius, potum. Nos itaque Christi mandato obtemperantes, promissionem quoque simul amplectimur, non dubitantes quin arcana spiritus sui virtute intus efficiat in nobis, quod panis oculis significat. Boni isti viri, qui pacificatorum personas induunt, fictitiam *μεταμόρφωσιν*,[1]) cuius nusquam in scripturis fit mentio, tanto supercilio asserunt, ac si centum oracula ad eam comprobandam coelitus allata essent.

Negamus fas nobis esse, discedere a certis Christi verbis. Quid est causae, cur in hanc, quam Christo deferimus, reverentiam, adeo atrociter saeviant, ut hoc solo crimine nos habeant pro haereticis? Nam simplici et usitata damnatione non contenti, calumniantur vocari a nobis in dubium Christi omnipotentiam, ipsumque insimulari vanitatis: quasi vero hic de Christi potentia disputetur, ac non potius ex eius verbo quaerenda sit mysterii veritas. Rerum omnium conversionem fieri posse a Christo, nos quoque fatemur. Verum, si quis inde coelum colligat conversum esse in terram, ridiculus erit virtutis divinae [pag. 123] aestimator, qui naturae ordinem ab illo fixum et constitutum, monstra sibi fingendo, revellat. Ita in hac quaestione, quaerendo quidnam possit Christus, frustra se fatigant, quum haec una cognitio sensus omnes nostros in se continere debeat, quidnam velit. Voluntas autem eius non alibi quam in verbo quaerenda. Nunc syllabam unam proferant, quae testis sit huius quam iactant conversionis. Atqui nulla usquam reperietur. Nimis ergo futilis est calumnia, quod nos cum Christi potentia in certamen, quod nullum est, committunt. Vanitatis porro Christum a nobis argui quam improbe mentiuntur? Pronunciat Christus se corpus et sanguinem suum dare, panem ac vinum porrigendo: hoc totum recipimus, nec vero dubitamus, quin sua constet promissioni fides, quae certe constare nequit, quin res exhibeatur ipsa. Sed hoc est scilicet, nihili prae suis portentis aestimant quidquid et ore Christi proditum est, et solidam mysterii vim explicat, et totum, in quo acquiescit fides, spiritualis gratiae effectum continet. Hic ut plurimas absurditates non enumerem, vel magis errorum prodigia, quae ista transsubstantiatio peperit: quis omnino pius, et rite eruditus in Christi schola, non eam vel hoc nomine detestetur? Quod quum proprium hoc habeat coena Christi, ut in coelum nos attollat: simul ac animis nostris insederit haec persuasio, conversum esse in corpus Christi panem, deorsum mentes in terram flectit, quae in coelum

1) une figure de pain sans substance.
2) la convenance du signe.
3) estoit tellement enracinée aux espritz des hommes.
4) *Ed. germ. habet*: vere.

1) *Gallus*: transsubstantiation.

est: qui sibi licuisse ostendent, promiscue nulloque delectu vulgare, quod certis duntaxat hominibus destinatum erat? Neque enim apostolos legimus manus omnibus imposuisse, sed hoc symbolum adhibuisse tantum distribuendis spiritus sancti donis: quae omnium fuisse communia, ne isti quidem dicunt. Iam hoc ergo erit dissimile, quod sacramentum, quo non nisi certos homines dignati sunt apostoli, peraeque omnibus novi mediatores exponunt. Iam quum fateantur chrisma superadditum, quum sola manuum impositio in usu fuisset apostolis: cui se persuasuros existimant, tantum fuisse hominibus concessum, ut quam ipsis libuerit gratiam spiritus signare exhibeant? Postquam septem numerarunt sacramenta, unumquodque ipsorum tradunt in nobis efficere quod figurat. Ergo si hominibus licuit sacramentum sine verbo Dei prodere, subiectum fuit eorum arbitrio, quod sibi uni Deus vendicat.[1]) Repugnat praeterea ipsa quoque sacramenti definitio. Neque enim mihi negabunt, sacramentis hunc propositum esse finem, ut quasi sigillum nobis sint, ad sanciendas in animis nostris Dei promissiones. Quorsum ergo sacramenti usus, si nulla est promissio quam obsignet? Nulla autem reperietur, quam suae confirmationi aptare queant. In sacramentis quaeritur divini erga nos favoris testimonium, cuius rei Deus ipse solus idoneus est testis. Quid tale adfert confirmatio? [pag. 131] Denique, quemadmodum probam monetam ab adulterina forma publica discernit: ita ubicunque non cernam insculptum Dei verbum, illic sacramentum falso iactari secure excipiam. Audio quid ex adverso proferant moderatores: quascunque enim habemus de spiritus gratia promissiones, huc accommodant. Sed hanc licentiam nimis proterve sibi usurpant, ut quod Deus simpliciter promittit, restringant ad suas qualescunque caeremonias. Simplex est, nulloque signo implicitum, quod audio ex ore Christi, spiritum fidelibus perpetuo adfuturum. Isti in oleo quasi in theca spiritum se inclusum habere fingunt, et sua unctione depromi. Et interea quas ita depravant promissiones, fundamenti loco sumunt, ne videantur sine ratione loqui.

At, quum ita credat ecclesia, nos aiunt illam negare columnam esse veritatis, si aliter sentimus. Atrox crimen, si quidem verum esset. Sed quum nomen ecclesiae non minus improbe, quam audacter mentiantur, quid aliud quam velut oppressae[2]) veritati insultant? Ac quo melius barbaram suam ferociam prodant, commentum illud de septiformi gratia toties explosum, fidem ecclesiae appellant, de qua fas non sit dubitare. Iesaias sex enumerat spiritus dona, quibus praeditum fore Christum docet (Ies. 11, 2). Septimum nescio quomodo in vulgari translatione additum fuit. Quasi sublime aliquod subesset mysterium, septiformis gratia inde excusa fuit. Sed primo ex errore[1]) natus est septenarius numerus. Deinde, ut hoc taceam, cuius erit aequitatis, ad septem effectus, quasi in angustum cogere spiritum Dei: quum alibi veritatis [pag. 132] et sanctificationis, gratiae, precum, adoptionis spiritus perinde nominetur, ut hic sex epithetis ornatus est a propheta? Si tanta est saeculi nostri vel ingratitudo, vel caecitas, ut iniquis praeiudiciis causae nostrae bonitas obruatur: at certe maior in posteris erit aequitas: ut agnoscant quam importune in oves Christi innoxias grassati sint isti lupi, qui sibi pastorum nomen arrogant. Nihil est tam absurdum, nihil tam deforme, quod non hac una fidelia dealbent: ecclesiam, quae optima est divinae voluntatis interpres[2]) ita sentire. Ita quum solis episcopis confirmandi ius assignant, id comprobatum esse addunt totius ecclesiae consensu: nempe, si eiusmodi consensus aestimandus est eorum libidine. Sed hoc etiamnum indignius, quod iactare non vereantur apostolorum praxin. Tres duntaxat quum sint loci apud Lucam (Act. 8, 17 et 9, 17 et 19, 6), ubi narrat hac caeremonia distributum esse spiritum: non minus ipsi Paulo manus ab Anania fuisse impositas testatur,[3]) quam aliis a Petro, Ioanne et Paulo. Quem Ananiae episcopatum dabunt, ne alienum arripuisse munus dicatur? Et tamen haereticos esse nos clamant, nisi tam convictis mendaciis assentiamur. Quin etiam dum gregarios sacerdotes in necessitate substituunt episcopis (qua de re exstat in eorum canonibus Gregorii epistola)[4]) illam, cuius obtentu nobis illudunt, apostolorum praxin ostendunt sibi nequaquam esse pro lege.

At manuum tamen impositio servanda est. Nam si credibile non est, ea nisi Christi mandato usos fuisse apostolos, nobis instar legis est eorum observatio. Huic alterum quoque annexum est, inane symbolum non fuisse. Pro sacramento igitur habendum [pag. 133] esse conficitur. Ego vero utrumque istorum fateor. Sed quod minime praetereundum erat non considerantes mediatores nostri, cuius rei scilicet fuerit sacramentum, ex temporali imperite perpetuum faciunt. Gratias spiritus, quae tunc conferebantur per manuum impositionem, aliquanto post conferri desiisse, notum est. Sive hoc mundi ingratitudine factum fuerit, sive quia satis

1) *Add.* asavoir d'eslargir les graces du sainct Esprit.
2) comme s'ilz la tenoient souz leurs piedz.

1) d'un fausse lecture du passage allegué.
2) la droite maistresse de verité et qui entend tresbien la volonté de Dieu.
3) *Add.* et toutesfois Ananie n'estoit qu'un simple disciple de S. Paul.
4) Dist. 95 ca. pervenit.

iam centum fere annorum miraculis illustrata erat evangelii doctrina: nihil ad praesentem causam refert. Ablatum certe nobis fuisse quod illo ritu indicabant apostoli, omnes vident. Quorsum ergo, ubi finem veritas accepit, signum prorogabitur? Si quis hodie morem incubandi mortuis conetur inducere, quia et Helias et Paulus suscitandis mortuis hoc symbolum non temere adhibuerint, quis non statim repudiet tam praeposteram imitationem? Sacramentum itaque apostolis fuisse, non negamus: sed quod re sublata abrogatum sit. Quare, si eius retineri usum volunt mediatores, rem signatam prius nobis restituant. Etsi autem fateor, quum cessassent miracula, retentam nihilominus in veteri ecclesia consuetudinem manus imponendi, non est tamen cur hoc praeiudicio gravemur, nisi proferatur certa Dei autoritas. Deinde, causam longe a veterum causa separatam agunt [1]) mediatores. Nam quum fateatur Augustinus, nihil nisi solenne precationis esse symbolum: frustra eorum umbra tegere se conantur, a quibus tam procul absunt. Nos quoque eiusmodi ritum ubique restitutum merito optaremus, quo offerantur Deo pueri, post editam fidei suae confessionem. Atque haec esset non indecora [pag. 134] catechismi approbatio. Sed quamlibet tum pia, tum utilia sint hominum instituta, longe tamen infra sacramentorum gloriam subsidant necesse est, quae divinitus sunt nobis tradita, et foedus aeternae salutis habent in se comprehensum.

Iam vero recipi unctio non potest, sine illis appendicibus, quas merito exhorrere pii omnes debent. Quid enim minus ferendum, quam praeferri confirmationem baptismo, vocarique dignius sacramentum et maiori colendum veneratione? Has quidem tam tetras blasphemias callide dissimulant mediatores: sed quum oleum necessario comitentur: quid captant tali silentio, nisi ut nos sine sensu iugulent? Unctio, secundum eos, ab ecclesia prodiit. At eadem est ecclesia, si ipsis creditur, quae meretricios illos fucos induxit, eius ornandae causa. Si assentiamur, annon merito exprobrabit nobis Christus, irrita nos facere Dei mandata propter hominum traditiones? Quale vero Dei mandatum spernetur? [2]) Baptismus, lavacrum regenerationis, quo Christum induimus: baptismus, testimonium adoptionis nostrae, ingressus in regnum Dei, ablutio in Christi sanguine, novae et aeternae vitae exordium, oleo in hominum torculari expresso cedet. Et nos Christiani iudicabimur, si non silentio tantum nostro, sed aperta suffragatione, locum dabimus tam iniquae comparationi? Decrevit etiam concilium Aurelianense confirmandos esse omnes

1) *Ed. germ. habet:* aiunt.

2) *Haec quinque verba absunt ab ed. germanica.*

qui baptizati fuerint, ut pleni Christiani inveniantur: quoniam Christianos esse negat, nisi qui oleo episcopali inuncti fuerint. Hoc esse ecclesiae decretum, pro confesso sumunt mediatores. [pag. 135] Quid ergo et apostolis et martyribus universis fiet, qui nunquam oleati fuerunt? Imo quid nobis fiet, si alium quam ipsi habuerint, christianismum appetimus? Neque enim tam in illos contumeliosum est, quam nobis exitiale hoc dogma, quod nos ab eorum societate avellit. Aliam quoque diabolicam sententiam, quam evomit concilium, nominatim confirmant mediatores: tametsi paulo verecundius loquuntur. Sed quid refert, quum in eundem utrique finem spectent? Haec summa est: nos in baptismo regenerari ad vitam: confirmatione ad pugnam instrui. Hoc autem quid aliud est, quam spoliare baptismum dimidia virtutis suae parte? Nam si illic induimus Christum, si in similitudinem mortis eius inserimur, ut carni mundoque mortui resurgamus in vitae novitatem, quae perpetuo duret: quis non videt mediatores ad commentitiam suam unctionem [1]) transferre, quod sub baptismo continebatur? Nostrum ergo est, vitam potius nostram centies opponere, quam ut baptismum nostrum ita lacerari taciti ac dissimulantes sinamus.

Sacramentum poenitentiae iam aliqua ex parte excussimus, de confessione disserendo. Tantum in praesentia hoc attingam, atrocem fieri iniuriam Deo, quum sacramenti nomen absolutioni, qualem necessariam esse fingunt, imponitur. Omitto quod ita perniciosus laqueus iniicitur conscientiis, quum ad obtinendam peccatorum remissionem confitendi praescribitur necessitas. Hoc iam alibi dictum est. Sed quod hominis cum Deo reconciliationem obsignari absolutionis caeremonia volunt, hoc nimis arroganter [pag. 136] ab hominibus fieri dico. Unde enim tanta licentia, ut signum fabricent suo arbitratu, quod mox pignus sanciendae salutis esse iubeant? Deus peccatorum remissionem nobis promittit: de caeremonia, nullum verbum. Isti ad sacerdotem nos ablegant, qui manus agitatione nobis testetur peccata esse remissa. Quasi penes eos sit, mortis Christi virtutem suis placitis affigere. Ergo quanti aestimamus peccatorum remissionem, tam serio contendere nos decet, ne a ritu humanitus invento suspendatur eius fides.

Unctionem, quam sanandis aegrotis adhibuerunt apostoli, sicut fatemur fuisse sacramentum, ita negamus ad nos pertinere: quia pro ratione gratiae cui serviebat temporale fuit. Donum sa-

1) leur huile empreinte au pressoir de leur imagination.

nationis non fuisse perpetuum, omnes norunt. Est enim ex eorum genere, quibus novam evangelii praedicationem illustrari Deus voluit, donec fidem in mundo acquireret. Itaque paulo post fuisse ablatum, ex veteribus historiis colligere licet. Testimoniis uti supervacuum foret in re notissima, adeoque confessa. Quid ergo sibi volunt mediatores? Donum quod olei symbolo notabant apostoli, si ultra eorum aetatem durasse obtendant, turpissimae impudentiae convincentur. Vulgare autem proverbium est, accessorium sequi naturam principalis. Constituo igitur, ex quo res ablata est, non frustra modo retineri signum, sed nimis petulanter ludi in re seria: ut veri sint apostolorum imitatores, dono sanationis praeditos esse oportet. Nunc quum illo carentes signum nihilominus usurpent, nihil sunt quam simiae. At Iacobus frater Domini non testimonio solum hanc unctionem, [pag. 137] sed promulgatione quoque sua celebrat (Iac. 5, 14). Nam hic rhetorica vehementia perquam tumultuose insurgunt. [1]) Ego vero Iacobi verbis suffragium meum libenter addo. Sed hoc illi consilium nego fuisse, ut quod efficax esse noverat repraesentandae Dei gratiae symbolum, ad frigidam aemulationem prostitueret. Certum est autem, unctores huius temporis nihilo magis eius gratiae, de qua loquitur Iacobus, esse ministros, quam rex olim fuerit histrio, qui personam Agamemnonis agebat in scena. Contemni gratiam causantur, quam hic Christus porrigit. Sed quaenam est illa? Quos ungebant apostoli, teste Marco (6, 13), simul sanabant. Nunc vero nulli nisi morituri unguntur: ut parum absit, quin profanata unctio censeatur, si quis ex morbo convalescat. Atque hanc cautionem repetunt moderatores: ne oleum afferatur, nisi quum instat mortis periculum. Verum, mihi respondeant: quum hoc aegrotantibus levamen indifferenter Iacobus assignet: qua fiducia ipsum restringunt ad periculosos lethalesque morbos? Si tanti illis est Iacobi autoritas, cur non dubitant ab ea discedere? Ut tamen illis impunita sit haec licentia, qua fronte Iacobum obiiciunt, cuius maxime verbis labefactatur quod stabilire volunt? Levatum enim iri aegrotum testatur ille. Nunc quotusquisque oleo sanitatem recuperat? Vix centesimus quisque ab unctione vivit. Imo ne hoc quidem agunt, ut medeantur aegritudini, sed tantum ut pinguiores ad sepulcrum mittant. Et nos adhuc crudelitatis accusant, quia solatium tam eximium laborantibus negemus? Quasi vero unus sit aliquando visus, qui opis quidquam inde sensisset. [pag. 138] Omitto quot praeterea ineptiis referta sit histrionica haec unctio: imo quot impiis superstitionibus turgeat: quia satis est in praesentia, eorum vanitatem monstrasse.

1) ilz usent de ceste fanfare de Rhetorique pour faire peur aux petis enfans.

Manuum impositio, qua in suum munus consecrantur ministri, quin sacramentum vocetur, non pugno. Sed hanc appellationem trahi ad septem, quos vocant, ordines, ut hactenus receptum fuit in papatu, et mediatoribus placet, nequaquam rationi consentaneum esse dico. Quin etiam quod de sacerdotio affirmant, nugatorium est: eius scilicet honorem ac potestatem conferri omnibus, quos ordinant episcopi. Principio satis notum est, quorsum ordinentur in papatu, nempe sacrificandi causa. [1]) Hoc enim habet solenne inaugurationis carmen: potestatem illis dari, placabiles offerendi Deo hostias. Atqui, nihil sibi tale a Christo fuisse mandatum ostendent. Quanquam enim huius rei tractatio in proprium locum melius differetur: uno tamen verbo sacerdotium, quod fingunt, evertere promptum est. Nam quos nullo Dei iussu praeficiunt episcopi ad offerenda sacrificia, iis spiritum sanctum quo iure elicient? [2]) Nego totum sacerdotium papale divinae vocationi inniti. [3]) Caeremoniam ergo, qua ordinantur, quomodo sacramenti nomine dignarer? Ad haec, dum iterum nobis perpetuam successionem insinuant fucosi mediatores, vicissim obviandum est rursus eorum astutiae: nam et legitimos censeri presbyteros volunt, quicunque a cornutis episcopis sunt creati, et omnes excludunt a ministerio, nisi qui fuerint eorum manu ordinati. Quanquam in priore quiddam longe maius praedicant: nam perinde [pag. 139] ac si novas facerent creaturas, fingunt indelebilem characterem ab episcopi benedictione imprimi. Et quidem operae pretium est notare quis sit ritus imprimendi huius characteris. Quia flatu significavit Christus spiritum, quo apostolos donabat, quasi spiritum sanctum efflarent ex gutture, Christi exemplum more suo, hoc est, praepostere aemulantur. Mutuantur et ex lege mosaica aliud: nempe ut digitos inungant. Sed quis ipsos docuit in usum revocare, quae suo adventu Christus abrogaverat? Hac in re, [4]) non modo praecepto destituuntur: sed ne vetustatis quidem patrocinium, nisi falso, obtendere queunt. Est enim utrumque novitium inventum, quod purioribus saeculis ignotum fuit. Si ius sacerdotii, quo gloriantur, in perpetua ab apostolis successione fundatum est: ipsa primum origo investigetur. Praecipua inter eorum caeremonias ea est, quam dixi: cuius autores esse apostolos nego. Ab ipso igitur initio cessat, vel, ut

1) *Add.* qui est à dire, chanter messe.
2) *Ed. germ.* allicient. *Gallus:* attireront.
3) n'a nul fondement dans la parolle de Dieu et ne doit point estre reputée vocation approuvée de luy.
4) en cest engressement de doigtz et en ce souffle.

proprie loquar, longe ab initio quod iactant distat eorum sacerdotium. Verum ut ad fontem perveniant: quoties tamen multis in locis interrupta fuit successio? Quam multis ecclesiis haereticos praefuisse, eorum historiae narrant? Tota fere Germania bis, ante nostram aetatem, a sede romana discessionem fecit: semel quum divortium facere cum uxoribus cogerentur presbyteri: iterum quum Gregorius septimus, Henrico quarto Imperatori infestus, Germanos fulminando vellet ab ipso divellere. Omittam recentiora exempla quae per se expendent sani lectores. Quis enim rerum mediocriter peritus ignorat, ut tres antipapae suis factionibus ecclesiam distraxerint?[1] Ex duobus [pag. 140] saltem neuter fuit qui non plures ordinaverit episcopos: a quibus rursum creati presbyteri. Ubi continua successio? Verum his omissis, Ioannam papissam transsiliant oportet, si continuare suam ab apostolis seriem volent. Si excutiantur vetusti annales, multas reperiemus primarias sedes ab haereticis fuisse occupatas. Tot interruptiones dissimulando nihil proficiunt. Ut ad propinquiora tempora redeam: donec Basiliense concilium probaverint non legitimum fuisse, semper obtinebo, neminem esse in toto clero papali non schismaticum.[2] Omnes enim ab Eugenio ducunt originem: quem synodus non modo abdicaverat papatu, sed cum sua universa secta haereseos damnaverat ac schismatis. Scio quid respondere soleant. Quod enim illis unicum restat asylum: fortiter synodi illius autoritatem repudiant. Sed quum habuerit quascunque ipsi legitimae synodi praescribunt notas, quanti valere debeat ista reiectio, pii lectores aestiment.

Atque ut nihil horum esset, nego sub toto papatu unum esse vere episcopum: nisi forte titulo et insignibus in tantae rei probatione contenti simus. Non dico nunc, cuiusmodi sint insignia, quibus sibi reverentiam conciliant: norunt tamen pii omnes, profanas esse larvas, quarum aspectu obstupescerent apostoli, si viverent. Fingamus tamen, si veritas subesset, alioqui convenire, an tamen ex inani spectaculo[3] episcopos iudicabimus? Nihil enim praeterea episcopale habent, nisi quod pauci suggestum interdum conscendunt: ut, una atque altera habita concione, velut defuncti toto anno aliud agant. Alios arcet inscitia: bona pars nescio quid sua dignitate inferius esse [pag. 141] putant, verba ad populum facere. Quanquam vix centesimus quisque reperietur, qui possit docendi munus obire, quin se ludibrio exponat. Fingamus tamen, silendo et nihil agendo successores esse apostolorum, quotusquisque est eorum, qui presbyteros sua manu creare dignetur? Nonne putida mendicabula, ut plurimum, in has partes subrogant?[1] Deus bone, quo redicimus? Si tantum ludibrium in ecclesia valere debeat, ut qui voto perpetuae paupertatis obstrictus mendicando ac fallendo[2] corraserit aureos trecentos, bullamque hoc pretio mercatus fuerit, quae eum Ascalonitam episcopum[3] nominet, subito emergat apostolorum successor, qui passim creandis presbyteris locet operam,[4] ne intercidat ecclesiae successio? Si hanc tam foedam sacri ordinis confusionem intueantur apostoli, quid in ea suum agnoscent?

Quid, si ad canonicas electiones eos revocem? Nec iam loquor de Christi regula, quae tamen una sufficere nobis deberet.[5] Tantum quaero, sitne iustus is habendus veri episcopi successor, qui aut per vim obtrusus, aut per simoniam inductus fuerit, aut profano more emerserit ad episcopatum.[6] Hoc posito, de electione papae sui mihi respondeant, num affine quidquam habeat, non dico veteri et nimis rigidae formae, sed Nicolai praescripto, quod Gratianus refert. En Nicolaus, qui iam immenso intervallo a pura ratione desciverat, eligendi modum tradit, qui utcunque tolerabilis esse queat. Si summo iure agatur, tunc quoque interrupta erat series. Quid autem hodie fit? Nihil dicam, nisi quod omnes norunt: nihilo magis cardinales in eligendo papa respicere, quid illud Nicolai [pag. 142] decretum[7] praecipiat, quam diaboli in suis inferis tumultuantes loquentem e coelo Deum audiunt. Quid de episcopis universis sentiendum? Verba sunt Leonis romani episcopi:[8] Qui omnibus praeesse debet, ab omnibus eligatur. Nam, qui nisi probatus et cognitus assumitur, per vim intruditur. Ac quoties eius rei facit mentionem, negat verum esse episcopum, nisi a clero electus, et a plebe expetitus fuerit. Nec aliter pluribus locis Gregorius.[9] Si haec sententia locum habet: praedones se fateantur esse oportet, quicunque hodie vocantur in papatu episcopi. Nemo enim, quamvis impudens, se a populo expetitum fuisse dicet. Quod ad clerum spectat, iam pridem invaluerat haec antiqui moris corruptela, ut soli otiosi ventres, qui se canonicos appellant, suffragia venderent. Nunc regum esse be-

1) detraxerint *Beza et Amst.*
2) *Add.* selon leurs Canons: quiconque est ordonné par un schismatique ou heretique à son escient est coulpable d'un mesme crime.
3) posons le cas que ce seroyt enseigne bien convenable, devons nous pourtant estimer les Evesques par la seule monstre d'une mitre ou d'une crosse?

1) c'est l'office des suffragans.
2) en belistrant et pillotant.
3) Evesque d'Ebrom.
4) pour se loer comme un gaignedenier.
5) *Add.* ce seroit temps perdu.
6) il faut qu'ilz respondent que non.
7) Dist. 23 c. In nomine. Dist. 79 c. Si quis apostolicae.
8) Epist. 90.
9) Epist. 87 et alibi.

neficia coeperunt episcopatus. Huc accedit manifesta simoniae foeditas. Qua enim commendatione, ut plurimum, nunc ad honorem pervenitur? Ego sane longa recitatione adeo non delector, ut tam flagitiosa christiani nominis probra vel attingere pigeat. Bene tamen habet quod me tacente res loquitur, nihil ab ordine apostolorum magis discrepare, quam talem grassandi licentiam, qua hodie episcopatus occupantur. Quum Apostolus disputat, qualiter secundum ordinem Melchizedec constitutus sit pontifex filius Dei, diligenter similitudinem persequitur, sine qua non constaret illa a Davide posita comparatio. Nisi velint singulari quodam novoque privilegio se extollere supra filium Dei, ostendant quomodo ad rationem apostolicam compositi sint hodierni episcopatus. Nempe inter hos et illam optime conveniet, [pag. 143] si is qui plebem commissam tota vita nunquam videt, si puer decennis, si leno, si aleo, si venator, in omni nequitia exercitati, omnis et pietatis et liberalis doctrinae expertes, apostolorum personam sustineant.

Aliud etiamnum exoritur maius certamen: nam si eos constet infensissimos esse eius doctrinae hostes, quam apostoli non modo prodiderunt, sed proprio etiam sanguine obsignarunt: si omnia eorum consilia, conatus omnes, totumque institutum huc tendere palam fiat, ut quod summis laboribus constituerunt apostoli, ex professo evertant: quid amplius volumus? Detur modo nobis audientia, facile ostendemus, vix ullam esse sanae doctrinae partem, quam non suis corruptelis infecerint. Hoc quidem obtinebimus: purum Dei cultum impiis superstitionibus ipsos contaminasse: infinitis erroribus implicuisse tum fidei, tum poenitentiae doctrinam: Christi virtutem ac gratiam non obscurasse tantum variis tenebris, sed propemodum exstinxisse: adulterasse indignis modis sacramenta. Id iam totos triginta annos egerunt Christi servi. In eodem hodie cursu pergimus. Nihil dico, cuius libri nostri non sint luculenti testes. Boni viri ubi se plus quam convictos, et letaliter confossos vident, negant apostolorum successoribus exhibendam esse molestiam. Atqui, huius rei cognitio ex doctrinae discussione petenda erat. Ad eam ultro ipsos, freti bonae causae fiducia, provocamus. Ne respondeant, praeiudicium de hoc ipso fieri volunt, quod in quaestionem vocatur. Itane? Ut qui omnia apostolis habent contraria, sola temporis continuatione se eorum tenere [pag. 144] locum vicesque agere probent? Atqui eodem colore, qui homine iugulato in eius domum involaverit, se illius iactabit esse vicarium. Multo plus a ratione illa gubernandi, quam nobis apostoli commendant, distat papatus, quam a libero ac bene composito libertatis statu [1]) tyrannis, quamvis saeva et truculenta. Quis iam tyrannum ferat consularis aut alterius legitimi magistratus, quem ipse sustulerit, [1]) nomine gloriantem? Nihilo autem minor est istorum impudentia, qui postquam sanctum illud regimen, quum Christi iussu tum apostolorum usu constitutum, labefactarunt, eius tamen successionem suae tyrannidi obtendunt. Nam ut maxime continua fuerit temporis series, si tamen interciderit apostolatus (quod lacerato Dei cultu, sepulto Christi officio, exstincta doctrinae luce, pollutis sacramentis necesse est) quae manere potest successio? Nisi forte, quod sicuti mortuo haeres succedit, ita isti pietatis interitu partam sibi dominationem putant. Sed quum totam gubernandi rationem penitus mutaverint, magis profundum est inter eos et apostolos chasma, quam ut ulla iuris communicatio intercedat. Atque ut locum hunc uno verbo claudam, nego esse successionem, cuius rei nulla est origo. Nego item sacrificandi munus, quod in suo sacerdotio praecipuum numerant, unquam fluxisse ab apostolis. Quare alios iam quaerant ordinis sui autores.

Quod autem, eodem praetextu, os occludunt piis omnibus, qui ecclesiae instaurationi student, quasi ad docendi munus rite non sint vocati: [2]) eo nihil assequuntur, nisi ut totus mundus intelligat, non aliter [pag. 145] stare eorum tyrannidem posse, quam veritate oppressa. Verum est quidem, in ecclesia bene ordinata, nullos ad publicum docendi munus esse admittendos, nisi qui per ordinarios pastores vocati fuerint. Sed quid hoc ad papatum? Nisi ad Antichristum Christi potestas transferatur. Dederunt apostoli operam, ut par erat, propagandae ad posteros ecclesiae. In hunc finem creatos populi suffragiis pastores ordinarunt. Postea, una cum doctrinae puritate, iusta eligendi ratio obsolevit. An nemo erit iustus Christi minister, nisi qui per corruptelam obrepserit? [3]) Successionem, quam sibi tanto supercilio arrogant, iam illis eripui. Meminerimus praeterea, quum sacrificos sua inauguratione creent, non pastores, illigari sacrilegio, quicunque illorum ordinari manu sustinent. Nemo igitur poterit, nisi malo detestandoque [4]) auspicio, ad promovendum Christi regnum accedere? Imo, inquiunt, utcunque pessum eant omnia, nemo, nisi vocatus, accedat. Iam sum praefatus nihil esse controversiae, quin ubicunque incolumis, aut saltem tolerabilis est ecclesiae status, exspectanda sit ordinaria vocatio. Sed an propterea lex Deo imposita est, quin extra ordinem, qui collapsam dirutamque ecclesiam restituant, prophetas ipse excitet suo spiritu, ac alios

---

1) un estat bien ordonné en quelque ville franche.

1) qu'il aura abbatu avec la liberté d'une ville.
2) *Add.* pource qu'ilz ne sont ne gressez ne soufflez.
3) *Add.* tel que porte la coustume du iourdhuy.
4) destinandoque *Beza.*

ministros? Sed enim, inquiunt, id accidere nunquam patietur ecclesiae perpetuitas. Ego sane concedo, fieri nunquam posse, ut ecclesia intercidat. At quum ad pastores referunt, quod de perpetua ecclesiae duratione promittitur, in eo vehementer errant. Neque enim si desint pastores, ideo protinus desinit ecclesia. Tunc quidem, fateor, vere et stat et floret, quum in unum ovile [pag. 146] colliguntur oves: quod nisi pastorum opera fieri nequit. Sed experientia docet, interdum dissipatas etiam oves servari arcana Dei virtute. Latet, inquam, interdum ecclesia, fugitque hominum oculos, ut frustra externum in ea regimen aut principatus quispiam requiratur. Itaque abrupta episcoporum successione, stat nihilominus ecclesiae perpetuitas. Si nondum intelligunt, de nihilo se protervire, quaero ubinam legerint, oportere ad finem usque mundi, continua serie, alios succedere aliis episcopos? At nos legimus, quum olim, sacerdotum partim inscitia et ignavia, partim perfidia et scelere, vitiatus esset Dei cultus, inculta iaceret sacrorum administratio, perversa esset pia doctrina, ecclesia prope concidisset, extraordinario Dei afflatu suscitatos fuisse prophetas qui res perditas restituerent. Quid obstabit, quominus idem nunc quoque praestet? Et sane, ita necesse fuit. Nec vero minus ad nos, quam ad veterem populum, quod habetur apud Ezechielem et Ieremiam, pertinet: Deum, ut improborum pastorum nequitiam ulciscatur, illis depulsis, probos daturum ac fideles, qui secundum eius voluntatem pascant (Ezech. 34, 2; Ier. 3, 15 et 33, 12). Tametsi enim tales quotidie dat per hominum vocationem, singulare tamen est donandi genus, quum cessante hominum opera solus ipse constituit, quos et necessarios esse et hominum iudicio praeteriri videt. Iam si quod in nos vibrant telum, quispiam in ipsos retorqueat, quo se clypeo defendent? Suggestus fere omnes apud ipsos occupant monachi, vel conductitii alii rabulae, qui declamitare, rixando in suis sorbonis, didicerunt. Quae est omnium istorum vocatio? Certe non aliam proferent, [pag. 147] nisi quod quum muti essent episcopi, cum toto sacerdotum suorum grege, alienos in locum suum subrogarunt. Sed quum nova sit ista substitutio, saltem plus octingentis demum annis post aetatem apostolorum nata: desinant horum nomine [1]) tam impudenter abuti. Qui nobis hoc tempore facem praetulerunt, ut a diuturno errore in viam rediremus, sanctos Dei prophetas fuisse, testatur praeclarum, quod ediderunt, et vere divinum ministerii sui specimen. Ad hoc beneficium ecclesiae praestandum nunquam vocati fuissent a lupis qui vorandi perdendique rabie ardebant. Ergo ad sanandum malum incurabile, praesertim quum usitata remedia deficerent, Dei ipsius manu ad opem ferendam emitti oportuit, quos libenter totus mundus impediisset. Nunc iidem lupi, qui ovile obsidebant, nos iniussu suo queruntur esse ingressos, turbatumque a nobis fuisse ordinem clamant: quia non exspectato suo mandato succurrere miseris ovibus quisque nostrum, ut par erat, pro sua virili studuerit. Caeterum, ex quo res in meliorem paulo statum nostris laboribus sunt restitutae, sanctius longe apud nos, quam in toto papatu, colitur manuum impositio.

Venio nunc ad ordines reliquos, in quibus recensendis vulgatam consuetudinem sequuntur nostri moderatores, ac singulis nomen sacramenti aptant. Minus hic ero prolixus, quam meretur rei dignitas. Nam brevibus ostendere promptum est, quam impudenter a nobis postulent, ut sacramenta esse fateamur. Taceo, quod in toto papatu ordinantur diaconi et inferiores: non qui officium exerceant, sed quicunque presbyterii honorem ambiunt: ad quem [pag. 148] gradatim conscendere iubent ipsorum canones. Etsi inventa est expedita transsiliendi ratio. Uno enim die minores omnes tituli in unum hominem congeruntur. Denique nullae ab histrionibus tam ludicrae fabulae aguntur, quam spectare in illa ordinandi pompa licet. His flagitiis quasi nondum opportuna esset correctio, connivent boni moderatores. Ego autem, ut haec taceam, ferendum esse nego ut sacramenti nomen ad actiones nescio quas transferatur, ad quas nulla pertinet Dei promissio. Nam ut quispiam templi foribus praeficiatur ad fugandos canes, quid opus est fingere sacramentum? Exorcistarum vero quaenam est hodie opera? Nam quod in aliis solent, hic ne simulant quidem. Et tamen male de ecclesia mereri pronunciant, quisquis eiusmodi ordines vel spernit, vel tollit. Sed cui persuadeant, reverenter esse excipiendum, cuius ne inanem quidem umbram fallendis oculis ostentant? Umbratiles enim et nihili exorcismos soli in papatu sacrifici peragunt. Acoluthos creant: hoc est pedissequos. Tantane est in episcopo comitando [1]) maiestas, ut excudendum fuerit spirituale mysterium? Certe nihil eos pudet, quum sacramenti nomen prostituunt ad tales nugas. Ac notandum est, hanc inter nos quaestionem verti. Neque enim digladiamur de Acoluthis et Ostiariis, expediatne eos habere necne. Sint sane haec utilia rudimenta exercendae eorum adolescentiae, qui ad ecclesiae regimen aspirant. Tametsi nihil tale visitur in papatu, et si quid olim fuit boni, iam pridem in desuetudinem abiit. Verum ut illis demus quod de utilitate postulant: nimiae tamen audaciae, ne dicam sacrilegii, [pag. 149] fuit ementiri nomen illud, [2]) quod nonnisi

1) de la succession apostolique.

1) à suyvre la queue d'un Evesque.

2) d'abuser en telles fariboles du nom de Sacrement.

coelitus institutis divinae gratiae symbolis convenit. Quam profanationem, si audacter Lucianici homines redimendae pacis gratia, se approbare simulant: quotquot serio in Dei timore praediti sunt, eos retinebit conscientia ne assentiantur. [1])

Ultimum illis sacramentum est matrimonium: idque, ut aiunt, ob Christi gratiam quae ei nunquam deest. Verum haec ratio ad quodvis honestum et Deo probatum vivendi genus extenditur. Ergo sacramentum erit agricultura, pecuaria, et artes omnes, aut quae ingenuae vocantur, aut mechanicae: quarum nulla est quam Deus sua benedictione non dignetur. Videmus ergo quam pueriliter ineptiant. Sed additur altera ratio probabilior: quia cum sacra spiritualique societate, quam habet Christus cum ecclesia, confertur matrimonium. Quasi vero non et pastori, et agno, et leoni, et soli, et lapidi comparetur Christus ipse: et Deus bellicoso principi, [2]) et procellae, et flammae ardenti? An totidem igitur erunt sacramenta, quot occurrunt in scripturis similitudines? Atqui hoc modo furtum in ordine sacramentorum censebitur, quia legimus, furi similem fore diem Domini. Multum itaque abest, quin sacramentum nobis conficiat nuda similitudo. Nec vero in eo hallucinati sunt primi huius commenti autores. Sed quum apud Paulum, ubi de matrimonio disserit, in clausula legissent sacramenti nomen, [3]) inconsiderate arreptum fingendo novo dogmati sufficere putarunt. Nec interea venit illis in mentem, Paulum illic mysterii nomine simpliciter commendare inaestimabilem istam gratiam, qua nos [pag. 150] prosequitur filius Dei, quum in suum corpus inserit. Ergo ut eius admirationem excitet, magnum exclamat arcanum esse (Ephes. 5, 32). Id enim sonat mysterii nomen, quod posuit, cuius loco vetus interpres, ut alias quoque in eadem epistola, transtulit sacramentum: sed minime cogitans quod indocti homines postea somniarunt. Ex hac tam crassa ignorantia natus error nimis impudenter a moderatoribus defenditur. Verum, quo magis videmus nasutos homines secure illudere Dei verbo, ut antichristis adulentur: eo maior religio constringere animos nostros debet, ne qua tantae impietatis societate nos illigemus.

Hinc, ut error errorem secum trahit, colligunt, nec solvi coniugii vinculum adulterii causa, nec audiendos esse, qui ratam esse fidem negant, quam sibi absque parentum consensu adulescentes ac puellae mutuo dederint. Primum, quod dicunt, ex falsa et perversa verborum Christi interpretatione fluxit. Nam quum affirmat moechari eum, qui repudiatam ducit, subaudienda est exceptio quam posuerat: nempe, nisi ob adulterium. Et sane, frustra de mulieribus adulteris concionatus esset, quarum divortium sequebatur capitalis poena apud Iudaeos. Quod si non magno periculo errarent, dum ita pervertunt Christi verba, ignosci forsan utcunque ipsis posset: verum, hic salus virorum agitur, qui adulteras uxores e contubernio suo pellunt. Illis aequi moderatores imperant perpetuum caelibatum. Quid si uxore indigeant? Sine remedio scilicet aestuabunt tota vita, ut animae exitio poenam luant alieni sceleris. Ita vir christianus, aut fovere adulteria, probraque vorare [pag. 151] impudicae uxoris cogetur, aut crudeliter addicetur perpetuae inquietudini, siquidem incontinentiae morbo laborabit. Quum miseris conscientiis tam male consulant, an nostro assensu inhumanam eorum tyrannidem adiuvabimus? De sponsalibus, quae temere ab adulescentulis contrahuntur, hoc tantum dicam: verbo negari posse, quod verbo asserunt moderatores. Quis enim rata esse debere illis revelavit? Parentum autoritatem requiri, ipsa quoque natura dictat: idque et iure gentium observatum semper est, et scripturae testimonio comprobatur. At sacramenti, inquiunt, dignitas, praeferenda est iuri patrio. Ut sacramenti nomine abuti illis permittam: plus quam absurdum est, in sacramenti honore poni, quum perperam et inordinate aliquid geritur: nam quo plus habet dignitatis coniugium, eo maiore et modestia et religione suspiciendum erat. Quid si honor est sacramenti talis indulgentia: cur in sacerdotum et monialium coniugio non sunt perinde faciles? [1]) At obstat votum. Nempe quemadmodum hic obstat ius naturae: quod perfringere non dubitant. [2])

Quod unicum esse Christi sacrificium agnoscunt, quo expiata sunt peccata, et reconciliati homines Deo, utinam in eo perstarent. Sed paulo post ostendunt, non aliud sibi fuisse consilium ita praefando, quam ut speciosum missae suae colorem inducerent, quo illius unici sacrificii applicatio censeatur. Caeterum, quibuscunque eam fucis ornent: nunquam tamen efficient, quin filiis Dei omnibus detestabilis sit meretricia eius foeditas. Verum, ut certo ordine progrediamur: ab illo generali capite initium sumendum est, [pag. 152] ubi sacrificia unici illius applicatoria esse docent, cordis humiliationes, et pietatis causa susceptas carnis afflictiones, et quae

1) Si une telle prophanation est hardiment receue par des moqueurs de Dieu qui ne demandent qu'à vivre en paix avec le monde: tous ceux qui ont droite conscience auront une bonne bride pour les retenir à ce qu'ilz n'y condescendent point.
2) *Add.* à un geant.
3) *Add.* ne regardant pas à quel propos il en use.

1) *Add.* en les declairant nulz suyvant leur raison, ilz mesprisent le Sacrement et luy font deshonneur.
2) *Add.* pourquoy sont ilz tant scrupuleux en matiere de voeux?

sunt eius generis. Quae ista est vel incogitantia, vel oblivio, vel stupiditas, ut fidei sacrificium praetereant, cuius tamen praecipuae in hac applicatione sunt partes? Parum dico: neque enim aliter quam fide vim mortis Christi percipimus. Alia vero sic fidem comitantur, ut sint quasi appendices, et ab ea mutuentur quidquid habent. Fidem certe eximium esse sacrificium, ex Paulo constat (Phil. 2, 17). Idem docet, ea nobis reconciliationem applicari cum Deo, quam nobis morte sua Christus peperit (2 Cor. 5, 18 ss.; Rom. 5, 10 s.). Accuratam eius rei tractationem quum se persequi mediatores prae se ferant, qui fit ut prorsus sileant de fide? Nam ea proprie sola est, quae omnia pietatis exercitia sanctificat. Deinde a quo didicerunt, carnis afflictionibus, quas modice prodesse testatur Paulus (1 Tim. 4, 8), partam morte filii Dei gratiam nobis applicari? Adminicula sunt, fateor, quae nos ad quaerendam in Christo peccatorum remissionem manu ducunt: sed stulte inde colligitur, per ea nobis applicari Christi sacrificium, quasi ieiuniis, aut alia quavis externa carnis afflictione, adipiscamur salutem. Audio quid David dicat (Psal. 51, 19): sacrificium scilicet Deo gratum esse, contritum cor, et humiliatum: sed eo nobis applicari quod Christus, ad nos Deo reconciliandos, obtulit sacrificium, neque ipse, neque ullus vel prophetarum, vel apostolorum docet.[1]) Tantum abest, ut hoc honoris mereantur externa opera, quae longe inferiore loco subsidunt.

Fateor tamen mediatores alio post loco, quasi expergefactos tandem fidei recordari. Sed qualem [pag. 153] tunc quoque fidem nobis fabricant? Quae in missae sacrificium intueatur. Proinde merito eam cum devotione copulant: quando exsecratione dignus est, qui aversus a Christi morte huc vel illuc, salutem quaeritans, circumspectat. At sacrificium missae a Christi morte pendet. Hoc vero iam expendamus. Christus, inquiunt, ut corpus suum fidelibus edendum obtulit, ita eius offerendi mandatum dedit apostolis, quos instituebat novae legis sacerdotes. O putidam eorum ἀλαζονείαν, quos ego novi esse huius insulsae farraginis opifices.[2]) Ubi enim praecipitur oblatio? Respondent, ubi dicitur: Hoc facite. Quum ante annos viginti Clithoveus et similes bestiae sacrificium ex hoc verbo elicerent, versumque in eam rem citarent Vergilii: Quum faciam vitula pro frugibus: nemo erat mediocri iudicio praeditus, qui non rideret argumenti levitatem: ignoscebatur tamen eorum stultitiae, quia balbutiebant de rebus ignotis.[1]) Nunc autem mente captos esse oportet qui in tanta luce vomere tales ineptias non dubitant, quas et secum intus rident ipsi, et aliis non ignorant ridiculas fore. Sed tamen, quasi res sit consideratione digna, animos advertamus. Facere, verbum pontificale esse dicunt.[2]) Fateor. Sed quo idiomate loquutum esse Christum putant? neque tamen hic cardo vertitur. Faciendi enim verbum, ubi de sacrificiis agitur, interdum Hebraei usurpant. Tantum nunc disputamus, quo sensu Christus dixerit: Hoc facite in memoriam mei. Nodum hunc solvit Paulus optimus interpres, haec duo simul contexens: Hoc facite quotiescunque biberitis.[3]) Quid enim agerent aliud discipuli, quam quod [pag. 154] suo exemplo praemonstraverat magister ipse? Imo, quis non videt non referri hoc ad superiorem sermonem, ubi iussi fuerant accipere et inter se communicare? Quanquam audita Pauli interpretatione, frustra de re indubia litigamus. Quod si nondum acquiescunt: quia dictum id fuerit apostolis, quos fuisse sacrificos imaginantur, respondeant mihi velim, quosnam alloquebatur Paulus, quum eadem verba repeteret. Nonne postquam toti Corinthiorum ecclesiae, viris promiscue ac mulieribus, se tradidisse praefatus est quod a Domino acceperat, hoc ipsis faciendum mandat?[4]) An ita contumeliose lacerare Christi verba sibi permitterent, nisi epicureo contemptu inflati despectui haberent omne numen?

Simile est quod iactant, priusquam sub panis specie porrigeret corpus suum Christus discipulis, obtulisse patri. Unde enim id esse factum divinant? Res sane digna erat, cuius fieret aliqua mentio. Atqui sic texitur ab evangelistis historia: quod acceperit panem, fregerit ac dederit. Quo igitur ore, quod nusquam invenitur, nullumque habet colorem, sic affirmant? Si omnes adducerent coniecturas: causae tamen magnitudo non permitteret, quidquam inde statui. Verum, quum ab omni verisimilitudine abhorreat quod nugantur, quis non fortiter respuet? Negant alioqui stare illud, quod

---

1) *Add.* C'est la foy qui besongne en premier lieu, ainsi que dit a esté.

2) Ie voy bien icy une merveilleuse vilennie de ceux qui ont brassé ce potage confus d'appointemens diaboliques en maniere que i'ay honte de leur honte.

1) Quum ante annos . . . . ignotis. *Versio gallica nil nisi haec habet:* Les gens de lettres savent que desia les petis enfans sont accoustumés à se moquer d'une telle bestise et voyla pourquoy ie dy qu'il faut bien que Dieu ait crevé les yeux à ces malheureux *etc. Versus Vergilii legitur Egl. c. III. 77. Iodocus Clictoveus* (*Iosse Clictou*) *ex oppido Nieuport in Flandria, Doctor Sorbonicus primus qui olim contra Lutherum scripsit, obiit a.* 1543 *decanus et canonicus Carnutensis.*

2) Ilz veullent faire accroire que le mot de Faire signifie Sacrifier. *Quae sequuntur* (Fateor . . . . memoriam mei) *desunt in versione.*

3) *Add.* Voyla que c'est Faire en ce passage: assavoir obeir au commandement de Iesus Christ.

4) *Add.* Avoit-il fait les femmes prestresses pour chanter la Messe? *Sequentia* (An ita . . . . permitterent) *om.*

Christus sacerdos sit secundum ordinem Melchizedec. Scio non eos primum nunc impingere ad hunc lapidem. Verum, si rem omissis hominibus considerare libet, id vanitate ipsa esse vanius mox constabit. Narrat Moises, obtulisse Melchizedec Abrahae panem et vinum. Qui [pag. 155] sacram oblationem et mysticam illic piscantur, intelligunt obtulisse Deo. Atqui, simul ac meminit illic Moises, ipsum venisse Abrahae obviam, subiicit, obtulisse vel attulisse panem et vinum. Quum vero membrum quod mox sequitur causae redditionem esse putant, nihil aliud quam duplicant errorem. Addit[1]) quidem Moises: Et erat sacerdos Dei altissimi. Sed hoc ad ius benedictionis pertinet: ut sciamus, ex officio personaque sacerdotali Melchizedec Abrahae benedixisse. Hactenus nullum cernitur in Melchizedec panis sacrificium. Sed accedit validius argumentum, quod apostolus, dum singula prope scrupulose excutit, in quibus conveniat haec similitudo, nihil tale attingit. Nomen et sedem regni, regnum et sacerdotium diligenter notat: deinde quod, tanquam[2]) a se ipso ortus, nullam habeat genealogiam, quae quidem sit scriptis prodita: quod Abraham illi, tanquam praestantiori minor decimas obtulerit. Denique, quod iure sacerdotis benedixerit Abrahae. Si quod fuisset in pane mysterium, nihil ad causam quae illic tractatur aptius adduci poterat. Oblivione certe non praeteriit spiritus sanctus. Qui fit ergo ut sileat? Nempe, quia intempestive ingerere noluit. Quanquam mirum est, eos quaerere in pane figuram, qui panem in corpus versum ante esse dictitant, quam offeratur. Quomodo secundum eos respondebit figurae veritas, si nullus in sacra coena est panis? Sed hoc nobis in praesentia sufficiat: nihil illis suffragari panem a Melchizedec oblatum, quia rem a spiritu sancto minime animadversam comminiscuntur.

Arripiunt et tritam istam Malachiae sententiam: [pag. 156] In omni loco offeretur nomini meo inter gentes oblatio munda (Mal. 1, 11). Quasi vero non aliud sit quam missae sacrificium. Atqui si locos omnes novi testamenti recenseamus, qui de sacrificio tractant, nusquam invenietur missa. Annon oblatio munda est, quum per evangelium consecramur Deo, quum se quisque nostrum carnis mortificatione illi offert? quum vitulos labiorum immolamus, ut inquit alter propheta (Hos. 14, 3)?[3]) Cur ergo posthabitis sacrificiis omnibus, quae nobis scriptura commendat, ad solam missam, de qua nullum usquam verbulum, se convertunt, nisi quia in omnibus sunt praeposteri? Caeterum, quum sanis omnibus constet simpliciter, more prophetico designari hic sub sacrificii nomine Dei cultum, quid de nihilo argutari prodest? Mos hic prophetis perquam familiaris est, ut, sicut illis somnia et visiones Dei notitiam significant, ita templum, altare, suffitus, et sacrificia accipiant pro cultu Dei. Hinc autem nata isthaec loquendi ratio, quod doctrinam suo saeculo accommodabant, quo scimus involutum talibus caeremoniis fuisse Dei cultum. Denique, eiusmodi loquutiones quum legis paedagogiam sapiant, elicienda nobis inde spiritualis veritas, quae sola ad nos pertinet.[1]) Iam satis superque apparet calumniose citari Malachiam, quasi de missa vaticinetur, quum nihil minus cogitaverit.

Nec veterum sententias moror quas ad obruendam veritatem huc congerunt moderatores. Solenne est nebulonibus istis, quidquid vitiosum in patribus[2]) legitur, corradere: ac si quis solam auro neglecto scoriam, et abiectis granis quisquilias studiose [pag. 157] legeret. Quum ergo obiiciunt locum Malachiae sic ab Irenaeo exponi: oblationem Melchizedec sic tractari ab Athanasio, Ambrosio, Augustino et Arnobio,[3]) breviter responsum sit, eosdem illos scriptores alibi quoque panem interpretari Christi corpus: sed ita ridicule ut dissentire nos cogat ratio et veritas. Nam inducit Ieremias impios qui adversus eum conspiraverant ita loquentes: Mittamus lignum in panem eius (11, 19). Perinde hoc valere notum est, ac si dixisset: Strangulemus eum pane suo, vel aliquid simile. Veteres hoc ad Christum trahunt, et allegorice, ut dixi, panem interpretantur corpus quod ligno fuit affixum. Desinant ergo boni moderatores veterum sententiis pugnare in mala causa.[4]) Iam ante ostendi, quo sensu dicatur Melchizedec obtulisse panem. Res clara est. Deinde silentium apostoli vice probationis esse nobis debet: quia nunquam praetermisisset quod tam apposite dicturus erat, siquidem potuisset vere dici. Non est ergo quod vel Ambrosium, vel alium quempiam ex tota veterum cohorte acutius vidisse putemus, quam ipsum apostolum: nisi tantum illis perspicaciae tribuere libet, ut mysterium cognoverint, quod spiritum Dei per os apostoli loquentem fugit.

Quum omnibus in causis colenda est ingenuitas, tum vero, quum de religione agitur, callide aut etiam dissimulanter agere, fas non est. Adversarii nostri, quoniam nos Dei verbo armatos vident, hinc

1) Adducit *Gallus. Bez. Amst.*
2) tamen *Bez. et Amst.*
3) *Add.* c'est à dire louanges et prieres, quand nous subvenons de noz biens à ceux qui sont en necessité.

1) Mos hic . . . . pertinet. *Versio gallica simpliciter habet:* Or ceste façon de parler est procedée de ce que les Prophetes accommodoyent la doctrine à leur temps auquel regnoyent les ceremonies. Brief, puis que telles façons de parler sentent les ombres de la Loy et les figures anciennes, il nous en faut retirer la verité spirituelle.
2) en tous les escrivains et principalement aux docteurs de l'Eglise.
3) Arnobium *om. Gallus.*
4) qu'ilz ne nous facent pas si grand sivé de l'autorité des anciens *etc.*

inde captant quae possunt testimonia, multaque suis cavillis depravant, ut obiecto antiquitatis fumo, divinae veritatis lucem obscurent. Interea quantum ab antiquitate ipsi dissideant, nolunt inquiri. Palam [pag. 158] tamen est. Cuius rei in missae sacrificio illustre specimen habemus. Ut vulgares Sorbonistas omittam, mediatores nostri pro tuendo missae sacrificio, et vetustum loquendi usum et sacrificandi ritum praetexunt. Utrumque illis concedo: veteres non modo sacrificii voce abusos esse, sed etiam caeremonia. Verum, si reputemus, quantum a veterum corruptela distet quae nunc ab ipsis fucatur impietas, immensum est fere intervallum. Qualecunque erat quod agebant veteres, sacrificii [1]) memoriam esse interpretantur. Isti antiquarii (ut haberi volunt) memoria non contenti, applicationem inculcant, ut paulo post videbimus. Etsi autem puri ab impia superstitione, quae postea invaluit, fuerunt veteres: non tamen prorsus excusandi sunt: quatenus scilicet ipsos apparet a puro et genuino Christi instituto deflexisse. Nam quum in hunc finem celebranda sit coena, ut sacrificio Christi communicemus: eo non contenti oblationem quoque addiderunt. Hoc auctarium vitiosum fuisse dico: partim quia beneficium Christi morte nobis praestitum obscurat, partim quia alienum est a sacrae coenae natura. Officium Christi fuit, se Deo offerre. Iam non aliae nobis restant partes, quam ut vescamur. Qui in sola receptione non acquiescit, sed appetit sacrificii imaginem, minus quam par erat tribuit et morti qua defunctus est Christus, et coenae mysterio quod in mortis suae memoriam reliquit. Nunc ut millies clament vel papistae, vel alii papistis non multum dissimiles, oblatum olim fuisse panem, veteres ita solitos facere, non novam esse consuetudinem: toties excipere nobis licebit, Christi mandatum inviolabilem [pag. 159] esse regulam, quae nulla hominum consuetudine, nulla praescriptione temporum, nullis novis placitis convelli aut refigi debeat.

Respondi quod videbatur de patrum autoritate. Itaque, quum mediatores concludunt, ecclesiam secundum scripturae sanctorumque patrum testimonia duo sacrificia agnoscere: in altero mentiuntur, in altero errant, plus hominum placitis aut opinioni, quam debeatur, tribuendo. Scripturam enim, quae tota ubique illis reclamat, falso praetexunt, adeoque turpiter lacerant, ut ne pueris quidem, qui duntaxat moniti fuerint, fucum sint facturi. Certe plus quam aperte refutavi eorum nequitiam. Quod ad veteres spectat, non est quod in eorum gratiam ab aeterna et inflexibili [2]) Dei veritate recedamus.

1) du sacrifice fait par le Filz de Dieu.
2) laquelle ne se peut fleschir ne plier à l'appetit des hommes.

Proinde incruentum illud sacrificium, quod commenti sunt homines, sibi habeant, quibus non satisfacit Dei sapientia. Simplex et minime ambigua scripturae doctrina est, sacrificio quo reconciliari Deo homines oportebat, semel defunctum esse Christum: eius sacrificii vim esse aeternam, fructumque quotidie a nobis percipi. Ut autem eo fruamur, institutam esse ab eodem Dei filio sacram coenam, in qua corpus suum semel immolatum nobis in cibum porrigit, quo vescamur. Hoc modo unici illius sacrificii virtutem applicari nobis, ut eius fiamus participes. Ubi totam scripturam revolveris, nihil aliud reperies, quam pascha nostrum immolatum esse: sacerdotem unicum semel ingressum esse in sancta, ut oblatione unica mundi peccata expiaret: nobis nihil aliud praecipi, quam ut epulemur. Cuius nunc ergo audaciae erit, [pag. 160] hominem mortalem se ingerere, ut sacerdotio sibi nunquam mandato, fungatur, ut incruentum sacrificium, quod nusquam requirit Deus, offerat? Proinde, alibi secundum illud sacrificium locent mediatores, quam in ecclesia. A nobis ut agnoscatur nunquam efficient, donec alium esse idoneum sacrificii autorem persuaserint, quam filium Dei: qui sacerdos est in aeternum constitutus, nullo vel successore vel collega. Quidquid praeter eius autoritatem additamenti obrepsit in sacram coenam, hominum vel cupiditate nimia, vel facilitate, ad huius autoritatis normam corrigatur. [1]) Ita enim faciendum admonet Paulus, et hoc volunt eius verba, quum dicit: Accepi a Domino quod et tradidi vobis. Oblationem porro, quae ab ignoto fonte manavit, scelerate et nequiter Christo acceptam referunt mediatores.

Video quid dicturi sint, qui miscere Christum cum Belial parati sunt, modo qualemcunque pacem redimant. Nam et hominum novi ingenia, et dicteriis pridem assuevi. [2]) Immodicae nos scilicet morositatis arguent, qui de voce una et externo ritu contentionem non necessariam moveamus. Nec vero mirum est, nos hoc nomine ab illis accusari. Loquuntur enim ut sentiunt. Sed quum nobis melius sentire datum sit, confiteri etiam oportet, quod corde credidimus. Hanc enim legem piis omnibus fert spiritus Dei: Credidi, propterea loquar (Psal. 116, 10). Quum nuper mihi a bonis viris narratum esset, cornutum quendam ex foetido papalium episcoporum grege caprum, [3]) qui iam pridem medius inter coelum et inferos volitat, ita solere loqui: Nullam sibi videri causam, cur fucatam [pag. 161] hanc moderationis formulam amplecti recusaremus: respondi

1) *Add.* tellement que sa seule autorité soit le vray compas.
2) ie suis battu de leurs brocardz.
3) *Beza et Amst.* Caprum *scribunt quasi nomen proprium. Gallus omisit.*

quod de Alexandro historici referunt: Me, si essem eius loco, non recusaturum: illum vero, si mihi esset similis, idem facturum, quod nunc me facere miratur. Nam eiusmodi homines, qui Christum abnegando tot annos sunt exercitati, simplicitatem nostram probro vertere cur miremur, quum subsannare Deum ipsum non dubitent? At nobis tanti esse debent coelestis magistri decreta, ut pro iis ad extremum dimicare non dubitemus. Nec quidquam putemus libertati nostrae subiectum, de quo nobis quid fieri vellet, praecepit. Sed hic de re nobis, non de verbo tantum ac ritu, certamen est cum mediatoribus. Tradunt enim, comprehendi in missae sacrificio veritatem earum rerum, quae vetusta omnia sacrificia figurabant: eandem hic esse corporis et sanguinis Christi hostiam, quae in cruce mactata fuit. Unde apparet, unico Christi sacrificio secundarium hoc subrogari, quo illius efficacia ad nos perveniat. Ego autem breviter respondeo: quaecunque unquam in usu fuerunt sacrificia, ad hunc veluti lydium lapidem probanda esse, ut proba censeantur: a Deone habeant, an ab hominibus, originem. Praeterquam enim quod in Christum respicere debebant, Deum quoque autorem esse oportuit. Itaque quamvis in speciem nihil aut parum differre videantur a sacrificiis piorum, quae a gentibus oblata legimus, haec tamen non dubitamus tanquam adulterina damnare: illa autem pronunciare sancta et legitima. Unde porro hoc discrimen, nisi ex illa duplici nota finis et mandati? Nunc igitur [pag. 162] ut micam veritatis in sacrificio missae contineri probent mediatores, Dei mandatum in primis necesse est proferri, quale nullum exstat. Unde audacter constituimus, nihil quam inane esse figmentum.

Quod succinctam et dilucidam canoni interpretationem attexi volunt, fateor non esse de nihilo. Sed quas glossas invenient, quibus tegantur adeo crassae absurditates? Principio, certum est pugnantia illic contineri, centonesque esse male consutos ab indoctis artificibus.[1]) Dicunt se Deo offerre de eius donis et datis hostiam puram, panem sanctum vitae aeternae. Quae verba sonant, constare ex pane Christi corpus. Emolliant ut volent hanc verborum asperitatem: perspiciunt tamen oculati homines, quam precationem vetus ecclesia de communibus oblationibus concipere solebat, consarcinatores missatici canonis[2]) ad corpus Christi inscite transtulisse. Eleemosynae quas conferebant fideles, tanquam Deo sacrae, altari imponebantur. Deum populi nomine orabat sacerdos, ut eas gratas haberet. Barbari homines qui postea sequuti sunt, vel antiqui moris ignari, vel aliud quam imaginarium suum sacrificium nescientes, temere addiderunt corpus et sanguinem. Hanc inscitiam melius patefacit, quod paulo post attexunt:[1]) Per quem haec omnia semper bona creas, sanctificas, benedicis. Certe haec oratio, utcunque torqueatur, sacramento aptari nequit.[2]) Quae sunt igitur bona, quae Deus quotidie nobis creat, nisi quae quisque piorum ex suis facultatibus confert in usum pauperum? Hanc enim fuisse olim oblationes consecrandi formulam, [pag. 163] ex Arausicani concilii decreto apparet: Offerimus tibi Domine, quae de manu tua suscepimus. Quibus obsecro glossis se extricabunt, quin hic turpissimae hallucinationis convicti teneantur? Levicula sunt ista: nec alium in finem a me attinguntur, nisi ut omnes intelligant, nullas esse tam putidas ineptias, quas non pervicaciter defendant histriones isti,[3]) qui mediatorum personam induerunt.

Nunc pergamus ad magis seria. Corpus et sanguinem filii Dei missarius sacerdos in sacrificium se offerre dicit. Actio est prorsus divina, ad quam nemo, nisi coelitus vocatus, ingerere se debet. Nam quum de legitimo sacerdotio disputat apostolus (Hebr. 5, 4), nulli tantum honorem concedit, nisi cui Deus contulerit. Ut ipsum quoque Christum dicat oportuisse patris vocatione[4]) institui. Si perperam ac praeter ius et fas sibi honorem usurpat, qui sacerdotio fungitur non vocatus a Deo, nunc ostendant sacrifici missales, quo Dei mandato Christum offerre ausint. Tota apostoli disputatio in epistola ad Hebraeos, a septimi capitis initio ad finem usque decimi, duobus his cardinibus versatur: Christum unum fuisse idoneum qui se offerret: deinde unica oblatione perfunctum, quae perpetuo vigeat. Hanc sibi habere videntur bellissimam argutiam, qua effugiant: dum idem se hodie offerre sacrificium iactant, quod semel Christus obtulit: non novum aut diversum introducere. Sed quum scriptura et soli Christo vindicet offerendi munus, et semel testetur obtulisse, nihil illo cavillo identitatis, ut ita loquar, proficiunt: nam interea ad se rapiunt, quod [pag. 164] solius est Christi: et quod semel peractum fuit, quotidie millies iterant. Addit canon id fieri pro redemptione animarum. At reclamat apostolus, qui tradit Christum in coelos ascendisse, aeterna redemptione parta (Hebr. 9, 12). Si oblatum

---

1) et que c'est une savaterie mal rappetassée de plusieurs pieces par gens ignorans.
2) les remboblineurs du Canon missotier.

1) quand, en parlant à Dieu, ilz disent: Par nostre Seigneur Iesus tu crees *etc.*
2) *Hic Gallus inserit sequentia:* Que signifie aussi ce mot de Tous, et ce mot de Tousiours, et ce mot de Creer et de Beneir? On voit bien qu'il est parlé des viandes communes et de tout ce que Dieu distribue aux hommes pour leur nourriture. Il estoit donc dit en la priere ancienne que Dieu creoit iournellement les biens *etc.*
3) que ces basteleurs qui contrefont les appointeurs ne vueillent excuser comme en iouant de passe-passe.
4) invocatione *Bez. Amst.*

in cruce sacrificium, aeternam redemptionem peperit: mentiuntur certe, qui se hodie adhuc sacrificare redimendi causa profitentur. Hic commoda interpretatione nobis satisfieri, hoc est, oculos perstringi volunt mediatores. Fatebuntur uno Christi sacrificio redemptos esse: sed hoc modo nobis illius gratiam applicari. Sed hunc fucum iam ante satis abstersi, imo ad vivum eraditur uno apostoli verbo, quum legis sacrificia negat paria fuisse tollendis peccatis, quia saepius repeterentur: et nos hac nota discernit a patribus, quod apud illos quotannis fieret peccatorum commemoratio (Hebr. 10, 1). Certe et nos assidue peccata nostra confiteri decet, nec aliter ea deprecari possumus, quam sacrificii recordatione. Itaque non aliter intelligi locus ille potest, quam hoc constituto discrimine, quod tunc quidem ad testandam peccatorum expiationem, visibile sacrificium adhibebatur: hodie non item, ex quo veritas ipsa signorum fuit exhibita. Denique, qui offerri hodie Christum fingunt pro animarum salute, morte eius expiata fuisse peccata Deumque hominibus reconciliatum fuisse negant. An vero nos huic blasphemiae subscriberemus, quae proprium mortis Christi munus ad humanam actionem transscribit? Tunc vero nos merito Christus, tanquam perfidos ac foedifragos, tanti beneficii participatione abdicet, si unico aeternoque [pag. 165] suo sacrificio eiusmodi adminicula, quae nunquam vel instituit vel probavit, subrogari taciti sinamus. Quam vero congruenter postea rogatur Deus in canone, ut hostiam carnis ac sanguinis Christi gratam habeat, sicut Abelis Abrahaeque sacrificia, iubeatque per manus angeli perferri in sublime altare suum. En pietas, quum vix eodem filium Dei honore dignantur, quo pecudes. Quid enim precantur? Ut patri Christus instar arietis illius quem immolavit Abraham placeat. Saltem in eo minime canonicus est canon, quod umbram veritatis regulam facit, gratiam, qua pollet Christi sacrificium, ad eam quae pecuariis victimis suberat exigendo. Caeterum obtendant quidquid libuerit. Sed nos qua conscientia in tam foedam Christi contumeliam, ut fere posthabeatur brutis animalibus, consentiemus? Non est praeterea auctarium istud negligendum, si nihil in canone mutetur, orandi pro papa nostro Paulo tertio, [1]) nobis necessitatem iniungi. Ergone, dum apparemus in Dei conspectum, ubi cor se totum quodammodo effundere debet, patrem nominemus eum, qui omnium filiorum Dei crudelissimus est carnifex? Eum fateamur esse pastorem, qui ad mactandas et vorandas Christi oves, princeps est latronum ac luporum? Ei primum in ecclesia locum assignemus, qui non ab ea tantum est alienus, sed infestissimus quoque est eius hostis? Sibi vero talem habeant patrem Islebius, similesque apostatae, quo impiae suae defectionis testem quoque faciant Deum, sicuti eam turpiter apud homines flagitioseque profiteri non verentur. Nobis [pag. 166] vero centum potius oppetendae sunt mortes, quam ut in sui flagitii societatem nos trahant.

Tandem, ne quid in missae caeremoniis mutetur, cavent mediatores: quia omnes ad id quod illic agitur valde sint appositae. Si de puerili ludicro sermo esset, vere fortassis illud diceretur: at cum sacra Christi coena nihilo plus habent affinitatis, quam sus aut canis cum Dei altari. Quum in omni religionis actione relucere debeat coelestis quaedam maiestas, tum vero in coenae celebratione, ubi Dominus ad arcanam carnis et sanguinis sui participationem nos invitat. Quid porro gravitatis contineant missales ritus, ex ea parte quam hic recitabo, gustum capient lectores. Ac omisso, quem vocant, Introitu, aliisque infinitis nugis, solius canonis gesticulationes attingam. [1]) Iunctis manibus se inclinet sacerdos ante altare, postea in dextra parte osculetur: hic faciat tres cruces: elevet manus ac expandat, iunctis manibus memoretur vivorum: parum flectat genua: extendat manus super hostiam: faciat quinque cruces: iungat manus sursum: tergat manus ad corporale: elevet hostiam, deinde calicem. Illis repositis, extendat brachia quasi de se crucem faciens: retrahat brachia, et faciat super totum sacrificium tres cruces, quartam super corpus, quintam super calicem: ponat manus super sacrificium, et oculos sursum erigat: inclinet se ad altare manibus cancellatis: osculetur altare: signet de signo crucis: iunctis manibus memoriam habeat mortuorum, percutiat pectus suum semel vel ter: faciat tres cruces, disco operiat calicem: de pane faciat tres cruces super [pag. 167] ipsum, deinde duas inter se et calicem: ostendat manu dextra hostiam: cooperto calice expandat manus: tangat patena pedem calicis, medium, summitatem: ad os suum et oculos admoveat. De hostia tres faciat partes: sed unam aliis maiorem: de minima parte faciat tres cruces, deinde ponat in calicem: reliquas osculetur. [2]) Excipient res esse medias, quarum indifferens sit usus Christianis. Cur ergo quidquam omitti [3]) vetant? Verum, ut hoc subticeam, quam indignum est histrionem plus habere centuplo in scena gravitatis, quam in sanciendo Dei et hominum foedere habeat sacerdos? Nimium profecto sibi licentiae in rebus externis sumunt, si pro nihilo ducunt coeleste coenae mysterium tam indecoris gesticulationibus deformari:

---

1) *Gallus pro nomine habet:* en l'appellant nostre sainct pere.

1) *Totum hoc comma om. Gallus.*

2) *Add.* Voyla assez de singeries pour souler ceux qui autrement appetent à s'y amuser.

3) changer.

a quibus exagitandis adeo abstineo, quia tam foeda christiani nominis ludibria meminisse piget. Isti vero nebulones, ut sunt prostituti. pudoris, etiam summarum absurditatum [1]) minimam correctionem respuunt. Unde apparet, nihil eos aliud captare, quam ut brevi iterum, quidquid lucis nostro tempori affulsit, exstinctum pereat. Hic porro impudentiae cumulus est, quod missae hodiernae ritum ab Augustino perspicue monstrari iactant. Citatur quidem ab illis Epistola ad Paulinum, quae est ordine quinquagesima nona. Ego autem, ut perpicue appareat quam improbam mentiendi licentiam sibi indulgeant, ex lectione ipsa fieri iudicium patiar.

Sequuntur genera duo mortuorum memoriae, quae ut antiquitus fuerunt culta, ita nunc retineri volunt mediatores. Mos antiquus fuit, inter sacrae coenae celebrationem, apostolos primariosque [pag. 168] martyres et maxime vulgo notos nominare, ut talibus exemplis excitaretur omnium fides. Secundo loco recitabant eorum nomina, qui recens mortui specimen suae pietatis ad extremum ediderant: ut ita solenne haberent suae perseverantiae testimonium. Haec omnia quum ad christianae unitatis commendationem valerent, vivisque stimulos adderent ad imitandam mortuorum fidem, et nulla subesset adhuc superstitio: nos minime improbamus, ut nihil opus fuerit testimoniorum congerie, quam mediatores, ostentationis potius quam doctrinae causa, coacervant. Paulo post obrepsit utrobique corruptela. Nam et usu receptum fuit, ut se martyrum precibus iuvari ecclesia peteret, suasque vicissim preces interponeret pro impetrando mortuis refrigerio, qui in fide Christi decesserant. [2]) Ita duplex [3]) tam martyrum quam aliorum memoria inducta fuit. Nec vero dissimulo, quin a multis saeculis obtinuerit utraque superstitio. Sed in religione, cuius unicum est fundamentum aeterna Christi veritas, non multum valere debet annorum numerus. Iam de priore videamus. Non recitari tantum honoris causa nomina martyrum, atque ut pro eorum pietate gratias agamus Deo, mediatores iubent, sed ut eorum precibus etiam iuvemur. Ego autem tali commemoratione, quasi profano inquinamento, pollui dico sacram Christi coenam. Nam quum omnis invocatio pura et religiosa esse debeat, tum vero mysterium hoc quum celebratur, reverentiam invocandi Dei eius conspectu augeri decet. Porro, Deum rite orari negat Paulus, donec edocti [pag. 169] simus eius verbo (Rom. 10, 14). Unde constat non esse legitimam orandi formam, nisi quae sit in verbo

1) des plus lourdes absurditez qui leur doyvent quasi crever les yeux.
2) *Postrema haec verba absunt ab exemplari gallico.*
3) triplex *Beza et Amst.*

Dei fundata. Nunc ostendant, ubi nos doceat spiritus ullius vel prophetae vel apostoli vel martyris patrocinium Deo opponere. Hoc principium semper teneamus, nos non recte orare nisi praeeunte Dei verbo. Si ergo sanctorum intercessionem, quam non dictavit, illi ingerimus, profana nostra oratio est.

Audiamus quid contra mediatores. Rationi consentaneum esse dicunt, ut pro nobis orent sancti, qui Deo extra mundum vivunt: teneri enim ipsos Iacobi praecepto: Orate pro invicem, alii pro aliis (Iac. 5, 16). Atqui, hactenus putaveram, epistolam hanc vivis scriptam esse, non mortuis. Hoc certe acumine neminem ferient, nisi valde obtusum. [1]) Eos hortatur Iacobus, qui non doctrina modo sed fratrum quoque precibus sub carnis infirmitate laborantes indigent. In quo numero non sunt iam apostoli aut martyres suis certaminibus perfuncti: cursum enim fidelium morte absolvi Paulus testatur (2 Tim. 4. 7). Sed par est eos nostris malis condolescere. Unde etiam et pro nobis apud Deum intercedere sequitur: quia nec voluntas illis deest, nec facultas. Respondeo, nimis curiose facere eos, qui de mortuorum statu divinant, quod nullo scripturae testimonio proditum est. Temere vero facere eos, qui affirmant. Rogandi sunt moderatores nostri unde illis revelatum fuerit, vivorum necessitatibus conscios esse, quos ab eorum societate mors separavit. Verba Pauli sunt apud Lucam, Davidem quum aetati suae serviisset esse mortuum (Act. 13, 36). Quibus subindicat, non [2]) ministrare nunc a [pag. 170] morte sua posteris. Quin regni Dei complementum expetant, quicunque sunt ex Christi corpore, non nego: sed illis affectus tribuere nostris similes, quasi omnia cernant quae in mundo geruntur, temerarium est, nisi claris scripturae testimoniis monstretur.

Sed hoc quoque urgent moderatores. Oniam enim adducunt et Ieremiam qui mortui pro salute populi protendunt ad Deum manus. Id Iudam Maccabaeum somniasse narrat, fateor, secundus Maccabaeorum liber: sed quantum fidei mereatur Iudae somnium, unde, quaeso, statuemus? Veniam deprecatur historiae illius scriptor, si quid, hominum more, minus commode scribendo deliquerit. Detur ergo illi, quam petit, venia: modo ne quem secum errare cogat. Nobis autem qualiacunque hominum scripta discernere liceat a certis Dei oraculis. Scire tamen velim, cur non Oniae et Ieremiae patrocinium, quod sibi ex scriptura notum esse iactant, potius commendent moderatores, quam Petri, vel Pauli, de quo nihil tale proditum est. Atqui, post-

1) Ceste subtilité qu'ilz ameinent est trop lourde pour toucher des espritz aiguz. Il faudra donc que ilz les trouvent fort espais pour rencontrer.
2) Non *mendose om. Beza et Amst.*

habitis prophetis, recentiores [1]) tantum patronos appetunt et in ore habent. De angelis, pro diversa officii ratione, aliter sentiendum est. Illis mandata est piorum cura et custodia: sollicitos ergo de salute nostra esse oportet, ut Deo pareant. Nec aliud quam iniunctam sibi functionem exercent, pro nobis orando. At has dum peculiariter angelis partes assignat scriptura, piorum animas, quae in Domino quiescunt, ab eorum ordine [2]) segregat. Et sane si earum ministerio ad curandam salutem nostram uteretur [pag. 171] Deus, nihilo de his magis scriptura quam de angelis taceret. Angelos suos omnes pro piorum tutela excubare, Deus pronunciat. Quorsum id, nisi ut maiore fiducia instruamur? Tantundem de sanctis spiritibus dicendum erat, [3]) si vera esset comparatio. Nunc quod tacetur, pro nihilo ducendum est: praesertim ubi de re agitur in primis cognitu utili. Atque, ut demus pro nobis orare apostolos et martyres, implorandum tamen esse eorum patrocinium, perperam inde colligitur. Audit servus Abrahae, adfuturum sibi angelum: sed ubi opus est angeli praesentia, ad eum se minime convertit (Gen. 24, 7). Videt minister Elisei ingentes angelorum copias, ad opem sibi ac magistro ferendam armatas esse (2 Reg. 6, 17): eorum tamen suffragatione, Deum invocans, non nititur. Iterum, memoria repetant pii lectores quod prius dixi, hanc nobis omnibus orandi legem esse impositam, ne quid nisi ex Dei verbo. [4]) Qui autem alios ex coelo intercessores, praeter Christum, sibi advocant, extra verbum Dei vagantur: quare et recte orandi metas transsilire eos dico. Nam quem ex locis quibusdam fucum mediatores faciunt, refellere nullo negotio promptum est. Nomen suum a posteris suis invocari voluit Iacob, inquiunt. Quod sequutus Moises his verbis orat: Memento Domine servorum tuorum Abrahae, Isaac et Iacob (Gen. 48, 16; Exod. 32, 13). Sic et in Psalmo orant fideles Deum, ut recordetur Davidis (Psal. 132, 1). Respondeo, non obscurum esse, quid in benedictione Ephraim et Manasse invocatio significet: [5]) neque enim aliud voluit Iacob, quam ut divini foederis gratia ad nepotes suos iure haereditario perveniret. Promissa erat salus eius [pag. 172] semini, promissionem Deus in manus Abrahae, Isaac et ipsius Iacob deposuerat. [6]) Hoc ergo petit, ut inter sancti populi tribus censeantur. [7]) Nec vero ad hominum personas re-

1) ceux qui ont vescu souz le nouveau Testament.
2) d'un autre rang, c'est à dire d'une autre condition.
3) *Add.* tant des Prophetes et des Martyrs.
4) *Ed. germ. add.* petamus (de proceder iouxte la pure parole de Dieu sans rien attenter d'avantage).
5) le respons qu'on apperçoit assez que signifie Reclamer le nom de Iacob sur sa lignée.
6) *Add.* pour eux et les leurs.
7) *Add.* Cela n'est pas à dire qu'il veuille estre leur patron.

spicit Moises, quum nomina Abrahae, Isaac et Iacob in medium adducit: sed ut se aliosque in promissionis fide confirmet, causam commemorat, cur ipsis oporteat praestari. [1]) Ac si diceret: Domine, non alia quam promissionis tuae fiducia ad te accedimus: quia nos sumus populus ille, cuius te fore Deum Abrahae, Isaac et Iacob patribus nostris es pollicitus. Non est ergo quod nobis oculos perstrictum iri sperent mediatores, tam evanidas nugas spargendo.

Venio ad sanctorum merita, quibus etiam preces nostras subniti volunt. Est quidem hoc aliquid, quod superbam de illis iactantiam mitigant: [2]) hoc tamen minime ferendum est, quod ex Dei liberalitate Christique gratia prodesse ea nobis dicunt, tam ad protectionem, quam gratiae impetrationem. Nusquam hoc illis tribuit verbum Dei. Prosequitur, fateor, gratiam suam Dominus erga homines in millesimam usque generationem, sicuti promisit (Exod. 20, 6): sed stulte hinc inferunt mediatores, redundare in filios patrum merita. Quin potius hic quidam est divinae misericordiae cumulus, ut modis omnibus exundet, quod postquam salutarem manum gratuito porrexit patribus, eam ad posteros quoque extendit. Minimam huius laudis partem a Dei bonitate traducere ad hominum merita, impiae et sacrilegae est malignitatis. Nec eiusmodi errori suffragatur, quod de Davide obtendunt moderatores, in eius [pag. 173] scilicet gratiam Deum populi saepius misertum esse. Quia enim cum Davide sancitum erat foedus in totius populi salutem: hac, ut ita dicam, qualitate induendus est, [3]) si probe volumus intelligere, cur eius rationem potius in servando populo, quam Ezechiae aut Iosiae Deus habuerit. Si perfidis scripturae corruptoribus haec non sapiunt, nihil mirum: sunt tamen ad quassandas diruendasque omnes inferorum machinas valida. Quanquam semper tenendum est illud, quod ante [4]) posui, fundamentum: non aliam esse pie recteque precandi rationem, nisi quae ad divinae voluntatis praescriptum exigitur. Tota autem scriptura non alium Deo mediatorem proponere iubet, quam solum Christum: nec alterius vel patrocinio, vel meritis subniti docet, ut certa fiducia nos ad Dei tribunal sistamus. Atque

1) pourquoy ilz doyvent esperer que Dieu leur face grace de les delivrer.
2) la correction qu'ilz mettent a bien quelque petite couleur: c'est qu'ilz nous advertissent qu'on ne doit point presumer des merites des Sainctz, comme si par leur dignité ilz nous pouvoyent ottroyer grace.
3) *Add.* c'est qu'il ne soit pas reputé comme personne privée, mais comme celuy qui a receu au nom de tous la promesse.
4) *Antiquiores libri ante Gallasium habent:* tantum. *Bene Gallus:* cy-dessus.

ita reperiemus, quisquis alios sibi patronos vel intercessores quaeritat, non esse huius patrocinio contentum. Sollicite ergo cavendum, ne plures aditus captando ianuam illam nobis claudamus, qua sola accessus ad Deum patet.

Centies, si fieri queat, moriamur potius, quam ut nostro consensu in sacrosanctam Christi coenam irrumpat talis profanatio. Nihilo etiam magis concedendum est, quod festis diebus coli mortuos volunt, ut suis nos meritis associent, suaque iuvent intercessione apud Deum. En christiana reformatio, cuius spem faciunt imperitis. Si festos dies quaedam veluti invitamenta esse dicerent, ad colendam virtutum memoriam, quae nos ad imitationem provocet, aliquis sane esset color: sed cultum [pag. 174] institui ex dierum observatione, id quod faciunt, nimis deforme est. Negabunt, scio, hoc sibi esse consilium: sed ex re ipsa iudicium fiat. In unaquaque parochia festum patroni diem celebrandum praecipiunt: nec eo contenti vocant singulares patronos, quibus hic honor deferatur: quum satis constet, non aliter hactenus habitos esse patronos, quam deos [1]) tutelares: an non auribus nostris insonare debet vox illa prophetica: Secundum numerum urbium tuarum sunt dii tui (Ier. 2, 28)? Quam igitur foeda erit nostra ingratitudo, si relicto vitae fonte tales nobis fodiamus cisternas? Si solos prophetas et apostolos evehcrent ad hunc honorem, acriter intercedere deceret, ne ex sanctis Dei ministris idola fierent: nunc ad hanc impietatem accedit nimis insulsa absurditas: quibuslibet enim patronis suos dies festos assignant. Multa porro sunt templa Catharinae dicata, vel Christophoro, vel aliis fictitiis nominibus. [2]) Catharinae aut Christophori precibus, ut iuvetur plebs huius loci, a Domino postulabit. Itane cum Deo ludetur, ut qui nulli unquam fuerunt obtrudantur ad Deum exorandum patroni? Talibus monstris qui fomenta suppeditant, gustumne aliquem unquam habuisse credendi sunt seriae sinceraeque Dei invocationis? Omitto Dominicum et similes carnifices. [3]) Omitto Medardum, Lubinum, et similes eius bestias. Quis enim finis esset, si singulas labyrinthi ambages excutere vellem, in quem nos mediatores pelliciunt? Sed vae bis ac ter eorum perfidiae, qui se tam facile proiiciunt in voluntarium interitum, quem centum mortibus, si centum haberent vitas, propulsare debuerant.

[pag. 175] Superest alter ordo mortuorum, quorum mentionem in coena fieri volunt: [4]) ut detur illis locus refrigerii, lucis et pacis. Non nego hanc fuisse vetustissimam consuetudinem: et quoniam magna est vis consuetudinis, aut potius regnum, ideo eiusmodi preces fateor Chrysostomo, Epiphanio, Augustino et similibus probatas fuisse, quod a maioribus quasi per manus traditae essent. Etsi non existimo, multo ante eorum aetatem, quos nominavi, obrepsisse in usum. Sed quod brevi tempore utcunque invaluerat, nimia facilitate, sine ratione aut iudicio, sequuti sunt. Verum, quia Augustinum moderatoribus libuit citare testem: audiant quantum ipse idem alibi in contrariam sententiam magis inclinet. Recepti sunt in pace, inquit, [1]) sancti patriarchae, prophetae, apostoli, martyres, boni fideles. Omnes tamen adhuc in fine recepturi sunt, quod promisit Deus. Promissa enim est carnis etiam resurrectio, mortis consumptio, vita aeterna, cum angelis. Hoc omnes simul accepturi sumus. Nam requiem, quae continuo post mortem datur, si ea dignus est, tunc accipit quisque, quum moritur. [2]) Si una omnibus est requies, non minus pro quovis ex grege fidelium supervacaneum erit orare, quam pro Iesaia vel Paulo. Atqui, hoc posterius fieri debere, Augustinus [3]) ubique negat. Superest igitur, ut quiete sua, ultra quam nihil nunc melius optari illis potest, sinamus eos frui, nec Dei nomine in precibus non legitimis abutamur. Traditionem apostolicam mediatores esse volunt: idque Dionysii [4]) testimonio probant. Porro, in recitandis eius verbis apostolorum nomen ita furtim [pag. 176] interserunt, ut videatur ab ipso positum. Atqui, divinos illic duces nominat, quos subinde vocat magistros. Deinde, quasi oculos mundo confixerint, epitheto Areopagitae ornant suum Dionysium. De Areopagita [5]) Eusebius aliquoties meminit: quem Atheniensis ecclesiae primum fuisse episcopum dicit: atque ita traditum a Dionysio Alexandrino refert. Sed quidquam ab eo literis mandatum, non dicit: quod certe, si fuisset verum, non erat omissurus. Hieronymus vero, in Scriptoribus ecclesiasticis, [6]) duos numerat Dionysios: Corinthium unum, qui sub Marco Antonino Vero et L. Commodo floruerit: [7]) alterum Origenis discipulum, qui Alexandrinus episcopus fuerit, sub Gallieni imperio. Sed inter eorum scripta, quae diligenter recenset, coelestis vel ecclesiasticae Hierar-

1) idoles.
2) *Add.* sans que iamais il y eust hommes ne femmes qui eussent ainsi esté appellez auparavant.
3) bourreaux ou plustost meurtriers.
4) *Add.* Ce qu'on appelle le second Memento.

1) Homil. in Ioan. 49.
2) *Add.* Voyla les propres motz de sainct Augustin.
3) *Add.* et tous les autres docteurs.
4) de ie ne say quel qu'ilz appellent sainct Denys l'ayant canonizé à leur poste.
5) duquel il est aussi parlé aux Actes.
6) parlant de tous les Docteurs Ecclesiastiques qui avoyent esté depuis les Apostres iusques à son temps.
7) environ cent ans apres la mort de I. C. (*nominibus Caesarum hic et in seqq. omissis*).

chiae, mentio nulla. Quoties ergo citantur libri isti, sciamus ignoti esse scriptoris, et non adeo antiqui, quod et stylus ipse,[1]) et argumentum clare demonstrat. At Chrysostomus apostolis fert acceptum:[2]) nempe, ut alia permulta, quae quum vulgo recepta essent, tamen ignotae erant originis. Damascenum qui legerunt, si unicam habent unciam sani iudicii, non multum eius autoritati deferent. Quis nescit puellis infantibus, quum adhuc a nutricis mamma penderent, veteres eucharistiam dare solitos?[3]) Atque hunc morem procul dubio se ex traditione apostolica habere putabant. Hoc Cyprianus, Chrysostomo et Augustino aliquanto antiquior, dixisset. Perversum tamen fuisse morem, et a Christi institutione alienum, testatur haec Pauli sententia (1 Cor. 11, 28): Probet se ipsum homo, et sic de pane illo [pag. 177] edat, et de calice bibat. Denique posterior aetas non immerito correxit. Quid igitur ex falso traditionis nomine fucum isti faciunt moderatores, quum in simili causa satis ostendant, quod volunt esse sacrosanctum, sibi pluma esse levius? Sed quorsum hic divinare attinet? Extant apostolorum scripta, quae copiose et aperte quidquid in doctrina pietatis erat cognitu necessarium complectuntur. Quin et de mortuis interdum ex professo loquuntur. Pro ipsis orare, nusquam praecipiunt. Quum Thessalonicenses hortatur Paulus (1 Thess. 4, 13), ut luctum in morte suorum temperent, consolationes adhibet, quas sciebat ad hanc rem maxime appositas. Precum nullus sermo, qui maxime fuisset opportunus, si pro mortuis precari liceret. Ad Corinthios scribens argumenta omnia colligit, quibus animas probet a morte esse superstites. Hoc nondum adducit, quod fuisset alioqui validissimum: ecclesiam pro mortuis non frustra orare. Pro quibus ordinarias preces velit in ecclesia concipi, Timotheum admonet (1 Tim. 2, 1). De mortuis illic quoque silentium. Quod si precibus nostris hodie indigent mortui, maior sub lege fuit earum necessitas. Atqui scriptura, quum et luctum et sepulturam et alia quaedam in speciem minuta accurate referat, verbum de precibus nullum facit. Cui, obsecro, credibile erit, spiritum sanctum quod praecipuum erat, oblivisci, dum levioribus insistit? Hinc sane hominibus non contentiosis liquebit, rem[4]) fuisse prophetis et apostolis incognitam.

Sed enim scripturam quoque opponunt mediatores: quia praecipiat apostolus, orare alios pro aliis. [pag. 178] Si quis esset apud eos Dei timor, si qua valeret religio, si quis vigeret conscientiae sensus, poenam certe horrerent, quam impiis scripturae sacrae corruptoribus cogimur imprecari, et quam procul dubio aliquando Deus expetet. Ut vicissim oremus alii pro aliis, Iacobus nos monet, quum ante praecepisset de mutua confessione (Iac. 5, 16). Si comprehendit in hoc ordine mortuos, resurgant oportet, ac confiteantur nobis peccata sua: alterum enim cum altero coniungit. Ego vero Iacobi verba multo aptius in eos retorqueo: quando eos solos, qui communiter laborant, iubet inter se communicare mutuas preces: mortuos esse omittendos, qui iam suis laboribus sunt perfuncti. Iacobus, inquam, non alios precibus nostris commendat, quam qui versantur adhuc in praesentis vitae certaminibus. Contra scriptura beatos pronunciat, qui sunt in Domino mortui, eo quod iam requiescant a laboribus suis. Si ita est, quid illis opitulari queant nostrae preces? Et tamen magnae in fratres crudelitatis, et detestandae in Dominum temeritatis damnare non verentur mediatores, si quis ab orationum nostrarum consortio mortuos excludat. Imo crudelitatis Deum accusent potius, qui, quum identidem nos tam sollicite ad orandum pro fratribus hortetur, hanc doctrinam semper ad vivos restringit. Res certe adeo levis non erat, miseras animas, quae ad opem flagitandam mutae sunt, sublevare, ut praeteriri debuerit. Cur ne verbo quidem usquam attingitur? Praesertim quum toties, tamque diligenter, tam copiose, tam luculenter concionentur prophetae omnes, apostoli, Christus [pag. 179] denique ipse, de officiis caritatis: cur hoc supprimunt, quod inter alia postremum non erat? Iam quae nostra est in Dominum temeritas? Regulam orandi certam tradit. Eam tenemus: nec fas esse putamus, inde vel unguem unum deflectere. At Dominus, inquiunt, nequaquam mortuos a vivis separare praecipit. Imo hoc praecepti vice nobis esse debet, quod quum ubique vivos nominatim exprimat, mortuos segregat ex eorum numero: deinde, quum finitam eorum militiam testatur, non amplius habere auxilio nostro opus significat. Nusquam prohibet Deus, ne pro angelis oremus. An eum detestabitur, qui orandum negabit? Pro apostolis non esse orandum, nec pro martyribus, fatentur ipsi quoque mediatores. Atqui, nusquam legitur prohibitum. Cur in reliquis mortuis tam erit detestanda nostra temeritas? Ipsi vero in spiritum sanctum palam sunt contumeliosi, quem oblivionis in re tam necessaria insimulant. Atque hinc simul apparet, quanta sit eorum moderatio, qui suas detestationes tam futiliter in nos evomunt.

Esto tamen: valeat ecclesiae veteris consuetudo, ut sacerdos in coenae celebratione mortuos Deo commendet: an ideo debent vigiliae, anniversaria et similes nugae retineri? Sic autem placet mediatoribus. Obsecro, si qua eos cura instaurandae

1) et non adeo .... ipse *deest in ed. calv. germ.*
2) *Add.* assavoir que la façon de prier pour les trespassez est venue des Apostres.
3) *Add.* Et pour mieux monstrer que vaut ce tiltre de tradition Apostolique i'allegueray un exemple à ce propos.
4) le Memento de la Messe.

et pietatis et ecclesiae tangeret, ex tanta superstitionum sylva, quibus scatent mortuales,[1]) ut loquuntur, vigiliae, nihil omnino resecarent? Imo, si quid haberent ingenui pudoris, an non verbo saltem attingerent, corrigenda esse quaedam, quae nimis insulsa absurditate [pag. 180] quemvis mediocriter intelligentem offendunt? Foede illic discerpitur scriptura. Miscetur incomposita sententiarum hinc inde temere congestarum farrago.[2]) Denique, quidquid illic fit ac dicitur, crassa est scripturae corruptela. Hoc totum non modo dissimulant mediatores, sed etiam calculo suo absolvunt. Sed audienda est praeclara eorum ratio: Quam immane esset, inquiunt, mortuorum supprimi memoriam, ac si animae una cum corporibus interirent. Ergo quatuor annorum millibus ante Christi adventum et deinceps plus mille annis, quibus nondum erant natae vigiliae, nulla fuit de animae immortalitate fides. Nam certe, si huic blasphemiae subscribimus, omnes qui a mundi exordio fuerunt patriarchae, quicunque sub lege vixerunt prophetae, pii reges et alii, Christus, apostoli, universi martyres, Epicurei erunt: quia nullis vigiliis animas vindicarunt ab interitu.

In carnium abstinentia videntur sibi optime corrigere quidquid hactenus superstitionum fuit: quum temperantiae causa, non abominationis, eam suscipi docent. Si in solo esu carnium omnes essent delitiae, concedi forte posset quod iactant: sed quis nescit in divitum culinis tunc multo lautiores instrui epulas, quum a carnibus abstinetur? Pauperibus certe, qui larido aut bubula[3]) tenuiter victitant, nihil opus est, carnis edomandae causa, carnem prohiberi. Divitibus solis lex ista necessaria est, quae ad frugalitatem eos revocet. Atqui, ut dictum est, nihil minus est prohibitio carnium, quam luxuriae sumptuumque restrictio: tunc enim maxime fumant culinae: tunc [pag. 181] immodici apparatus exundant. Denique, nunquam minus sunt in victu temperantes, quam quum a carnibus abstinent. Bis ergo ridiculi sunt mediatores, qui frugalitatem ita constituunt in abstinentia carnis, ac si nulla essent praeter carnem voluptuosa edulia: ita carni domandae salubre esse remedium fingunt, ac si non suavioribus ferculis feria sexta, quam secunda, mensae refertae essent. Hinc certe plus quam absurdum esse patet, hoc nomine carnes discernere a reliquis cibis: quasi sublato illarum usu cohibita sit luxuries victus, et inventa macerandae carnis ratio: quum potius ipsa ciborum varietas novum sit saturis edendi irritamentum. Verum, ut hoc aliqua ex parte verum sit, superstitiosa tamen esse dierum observatio non desinit. Excusant mediatores, olim ab ecclesia veteri interdictum fuisse carnium esum sexta feria et sabbatho, ut homines tali abstinentia praeparati sanctius ad sacram mensam accederent. Imo certum est ex veteribus historiis, olim nihil tale fuisse iniunctum. Ieiunium, quod Romae sabbatho colebant, tanquam rem insuetam refert Eusebius. Carnis quidem abstinentia paulatim se privata quorundam superstitione insinuavit: ac primo quidem occupavit diem Veneris, hinc ad sabbathum se extendit, donec ex consuetudine lex demum nata est, quae invitos quoque obstringeret.

Sed quia hoc argumentum copiose tractare, non est praesentis instituti, quatuor vitia, quae in hac prohibitione continentur, breviter notare sufficiet. Primum iniuria fit Deo, quum simpliciter, etiam ad [pag. 182] certos dies, esus carnium interdicitur. Carnes non minus quam olera, et pisces, et poma Deus in usum nostrum destinavit. Haec creavit omnia, ut cum gratiarum actione vescamur. Liberum, inquam, omnium usum, modo sobrius sit et frugalis, promiscue nobis permisit. Surgunt postea homines, qui hac nos libertate privant: ne liceat, quod Deus licere voluit. Meminerimus totum genus vetari, in quo multae sunt species procul a delitiis luxuriaque remotae: ut non alio nomine displiceant, nisi quia carnis nomen habent. Deinde, superstitione non caret talis dierum notatio. Honore se Christi mortem prosequi existimant, et sepulturam, qui carnem biduo illo non gustant. Eodem coluntur honore et festi dies: nec Deo tantum, sed apostolis aut martyribus dicati. Si merito reprehenduntur, qui inter diem et diem discernunt (Gal. 4, 10): carnis abstinentiam certis diebus alligare, quis superstitiosum esse non videt? Tametsi quadragesimam non exprimunt: quum tamen sine exceptione consueta ieiunia nova sanctione confirmant, ea quoque in integrum restituitur. Quo autem commendari titulo praecipue solet, nisi imitationis Christi? At si ea est imitatio: cur quotannis repetitur, quum semel tota vita tale ieiunium Christus susceperit? Deinde, si exemplum hoc est quod sequi debeamus, eadem fuit in Moise et Helia ratio. Cur ergo tot sancti reges et prophetae imitationem neglexerunt? Tota certe vetus ecclesia non parvo reatu tenebitur. Cur etiam Dominus ipse, quum adhuc in terris ageret, sui exempli nullam inter discipulos haberi rationem passus est? [pag. 183] Excusat enim eos, quod non ieiunent (Luc. 5, 34). Piget in re tam liquida verba perdere. Nec vero mediatores ipsos fugit, pueriliter errare eos qui primi quadragesimale Christi ieiunium aemulari se putarunt, quum abstinentia qualicunque defungerentur. Quantum enim hoc a dierum quadraginta inedia differebat?[1]) Ad hoc,

1) *Ed. germ. male:* mortales.
2) un tripotage de mille brouetz.
3) de lard ou de ie ne sçay quoy.

1) consyderé qu'il y a bien à dire de se crever une fois le iour et estre six sepmaines sans boire et sans manger.

quale temperantiae exemplum, ubi nec fames est, nec cibi appetitus? Multum enim fallitur, qui Christum tunc luctatum cum fame esse putat, quum edendi necessitate exemptus fuerit. Ieiunium illud non suscepit Christus, nisi post annum vitae tricesimum. Suscepit, quum iam auspicari vellet susceptum a patre munus. Suscepit, ut evangelio non minus acquireret fidei, quam lex prius obtinuerat.[1]) Denique, singulare fuit divinae virtutis specimen, quod et in ipso edi, et quo ipsum ab aliis distingui oportuit.[2]) Contrarium errorem fovere, ut nihil aliud sit mali, christianae sinceritati minime est consentaneum.[3])

Venio ad tertium vitium, quod priora duo superat. Nam et hoc modo conscientiis laqueus iniicitur, et libertas eripitur, non tantum a Domino concessa, sed etiam parta Christi sanguine. Serio nos Paulus admonet (1 Cor. 7, 23), ne servitutis iugum subeamus, renunciantes libertati ad quam sumus vocati. Ea vero non tentatur solum, sed labefactatur tota, quum nobis lex spiritualis imponitur quae conscientias liget. Nam quod civilem cautionem inserunt mediatores, ideo a carnibus interdum arcendos esse homines, ne pecora forte assiduo esu consumant:[4]) in eo se vel pueris faciunt plus quam ridiculos. Scilicet quum hominibus Deus [pag. 184] permisit ut carne quovis tempore vescerentur, parum considerate fecit, hoc periculum non praecavendo. Et optime generi pecuario consuluerunt, qui post quatuor annorum millia cohibuerunt priorem vescendi licentiam. Mirum est autem tam stupidos interea fuisse homines, ut animalium diminutionem non senserint, quae eos ad quaerendum celerius remedium cogeret: praesertim quum magnam copiam sacrificiis absumerent. Sed hoc in praesentia non agitur. Legem enim non politicam, sed spiritualem confirmant, qua necessitas imponitur conscientiis. Hoc nullo modo ferendum esse dico, ut imperium usurpent homines in animas: ut quod Dominus liberum reliquit, illicitum faciant.

Quartum vitium est in falsa cultus Dei opinione. Nam quidquid praetexant mediatores, quaecunque observatio quasi necessaria commendatur, continuo censetur ad cultum Dei pertinere. Cuius rei non est quod longius petamus exemplum. Quis enim non putat religionis partem esse carnium abstinentiam? Atque haec ratio est, cur per hypocrisin mentiri et fallere Paulus dicat eos, qui ciborum prohibitione novam pietatis formam inducunt (1 Tim. 4, 3). Nam quum in cibo et potu non esse regnum Dei alibi doceat (Rom. 14, 17), iure hypocriseos damnat tales de rebus externis sanctiones. Sola, inquam, est interior cordis veritas, quam per se Dominus requirit. Quaecunque vero accedunt exercitia, eatenus probanda sunt, quatenus ipsi veritati serviunt, aut tanquam utilia incitamenta, aut tanquam professionis notae, ut fidem apud homines nostram testemur. Nec tamen interea reiicimus, [pag. 185] quae ad ordinis disciplinaeque conservationem faciunt. Sed ubi laqueo induuntur conscientiae, et religione obstringuntur, in quibus rebus Deus solutas esse voluerat, fortiter reclamandum est: ne et cultus Dei vitietur commentis hominum, et mortalis homo, qui legi subiectus esse debuerat, unici legislatoris tribunal occupet, (Iac. 4, 12), unde conscientiis imperet, in quibus solus Christus regnare debuerat. Denique audimus quid Paulus dicat: Si mortui sumus elementis huius mundi per Christum, indignum esse ut talibus decretis devinciamur (Col. 2, 20). Ne esitaveris, ne gustaveris, ne tetigeris. Atque ubi semel invaluit illa superstitio, ut sibi quispiam nefas esse putet carne vesci, eam protinus sequitur in aliis damnandis audacia: quae quum zeli titulo splendeat, sacrilegio tamen affinis est.[1]) Postremo, nunquam fere abest praepostera illa, de qua conqueritur Christus, inanium, imo nihili traditionum admiratio, ut in earum gratiam irrita fiant mandata Dei (Matth. 15, 9).

Sacerdotibus fit coniugii venia, qualis in ordine militari est, causaria missio.[2]) Siquidem ne qui graviores motus exsistant, ministros, qui iam coniugio sunt impliciti, subito divortio non audent ab uxoribus divellere: restringunt tamen hanc suam indulgentiam ad tempus generalis concilii. Haec duo sunt diligenter observanda, non permitti coniugium ministris, quia probetur: sed tantum seditionum metu: deinde nihil statui, donec concilium definierit. Rationem hanc, cur minus placeat sacerdotum coniugium, allegant: quia teste Paulo, qui caelebs est, melius et solutiore animo curat ea quae [pag. 186] sunt Domini (1 Cor. 7, 32). Audio quid dicat Paulus. Sed an propterea pastores ac ministros ecclesiae cogit ad caelibatum? Imo ne hortatur quidem: nisi quatenus sibi quisque expedire agnoscet. Cuperent mediatores, multos inveniri clericos, qui veram castitatem in caelibatu colerent. Id optandum esse fateor: sed quum aliud experientia doceat, quid prodest frustra cum necessitate luctari?

---

1) *Add.* Moyse avoit esté preservé par miracle, qu'il ne beut ne mangea non plus par l'espace de quarante iours devant que publier la Loy au peuple.

2) *Add.* pour avoir comme une marque à part.

3) Maintenant de nous vouloir faire semblables à luy en cest endroit et nourrir le peuple en cest erreur est-ce chose convenable à la rondeur Chrestienne?

4) de peur que l'enge n'en faille. (*enge id. q. engeance, race.*)

1) *Add.* qui derogue à Dieu.

2) Les Moyenneurs permettent le Mariage aux Prestres souz titre d'excuse telle quelle (*Caett. om.*).

Videmus quo tempore floruit summa inter Christianos sanctitas, ministris ecclesiae non fuisse indictum caelibatum. Apostolos certum est, quum stationem nusquam fixam haberent, maluisse uxores suas circumducere, quam ut eas dimitterent a suo contubernio. Sic enim narrat Paulus (1 Cor. 9, 5). Nec audiendum est puerile illud cavillum, maritos suos ideo sequutas esse, ut publico ecclesiae sumptu simul viverent. Quid enim? Annon poterant ali ex publico, nisi communi mensa vescerentur? Idem Paulus, quum imaginem veri episcopi numeris omnibus absolutam pingit (1 Tim. 3, 2; Tit. 1, 6), dotesque enumerat quibus excellere maxime debeat, caelibatus nullam facit mentionem. Hoc parum est. Nominatim eligendos esse admonet, qui singulis uxoribus contenti fidem coniugalem pudice colant, honesti sint patresfamilias, liberos suos instituant in timore Domini. Hanc esse veram ac solidam episcopi perfectionem, cuius Paulus exemplar praescribit, negari non potest. Quisquis ergo deesse aliquid ecclesiae ministris putat, nisi caelibes vivant, aliud sibi habeat ecclesiae regimen, quam quod nobis filius Dei commendavit. Atque ut minus dubitationis esset, diserte alibi pronunciat spiritus [pag. 187] Dei, honorabile esse in omnibus coniugium (Hebr. 13, 4). Quem locum citando nequiter depravant mediatores. Praetereunt enim id quod praecipuum erat orationis membrum, nempe, in omnibus. Quid enim novi protulisset apostolus, si simpliciter dixisset, coniugium probro carere? Nondum enim talis, vel inter Iudaeos[1], vel inter gentes, superstitio emerserat, quae illud ignominia notaret. Sed quum forte caelibatum morosi quidam homines, tanquam sanctius per se vitae genus, immodice extollerent, quum horribilem Dei ultionem scortatoribus et adulteris denunciat, simul incontinentiae remedium proponit, ut suam quisque uxorem habeat. Ne vero coniugium aspernaretur quispiam, testatur esse in omnibus honorabile. Quo significat, neminem esse tanta virtutum excellentia praeditum, quem non deceat: nec ab ulla functione quantumvis praeclara esse alienum. Unde igitur haec nova sanctitas? Reperiemus profecto a Montano, Encratitis, et similibus esse ortam. Damnati quidem illi fuerunt iam olim: hoc tamen obtinuit Satan ut damnatis hominum personis, impius error dimidia ex parte probaretur. Paulatim deinde crevit superstitio, ut matrimonio sacerdotibus interdicere quidam vellent. Idque fuisse in Nicena synodo agitatum refert Sozomenus:[1]) sed tunc intercessit Paphnutius martyr, qui, quum ipse thori coniugalis expers esset, dixit tamen, castitatem quoque esse, cum uxore propria concubitum. Nunc vero nostri mediatores, ne videantur coniugio nimium iniqui, tolerandos esse admonent ministros, qui adduci non poterunt ut quas [pag. 188] habent uxores repudient. Quanquam sedulo rursum cavent, ne ipsorum causam probare videantur, dum hoc illis concedi volunt, ne si praeter modum urgeantur tumultum moveant. Hoc modo concubina Islebio conceditur, ne ab ea violenter avulsus ad arma conclamet. Dignus certe qui, quum sit inanis gloriae cupidissimus, tale probrum sustineat. Sed miror nullum adeo esse pudorem moderatoribus, ut solvere non dubitent sacram coniugii fidem, nisi periculum a graviore motu esset. Atque hic breviter quod prius attigi repetere iterum cogor. Nam quum hunc honorem deferri sacramento velint, ut contractum temere inter adulescentes coniugium nihilominus ratum maneat, etsi praeter ius et fas initum fuerit: quae ista est desultoria levitas, ut quum de sacerdotibus agitur, sacramento nihil habeant honoris? Nos vero dum audimus ex ore Pauli, diabolicum esse commentum, coniugii prohibitionem (1 Tim. 4, 1. 3): bis diabolos intrepide vocemus, qui, ut hanc tyrannidem defendant, coniugium Dei nomine consecratum profanare conantur.

Quanquam, ne sint nimium liberales, addunt, exspectandum esse concilii decretum. Quid si igitur pronunciet concilium, rata se non habere ministrorum coniugia, an hominum arbitrio protinus fas erit separari quos Deus coniunxit? Hoc sane modo hominum iudiciis Dei institutum, quod merito inviolabile debebat esse, subiiciunt. Nisi prophetas, apostolos, praecipuumque sanctorum pastorum florem expungere velint e numero servorum Dei, sacerdotum coniugium probari a Deo et benedici, [pag. 189] non negabunt. Nunc stat Dei sententia, ut relictis, si opus est, parentibus maritus et uxor duo sint in carnem unam. Quibus verbis significat Moses sanctum adeo prae aliis esse hoc foedus, ut arctissimo etiam eius coniunctionis vinculo praeferatur, quae prima est in natura.[1]) Cuius ergo audaciae est, quod tam severe a Deo sancitum est, pro nihilo ducere? Praeterea ubi caelibatum imperaverint, quis continentiam dabit, nisi palam Christo et Paulo reclamare volent? Singulare esse continentiae donum, adeoque rarum, et paucissimis commune, fateri cogentur. Eo quicunque non sunt praediti, coniugii remedium si respuunt, cum Deo pugnando nihil proficient. Nam ut maxime arceatur externa intemperies, interior tamen libidinum aestus in corde fervebit. Hinc misera conscientiae inquietudo, quae hominem non patietur quidquam tranquillo animo et, quemadmodum loquitur Paulus, ex fide aggredi. Ita fiet, ut tale mox pullulet clericorum semen, quale nobis iam ante multos annos protulit impurus

1) Tripert. hist. lib. 1, cap. 14.

1) *scil. ut Gallus addit:* du filz au pere.

hic caelibatus. Proinde nunquam volentes patiamur iniici ecclesiae laqueum, qui non solum a ministerio arceat pios et alioqui maxime idoneos viros, qui puram mentis et corporis castitatem in sancto coniugio colent:[1]) sed foeda foetidaque scortatorum colluvie totum sacerdotii ordinem inquinet.

Quod ad caeremonias pertinet, quum prope infinita sit earum congeries, et bona pars stultis absurdisque superstitionibus sit referta, eas dum mediatores volunt servari, correctionem leviter uno verbo attingunt.[2]) Quanquam penitus tacuisse praestabat, [pag. 190] quam adeo frivola corrigendi simulatione defungi. Arcanas operationes, quas suis benedictionibus[3]) subesse imaginantur, Deo, non rebus ipsis tribuendas esse, admonent. Quasi vero non hic semper fons omnium superstitionum fuerit, Dei nomine abuti. Si fides eorum dictis habetur, lustralem aquam non per se, sed Dei virtute valere censebimus ad daemones abigendos, propulsandumque quodvis noxae genus. Nominatur hic quidem Dei virtus, sed in aquae guttulam conclusa. Mille alia eiusdem farinae praetereo: quia hinc satis licebit aestimare, quale a nostris mediatoribus veneni temperamentum misceatur.[4]) Sequitur alio loco: ne superstitiosi ad imagines concursus fiant. Atqui, eo ipso cursitandi[5]) licentiam idololatris permittunt: quia si abesse superstitionem excipiant, in definitione haerebimus. Quasi vero in quovis concursu[6]) non sit aperta convictaque superstitio. Quosdam vitii notando alios oblique ab omni vitii nota liberant. En quo sinceritatis studio agantur. Crucibus et vexillis docent non esse exhibendum latriae cultum. Quid hoc sibi vult? Ut fiat quod antehac factum est. Nam papistis haec exceptio commune veluti pharmacum est ad perversos omnes cultus excusandos, dum latriam verbo tantum excludunt. Plus quam futile hoc quidem cavillum est, cultum fingere sine cultu. Neque enim aliud Graecis sonat latriae nomen, quam latinis cultus.[7]) Itaque qui latriam se deferre simulacris negant, quae adorant religionis causa, perinde loquuntur, ac si *ἄνθρωπον* esse hominem negarent, et *ζῶον* animal.[8]) Iam animadvertere, [pag. 191] licet, qualem in una vocula fucum nobis faciant boni viri: quia, modo graeca cultus appellatio removeatur, nec simulacrorum improbant cultum, et imaginicolas blande fovent. Denique, nulla illis idololatria displicet, modo ne latria vocetur.

Qualiscunque subeunda sit nobis, tam apud imperitos quam apud improbos, vel invidia, vel infamia, talibus imposturis acriter resistendum est. Nimis enim cara erit existimatio, quae tam perfidiosi silentii pretio redimetur. Quanquam non famae hic tantum, sed vitae quoque iactura infracto animo facienda est. Interea non metuo, ne qui vere pii sunt, et Dei veritatem, quo decebat studio amplexi, eadem constantia retinent, nimium a me vehementer exagitari putent scelestam hanc impietatum farraginem: quae eo detestabilior est, quod quum fucosae moderationis titulo[1]) venditetur, totam Dei gloriam, una cum Christi gratia et hominum salute, pessumdat.

ITAQUE, quum mihi nuper allatum esset antidotum Roberti Cenalis, ad postulata quae vocat de Interim, initio valde miratus sum, quis hominem malis probandis natum novus genius[2]) impulisset, ut stylum adversus impias istas blasphemias stringeret: quarum debuerat patronum se ex more profiteri. Est hic Robertus, de quo loquor, vetulus Sorbonae theologaster,[3]) et episcopus Abrincensis. Cogitabam equidem homines minus sani cerebri senio non deliros reddi tantum, sed aliquanto etiam morosiores. Sciebam praeterea, quam magistrale sit Sorbonicis doctoribus supercilium, imo quam truculenta pertinacia:[4]) [pag. 192] ut qui non nisi flammis et carnificum manu pugnare soleant. Sed quum ex adverso libellum, quem refutandum susceperat, viderem tot scatere corruptelis, ex tot praestigiis esse conflatum,[5]) nihil relinquere purum aut integrum in pietatis doctrina, multiplices clarae luci tenebras obducere, partim aequare divinis legibus, partim etiam praeferre hominum placita, continere denique totam fere papatus instaurationem: non videbatur consentaneum, ut tam infesto eum impetu aggrederetur Cenalis, unus ex animosis papae satellitibus. Si non erat omni ex parte plausibilis, causa tamen non erat tantopere stomachandi. Quum inter varias suspiciones haesitarem, librum cursim evolvo. Hinc agnosco miserum senecionem, dum materiam pug-

---

1) qui puram . . . . colent *om. in versione, ubi legitur:* comme on l'a veu par experience desia de long temps.
2) qu'on pourra bien corriger celles qui seront par trop absurdes.
3) de l'eaue, du pain, du sel, des cierges et choses semblables.
4) *Add.* couvrant d'excuses frivoles telles abominations.
5) apres leurs marmousetz.
6) courses ou assemblées ou pelerinages qui se font aux images.
7) *Add.* qui signifie reverence. Or en reiettant l'un ilz approuvent l'autre, qui est une grande folie.
8) que *anima* n'est pas à dire ame, et *corpus*, corps.

1) ce fard de Reformation moyenne et moderée.
2) quel vert-coquin luy estoit monté en la teste.
3) un de ces vieux raddotez Sorbonistes, qui a à demy perdu son nom pour ce quil est evesque d'Abranches. *Robertus Cenal s. Senal fuit postea ep. Parisiensis et scripsit inter alia historiam ecclesiasticam Normandiae, historiam Galliae etc. Obiit a.* 1560.
4) quelle fellonie en leur orgueil.
5) estre farcy de tant de faussetez, composé de tant de cautelles malicieuses et comme illusions diaboliques.

nandi venatur, in umbra sua verberanda multum sumpsisse molestiae. Habet hoc prae suis gregalibus eximium, quod in poetarum lectione versatus est. Ex qua saltem hoc profecit, ut non modo orationem farciat multis carminibus, sed etiam scribendo in hemistichia subinde prorumpat:[1]) nec dubito, quin sibi vehementer placeat eiusmodi tinnitu. Nisi enim oblectaretur, non tam anxie in eo elaboraret.[2]) Habebat, quantum suspicari licet, collectos eiusmodi flosculos, quos nisi mature emitteret, videbat perituros: secum vero perire nolebat. Et quum suam gloriam multi cupide in sepulcrum ferant, homo minime scilicet gloriosus, eam apud vivos relinquere maluit. Nam quum scribendi argumentum nullum inveniret, finxit sibi furfuraceum nescio quod monstrum,[3]) cui nomen de Interim imposuit: in quo profligando, [pag. 193] vires suas omnes experiretur. Nam quae Protestantium esse postulata nugatur, vel finxit ipse sibi, vel nasutus quispiam per ludibrium illi obtrusit. Caeterum sive ultro sibi accersivit hoc certamen, sive alius stulta eius credulitate abusus bilem illi acuerit, serio non minus quam misere contra larvam pugnando sudat. Admonitus quidem postea familiariter ab amico, Interim illud, quod impugnat, nunquam a Protestantibus prodiisse, sed a cauponario aliquo scurra, ut plurimae eiusmodi gerrae quotidie volitant, animi gratia fuisse compositum:[4]) suam in credendo levitatem simul ac socordiam rideri maluit, quam laborem tam bene collocatum perdere. Quisquis enim sensu communi erit praeditus, primo statim gustu animadvertet, postulata quae recitat, ab omni veri specie abhorrere. Unde colligere promptum erit, bonum seniculum umbrae suae frustra irasci. Sed hoc sorbonico doctori episcopo minime ignoscendum est, ut nugas a nescio quibus confictas exagitando orbem temere conturbet. Nisi forsan excipiat, quasi privilegio quodam licere, et episcopis ineptire, et Sorbonicis desipere, quia bonae parti iampridem usitatum est.

Porro, librum episcopalem excutere tametsi non est praesentis instituti, facere tamen nequeo, quin ex eo pauca delibem. Citantur illic graves autores, quorum et pondere obruantur, et splendore exstinguantur, et maiestate concidant omnes haeretici: Ivo Carnotensis, Speculator,[5]) Abbas Panormitanus,[6]) Isidorus, Thomas Aquinas, Bonifacius papa, Nicolaus, et similes. Quid ni? Quum ex emptitiis [pag. 194] speculatoris responsis oracula faciat.[1]) Quis tam bene instructo athletae victoriam non despondeat? Ipse vero, non exspectato aliorum plausu festivis subinde acclamationibus triumphum sibi canit. Atque ut Areopagum suum compleat, Cochlaeum etiam illis adiungit: qui quum omnes cochleas hebetudine superet, quanto scilicet masculum praestare decet foeminis,[2]) vocatur hic sagacissimus spirituum discretor. Digni sane ambo, qui mutuum sibi praeconium commodent: nam par morionum ex tota Gallia et Germania deligi aptius vix poterat. Quibus autem de rebus litigat Cenalis? Negat ferendum esse, ut ecclesiae facultates a Protestantibus retineantur. Quid ergo? Vultne legitimum in usum conferri? Imo nec pauperum haberi rationem, nec scholis consuli patitur. Spoliatorum modo restitutionem urget: ut sacerdotum ac monachorum ventres saginentur. Quanto itaque subulcus melior fuisset, quam episcopus, qui tantam porcorum curam habet? Multa transsilio de quibus sine adversario contendit. Tale est, quod prohibet legatum mitti, qui veniam abiurationis faciat Protestantibus. Atqui, per omnes bonos, quibus solis infensus est Cenalis, licebit romano legato domi quiescere. Unum est caput in quo impotenter furit, quum tractat de sacerdotum coniugio. Postquam enim omnia eloquentiae suae fulmina vibravit, hoc est, evomuit quaecunque ab homine protervo et insano excogitari poterant[3]) convicia, tandem ad arma conclamat: ut sanguine potius operiatur terra, quam ut tantum nefas, sicuti ipse quidem interpretatur, aspiciat. Sed [pag. 195] qui fit ut sacerdotum coniugia tantopere quasi incestuosa, sacrilega, impura, disdigama et obscoena detestetur? Respondet: quia iubemur spiritu ambulare, ne carnis desideriis obsequamur. Atqui, dictum illud Pauli ad Christianos omnes sine exceptione pertinet. Videmus ergo ut sanctum coniugium hic canis sacrilego latratu infamet. Nam si caelibes esse nos oportet ut spiritu ambulemus, quis dubitet profligandum esse ex ecclesia coniugium? Hanc[4]) quidem blasphemiam ex Syricio papa suo didicit. Sed quae tanta ipsos rabies agit, ut palam Montano, Encratitis et Manichaeis subscribant?

Exclamat Cenalis, magnam esse improbitatem, magnum flagitium, immane sacrilegium, si in sacrarium legum divinarum luxus et carnales trahantur

---

1) tellement qu'il retombe tousiours sur ses piedz comme un chat.
2) *hoc comma om. in versione.*
3) chasteau de neige.
4) ainsi qu'il se forge tous les iours de telles nouvelles pour gaigner des escotz francz.
5) *Guilelmus Durandus Gallus, Ord. Praed., Clementis IV. Capellanus, postea ep. Mimatensis (Mende, Lozere) obiit a.* 1296. *Iuris canonici peritissimus scripsit Speculum iuris, unde Speculatoris cognomen accepit.*
6) *Nicolaus Tudescus, Ord. S. Bened. et Cardinalis ob.* 1445*: inter alia scripsit commentaria in Decret. et Clementinas.*

1) veu qu'il les appelle Oracles comme venuz du ciel.
2) *Gallus haec tantum habet:* il adiouste aux precedens un badin du tout semblable à luy nommé Cochleus.
3) dont les harangeres se pourroyent adviser.
4) *Sequentia usque ad finem paragraphi absunt a gallico exemplari.*

delitiae. Cur igitur luxum et delitias domi suae grassari ita patitur: nisi forte quod illinc divinae leges exsulant? Sed quis hominem mente esse alienatum non videt, ut sancto coniugio tam petulanter maledicere non vereatur? Quid enim? An patriarcharum tabernacula, aedesque prophetarum ac piorum regum profana quaedam luxus receptacula fuisse dicet? An in apostolorum domibus nihil nisi luxuriosum reperiet? Quae unquam coelestis philosophiae puriora fuerunt sacraria? Atqui, eos fuisse coniugatos legimus. Quin etiam id inter summas eorum laudes spiritus Dei numerat, quod pie et in casta disciplina familias suas educarent. Exclamat rursus: Quis furor, quodve delirium, carnalibus curis ac desideriis eos immergere, qui non nisi puritatem colere debent? Omitto quod diabolica amentia percitus [pag. 196] subinde coniugii honorem scelerate deformat. Sed hoc cuius est furoris, furiosos et deliros vocare, qui in ordine sacerdotali coniugium probant? Quum certum sit, annis plus trecentis in tota ecclesia fuisse probatum. Paulus quum ad exquisitissimam amussim praescribit quales oporteat esse episcopos, nominatim coniugatos laudat (1 Tim. 3, 2). Neque enim dicit, qui fuerint:[1]) sed praesentem statum commemorat. Quocum sibi putat esse negotium, quum in Dei spiritum Pauli ore loquentem foetida sua maledicta eructat? Idem Paulus testis est apostolos, quas habebant uxores, non modo retinuisse in suo contubernio, sed huc et illuc circumduxisse (1 Cor. 9, 5). Tota ecclesia, quum in perfectionis suae flore esset, ne et Deo coniugii autori, et prophetis apostolisque iniuriam faceret, pastores suos maritos habuit et patresfamilias. Quum ducentis fere post annis fanatici homines caelibatum imperare vellent sacerdotibus, sanctus martyr Paphnutius, qui ad extremam senectutem caelebs vixerat, acriter intercessit, suaque autoritate perfecit, ut synodus Nicena liberum sacerdotibus, ut prius fuerat, coniugium relinqueret. Nunc phreneticus iste, cornuum, quae in mitra gestat, fiducia, quasi solem cadere e coelo videat, ad tantum prodigium obstupescit. Et tam exsecrandae in spiritum blasphemiae excipiuntur magno cum plausu. Pergit deinde foetidas suas voces ructando. Nam, ut se Ovidium legisse probet, quod profanus ille de impudico amore dicit, detorquet ad sanctum coniugium: Non bene, inquit, conveniunt nec in una sede morantur delitiae maritales et mens in Deum erecta. [pag. 197] Ergo, secundum hanc pecudem, neque prophetae, neque sancti patres, neque apostoli, neque infiniti martyres unquam animos in coelum sustulerunt. Ergo Moises, cui prae aliis datum est coram et quasi facie ad faciem Deum videre, mente in terram curvata nihil unquam coelestis gratiae gustavit. Eiusdem fere etiam notae est, quod eos viam Balaam sequi dicit, qui sacerdotibus coniugium permittunt. Quasi honestum piumque coniugium in casto Dei timore auspicari, et madianitica scorta populo Dei miscere, pelliciendis ad idololatriam animis, nihil inter se differant.[1]) Nicolaitas praeterea vocat sacerdotes omnes coniugatos: quasi qui in ducenda una uxore variis ac profusis libidinibus quae passim hodie in toto papatu grassantur remedium quaerit, promiscue uxores vulget ac prostituat. Sed negat hic bonus doctor, necessarium esse corrigendae incontinentiae remedium, quod Paulus ex spiritu Dei iniungit. Contendit enim posse, quicunque volunt, ustionis morbo eximi: quia scriptum sit: Omnia possum in eo qui me confirmat. Sed non considerat ex adverso, Christum his solis esse adiutorem, qui vocationi suae obtemperant. Ergo ut victricem illam Christi potentiam in omnibus experiamur, pendere nos ex Dei mandato necesse est: ne quis sibi plus sumere ausit, quam ab illo conceditur. Quid autem Paulus ad haec? Aperte pronunciat, non omnibus communiter dari continendi facultatem: eos vero omnes, qui incontinentiae vitio laborant, ne urantur, ad coniugium se conferre iubet (1 Cor. 7, 9). Quid etiam Christus ipse? Quum apostoli [pag. 198] audita caelibatus laude, beatum vivendi genus esse dicerent, negat omnes esse eius capaces (Matth. 19, 11): quo significat non alios esse idoneos, nisi qui peculiariter a Deo vocentur. Atque hinc satis apparet, nihil minus quam ecclesiasticas esse leges, quae a coniugio arcent quos illuc nominatim spiritus Dei invitat. Certe Apollonius vetustissimus scriptor, teste Eusebio, Montano[2]) exprobrat, quod matrimonia primus solverit, et primus solvenda docuerit. Cuius se discipulos ostendunt, qui nec contrahi volunt coniugia secundum Dei institutum, et quae sic contracta erant, rata negant esse. Porro, ne insanire absque ratione videatur Cenalis, terram mox incolarum multitudine obrutum iri admonet, nisi caelibatu nimia soboles cohibeatur. Perinde hic loquitur subtilis doctor, ac si caelibatus et continentiae nullum esset discrimen. Atqui, omnes norunt propagando hominum generi nullum esse magis foecundum semen quam sacerdotale. Eo enim prorupit indomita omnium fere monachorum sacerdotumque papalium libido, ut castissimus merito censeatur, qui domestico scorto contentus est. Quare, ne terram repleant, non a coniugio prohibendi tantum, sed penitus castrandi erunt. Alioqui fieri non desinet, quod pridem esse factum norunt omnes: ut, pro legitimis duobus, cogatur terra tres

1) il ne dit point qu'on elise ceux qui auront esté mariez, ains qui le sont.

1) *Add.* ainsi que Balaham fut inventeur d'un tel maquerelage.

2) qui a esté un meschant heretique.

alere spurios. Quod nisi Cenalis totum capitis sui acumen in mitra episcopali haberet, nunquam ita se propinasset vel pueris ridendum. Quid enim obsecro risu dignius, quam quum emissarios tauros pinguiter in otio et usque ad saginam pasci iubet, [pag. 199] ne soboles nova succrescat? Verum hoc maioris etiamnum amentiae est, quod quum benedictionem suam Dominus vocet humani generis propagationem, Cenalis quasi infelicem strumam scalpello resecari praecipit: et quasi fortuito gignerentur liberi, timet ne supra iustum modum excrescat numerus. Sed digna est sacrilega talium hominum superbia, quae se in extremas quasque absurditates praecipitet. Nam si tot monstruosis nefandarum scortationum exemplis sancti coniugii contemptum ultus est Deus: quanto graviore supplicio digni sunt contumeliosi isti insultus, quibus bacchatur importunum hoc animal? Caeterum, ut nomini suo respondeat Coenalis,[1]) iterum ad culinam revolvitur. Nam si homini solitario vix tria, inquit, sacerdotia sufficiunt, quomodo numerosae familiae unum sat erit? Nisi plus quam vecors esset, annon cogitaret in promptu esse responsum: non modo optimum fundum esse parsimoniam, cui magis patresfamilias assuescunt, sed istis solitariis, quos iactat, multo semper amplius esse sodalitium?[2]) Frugaliter cum uxore et liberis vivet maritus, ut ex tenui quoque reditu aliquid supersit: at sacrifici papales, priusquam meretrices, spurios, lenones ac lenas expleverint, multo uberiores absumpti erunt proventus, quam qui multis honestis familiis pares fuissent. Quid profusos luxus enumerem, in quos quidquid undecunque rapere possint vel radere, tanquam in gurgites inexhaustos proiiciunt: ut videantur tantum ad perdendam pecuniam ingeniosi? Nam quo magis abundant, totum fere orbem [pag. 200] immergunt suis corruptelis.[3]) Porro, ut se tribeneficiariis suis venditet, vertiginosos appellat, qui unum singulis sacerdotium assignant. Certe, o bone pater, aut ebrium, aut bene saturum fuisse te oportet, quum tanta vertigine percitum tibi cerebrum fuit, ut ordinem hunc improbare auderes, quem audacissimi quoque et improbissimi non modo fateri coguntur esse rationi consentaneum, sed tanquam a natura dictatum servari praecipiunt.

Postquam scelestus hic nebulo, quidquid unquam in sua Sorbona haurire potuit blasphemiarum in Deum evomuit, demum, sublatis cornibus, thrasonicam iactantiam efflat: se in arenam descendere paratum, vel si ad sanguinem usque pugnandum sit. Equidem, ut est homo sanguinarius, non dubito, si trucidandi essent omnes Dei servi, fundendusque innoxius virorum pariter ac mulierum sanguis, quin se libenter antesignanum praebeat: suo autem parcere didicit. Caeterum, quum hunc Cyclopem[1]) videamus, non minus rigida pertinacia ad oppugnandam veritatem insistere, quam rabioso adversus eam odio flagrat, plus quam turpes flagitiosique sumus, si in confessione sincerae fidei minus ostendimus constantiae.

Atque[2]) ut ad reformationis adulterinae fucum revertar: quum perspicuum sit, totam illic sanae doctrinae sinceritatem corrumpi, quisquis eo sibi oculos illini sinet, quomodo se Christianum probabit? Video equidem, quae pericula omnibus proposita sint, qui ingenue Christum confiteri volent: quanta apud imperitos invidia urgeantur: quanta in futurum tempus infamia eos maneat. [pag. 201] Sed iam ante admonui, nihil tanti esse, ut deflectamus ab ea doctrina in qua et Dei gloria et totius mundi salus continetur. Nam quoscunque hinc inde praetextus sibi conquirant, qui ad excusandam suam mollitiem plus hodie sunt ingeniosi quam par esset, nimis tamen indignum est, maiorem a nobis propriae famae rationem haberi quam Dei gloriae: magis nos a stultis et temerariis hominum opinionibus pendere, quam in Christum respicere unicum coeli terraeque iudicem, adeoque in angelos et sanctos omnes qui eius sententiae subscribunt: beatam illam immortalitatem, quae nobis promissa est, ac in coelis reposita, mundo et huic caducae vitae a nobis posthaberi. Iam tempus postulat, ut fidem nostram, quam antehac lingua et atramento sumus confessi, sanguine quoque nostro obsignemus. Iam pridem, si rite profecissemus in Christi schola, debueramus in hac meditatione esse exercitati. Hoc enim primum veluti tirocinium est, quo suos erudit: ut se ipsos abnegantes, tollentesque crucem suam, ad mortem indefesso cursu properent. Nunc perinde novi sumus ad subeunda pro evangelii testimonio pericula, ac si nullum unquam filius Dei hac de re, quam assidue inculcat, verbum fecisset. Quum olim Caius Caligula[3]) statuam suam Hierosolymis in templo collocari mandasset, Iudaei undique quasi apum examina, non ut vi et manu impedirent tale sacrilegium, sed ut cervices suas gladiis opponerent, pro vendicanda templi maiestate, concursum ad praesidem fecerunt. Neque subitus ille animorum impetus fuit, qui statim resideret: sed quoties de templi [pag. 202] profanatione agebatur, innumera prope tam mulierum quam virorum

1) Attendu que le nom de Cenalis vaut autant que Souppier, afin de monstrer qu'il n'est pas ainsi appellé sans propos *etc.*
2) sont tousiours plus accompagnez que les gens mariez.
3) La gresse trop abondante qu'ilz ont a corrompu tout le monde.

1) ce gros barbare.
2) Sed. *Beza et Amst.*
3) *Gallus hic Iosephum testem adducit.*

turba, sui oblita, alacriter se ad mortem offerebat: ut non nisi per stragem corporum suorum via idolo pateret. Et nos non lapideum iam templum, in quo Deus invocetur, habentes, sed filium Dei, in quo tota patris maiestas habitat, silentes ipsum patiemur adeo turpiter violari? Idolum enim erigitur, non quod externam sacrarii speciem deformet, sed quod totam ecclesiae sanctitatem inquinet ac pervertat: quod labefactet totum Dei cultum, nihil in religione nostra impollutum relinquat. Si ad propiora tempora descendimus: quot martyrum millia adversus praesentissimos mortis terrores invicta fortitudine perstiterunt? Quid de terroribus loquor? An non morte ipsa intrepide testati sunt, aliam se vitam et quaerere et certo sperare? Ac tunc quidem simul atque exigua lucis scintilla hominibus emicuerat, totum cor inflammabat tanto coelestis vitae desiderio, ut vitam hanc facile mortemque contemnerent. Nunc quum plenus intelligentiae fulgor nobis illuceat, nihil fere cordis apparet. Et salutem speramus ex evangelio, pro cuius veritate asserenda nemo vult periclitari? Itaque, haec plus quam perfida ignavia, quam anni unius experimentum prodidit, documentum est nimis luculentum nostrae ingratitudinis: ut iam non amplius quaerenda sit ratio, cur in tot urbibus atque provinciis puritas christianismi concidat. Cur enim inaestimabili Dei beneficio diutius fruerentur, qui pro nihilo ipsum duxerunt? Haec ideo dico, ut quicunque aliquo pietatis sensu [pag. 203] tanguntur, quasi extenta Dei manu ad mortem se vocari meminerint. Ac ne animi deficiant, beatius multo sibi esse non dubitent, laboranti perculsaeque ecclesiae se ultro adiungere socios, quam nimium sibi cavendo, privataeque tranquillitati consulendo, sortem appetere a filiis Dei segregatam. Dicebat ille,[1]) quum mors esset prae oculis, se nihilo minus senectutis fiducia esse liberum: etiam ubi non erat tam necessaria libertas. An apud nos pro gloriae Christi patrocinio minus futurae vitae valebit aeternitas, quam apud illum praesentis vitae brevitas valuit? Pudeat nos quoties illam mulieris vocem audimus quae inducitur ab ethnico poeta: Usque adeone mori miserum est? si in testanda fide nostra, ubi discrimen aliquod se ostendit, suspensi haesitamus. Ego vero, ut mihi satis conscius sum meae imbecillitatis, ita Dei subsidio fretus, re ipsa, quum usus postulabit, me ostensurum confido, quam serio crediderim ac credam, beatos esse, qui in Domino moriuntur.

1) On raconte d'un ancien Payen *etc.*

Exiguum fermentum totam massam corrumpit. 1 Cor. 5.

Quousque claudicatis in utramque cogitationem? Si Dominus est Deus, sequimini ipsum. Si autem Baal, sequimini ipsum. Heliae nihil respondit populus. 1 Reg. 18.

Saltem ergo taciti gemant, quos sua conscientia convictos tenet: nec obstrependo malum plus satis grave augeant.

APPENDIX LIBELLI ADVERSUS INTERIM ADULTERO-GERMANUM, IN QUA REFUTAT IOANNES CALVINUS CENSURAM QUANDAM TYPOGRAPHI IGNOTI, DE PARVULORUM SANCTIFICATIONE, ET MULIEBRI BAPTISMO.

Annus iam fere praeteriit, ex quo mihi indicatum fuerat, libellum meum De vera genuinaque ecclesiae reformatione, qui ex typographi nostri officina primum iussu meo prodiit, fuisse rursus in Germania excusum. Atqui nunc demum, serius quam oportuit, admonitus fui corruptum esse et mutilum illud germanicum exemplar: neque id modo, sed additam simul censuram fuisse, in qua atrociter proscindor. Quando typographus nomen suum subticet, cum quo expostulem, non habeo. Neque id etiam multum referre arbitror. Quispiam forte bene potus, vini aut cervisiae suae fumos in me exhalavit. Fieri etiam potest, ut aliquis turbulento cerebro, etiam ieiunus, impetum in me fecerit. Verum, hominem, quisquis tandem est, omitto. De re si agitur, haec certe indignitas est non ferenda, quum ego fideliter ac serio in opus aliquod incubui, librarium ignotum arbitratu suo conscindere quidquid non arridet, ac scriptum lacerum pro integro venditare. Quanquam ne cui privatam [fol. 2] causam agere videar, ab hac quoque querimonia supersedeo. Tantum quod totius ecclesiae interesse arbitror, quia dissimulare fas non est, breviter attingam. Hoc citra arrogantiae notam mihi, ut spero, per bonos omnes licebit gloriari, labores meos ecclesiae Dei mediocriter esse utiles. Nunc si pravi et impii dogmatis maculam illis aspergi patiar, multum de fructu, quem inde colligere poterant filii Dei, imminutum iri video. Tacendo itaque minorem, quam par erit, publicae utilitatis rationem a me haberi ostendam: praesertim ubi in grege Domini numerantur qui me traducunt. Professos enim hostes parum moror, a quibus haereticum me vocitari necesse est, si Christianus haberi velim. Fateor quidem, hoc quasi fatale esse Christi servis, ut bene agendo male audiant. Neque vero mihi recusanda est haec conditio, ut cum Paulo per infamiam et bonam famam progrediar. At quoties locus et facultas datur, non est negligenda bonae causae defensio. Deinde quum mihi probe constet, sanam esse, et ex puro Dei verbo sumptam doctrinam quae oppugnatur, mihi eius patrocinium deserere, quum a me semel tradita fuerit, iam non est integrum. Hac enim lege doctrinae suae ministros Dominus nos constituit, ut non minus eam constanter tueri iubeat, quam fideliter tradere.

In libello meo ita ad verbum loquutus eram: In baptismo breviter [fol. 3] annotare operae pretium est, melius potuisse omitti, quod de praecisa eius necessitate commemorant. Praeterquam enim quod externis signis perperam alligatur animae salus, iniuria fit non levis promissioni; ac si minus ad praestandam quam offert salutem, nisi aliunde adiuta, sufficeret. Sancta ideo nascitur ex fidelibus progenies, quod adhuc utero inclusi ipsorum liberi, antequam vitalem spiritum hauriant, cooptati tamen sunt in foedus vitae aeternae. Nec sane alio iure per baptismum aggregantur in ecclesiam, nisi quia ad corpus Christi iam ante pertinebant, quam in lucem ederentur. Alienos enim ad baptismum qui admittit, ipsum profanat. Nunc ergo qui ita necessarium statuunt baptismum, ut a spe salutis excludant, nisi qui eo tincti fuerint, tum in Deum sunt contumeliosi, tum se quoque ipsos implicant magna absurditate. Nam a Christo alienos sacra Christi nota insignire, qui fas esset? Baptismum ergo praecedat adoptionis gratia necesse est: quae non dimidiae tantum salutis causa est, sed eam ipsam salutem in solidum affert, quae deinde in baptismo sancitur. Hinc, ut error alius ex alio scaturire solet, baptizandi munus, quod solis ecclesiae ministris peculiariter mandavit Christus, non ad unum modo quemlibet ex plebe, sed ad mulierculas etiam delegant.

Hunc locum sic exagitat larvatus censor, ut crassum Pelagii errorem a me renovari pronunciet.

[fol. 4] Ipse vero nimis crassus, qui lucem a tenebris non distinguit. Pelagius supervacuum infantibus baptismum putabat, quia eos fingebat a peccato immunes. Imo nulla illi proprie de paedobaptismo disputatio erat. Sed quum ad probandum originale peccatum obiicerent sancti patres ecclesiae consuetudinem in pueris baptizandis, atque inde colligerent, omnes Adae posteros reatum aeternae mortis ex utero secum afferre: hoc extremum homini praefracto asylum fuit, non indigere baptismo infantes, quia sine peccato nascantur. Quid obsecro Pelagii errori in meis verbis affine reperietur? An ego a peccati reatu eximo pueros? An illorum salutem in originali, ut loquuntur, iustitia, et naturae integritate colloco? An illos gratuita Dei misericordia in ecclesiam recipi nego? An non ubique ipsis quoque remissionem peccatorum esse necessariam contendo, eamque baptismo obsignari profiteor? Iam satis constare arbitror, quanta sit censoris inscitia, qui Pelagii errorem, in tam diverso loquendi genere se deprehendisse iactat. Certe vel Augustini scripta nunquam attigit, vel non tantum habuit iudicii, ut quaenam esset Pelagii opinio animadverteret. Ego tamen potius existimo, ab homine antiquitatis imperito, veteris haeretici nomen ex vulgari fama auditum crepari.

Neque in eo minus peccat, quod non observato quaestionis statu [fol. 5] temere argumenta sua in ventum spargit. Si quis paedobaptismum acriter et validis rationibus hoc tempore defendit, ego certe unus sum ex numero. Nec de causa aut fine controversia est, quin ideo baptizentur, ut insiti in Christi corpus liberentur ab aeterno interitu, peccati, quod illis natura ingenitum est, remissionem obtineant, induantur gratuita iustitia. Huius rei luculentum mihi testimonium reddit mea Institutio, Catechismus, Solennis formula, quam ego in quotidianum ecclesiae nostrae usum composui. Qua igitur in re dissensio est? Nempe quod praecisa necessitas, quam vulgo nimium urgent, a me improbatur: Puerum, si morte repentina abreptus offerri per tempus ad baptismum non potuerit, arcendum propterea a regno Dei non concedo. Vim baptismi non extenuo: non obscuro legitimum ipsius usum: tantum animae salutem alligari signo non patior, quin Dei promissio sufficiat. Liberi enim fidelium iam antequam gignantur, adoptati sunt a Domino, quum dixit: Ero Deus vester, et seminis vestri (Gen. 17, 7). Hac promissione contineri infantium salutem, certo certius est. Cui vero illa non sufficit, is Deo atrocem facit iniuriam: neque enim veracem ipsum agnoscit, quum servandi efficaciam detrahit eius verbo. Et Christi responsum controversiam hac de re dirimit. Nam si vere colligit, Abraham a morte esse superstitem, quia is qui [fol. 6] vivorum non mortuorum Deus est, se Deum Abrahae pronunciat (Matth. 22, 32): eadem ratione conficitur, genuinos Abrahae filios, etiam prius quam nascantur, vitae aeternae esse haeredes, quando in eodem ipsos gradu collocat Dei promissio. Meminerint ergo lectores, non hic disputari, an baptizari infantes necesse sit, nec vocari in dubium, an baptismo inserantur in Christi corpus, an illis sit lavacrum regenerationis, an peccatorum veniam obsignet: sed tantum de praecisa necessitate moveri quaestionem. Meminerint, quo argumento contendam, eos sine baptismo salutem posse consequi: nempe, quia per se satis efficax sit promissio, quae adhuc in utero inclusis vitam assignat. Huc pertinet, quod Paulus sanctos, honoris causa, eos nominat (1 Cor. 7, 14): significans ipsos a communi hominum semine, iure foederis segregari.

Alterum argumentum adduco: quod externis signis minime alliganda sit animae salus. Quid enim Christi sanguini residuum fiet, si in aqua vitam spiritualem includimus? Addo praeterea: Ideo baptizari infantes, quia domestici sunt ecclesiae. Hoc enim iure nititur paedobaptismus, quod iam Deus suos agnoscit, qui nostro ministerio illi offeruntur. Unde et suos olim vocabat, quicunque ex Israele ducebant originem. Ac merito: sancta enim erat progenies, ut Paulus docet, Rom. 11, 16.

Haec omnia dissimulans censor, [fol. 7] primum hac ratione contra insurgit: quod non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis aut viri, sed ex Deo nascamur in spiritualem vitam: quod non nisi caro ex carne descendat: quod omnes nascamur filii irae. Quasi vero negem, maledictum natura esse totum Adae genus, adeoque infantes ipsos, antequam in lucem prodeant, mortis aeternae reatu teneri implicitos. Sed in eo nimirum fallitur quod inter vitium naturale et remedium aliunde proveniens non discernit. Nec vero novam solutionem nunc ex tempore comminiscor: sed referam duntaxat, quod ante annos quatuor a me proditum est. Sic enim in septimum caput prioris ad Corinthios epistolae loquor: Qui conveniet haec sententia, sanctos esse piorum liberos, cum eo quod alibi tradit: Omnes esse natura filios irae? Item cum sententia Davidis: Ecce in peccato conceptus sum? Respondeo, universalem esse propagationem peccati et damnationis in semine Adae: omnes igitur ad unum sub hac maledictione includi, sive ex fidelibus, sive ex impiis descendant. Neque enim spiritu, sed carne, liberos suos generant fideles. Aequalis itaque est in omnibus naturae conditio, ut sint tam peccato quam aeternae morti obnoxii. Quod autem liberis fidelium speciale privilegium tribuit apostolus, id fluit ex beneficio foederis: quo superveniente deletur naturae maledictio: et Deo per gratiam consecrantur, [fol. 8] qui natura profani erant. Sic ego illic ad verbum. Institutio quoque nostra pleniorem eius rei explicationem

continet: sic enim alicubi loquor: Quum scriptum sit, nos omnes esse natura filios irae, ac in peccato conceptos, cui damnatio adhaeret: e natura nostra demigremus oportet, antequam in regnum Dei aditus nobis pateat. Et quid dici clarius potest, quam carnem et sanguinem regnum Dei possidere non posse? Aboleatur ergo quidquid nostrum est, tum possessionem hanc cernemus. Inde colligo, regeneratione opus habere infantes. Sed hanc ex promissione gratiam illis provenire contendo: baptismum vero, sigilli instar sequi. Denique hoc passim inculco, supernaturale esse privilegium, quod a reatu eximuntur. Quanquam censori haec solutio ignota esse non debebat, quum ex Augustino eam sumpserim.

Quod Ioannes Baptista ab utero sanctificatus est, inter alia quae illic narrantur miracula referendum esse dicit. Assentior: neque ego hoc testimonio in praesenti causa usus sum. Alibi contra Anabaptistas adduco, ex quorum numero tametsi hunc non puto esse, tamen, ut inconsiderati homines solent, se in malam suspicionem temere proiicit. Porro quasi duos iam profligaverit errores, postquam temere effutivit Pelagii nomen, et ex Paulo recitavit, omnes esse natura filios irae, ad tertium errorem se descendere [fol. 9] profitetur. Quisnam vero hic error? Quod baptismum, si alienis conferatur, profanari dico. Atqui, si censori negotium foret cum Anabaptista, eandem mecum rationem adduceret, iure conferri baptismum pueris, quos Deus in foedus suum adoptavit. Quid ergo absurdi in re prorsus confessa invenit? Excipit scilicet, nos quoque fuisse alienos et ex gentibus peccatores: fuisse tamen baptizatos Christi mandato: qui non sanctos tantum vel sanctorum filios, sed omnes gentes baptizari iussit. Certe hic bonus pater, secure, ut video, in umbra vini aut cervisiae philosophari solitus, eandem confidentiam longius spargere voluit. Sed expendere debuerat, quo sensu profanari baptismum dicam, si alienos promiscue ac domesticos ad eum admittimus. Et vero id ex Christi mandato, quod citat, evincere promptum est. Christus omnes iubet baptizari, inquit. An non prius vult evangelium praedicari? Hunc enim ordinem commendat apostolis, ut doceant ac baptizent (Matth. 28, 19). Ergo evangelii doctrina, qui prius alieni erant, inseruntur in ecclesiam. Ita Paulus docet, quum Iudaei, qui naturales rami sanctae radicis erant, defracti fuerint, gentes tanquam sylvestres oleastros, fuisse in illorum locum insitas (Rom. 11, 20). Quo modo hoc? Nempe per evangelium. Absurde ergo censor noster, qui membrum unum decerpit: imo, quae a Christo coniuncta erant, divellit ac lacerat. Quare breviter [fol. 10] respondeo: vocari quidem ad baptismum, Christi voce, alienos: sed prius evangelii praedicatione cooptari in familiam. Ita ante domesticus erat Abraham, quam circumcisionis signum accepit. Quod ad minores natu attinet, quia illos etiam comprehendit Deus in foedere, non alieni iam reputantur, sed gratiae sunt haeredes. Quemadmodum et ex Petri concione discimus. Quid autem hac de re prius tradiderim, testis est mea Institutio, ubi ad verbum sic habetur: Cur in Abrahamo fidem circumcisio sequitur, in Isaac filio omnem intelligentiam praecedit? Quoniam eum, qui adulta demum aetate in foederis societatem recipitur, a quo fuerat hactenus alienus, eius conditiones antea perdiscere aequum est: infantem vero ex eo progenitum non item, qui haereditario iure, secundum promissionis formulam, iam a matris utero in foedere continetur. Aut, quo res clarius ac brevius indicetur, si fidelium liberi, citra intelligentiae adminiculum, foederis sunt participes, non est cur ob id a signo arceantur, quia in foederis stipulationem iurare nequeunt. Qui vero infidelis est, impiis ortus parentibus, donec per fidem Deo uniatur, a foederis communione extraneus censetur. Itaque nihil mirum, si nec signo communicet, cuius significatio in eo fallax inanisque foret. Non aliorsum haec refero, nisi ut cuivis appareat censoris confidentiam ex mera inscitia proficisci, [fol. 11] quia mentem meam non sit assequutus. Hinc refellitur alterum obiectum: Christus sanis opus non esse medico dixit (Matth. 9, 12). Fateor sane: et ideo non aliter quam eius gratia restitui sanitatem doceo, tam parvulis quam adultis. Sed qui in aqua sola quaeri volunt medicinam, quid ipsi Christo, quid eius sanguini, quid evangelio, quid spiritus virtuti faciunt reliquum? Porro non alia de re mecum litigat censor, nisi quia restituendis in vitam parvulis, ubi mors subita baptismi facultatem illis aufert, remedium in promissione, quam proprio sanguine Christus sancivit, efficax plenumque esse doceo: ille autem salutis spem praecidit, nisi ab externo elemento petatur. Quaerit an Iudaeo vel Turcae negandus sit baptismus, si eum postulent. Hic nemo non videt, quam crasse hallucinetur, qui alienos fingit, quibus fidem assignat. Quid autem secum ipse deliret, nihil moror. Verum stulte hoc argumento me aggreditur, qui ubique doceo, fide eos omnes, qui alienissimi fuerant, in Dei familiam et Christi corpus coalescere. Neque tamen id obstat, quominus per baptismum quoque in ecclesiam solenni ritu aggregentur: quo magis rata sit eorum insitio, dum sigillum in eius confirmationem accedit.

De papistarum liberis expedita est responsio. Quod iure eos baptizari pro confesso assumit, libenter illi concedo: sed falso existimat, extraneos ideo a me censeri, [fol. 12] quia neque ex patre sancto geniti, neque ex sancta matre nati fuerint. Neque enim propterea sanctorum filii esse desinunt, quum

longius ducenda sit originis series. Neque enim in uno gradu consistit Deus, sed vitae promissionem in mille generationes diffundit. Ita Paulus, dum ex radice sancta ramos esse sanctos colligit, et conspersionem in primitiis consecrari docet (Rom. 11, 16), qualis unicuique fuerit pater, non reputat: sed omnes agnoscit sanctos, qui ex Abraham et reliquis patribus fuerant progeniti. Quaerit an non pius fieri possit impii hominis filius. Et mox exclamat, nihil hoc errore crassius fingi posse. Ego vero sine exclamatione placide ipsum moneo, ne posthac in tantum fervorem, nulla causa incitatus, prorumpat: nam de eo inepte certamen movet, quod verum esse omnes fatentur.

Quod profanari baptismum dico, si alienis conferatur, perinde valere existimat, ac si quis aegrotum non esse curandum diceret, quia aegrotus est. Tametsi aliquid haberet coloris haec similitudo apud imperitos, breviter tamen ostendere promptum est, quam sit intempestiva. Domesticos enim appello, non qui sani sunt, ut Christo non indigeant: sed qui in se mortui, vitam in eo quaerunt. Sicuti per alienos non intelligendi sunt, quicunque alienati sunt a Deo per peccatum, sed quos a regno suo adhuc arcet, ut nostrum ministerium se ad eos usque non extendat. [fol. 13] Tales vero sunt omnes, quibus non destinatur baptismus, Christi mandato: sed haec omnia ex uno ignorantiae fonte manant, quod nunquam intellexit censor, qui immundi sunt natura, eosdem foederis beneficio sanctos esse: qui exsulant a regno Dei ob peccatum, iure adoptionis propinquos esse Deo: qui aeternae morti obnoxii sunt, imo, penitus in Adam mortui, benedictionem ex hoc verbo consequi: Ero seminis tui Deus: ut vitae coelestis sint haeredes. Denique, nunquam expendit quale inter Christianorum et Turcarum liberos esset discrimen. Accedit etiam altera perinde crassa naturae efficaciaeque baptismi ignoratio: nam si hoc illi modo in mentem venisset, baptismum verbi esse appendicem, hoc ipsum de quo litigat, vidisset sequi: non esse signi capaces, nisi qui iam verbo sanctificati fuerint.

Ex eodem principio fluit et istud delirium, quod mulieres facit baptismi administras in casu, ut vocat, necessitatis: me vero, qui hanc alieni muneris illicitam esse usurpationem dico, toto errare coelo superciliose pronunciat. Haec vero non gravis literati hominis censura est, sed barbara hominis mechanici licentia, adeo superbe hominem non male de ecclesia meritum damnare. Toto coelo errare Calvinum, ignotus et sine nomine typographus censet. Quantum ponderis habitura est gigantis huius autoritas, nullis rationibus suffulta? [fol. 14] Caeterum, quia vetus ac tritum proverbium est apud imperitos, communem errorem haberi iuris loco: haec autem opinio temere concepta sub tenebris papatus ita obtinuit, ut vix hodie ex multorum animis revelli queat: quam frivola sit et absurda, paucis verbis ostendam. Mulieri ius munusque baptizandi ordinarium non competere fatentur omnes: necessitatem excusant, si immineat mortis periculum. Sed unde hoc persuasum habent, nisi quia libet ita credere? Nec vero me fugit, necessitatem, quam fingunt ex Christi verbis solere colligi: Nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu, non intrabit in regnum Dei (Ioann. 3, 5). Nempe simili olim errore ducti, infantibus panem eucharistiae et calicem ingerebant: quia scriptum est: Nisi carnem filii hominis comederitis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis (Ioann. 6, 53). Atqui, hodie ne papistae quidem, quamlibet caeci sint, ad hunc secundum lapidem impingunt. In baptismo nescio qui factum sit, ut absolutam necessitatem constituerent. Quanquam hoc absurdum, quod quum in adultis aliquam adhibeant moderationem, solis infantibus se inexorabiles praebent. Adultae aetatis hominem sine baptismo salvum fieri posse concedunt, modo votum adsit. Cur ergo infantem recens natum pia parentum vota eximere a reatu non poterunt? Caeterum, Christi verba aliorsum trahunt, [fol. 15] quam intelligi debeant. Primum, totam fere illam concionem allegoricam esse constat. Verum, ut illud omittam, si quis integro iudicio locum hunc expendat, nullam fieri baptismi mentionem, facile animadvertet. Sed hoc mali est, quod qui temere arripiunt vocem aquae, praesumpta opinione delusi, nihil postea iudicant. Porro, mihi non aliud significat aqua et spiritus, quam spiritus et ignis: nam ut hic posteriore loco nomen ignis vice epitheti ponitur: ita priore illo aquam puto vocari spiritum, quia vim officiumque aquae habeat. Alii spiritum et aquam, ut subtilia elementa, terrae opponunt. Et quidam ex veteribus aquam interpretantur carnis mortificationem. Horum certe utrumque magis tolerabile, quam symbolo alligare hominis salutem.

Non agitur hic de necessaria baptismi observatione: nam infantes baptizandos esse inter nos convenit: ut libera non sit signi omissio. Sed ubi filium libenter parentes ad baptismum offerrent, si morte praeripitur, an desperanda sit eius salus, quaestio est. Qui perditos esse volunt omnes quibus aqua tingi non contigit, nimis maligne sentiunt de Christi regno: sub quo restrictiorem Dei gratiam esse fingunt, quam olim sub lege fuerit. Quia fas tunc non erat ante octavum diem circumcidere, si quis puer triduo post natalem suum mortuus esset, nulla erat noxa: [fol. 16] si quidem foedus et promissio illi in ius adoptionis satis erat. Nunc quum dies praescriptus non sit baptismo, qui nec contemptu, nec negligentia signum praeteribit, plus quam absurdum est Dei beneficio fraudari, quo Iudaei sub lege potiebantur. Alioqui, venisse Christum non ad

implendas, sed abolendas promissiones dicemus, quando promissio quae ante ad salutem conferendam per se valebat, nunc absque signi adminiculo rata non erit. Sed aliter plerique ex vetustis ecclesiae scriptoribus senserunt. Atqui, simul notare operae pretium est, quatenus suae sententiae deferri voluerint. Id Augustinus Epist. XXVIII. ad Hieronymum paucis verbis dilucide explicat. Contra Cypriani opinionem, inquit, qui forte non vidit quod videndum erat, sentiat quisque quod volet. Tantum contra manifestissimam apostoli fidem non sentiat, qui dicit omnes in condemnationem nasci: contra ecclesiae fundatissimum morem non sentiat, quae propter animae periculum ad baptismum currit. Ego vero omnes in Adam mori fateor, nec parvulos minus quam adultos opus habere Christi redemptione. Nec receptum morem ecclesiae improbo, ut ad baptismum currat. Tantum in eo falli Augustinum dico, quod periculum statuens spem vitae praecidit infantibus, quos Dominus suos esse pronunciat, et quibus baptismus non competeret, nisi iam in ecclesiae [fol. 17] societatem, Dei promissione, vocarentur. Quae igitur, dicet quispiam, currendi ratio? Nempe haec opinor satis legitima, ut quam Dominus salutem verbo suo promittit, in corpore filii obsignatam et quasi insculptam cernat parens: ut filii ablutionem in Christo quaerens, se morti obnoxium cum toto suo semine profiteatur: ne tesseram, quae confirmandae fidei data est, videatur negligere. Denique, ut Christianorum insigne filius in sepulcrum ferat. Illa autem periculi opinio, quia privatum fuit commentum, secure repudiari potest: quia manifestis scripturae testimoniis, quae prius citavi, contraria est, facessere debet e medio. Quod si cui Augustini sententiam pervicaciter tueri placet, omnes sibi damnandos meminerit, quibus non licuerit per aetatem fieri coenae domini participes: nam in eodem utrumque ordine locat: ut non minus periisse censeat, qui coenae dominicae participatione caruit, quam qui baptismum non accepit, libro De meritis et remissione peccatorum 1 cap. 24 et ad Bonifacium Epist. 106.

Neque tamen dicit Augustinus, adductam eiusmodi periculo ecclesiam fuisse, ut baptizandi licentiam mulieribus permitteret: nam in extremo etiam periculo ad templum properare solitos dicit, ut publico ministerio uterentur. Unde sequitur, nullo ecclesiae usu aut more fuisse receptum, ut privatim sibi quispiam munus arriperet. [fol. 18] Alibi quoque dicit matres in templum currere, ut filiorum saluti consulant. Nusquam eas dicit, manu sua remedium adhibere. Ex eo etiam quod tradit lib. 2 contra epistolam Parmen. cap. 13 coniicere licet, omnino muliebrem baptismum illa aetate fuisse incognitum. Si laicus, inquit, necessitate compulsus, baptismum dederit, nescio an quisquam pie dixerit esse repetendum: nulla enim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum aut veniale delictum est. Debuerat certe potius de muliere movere quaestionem, si ullum tale exemplum tunc exstitisset. Quum de solis viris dubitat, nemo certe non videt, nihil de mulieribus venisse in mentem, quia res erat prorsus inaudita. Adhuc in viris ipsis dubius haesitat, nec eos prorsus excusare audet a veniali peccato. Sed omnem dubitationem apertius tollit Carthaginensis concilii decretum,[1]) ubi sine exceptione prohibentur mulieres a baptismi ministerio. Quare ne amplius dicat typographus me toto errare coelo, cuius pedem in stabili fultura tam bene fixum esse videt. Hac ratione Tertullianus: Non permittitur mulieri, inquit, in ecclesia loqui: sed nec docere, nec tingere, nec offerre: ne ullius virilis, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicet. Qui locus mendose quidem legitur,[2]) sed nemini mediocriter erudito dubium erit, quin [fol. 19] haec Tertulliani sit sententia. Nec vero praetereundum est, quod apud Epiphanium habetur: nam libro contra haereses primo Marcioni exprobrat, quod mulieribus det baptizandi licentiam: idque inter ludibria numerat quibus plenam fuisse sectam dicit. Libro autem secundo de Phrygibus et Priscillianis loquens, irridet eorum amentiam, quod mulieres faciant episcopos, quia in Christo non sit mas aut foemina. Neque vero me latet, quid dicturus sit censor, multum scilicet inter communem usum interesse, et extraordinarium remedium quum urget ultima necessitas. Sed quum nulla ab Epiphanio necessitas excepta sit, ubi ludibrium esse pronunciat, dare foeminis baptizandi licentiam, probe mihi colligere videor, corruptelam hanc ita ab eo damnari, ut nullo praetextu sit excusabilis. Ita libro tertio, quum hoc ne sanctae quidem Christi matri fuisse permissum docet, nec ullam restrictionem addit, quis non videt muliebrem baptismum generaliter ab ipso improbari? Denique summa impudentia est, vetustatis patrocinium hic obtendere: quando aperte constat nonnisi cum barbara totius christianismi confusione inolevisse hunc abusum.

Citatur ex adverso Sephorae exemplum (Exod. 4, 25): in quo nonnulli plus iusto sibi placentes, ἀβλεψίαν suam produnt. Primum, vel ipsis concedentibus, circumcisionis et baptismi dissimilis est ratio. Neque enim [fol. 20] vetus illud symbolum ita absolute necessarium fuisse tradunt. Deinde quod placatus fuit Domini angelus, inde perperam colligi dico, probatum Deo fuisse quod egit Sephora. Alioqui dicemus placuisse illi cultum, quem perfunctorie exhibebant Samariae incolae, illuc ab Assyriis

1) Cap. 100.

2) *Locus exstat in lib. de Virginibus velandis* cap. 9 *et olim sic habebat in impressis:* . . . . nec offerre, nec ullius virilis muneris, ne duo sacerdotalis officii sortem sibi vendicarent.

traducti (2 Reg. 17). Tertio fuit illud facinus singulare, quod in exemplum male trahitur. Ad haec, nusquam sacerdotibus speciale circumcidendi mandatum legimus datum esse. Aperta autem sunt Christi verba: Ite, docete omnes gentes, ac baptizate. Certe eosdem constituit et evangelii praecones, et baptismi administros. Si nemo honorem sibi rite in ecclesia usurpat, teste apostolo (Hebr. 5, 4), nisi qui vocatus est, ut Aaron: quisquis sine legitima vocatione baptizat, eum temere involare in alienam functionem dico. Quid enim? quum ne Dei quidem filius se ingerere voluerit, an sibi nescio quis terrae filius se publicum tanti mysterii dispensatorem nulla autoritate creabit? In rebus etiam minutissimis, ut in cibo et potu, quidquid dubia conscientia aggredimur et audemus, Paulus aperte peccatum esse clamat. Porro in muliebri baptismo quae fidei certitudo esse potest, quum tradita a Christo regula violetur? Nam quod evangelii sui ministris munus iniungit, mulieres ad se rapiunt. Respondeat mihi censor, an homini fas sit divellere, quae Dominus coniungit? A Christo enim haec [fol. 21] coniuncta esse ostendo, evangelii praedicationem et baptizandi ministerium. Os ergo, contra disertam spiritus prohibitionem, mulieribus aperiat, qui alterum, quod inde sequitur, illis vult licere. Sed mirari satis nequeo tam hebetes esse, qui hunc colorem obtendunt, ut non perspiciant nihil minus Sephorae fuisse propositum, quam ut Deo ministerium praestaret. Fremens et indignabunda praeputium in terram proiicit. Marito sic conviciatur, ut Deum ipsum crudelitatis insimulet. Nec me latet, quid hoc loco fabulentur Iudaei. Res tamen clara est: foeminam impotentia animi ardentem, Deo et marito obstrepere, quod filii sanguinem ipsa fundere cogitur. Denique, ne sermonem longius protraham, breviter ostendam sensu communi esse destitutos, qui regulam ex facto Sephorae petendam contendunt. Praesente marito, circumcidit filium. Et quisnam est vir ille? Moises primarius Dei propheta, quo nullus unquam maior in Israele surrexit. Respondeant mihi gynaecobaptistae, an foeminae daturi sint coram episcopo baptizandi licentiam. Certe, pudorem illis incutiet tantum portentum. Neque frontem typographi adeo perfrictam esse puto, quin ipsum ebriae censurae pudeat, ubi evigilaverit [1]).

Interea sobrios lectores obtestor, ut qualem ego religionem tractandis Dei oraculis affero, ipsi quoque modestiam legendis scriptis [fol. 22] meis adhibeant. Sane mihi testis est conscientia, reverenter, et qua decet humilitate, tanquam in Dei et angelorum conspectu aliis tradere, quod mihi a spiritu Christi datum est: nec tam quod mihi adlubescit sequi, quam mentem meam in Dei obsequium addicere. Me vero procul abesse ab eorum numero, quos ad captandam dogmatum novitatem, ambitio sollicitat, tota vitae meae ratio testatur. Et in libris meis, ut opinor, nulla ostentatio: simplex autem aedificandi studium ubique eminet.

---

1) *Duo postrema verba desunt ap. Besam et in Amst.*

APPENDICIS ADVERSUS INTERIM FINIS, 1550.

CONSENSIO MUTUA

IN RE SACRAMENTARIA

MINISTRORUM TIGURINAE ECCLESIAE ET D. IOANNIS CALVINI MINISTRI GENEVENSIS ECCLESIAE

IAM NUNC AB IPSIS AUTORIBUS EDITA.

TIGURI EX OFFICINA RODOLPHI WISSENBACHII.

PRAEMITTUNTUR IN HAC NOVA EDITIONE FORMULAE ILLIUS RECENSIONES NONNULLAE ANTIQUIORES.

IOANNIS CALVINI PROPOSITIONES DE SACRAMENTIS.

Annotationes breves adscripsit Henricus Bullingerus.

I. Sacramentis Dei gratiam non alligamus.

Gratiam sacramentis alligari intelligimus quum gratiam simul dari et percipi credimus aut opinamur, quando sacramenta percipiuntur. Si enim gratiae particeps efficeris et percipis dona coelestia quando sacramenta percipis, certe beneficio sacramentorum percipis, atque ita gratia sacramentis coniuncta aut alligata est. Iam si vos sacramentis gratiam Dei non alligatis, quare ergo dicitis: quae in sacramentis figurantur, dicimus electis exhiberi? Et qui baptismum recipit simul remissionem peccatorum recipit? Si simul percipit, simul ergo coniuncta sunt, adeoque gratia alligata est signo. Hic non video quid doctrina vestra discrepet a doctrina papistarum, qui docent sacramenta conferre gratiam omnibus sumentibus ipsa.

II. Ad sacramenta non transferimus spiritus sancti virtutem aut officium.

Virtus et officium spiritus sancti est coniungere nos Christo, participes nos facere Christi et omnium donorum coelestium. Nota enim est illa Apostoli sententia: Et per hoc scimus quod manet in nobis, e spiritu quem dedit nobis (1 Ioann. 3, 24). *Et iterum: Ex hoc cognoscimus quod in eo manemus, et ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis* (ib. 4, 13). *Hic spiritus vitalis ille succus est qui e vite in palmites transfunditur et frugiferos reddit. Quod si sacramentis non tribuitis virtutem et officium spiritus sancti, quomodo dicitis perceptione sacramentorum effici ut Christus in nobis habitet, et nos in Christo, et ea ratione universis Christi bonis fruamur?*

III. In sacramentis non locamus salutis fiduciam.

Et recte quidem. Solus enim Deus est spes nostra, anchora salutis aeternae, ac fundamentum et petra sive obiectum fidei nostrae. Idololatriae scelus est in res creatas figere aut locare salutis fiduciam. A Deo vero vivo et aeterno deficiunt quicunque praeter Deum aliam sibi salutem fingentes ponunt.

IV. Solus Deus est qui agit per sacramenta et totam efficaciam spiritui sancto ferimus acceptam.

Deum agere aut operari in fidelium cordibus dum percipiuntur sacramenta, tutius videtur loqui quam dicere, Deum operari per sacramenta. Nam vocabulum Per videtur rebus inanimatis, aquae, pani et vino, signis inquam, plus tribuere quam tribuendum est. Recte quidem tribuitur omnis boni efficacia spiritui sancto. Loquutio tamen ita sonat quasi externis rebus communicetur etiam efficacia spiritus sancti incommunicabilis. Dona enim Dei ita propria sunt spiritus sancti, ut vera religio iubeat credere ne apostolos quidem, longe praestantiores inanimatis signis, dare spiritum sanctum.

V. Haec actio non apparet nisi in electis.

In sacramentis duae sunt actiones: externa et interna. Externa communis est bonis et malis, interna bonis duntaxat. Pii enim soli probant sese: soli sunt confoederati Dei: soli memoriam traditi Christi rite celebrant.

VI. Nec prosunt sacramenta quam dum ad Christum nos manu ducunt, in quo quaerendum quidquid est bonorum.

Credimus sacramenta esse manuductiones ad Christum. Id ipsum enim dixit apostolus de lege quae est paedagogus ad Christum (Gal. 3, 24). *Credimus in Christo quaerendum, non in signis, quidquid est bonorum coelestium. Signa testificantur et significant illa bona. Per sacramenta, velut signa, dirigimur ad*

Christum. Christi vero participes efficimur per spiritum sanctum in vera fide.

VII. Sacramenta sunt instrumenta gratiae Dei. Nam quod illis figuratur, dicimus exhiberi electis.

Haec propositio habet quod pios affligat et urat. Si per instrumentum intelligis signum, bene est. Si amplius quiddam quam signum, videris sacramentis nimium tribuere. Instrumentum appellant Latini omne illud quo quis utitur ad operandum. Iam ergo agitur hic de negotio salutis nostrae. Deus autem est is proprie qui salutem nostram operatur, id est, Deus is est qui nos salvat et recipit in gratiam. Huic vos tribuitis instrumentum per quod operetur, organum inquam, et infundibulum, ac canalem quendam, ipsa inquam sacramenta, per quae nobis infundat gratiam, et per quae nobis applicet salutem, ipsasque res coelestes exhibeat. Sequitur enim: nam quod illis figuratur, dicimus exhiberi electis. Caeterum nos non ita credimus, aut ita credere de salute nostra in scripturis edocti sumus. Sic enim credimus: Deus solus operatur salutem nostram et confert electis gratiam omnigenaque salutis dona. Confert autem haec, exhibet et infundit, non per signa (quae rerum spiritualium non sunt capacia, quum sint inanima, neque affixa aut alligata illa teneant, quum sint libera et nulli rei visibili alligata), sed per spiritum sanctum ac fidem: quibus solis nos tribuimus conferendi et exhibendi vim, ita ut Deus, nulla creatura, conferat, et conferat quidem per spiritum et fidem. Spiritus enim est, per quem illabitur animis nostris Deus: fides id Dei donum est, per quod recipit homo alia Dei dona. Sacramenta illa non exhibent aut conferunt, ceu exhibendi et conferendi instrumenta, sed significant, testificantur et obsignant. Sic in omnibus epistolis docuit apostolus.

VIII. Deus enim fallaci spectaculo non deludit oculos.

Revera Deus verax est, ergo non mentitur, non imponit cuiquam: sacramentis ergo testificatur et obsignat, quod ipse nos regeneret, et filios Dei efficiat, quod ipse pro nobis traditus in mortem ab aeterna morte nos liberaverit, et sit cibus et potus animae nostrae ad vitam aeternam. Idcirco baptismum recipiens, et de mensa Domini participans, non inani fallitur spectaculo, sed testimonium veritatis percipit, eius inquam veritatis, quod per Christum in fide redemptus et haeres regni Dei effectus est.

IX. Ergo qui baptismum recipit, simul peccatorum remissionem percipit.

In hac propositione offendit nos particula Simul. Constat enim Abrahamum prius iustificatum esse quam circumcisum, et eum qui amicus Dei dudum fuerat ex gratia, postea recepisse signum circumcisionis, signaculum iustitiae fidei quae fuerat in praeputio patris nostri Abrahae (Rom. 4, 11). *Et particula Simul perinde sonat ac si sacramentis alligata sit gratia, et quasi iam primum, quum baptismus percipitur, remissio peccatorum conferatur. Paulus multo circumspectius loquens, unus panis, inquit, unum corpus multi sumus* (1 Cor. 10, 17). *Sumus, inquit, non efficimur. Vestrae loquutiones ita sonant quasi beneficio sacramentorum et operis illius sacramentarii emundemur. At ita perperam senserunt Scholastici, qui vestra probant, nostra de sacramentis improbant.*

X. Non quod remissio peccatorum proveniat a baptismo, sed a sanguine Christi.

Hoc ergo poscimus a vobis ut simpliciter dicatis, sanguine Christi in cruce effuso abluuntur credentes, in spiritu inquam, per fidem. Eam vero emundationem attestatur significat et obsignat Deus in electis suis per sanctum baptisma Christi. Haec est simplicitas quam requirimus.

XI. Proinde non aliter confert baptismus, nisi quia eius ablutionis testimonium est, quam filius Dei effuso in cruce sanguine comparavit, et quam fruendam evangelii sui fide offert ac spiritu suo in cordibus perficit.

In his affulget magna spes concordiae. Si enim ita pergamus loqui, omnes intelligent quid sentiamus et quid dicatur. Potest totum negotium in haec contrahi capita: Solus Dei filius in cruce nos abluit sanguine suo et gratuito nos haeredes effecit vitae aeternae. Hoc beneficium per fidem in spiritu recipiendum perficiendumque offert et annunciat mundo per praedicationem evangelii. Qui credit praedicato evangelio, habet remissionem et vitam: qui non credit, nec remissionem habet nec vitam. Caeterum Deus, qui ubique nostris infirmitatibus se attemperat, istud coeleste beneficium attestatur et obsignat per sacramenta. Sacramenta sunt gratiae et beneficii per Christum exhibiti fidelibus non inania et fallacia spectacula, sed veritatis sigilla ac testimonia. Vere enim redempti sunt fideles. Vere communicatur nobis donum coeleste per spiritum in fide. Vera sunt quae testantur sacramenta facta esse, fieri et perficienda esse in fidelibus.

XII. In coena quum nobis porriguntur signa corporis et sanguinis Domini, dicimus non frustra porrigi quin res quoque ipsa nobis constet.

Quasi vero quisquam nostrum unquam dixerit, signa corporis et sanguinis Christi frustra porrigi. Porriguntur enim ex institutione Christi ad memoriam

redemptionis excitandam et retinendam. Porriguntur ad obsignandam veritatem, quod Christus vere pro nobis traditus sit et vere redemerit credentes. Constat nobis quoque ipsa res. Qui enim fideles accedunt ad coenam, revera redempti sunt, adeoque palam iam ostendunt et confitentur omnibus, quod sint de eorum numero qui per mortem filii Dei vere facti sunt haeredes regni coelorum.

XIII. Hinc sequitur, nos edere et bibere corpus et sanguinem Domini.

Fidelis semper et ubique edit et bibit corpus et sanguinem Domini, iuxta illud: Quid paras dentem et ventrem? crede et manducasti. Ergo quum pius in coena veritatis symbola et sigilla percipit, eadem fide qua Christo insitus est, Christum manducat et bibit: non quod prius non habuerit communionem cum Christo (ab initio enim fidei particeps Christi fuit et est), sed quod iam secundum institutum Christi memoriam celebrans redemptionis per traditum Christum, renovans reparat adeoque et continuat perceptionem Christi quae victibus fidei grandescit, spiritu autem Dei sancto perficitur plenissime.

XIV. Interim rem ex signo non facimus, neque utrumque simul in unum confundimus, sed sedulo alterum ab altero distinguendum admonemus.

Cur ergo nos, qui ut hoc fiat ab omnibus modis omnibus laboramus, a doctis etiam, tantum non damnamur?

XV. Non includimus corpus Christi in panem, et impanationem acriter damnamus.

Probe et hic nobis convenit.

XVI. Nec somniamus Christi carnalem in nos transfusionem.

Proinde spiritualis est coniunctio qua cum Christo connectimur. Ioannis 14 (v. 23): *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Similia sequuntur Ioannis capite 15* (v. 1 seqq.), *1 Cor.* 3 (v. 17): *Templum Dei sanctum est, quod estis vos. Cap. 6* (v. 17): *Qui agglutinatur Domino unus spiritus est. In 2 Cor. 6* (v. 16), *Eph. 3* (v. 17) *legimus Christum per fidem inhabitare in cordibus nostris. Locus itaque Ephes. 5* (v. 30): *Quoniam membra sumus corporis eiusdem ex carne eius et ex ossibus eius, referri debet ad incarnationis mysterium. De quo idem apostolus loquens dicit: Postquam pueri habent commercium cum carne et sanguine, et ipse similiter particeps factus est earundem etc.* (Hebr. 2, 14). *Hactenus enim membra sumus corporis eiusdem ex carne eius etc.*

XVII. Fatemur Christum esse in coelo secundum humanam naturam.

Ergo iuxta eandem naturam non est in coena. Unde necesse est tropum admittamus in verbis coenae: Hoc est corpus meum: nempe quod panis sit signum testimonium et memoria corporis Christi, aut quod iuxta canonem ecclesiasticum signa rerum nomina accipiunt.

XVIII. Libenter amplectimur, coeli nomen loci distantiam sonare et Christum locorum intervallo a nobis distare.

Hoc non omnes fatentur. Sunt enim qui palam tradant et mordicus tuentur coelum conditionis non loci esse nomen. Illi iidem coelum per omnia extendunt, adeo ut etiam coenam contendant esse coelum. Colligunt: Christus sedet ad dexteram patris in coelo, ergo est in coena. Nam coelum est etiam coena, seu locus ubi coena celebratur est coelum. Caeterum Dominus in evangelio recte nos erudit, quum dicit: Si abiero ad parandum vobis locum, iterum veniam et assumam vos ad me ipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis (Ioann. 14, 3). *Idem de distantia loci inter nos et corpus Domini in coelo disserens ait: Et non amplius sum in mundo, hi autem in mundo sunt et ego ad te venio* (ibid. 17, 11). *Angeli quoque testificantes dicunt: Viri Galilaei, quid statis intuentes in coelum? hic Iesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (Act. 1, 11). *Locus 1 Thess. 4* (v. 16 seq.) *facit ad illum exponendum. Haec si vera sunt, ut falsa esse nequeunt, certum quoque est Christum non esse in coena apud nos corporaliter, qui in coelis sursum sedet corporaliter.*

XIX. Palam testamur, corpus Christi non esse infinitum, sed sua circumferentia contineri.

Haec Lutherani modis omnibus negabunt, corpus Christi videlicet, perinde ut divinitatem, non ubique locorum esse, eo quod scriptum sit: Ascendit ut impleret omnia (Eph. 4, 10). *Caeterum fides orthodoxa et catholica tradit, Christum habere corpus corpori nostro consubstantiale, adeoque et corpus Christi clarificatum in loco contineri, et circumscribi suis limitibus, ita ut quum sit in uno loco, in altero non sit. Sic enim angeli dixerunt: Surrexit, non est hic; ecce locus ubi posuerunt eum* (Matth. 28, 6). *Sunt innumera scripturae loca huc pertinentia. Quod si verum Christi corpus simul et semel non est in diversis locis, neque in coena est corporaliter. Nam ea celebratur in locis innumeris.*

XX. Proinde haec nostra sententia est: quum hic in terra panem et vinum cernimus, erigendae sunt mentes in coelum ut Christo fruantur.

Ita nos quoque docemus Christum in coelis ad dexteram patris manere, non descendere aut ascendere visibiliter aut invisibiliter, effabiliter aut ineffabiliter: coniungere se autem nobis per spiritum suum, totumque se, dona inquam sua, et omnia ad salutem nobis necessaria, in nos transfundere: nos illa per fidem recipere et possidere. Ergo sentimus fidem se attollere in coelestia ad Christum, et hunc sese nobis insinuare per spiritum suum ad vitam et salutem, iuxta illud: Qui credit in me habet vitam aeternam (Ioann. 6, 47), *qui confitetur quod Iesus est filius Dei, Deus in eo manet et ipse in Deo* (1 Ioann. 4, 15). *Proinde non fingimus inanem quandam speculationem fidei, sed vivacem.*

XXI. Ac tum praesens est nobis Christus dum supra mundi huius elementa ipsum quaerimus.

Praesens est nobis Christus quum ipsum vera fide amplectimur. Nam fides reddit nos Christi participes, maxime vero quum non sola fides contemplatione coelesti, sed cum immotis (?) *simul sigillis et actione mystica fidelis mysteria Christi peragit.*

XXII. Neque enim fas est Christum insimulare fallaciae.

Quod fieret nisi veritatem simul cum signo exhiberi sentiamus. Satis de hoc dictum est propositione aut articulo VIII et XII.

XXIII. Et vos quoque conceditis signum non esse inane.

Si opponas inane pleno, ut inania signa sint in quibus nihil contineatur, diserte dico me non agnoscere plena aut impleta signa: quod scilicet in aqua baptismi contineatur remissio peccatorum, in pane et vino contineatur corpus et sanguis Christi. De qua re tu quoque superius disputans dixisti: Non quod remissio peccatorum proveniat a baptismo, sed a sanguine Christi. Item: Non includimus corpus Christi in panem etc. Si vero per inane intelligas vanum aut inutile, sane concedimus signa non esse inania. Sunt enim a filio Dei data ecclesiae testimonia et sigilla pro veritate confirmanda, et ad repraesentanda Christi mysteria, quae vera sunt, non falsa.

XXIV. Tantum restat ut definiamus quid in se contineat signum? Ac breviter respondemus, nos fieri carnis et sanguinis Christi participes, ut in nobis habitet, nosque in ipso, et hac ratione bonis eius universis fruamur.

Miramur hic tuam responsionem. Nam quod carnis et sanguinis Christi participes reddimur, non continetur in signo, sed in gratia communicantis se nobis Christi, et in fide quae recipit Christum. Ita quod Christus in nobis inhabitat, et nos in ipso, non continetur in signo, sed perficitur gratia Dei per spiritum et fidem in nobis. Per signum autem significatur, repraesentatur et obsignatur, quod spiritu Dei perficitur in fidelibus. Videmini ergo nobis subinde loqui obscurius et minus distincte.

Habes paucis quatenus tua vel probem vel minus probem.

Mense Novembri Tiguri 1548.

Bullingerus.



CALVINI RESPONSIO AD ANNOTATIONES BULLINGERI. SCRIPTA MENSE IANUARIO 1549.

Ad I.

Gratiam sacramentis alligari intelligo, vel quum nulla agnoscitur nisi in sacramentis, vel quum in his fingitur inclusa: ut usus sacramenti perceptionem gratiae secum perpetuo trahat. Nam quum dico percipi Dei gratiam sacramentis, inde non sequitur eorum beneficio percipi. Soli iam Deo illam nihilominus acceptam refero, utcunque mediis ab ipso ordinatis utar. Coniunctam quidem Dei gratiam sacramentis esse fateor, non tempore, non loco, sed quatenus vas fidei quisque affert, ut quod illic figuratur obtineat. Quum electis exhiberi dico quod sacramenta figurant, multum a papistis differo, qui tradunt sacramenta promiscue omnibus conferre gratiam qui obicem non ponunt. Nam quod promissionis est proprium isti ad signum visibile transferunt. Deinde excludunt fidem, aut certe nullum illi locum nullasque partes assignant. Tertio caeremoniam causam salutis et velut initium esse fingunt. Ego autem totum sacramenti effectum ab electione pendere doceo. Praeterea signum esse inutile ostendo, nisi quatenus per spiritum suum Deus in nobis agit, ut fructum inde sentiamus. Tertio nihil reprobis et infidelibus prodesse dico. Ut eadem sit sacramentorum vis et natura quae verbi. Et certe valde miror, te saltum inter omnes et inter electos non discernere, sed confundere simul haec duo verba: coniungi et alligari. Nam qui sacramentum fingit sibi efficientem aut materialem salutis causam, vel qui necessarium esse ita putat, ut sine ipso nec gratia sit nec salus, vel qui perpetuo annexam illi esse gratiae perceptionem tradit, is demum gratiam alligat sacramentis. Quin autem aliqua sit coniunctio, non video cur negemus.

Ad II.

Officium spiritus esse fateor, Christi et omnium eius bonorum nos facere participes. Sed minime absurdum est, ut, quod propria virtute in nobis efficit, per sacramenta quoque, velut instrumenta, efficiat. Spiritus sanctus est σφραγὶς quae Dei promissiones in cordibus nostris obsignat. Eundem titulum Paulus circumcisioni tribuit (Rom. 4, 11), neque tamen quidquam spiritui derogat. Nam quae subordinantur non pugnant. Spiritus autor est, sacramentum vero instrumentum quo utitur. Quae tu adducis, Paulus de sacramentis praedicat. Dicit enim, qui vere sunt baptizati, Christum induisse (Gal. 3, 27). Dicimus fideles percipere quod in sacramentis offertur, ne videatur Deus in suis promissis fallax.

Ad III.

Nihil respondeo, quia de eo satis inter nos convenit. Nam si in creaturis salutis suae fiduciam locant idololatrae, ab eo scelere scripta mea, ut existimo, abunde me vindicant.

Ad IV.

Videndum semper est ne simus in repudiandis loquendi formis nimium morosi, quae nihil falsum, nihil absonum continent. Cur negemus Deum agere per sacramenta, quum testetur Paulus nos salvos esse per lavacrum regenerationis (Tit. 3, 5)? Si excipias, de spirituali regeneratione ipsum loqui, assentiar: sed ita ut signi quoque mentionem faciat. Signa et virtutes factas per manus apostolorum Lucas commemorat (Act. 5, 12; 14, 3; 19, 11 etc.). Paulus de iis quae per ipsum effecerat Dominus gloriatur (Rom. 15, 19; 2 Cor. 12, 12 etc.). Et quid magis Deo proprium quam nos in vitam spiritualem regignere? Id tamen fieri scriptura docet per hominis ministerium. Imo hoc pie sibi arrogat Paulus, quod genuerit Corinthios (1 Ep. 4, 15), quia se non effert adversus spiritum Dei, sed tantum eius virtutem, quae se in eius labore patefecerat, quasi testem sui apostolatus producit. Ne longior sim in re clara, si per manuum impositionem datum fuisse spiritum sanctum Lucas vere praedicat (Act. 8, 17), cur in

paribus signis eadem loquutio te offendit? Quid quod Paulus tradit, nos per baptismum consepultos esse Christo (Rom. 6, 4)? Quod in sacramentis nuda signa, praeterito verbo, consideras, in eo abs te dissentio. Panis enim, et vinum, et aqua in sacramentis eundem habent locum quem metalla in nummis. Porro forma, non materia, nummum facit. Quanquam in sacramentis ut primas tenet spiritus efficacia, imo sola regnat, ita nunquam omitti debet, ubi de illorum fructu agitur. Quod ad loquutionem pertinet, Lucas certe virtutem spiritus sancti communicare externo symbolo voluit, quum spiritum dari scripsit per manuum impositionem: nec Paulus spiritui sancto vocis suae sonitum opposuit, quum Galatas diceret (3, 2) spiritum ex auditione verbi accepisse; sed instrumenta, quibus utitur Deus, secundarias habere in agendo partes admonent.

Ad V.

Nihil est quod respondeam, nisi me adeo crassum non esse ut externum caeremoniae usum cum interiori spiritus gratia confundam.

Ad VI.

Ego libenter subscribo: modo ita Dei spiritum per se nos reddere Christi participes dicas, ut sacramentis inferiores suae vires relinquantur. Non quod seorsum illis a spiritu quidquam velim tribui: sed quia eius sunt instrumenta, ne inania et nihili censeantur.

Ad VII.

Scio innumeros esse pios homines quorum conscientias optime sedavit haec doctrina: tantum abest ut inde urantur. Te vero cur affligat, nulla est causa. Frustra enim times ne opus salutis nostrae creaturis potius quam Deo adscribam. Si qui vel minimam eius partem ad creaturas derivant, ab hac suspicione, ut spero, me liberabunt, quicunque scripta mea legerint. Unum certe me ex iis esse arbitror, qui illustrandae Dei gloriae fidelem operam hoc saeculo impenderunt. Vide tamen quale sit tuum argumentum: Deus solus agit; cessant igitur instrumenta. Quid? annon Paulus qui admonet nihil esse totum hominum laborem omnesque conatus, idem se profitetur Dei cooperarium? Deus ergo solus nos regenerat, sed hominis opera. Hyperbolicae similitudines, quas tu adducis, nihil ad me: quia illis non delector. Ego certe consequentias istas non admitto: Deus per baptismum exhibet quod figurat; ergo baptismus infundibulum est vel canalis. Ideo enim per sacramentum exhibere dicitur Deus quod figurat, non quia illic sit inclusum, sed quia spiritus sui virtute nobis praestet, ne fallax vel inanis sit figura. Quod obiicis, non esse donorum Dei capax signum visibile, quum res sit inanima, id ego tecum fateor. Nec vero adeo crassus sum, ut spiritum Dei vel in panem vel in aquam opinione mea includam. Sed hac obiectione non evincis, sacramentum non esse instrumentum gratiae conferendae. Nam et vox hominis ad salutem administrandam Dei instrumentum est, quum res sit inanima. Sol terram vegetat, tametsi caret ipse vigore. Panis, qui vitam non habet, eam tamen nobis suppeditat. Nihilo magis sententiam meam oppugnat, quod continuo post addis, per spiritum et fidem duntaxat conferri nobis omnia Christi bona. Quin potius, ut iam ante tibi memini me scripsisse, inde, quod tu improbas, colligo, per sacramenta quoque conferri. Nam ideo certe per fidem, quia per verbum. Atqui nunquam sacramentum sine verbo, quum et ipsum visibile sit verbum, et in se promissionem, cuius sigillum est, inclusam habeat. Fide ergo quum percipi concedas, quae fidem generant aut confirmant praeter rationem excludis. Fateor quidem, ut verbum, ita et sacramentum, absque fide nihil prodesse. Nec sane aliud dico quam prodesse, quatenus est fidei adiumentum. Nihil hic, quod a Paulina doctrina vel minimum discrepet, reperies. Quin potius hoc idem est quod ubique docet.

Ad VIII.

Quae dicis vera sunt omnia et cum nostris pulchre congruunt.

Ad IX.

Ideo te offendit particula SIMUL quia tempus notare putas. Ego autem nihil minus volui quam gratiam Dei ad tempus illud restringere quo sacramenta percipimus. Cuius rei vel unus libellus contra Anabaptistas luculentus erit testis. Gratia Dei, fateor, non in Abraham modo, sed in Eunucho, in Cornelio, in aliis, baptismum praecessit. Infantes non eodem temporis momento spiritum regenerationis, quo baptismum, percipiunt. Est enim illis futurae magis gratiae symbolum, quam praesentis, hac in parte. Itaque particula SIMUL hic mihi nihil aliud significat quam similiter. Atque hic sensus est: tam vere nos fieri compotes rei signatae, quam vere signum oculis cernimus. Obiicis, Paulum circumspectius loquutum, ubi docet nos unum esse panem, non effici. Atqui non minus, opinor, Rom. sexto (v. 4), Gal. tertio (v. 27) circumspecte idem pronunciat, nos sepultos esse per baptismum in mortem Christi, et quicunque baptisati sunt Christum induisse. Itaque vel incogitantiae, vel temeritatis damnare nos non potes, quin Paulus ipse crimen prius sustineat. Et nos hic sophistis aggregas quasi nostra probent. Ego autem, ut tibi gratulor, cui sophistae adeo sint ignoti, hic te rogatum velim, ne ideo scripta mea improbes quod sophistis placeant. Longe enim hac in re falleris.

Ad X.

Est hic quod tecum expostulem, quando me ad eam simplicitatem revocas, quam si quisquam et solide asseruit hoc tempore, et clare explicavit, ego mihi unus inter alios, et quidem non postremus esse videor. Qui scripta mea legerunt, sciunt hoc passim a me inculcari.

Ad XI.

Spes tibi magna concordiae affulget, si pergamus ita loqui. Quasi vero aliter unquam loquutus sim, vel ita loqui destiterim. Ego, uti libenter quae hic abs te notantur capita amplector, ita vicissim abs te peto ne omnes protinus loquendi formas repudies, quae paulo a praescripto tuo deflectent.

Ad XII.

Quum coenae veritas duo membra contineat, unum praetermittis, Christum scilicet, ut semel traditus est pro nobis, ita nobis quotidie offerri, ut simus unum cum ipso. Neque tamen dubito quin hoc agnoscas verum esse. Verum ubi de re signata agitur, haec duo clare et diserte recenseri debent: nos semel Christi sacrificio redemptos esse, et idem corpus, in quo oblatum est sacrificium, nobis hodie in cibum esse, quia per fidem in nobis habitat Christus et in corporis sui communionem inserit.

Ad XIII.

Absit ut sentiam in coena tantum fideles Christo communicare. Ac saepe mirari subit quod non secus me tractes ac si cum crassissimo papista tibi esset negotium. Cuius occasionem scripta mea tibi praecidunt. Passim enim doceo, non alios percipere Christum in coena, nisi qui prius habuerint. Sed qui iam prius membrum erat Christi, sacramenti usu in Christi communione augeri et proficere dico.

Ad XIV.

Qui in hoc elaborant, si ab aliis damnantur, me sibi habent coniunctum in eadem causa, sicuti hactenus meo suffragio conatus sum eos iuvare. Idque palam et ingenue fecisse mihi videor.

Ad XV et XVI.

Nihil hic dicis quod non passim in scriptis meis occurrat. Excepta duntaxat clausula, ubi contendis locum Pauli: nos caro sumus ex carne eius et ossa ex ossibus eius, ad incarnationem Christi referendum esse. Atqui altius quiddam sonant verba. Nam si hoc tantum diceret quod intelligis, idem ad quoslibet homines transferri posset. Magis ergo docet apostolus, nos Christi esse membra, ut vitam ab ipso hauriamus, tanquam a capite nostro, quam de naturae communicatione disserit. Neque tamen hoc posterius alibi tractari nego. Sed non sunt loci omnes coacervandi quasi nihil differant.

Ad XVII.

Argumentum quo pugnas alii eluderent: quum coena ipsa actio sit coelestis. Quia tamen mentem tuam assequi mihi videor, concedo, minime esse corpus Christi in locis ubi coena administratur. Itaque quoties loci mentio ingeritur antevertere soleo, ne quis aliter nos Christo iungi imaginetur quam dum mente in coelum conscendimus. Tropum vero in verbis Christi me non admittere solum, sed constanter asserere, quum satis noveris, quorsum urgeas ut concedam, non video.

Ad XVIII.

Inique mecum agetur si omnia aliorum dicta, etiam a quibus libere dissentio, praestare cogar. Quod autem in epistola mea posui, in commentariis meis reperies, ubi locum illum enarro: Ascendit supra omnes coelos (Eph. 4, 10). Quin etiam, nisi me fallit memoria (exemplar enim apud me nunc non habeo), simplici sententiae meae expositione non contentus nominatim eos reprehendo qui conditionem coelorum nomine, non locum, designari volunt. Ergo quaecunque adducis testimonia, quibus probas localem a terris Christi absentiam, nihil ad me, neque ad eos qui mecum sentiunt.

Ad XIX.

Quasi vero, si quid Lutherani peccant, ego crimen sustinere debeam. Atqui tu ipse optimus es testis quam sim in oppugnando eorum errore acer et vehemens. Quid igitur me in eorum ordinem ablegas? Quasi aliquid in hac parte commune cum illis habeam.

Ad XX et XXI.

Miror quo consilio verba hic congeras, quum unum dicamus ambo, nisi ut in certo consensu appareat aliqua repugnantiae species. Quanto fuisset simplicius, ubi nihil erat controversiae, non mutare inter nos verba.

Ad XXII.

Quia hoc prius explicatum fuit, a longiori sermone nunc supersedeo.

Ad XXIII et XXIV.

Merito Christum eiusque dona signis tanquam vasis contineri negas. Sed quod tale portentum verbis meis insinuari suspicaris, id certe facis nulla occasione. Dico nobis in hoc generali axiomate convenire: signa non esse inania. Tum subiicio, restare ut vis efficaciaque signorum definiatur. Responsio mea tibi displicet quoniam hac loquutione

utor: quid in se contineat signum. Sed nihil mihi minus propositum fuit quam in panem includere Christi corpus. Quid igitur valet continendi verbum? Nempe quem nobis fructum afferat coenae aut baptismi receptio. Baptismum continere dico quod figurat, non quia spiritualis gratiae sit quaedam veluti theca, sed quia Dominus spiritus sui virtute intus perficit quod externo signo testatur, ut non minus vere purgetur Christi sanguine anima quam corpus aqua abluitur. Idem et de coena dico: non contineri pane Christi corpus aut vino sanguinem, sed contineri hoc symbolo utriusque participationem, quia non minus vere Christus se fruendum nobis tradat quam minister panem et vinum porrigit. Haec eadem, quoties hic celebranda est sacra coena, diserte populo inculcari, testis est solennis formula qua utimur, cuius haec extrema est clausula: Nobis ergo sufficiat quod panis et vinum in signa sint ac testimonia, veritatem porro spiritualiter quaeramus ubi scriptura inveniri docet. Paulo ante sic habetur: Ut Christo potiamur, sicuti nobis hic se offert, mentes sursum erigamus ubi Christus habitat in gloria patris et unde eum exspectamus in redemptionem ultimam. Nec vero haereamus in signis terrenis et caducis quae oculis cernimus, quae palpamus manibus, ut in illis quaeramus Christum ac si pane et vino inclusus foret [1]). Haec si et attente legere et placide expendere non gravaberis, nihil fore spero quod improbes.

1) *Quae hic laudat verba ex Forma precationum publicarum genevensium desumpta, exstant in editione hac nostra Opp. Tom. VI. col.* 200.

HENRICI BULLINGERI ANNOTATA AD CALVINI ANIMADVERSIONES.

Nihil quidem necesse erat, colendissime et dilectissime mi Calvine, ad singulos respondere numeros. Quoniam video tamen te utiliter nullum transiisse intactum, attingam et ego perfunctorie singulos. Sic enim rectius mutuum intelligemus, animique nostri sententiam exprimemus significantissime.

I.

Rectius videor iam mihi tuam tenere mentem: sacramenta videlicet prodesse non omnibus quidem ea sumentibus, sed fidelibus duntaxat, ac propter fidem sumentis aliquam esse coniunctionem gratiae Dei et sacramentorum. Scio sane fideles, quum sacramentis participant, in animis suis sentire motum atque vim divinae gratiae per spiritum sanctum, non beneficio quidem sacramentorum, aut propter sacramenta percepta (quanquam foris in oculos incurrentia res significatas repraesentent), sed propter spiritum animos inhabitantem et moventem, ac propter dona pridem effusa gratis a Deo in animos fidelium: quorum quidem donorum Dei quum sacramenta sint symbola et obsignationes divinitus traditae, non sola et quasi nuda in usu legitimo considerantur, sed tanquam gratiae Dei sacramenta et testimonia. Nihil ergo utrique est negotii cum papistis gratiam Dei alligantibus sacramentis.

II.

Proprium officium spiritus est omnium bonorum Christi nos facere participes. Sacramentis hoc ipsum non tribuimus, nisi ratione sacramentaria et modo sacramentis proprio. Deus enim proprie et revera per spiritum suum dona sua nobis exhibet. Sacramenta eadem nobis offerunt sacramentaliter, adeoque repraesentant et obsignant. Unde et S. Augustinus dixit: Sanctificat Dominus, sanctificat et Moses: quomodo ergo et Moses sanctificat et Dominus? Non enim Moses pro Domino, sed Moses visibilibus sacramentis per ministerium suum, Dominus autem invisibili gratia per spiritum sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Haec ille Quaest. in Levit. 83.

III.

Pessime cessit Israelitis quod salutis suae fiduciam collocaverant in arca foederis Domini exercituum. Ipsi enim caesi sunt et arca capta est a Palaestinis. Pergamus ergo constanter et concorditer, quod scripturis consonum est, non nimium tribuere sacramentis. Pergamus iunctis viribus idololatricum sacramentorum abusum oppugnare.

IV.

Non repudio loquendi formas in scriptura propositas. Nam scripturas divinas recipio, non repudio. Repudiarem has, nisi illas reciperem: de nostris, qui in ecclesia scripturarum interpretes sumus, loquutionibus intelligo, quae ad quartam annotavi propositionem. Cupio enim ut nos, quod verbi Dei mentem esse scimus, clarissimis etiam simplicissimisque citra figuram verbis ecclesiae Christi tradamus, non autem ita loquamur ut ipsi mox nostrorum verborum cogamur esse interpretes, aut ut nostra tanquam aenigmata aut involuta proponamus, praesertim altercatione, et partibus utrinque volentibus suam ex loquutionibus colligere atque defendere sententiam. Vetus certe ecclesia, exorta aliqua concertatione, veritatis sententiam maxime disertis verbis exposuit, et ab omnibus explicari voluit, citra omnes ambages et involucra ulla. S. Augustinus libro de Doctrina christiana IV. cap 8. ita praecipit: Nos etsi de literis apostolorum et prophetarum, quae sine difficultate intelliguntur, nonnulla sumimus eloquutionis exempla, nequaquam tamen putare debemus, imitandos eos nobis esse in his quae ad exercendas et elevandas quodammodo mentes legentium, et ad rumpenda fastidia atque acuenda studia discere volentium, celandos [1]) quoque, sive ut ad pietatem convertantur, sive ut a mysteriis secludantur, animos impiorum, utili ac salubri obscuritate dixerunt: sic quippe illi loquuti sunt, ut posteriores, qui illos recte intelligerent

1) *Sic noster in exemplari suo legisse videtur. Vide an scribere velis:* zelandos.

et exponerent, alteram gratiam, disparem quidem, verumtamen subsequentem in ecclesia Dei reperirent. Non ergo expositores eorum ita loqui debent tanquam se ipsi exponendos simili autoritate proponant, sed in omnibus sermonibus suis primitus et maxime ut intelligantur elaborent, ea quanta possunt perspicuitate dicendi, ut aut multum tardus sit qui non intelligit, aut in rerum, quas explicare atque ostendere volumus, difficultate ac subtilitate, non in nostra loquutione sit causa quo minus tardiusve quod dicimus possit intelligi. Tantum Augustinus. Cuperem itaque ut loquendi formis a scriptura quidem positis, non simplicibus sed explicatis, uteremur, et ut nostris verbis loquentes de sacramentis tam clare et simpliciter loqueremur, ut nulla opus esset alia expositione. Et placet hic quidem mirum in modum vetus expositio: signa propter similitudinem usurpare rerum signatarum nomina. Sic enim aqua baptismi visibilis appellatur lavacrum regenerationis: non quod aqua per se ipsam regeneret, sed quia symbolum est vel obsignatio regenerationis, quae fit interius a Deo per spiritum sanctum. Appellantur apostoli in prophetis servatores, et lux mundi in evangelio. Dicit Paulus se generare Corinthios Christo. Sed idem: Quis igitur est Paulus, ait, quis autem Apollos, nisi ministri per quos credidistis, et ut cuique Dominus dedit? Dominus dat fidem et spiritum: quia tamen utitur opera ministrorum, dicuntur et hi gignere, adde et convertere, sed in suo munere. Nam qui nuncupavit se Dei cooperarium, idem clamat: Dei agricolatio, Dei aedificatio estis. Item: Ego plantavi, Apollos rigavit, sed Deus dedit incrementum: itaque non qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum Deus. Impositio manuum erat symbolum demissi vel demittendi spiritus sancti, quem nulla creatura dabat, neque dabatur propter ullam creaturam, sed solus creator dat illum propter se. Ita rursus Augustinus: Quomodo Christus, inquit, Deus non est qui dat spiritum sanctum? Neque enim aliquis discipulorum eius dedit spiritum sanctum. Orabant quippe ut veniret in eos quibus manum imponebant: non ipsi eum dabant. Et mox: Denique et Simon Magus, offerens apostolis pecuniam, non ait: Date et mihi hanc potestatem ut dem spiritum sanctum, sed: cuicunque, inquit, imposuero manus, ut accipiat spiritum sanctum. Item: Nos accipere quidem hoc donum possumus pro modulo nostro, effundere autem super alios non utique possumus; sed ut hoc fiat, Deum super ipsos, a quo hoc efficitur, invocamus. Haec ille Trinit. lib. XV. cap. 26. Iam quod scriptum est, spiritum sanctum datum esse per impositionem manuum, addatur expositio quod haec quondam fuerit externum symbolum et testimonium a Deo exhibiti aut exhibendi muneris, et intelligent omnes, Deum solum conferre spiritum, homines iubente Deo addere symbolum. Saltem ex libro meo de sacramentis scripto, quem legisti olim, didicisse debueras, me neutiquam praeterito verbo Dei considerare sacramenta. Hactenus ergo nos idem sapere arbitror.

V.

Pulchre dicis crassi esse, externum caeremoniae usum cum interiore spiritus gratia confundere. Convenit hic utrique peroptime. Nobiscum item facit Augustinus. Nam contra Petiliani literas disputans lib. III. cap. 49: Nec iam, inquit, baptisare cessavit Dominus, sed adhuc id agit, non ministerio corporis, sed invisibili opere maiestatis. Neque enim apostolo non est credendum dicenti: Christus tradidit semetipsum pro ecclesia ut eam sanctificaret, mundans eam lavacro aquae per verbum. Ecce quia Christus sanctificat, ecce quia Christus ipse lavacro aquae in verbo, ubi minister videtur corporaliter operari, ipse abluit, ipse mundat. Nemo ergo sibi arroget quod Dei est. Et Tract. in Ioannem quinto: Aliud est, ait, baptisare per ministerium, aliud baptisare per potestatem. Baptisavit ergo Paulus tanquam minister, non tanquam ipsa potestas: baptisavit autem Dominus tanquam potestas. Intendite: et potuit hanc potestatem servis dare, et noluit. Et reliqua. Huc pertinent quae leguntur Tract. in Ioann. 26. et de Civit. Dei lib. XXI. cap. 25.

VI.

Ego ita Dei spiritum per se nos reddere Christi participes libenter concedo, ut sacramentis inferiores partes suas relinquam, id est, ut spiritus habeat vices conferendi, sacramenta significandi, repraesentandi, obsignandi, forisque attestandi.

VII.

Scio et agnosco, mi Calvine, quanta tibi a Domino data sint dona. Illa me in tui rapuerunt admirationem et amorem, ac propter studia illa tua et beneficia excellentia ecclesiae Dei per te collata te laudo et magni facio merito. Tuum autem fuerit in his tibi non placere. Domino agamus gratias: illi tribuamus omnem gloriam. Cinis et umbra sumus, quod in nobis quidem est. Sed sinamus iam illa. Scio te haec mea boni consulturum. Non autem soleo sic argumentari: Deus agit solus, ergo cessant instrumenta. Sed ita potius colligo: Deus agit solus, ergo id quod Deus agit non agunt organa. Instrumenta interim a Deo instituta et ordinata non cessant sed id potius faciunt quod ut faciant a Deo instituta sunt, adeoque cooperantur Deo, non illud sibi agendo usurpantia quod Dei est, sed illud quod sui est muneris et officii. Deus regenerat homines, Deus exhibet se piis fruendum, Deus sanctificat, purificat, vivificat, alit, iustificat et servat. Haec opera Dei non usurpant sibi nec faciunt instrumenta, et faciunt tamen in negotio salutis aliquid. Non enim sunt frustranea aut inutilia. Id autem faciunt quod Deus ipsa voluit facere. Ministri annunciant salutem, sacramenta dona Dei repraesentant et obsignant. Ac ita est cooperarius

… Paulus, sed in suo munere et … idem generare dicitur Corinthios Christo quia annunciat verbum cui qui credunt regenerantur ab ipso Domino. Baptismus ergo regenerat quia obsignat purgationem a Deo perfectam. Operatur ergo in his Deus quod Dei proprium est; operatur instrumentum quod sui officii est. Adhibet Deus vocem hominis quum operatur salutem nostram, et tamen in voce non est salus, sed per vocem hominis annunciatur foris salus: in animo autem perficit Deus salutem per spiritum suum. Sol vegetat terram; panis alit et velut in vita retinet, quia ista sic a Deo instituta et creata sunt. Sacramenta sunt alterius ordinis ad significandum et obsignandum adinventa et ordinata. Non possum aliter loqui quam per spiritum Dei omnia bona nobis conferri, per fidem recipi, ac per sacramenta obsignari. Non communicavit apostolus ex aequo adiumentis fidei, quae tribuit fidei. Lex est adiumentum fidei. Nam est paedagogus ad Christum. Circumcisio est signaculum vel obsignatio iustitiae fidei. Sed neque lex neque circumcisio iustificat, verum fides iustificat. Ac permultum prodesse sacramenta, quatenus sunt fidei adiumenta, libenter concedo.

VIII.

Si ergo vera sunt omnia, quod verum est concorditer doceamus.

IX.

Exponis *simul* per similiter, ut sit sensus: Qui baptismum recipit, simul (id est similiter) peccatorum remissionem accipit, id est, tam vere recipit peccatorum remissionem, quam vere baptisatur. Hanc expositionem ut non oppugno, ita tua pace simpliciorem et minus periculosam esse puto, si dicamus: Qui baptismum recipit, symbolum seu obsignationem recipit certissimae remissionis peccatorum quam contulit Deus propter sanguinem filii sui. Ac exemplum Abrahae iustificati prius quam circumcisi non alio consilio adduxi quam ut ostenderem non eo protinus momento conferri peccatorum remissionem piis quo baptisantur. Sed convenit nobis hic etiam. Scio Paulum dicere, nos sepultos esse per baptismum in mortem Christi. Agnosco eundem scripsisse ad Galatas: Quicunque baptisati sunt Christum induerunt. Sed agnoscis tu vicissim haud dubie illas esse loquutiones sacramentales, ac locis apertioribus exponendas esse paulo obscuriores. Sophistae quondam doctrinam de sacramentis nostram multo acrius sunt persequuti quam Lutheranorum. Eo potissimum spectans dico: Vestra probant, improbant nostra.

X.

Si ergo cupis mecum istam simplicitatem assertam et omnibus inculcatam, non est quod expostules mecum qui non omnia tua legi. Age doceamus constanter et concorditer, quod simpliciter et vere credimus.

XI.

Perplacet conditio, modo tibi non displiceat for… loquendi scripturae de sacramentis interpretari sac… mentaliter, et omnia nostra tam clare exponere ut simplicissimus quisque intelligat, quid faciat in sacr… mentis Dominus, quid homo, quid res ipsa, qu… signum. In his simus concordes perpetuo.

XII.

Memoriam redemptionis late patere non ignoras. In ea ergo comprehendo, non tantum quod nobis praestitit Christus, sed ipsum etiam modum, quo efficimur Christi participes. Insinuat se nobis Dominus noster spiritu suo, et cibus est animae vivificus: nos illum edimus et recipimus fide atque ita efficimur consortes eius et membra corporis eius. Huius mysterii plane divini symbolum et memoraculum est coena, omnes partes salutis nostrae repraesentans.

XIII.

Prius monui me non legisse omnia scripta tua. Praeterea annotationibus illis meis volui tibi occasionem praebere crassissime tete declarandi. Alioqui, scis, me non vulgariter iudicare de tua pietate et eruditione.

XIV.

Perge ergo constanter nobiscum pugnare pro gloria Domini in finem usque. Id quod de tua pietate certo nobis pollicemur.

XV. XVI.

Loquitur apostolus de credentibus quibus solis prodest incarnationis mysterium. Incarnatione sua, imo toto redemptionis mysterio efficit Dominus ut simus membra eius, hauriamusque ab ipso, ceu vivifico capite, vitam. Non ergo contradico tuae interpretationi. Exstant apud veteres scripturae interpretes variae adeoque diversae eiusdem loci interpretationes: sed propter eam diversitatem non erat inter ipsos ulla discordia. Sufficit enim si non dissentiamus in dogmatibus.

XVII.

Tametsi coena actio sit coelestis, corpus tamen Christi non est coeleste, neque exutum sua substantia corporea. Scio Paulum appellare corpus Domini gloriosum corpus coeleste, sed in alio sensu et in alia causa. Recte tu dicis nos non aliter coniungi Christo quam quum mente ascendimus in coelum, haud dubie ipsum Dominum fide apprehendentes. Manet enim corpus Christi ad dexteram patris, nec ascendit nec descendit amplius, donec veniat in iudicium. Descendit quidem Dominus spiritu suo in animos nostros et nobis praesens est per spiritum. Audio te approbare tropum; hoc ut audirem a te significantissime attuli

quae tu me attulisse miraris. Simpliciter scribo, non struo insidias.

XVIII. XIX.

Si penitius mea inspexeris, videbis me magis de aliis quam de te loqui. Ac ut clare intelligerem, te nihil prorsus cum illis habere commune, ista mea proposui tibi.

XX. XXI.

Volui copiose et crasse omnia mea tibi exponere adeoque per omnia candide tecum agere. Debes ergo haec mea boni consulere, non male suspicari.

XXII.

Ita nunc quoque meis adiicio nihil, sperans sic explicata esse omnia ut tibi mea displicere non possint.

XXIII. XXIV.

Signa a Domino instituta qui inania dicit, institutionem Domini contemnit. In baptismo fidelium Dominus intus sui spiritus virtute perficit quod foris testificatur externo signo. In coena Domini celebrata a fidelibus Dominus intus spiritus sui virtute perficit quod foris obsignat symbolo. In animo sese fruendum praebet et sui communionem reparat atque continuat, foris id testificatur atque significat. Placent haec tibi sat scio. Et perplacent quae sub finem responsionis tuae ex solemni formula recitasti, panem et vinum data nobis esse in signa et testimonia, veritatem autem spiritualiter quaerendam esse, ubi scriptura inveniri docet, nec inhaerendum signis terrenis, sed erigendas mentes sursum, ubi Christus habitat in gloria patris et unde eum exspectamus in redemptionem ultimam. Haec probo, his subscribo, in his tecum concors idem perpetuo docere volo. Ac spero hisce meis omnibus placide tecum expensis te in ipsa rerum substantia nihil improbaturum. Vale.

Tiguri 15 Martii 1549.

Tuus Bullingerus.

CONFESSIO GEBENNENSIS ECCLESIAE MINISTRORUM DE SACRAMENTIS BERNENSIUM SYNODO OBLATA MENSE MARTIO 1549.

I.

Quum in hunc finem Dominus sacramenta instituerit ut per ea gratiam suam nobis testetur atque obsignet, ut vera sint gratiae Dei testimonia et sigilla, vere nobis exhiberi oportet quod figurant. [1])

II.

Porro sacramentorum veritas in Christo continetur: sed ut ea melius constet, priore loco statuendus est Christus ipse, tanquam substantia et fundamentum; deinde fructus et vis mortis ipsius et quaecunque ab ipso nobis proveniunt bona.

III.

Hic ergo sacramentorum finis est: primum ut Christo potiamur tanquam bonorum omnium fonte; deinde, ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, spiritu eius renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique et salutem consequamur.

IV.

Ita in baptismo considerandus primum est ipse Christus cum suo sanguine, deinde ablutio et vitae novitas quae inde manant. In coena primum locum obtinent corpus pro nobis crucifixum et sanguis in cruce fusus, deinde peccatorum expiatio, ius adoptionis, vitae novitas, et quaecunque ad vitam aeternam spectant.

V.

Ergo quicunque rite et pie utuntur sacramentis, Christum, ut illic nobis offertur, una cum spiritualibus eius donis recipiunt. Nam ut verax sit Deus, necesse est quidquid significat et promittit ab ipso impleri ac praestari. Atque ut vera sit significatio, necesse est ut effectus vel res ipsa signo respondeat.

VI.

Quod autem per sacramenta dicimus nos fieri Christi et spiritualium eius donorum participes, in eo non ad signa nuda, sed potius ad promissionem, quae illis adnexa est, respectum habemus. [1]) Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit nostra fides, eatenus ista vis et efficacia, quam dicimus, se exserit. Ita materia aquae aut panis aut vini Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit, sed promissio magis spectanda est, cuius partes sunt nos recta fidei via ad Christum ducere.

VII.

Hic concidit papistarum error qui in elementis obstupescunt, et illis affigunt salutis suae fiduciam, quum sacramenta a Christo separata nihil sint quam inanes larvae, et in ipsis omnibus haec vox clare personet, non alibi quam in solo Christo haerendum, nec aliunde petendam esse salutis gratiam.

VIII.

Praeterea si quid boni per sacramenta nobis confertur, id non fit propria eorum virtute, etiamsi promissionem, qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est qui spiritu suo agit; et quod sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, nec spiritus sui efficaciae quidquam derogat: sed pro ruditatis nostrae captu ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat penes ipsum solum.

IX.

Itaque, quemadmodum Paulus admonet, eum

---

1) *In exemplari turicensi ipsius Calvini manu correcto art. I. ita sonat:* Sunt quidem et alii sacramentorum fines, sed hic unus inter alios, ut per ea gratiam *caett.*

1) *Ex. turic. initium huius articuli sic mutatum exhibet:* Neque enim ad signa nuda . . . . respicere convenit.

qui plantat aut rigat nihil esse, sed unum Deum esse qui dat incrementum, ita et de sacramentis dicendum est, ea nihil esse, quia nihil profutura sint, nisi Deus in solidum omnia efficiat. Instrumenta [1]) quidem sunt, quibus efficaciter, ubi visum est, agit Deus, sed ita ut totum salutis nostrae opus ipsi uni acceptum ferri debeat.

X.

Constituimus ergo unum esse Christum qui vere intus baptizat, qui nos in coena facit sui participes, qui denique implet quod figurant sacramenta; et uti quidem his adminiculis, ut totus effectus penes eius spiritum resideat.

XI.

Sic interdum sacramenta vocantur sigilla, dicuntur fidem alere confirmare promovere, et tamen solus spiritus proprie est sigillum et idem fidei inchoator est et perfector. Nam haec omnia sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostrae portio ab unico autore ad creaturas [2]) transferatur.

XII.

Praeterea sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exserere in omnibus qui sacramenta recipiunt, sed tantum in electis. Nam quemadmodum non alios in fidem illuminat quam quos praeordinavit ad vitam, ita arcana peculiarique spiritus sui virtute efficit ut sacramenta illis solis exhibeant quod offerunt. [3])

XIII.

Hac doctrina avertitur illud sophistarum commentum quod docet sacramenta novae legis conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Praeterquam enim quod in sacramentis nihil nisi fide percipitur, tenendum quoque est, minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut quisquis signum habet re etiam potiatur. Nam reprobis peraeque ac electis signa administrantur: veritas autem signorum ad hos solos pervenit.

XIV.

Certum quidem est offerri communiter omnibus Christum cum suis donis, nec hominum infidelitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant sacramenta: sed non omnes recipiendi sunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil mutatur: quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suae mensura accipit.

XV.

Quemadmodum autem nihilo plus infidelibus confert sacramentorum usus quam si abstinerent, imo ipsis tantum exitialis est, ita extra eorum usum fidelibus constat quae illic figuratur veritas. Sic baptismo abluta sunt Pauli peccata, quae iam prius abluta erant. Sic idem baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen iam spiritu sancto donatus erat. Sic in coena se nobis communicat Christus, qui tamen perpetuo in nobis manet. [1]) Sed quatenus sacramentis confirmatur et augescit fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque augescit quodammodo Christus in nobis et nos in ipso.

XVI.

Ad haec utilitas, [2]) quam ex sacramentis percipimus, ad tempus quo ea nobis administrantur restringi minime debet, perinde ac si signum visibile, dum in medium profertur, eodem secum momento gratiam Dei adveheret. Nam qui in prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia, vel ineunte adolescentia, interdum etiam in senectute regenerat Deus. Ita baptismi utilitas ad totum vitae decursum patet, quia perpetuo viget quae illic continetur promissio. Et sacrae coenae usus, [3]) qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum suum deinde profert.

XVII.

Praesertim vero tollenda est quaelibet localis praesentiae imaginatio. Nam quum hic signa in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus non alibi quam in coelo, nec aliter quam mente et fidei intelligentia quaerendus est. Quare perversa et impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere.

XVIII.

Hoc modo non tantum refutatur papistarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta, [4]) quae vel coelesti eius gloriae detrahunt, vel humanae naturae veritati minus sunt consentanea. Neque enim minus absurdum iudicamus Christum sub pane locare, vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in eius corpus.

---

1) *Huic vocabulo Calvinus in ex. turic. vocem:* organa *subiecit.*

2) creaturas vel elementa. *Calv. in exempl. turic.*

3) *Ex. turic. corrigit:* ita arcana spiritus sui virtute efficit ut percipiant quod offerunt sacramenta.

1) qui tamen et prius se nobis impertierat et perpetuo in nobis manet. *Calv. in ex. turic.*

2) *Hic articulus in ex turic. ita incipit:* Utilitas enim quam *caett.*

3) *Hunc locum Calvinus ibidem sic correxit:* Et fieri interdum potest ut sacrae coenae usus . . . . proferat.

4) *Calv. addidit in ex. turicensi:* atque futiles argutiae.



XIX.

Ac ne qua ambiguitas restet, quum in coelo quaerendum esse Christum dicimus, haec loquutio locorum distantiam nobis sonat et exprimit. Tametsi enim proprie [1]) loquendo supra coelos locus non est, quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura, finitum est, et coelo [2]) continetur, necesse est a nobis tanto locorum intervallo distare, quantum coelum abest a terra.

1) *Ibidem legitur:* philosophice.
2) coelo, ut loco. *ibid.*

XX.

Quod si imaginatione nostra Christum pani et vino affigere fas non est, multo minus licet in pane eum adorare. Quanquam enim panis in symbolum et pignus, eius quam habemus cum Christo communicationis, nobis porrigitur, quia tamen signum est, non res ipsa, neque rem in se habet inclusam, idolum ex eo faciunt qui mentem suam in eum convertunt Christum adoraturi.

IOANNIS HALLERI ANIMADVERSIONES AD IO. CALVINI CONFESSIONEM MINISTRORUM GENEVENSIUM NOMINE SYNODO BERNENSI OBLATAM.

In prima propositione ponitis: Quum in hunc finem sacramenta Dominus instituerit ut per ea gratiam suam nobis testetur atque obsignet, ut vera sint gratiae Dei testimonia et sigilla, vere nobis exhiberi oportet quod figurant. Placet hic mihi quod dicitis, vere nobis exhiberi quod figurant, non, vere nobis exhibere. Colligo enim hinc mentem vestram non esse hanc, quod sacramenta vere verum corpus Christi exhibeant, quasi exhibendi et conferendi instrumenta, sed quod Dominus nobis per spiritum sanctum fide vere exhibeat quod sacramenta obsignant, testantur et figurant, nempe vitam habere in tradito corpore et fuso sanguine, ablutionem item peccatorum in morte Christi, quotquot credunt in eum. Ita sine dubio vere exhibetur fidelibus omnibus quod sacramenta figurant. Nec vos aliter intelligere ex posterioribus colligo propositionibus quibus gratiam, sive veram illam exhibitionem earum rerum quae sacramenta figurant, sacramentis non alligatis. Quia vero multi hactenus nos exhibitione hac vexarunt, et sub ea longe aliam statuerint exhibitionem quam vos statuere sentiam, visa fuit haec propositio dissimulanda potius quam perperam iudicantibus proponenda.

Tertia propositio ut est vera, ita vos iudico etiam sentire de fine sacramentorum, non ut vi eorum aut per illa, tanquam instrumenta, Christo potiamur, sed eatenus quatenus significant, nobis repraesentant, obsignant, imo offerunt etiam, quasi visibiliter, Christum bonorum omnium fontem, ut illum fide comprehendentes beneficio mortis eius reconciliemur Deo, spiritu eius renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique et salutem consequamur.

In quarta nihil desidero, nam idem et nos docemus, nec etiam abhorremus ab hac loquutione, quod in coena primum locum obtineat corpus pro nobis crucifixum et sanguis in cruce fusus etc., quod scilicet fidelem et spiritualem attinet considerationem et contemplationem. Quomodo enim alias sacramentalem usum Domini ad ipsius facere possemus commemorationem?

Ad quintam hoc adiicio, quod Christum una cum spiritualibus eius donis recipiant qui pie utantur et rite sacramentis. Nemo reiicit hoc, sic tamen ut postea ponitis, ut illa perceptio usui non sit alligata, quae, quum sit solius fidei, neque a sacramentis excludi potest, neque ad sacramenta alligari etc. Recte etiam mox quasi per explicationem adiicitis, ut illic nobis offertur, nempe fide et spiritu recipiendus et complectendus. Et hac ratione verax est Deus, qui, ut nobis in verbo promittit et in sacramentis significat fructum mortis filii sui se nobis per fidem semper exhibere velle, ita praestat eundem fructum omnibus, sive in sacramento, sive extra sacramentum, fide sumentibus. Et sic vera etiam est significatio et res ipsa signo respondet, sequente apud electos effectu, quum videlicet fruuntur bonis Christi quae ipsis per sacramenta significata fuerant.

In sexta explicatis quomodo dicatis, per sacramenta nos Christi et spiritualium eius donorum fieri participes, quatenus scilicet non ad signa nuda, sed potius ad promissionem quae illic annexa est, respectum habeamus. Et quae sequuntur. Promissionem intelligo, quod quasi visibiliter nobis loquitur, se ita totum nostrum esse velle cum omnibus suis bonis. Per sacramenta ergo nos ad se invitat, se nobis offert, nos manu ducit quasi ad redemptionem nostram, quam si fide apprehendamus iam per fidem participes nos sui facit, et omnium spiritualium suorum donorum, non autem per sacramenta, nisi quatenus per illa nos ad horum donorum perceptionem invitat. Nec vos aliter intelligere, coniicere possum maxime octava propositione considerata.

In nona inter alia instrumenta esse dicitis sacramenta quibus efficaciter, ubi visum sit, agat Dominus etc. Concedo, quatenus instrumenta significativa, admoni-

tiva, repraesentativa, non applicativa intelligere vos existimo.

Decima et duodecima possunt eatenus quoque ferri, quatenus simul confitemini in sequentibus, decima tertia et sexta, sacramentis gratiam non alligari, ne illa exhibitio etiam electis videatur tantummodo in sacramentis contingere.

In decima quinta dicitis, in coena se nobis communicare Christum, qui tamen perpetuo in nobis maneat. Ubi hoc unum pro declaratione addam, non tantum in coena se nobis communicare Christum, ut extra coenam in nobis maneat, sed et extra coenam, ut ad coenam eum afferamus et in coena in nobis maneat. Recte etiam ipsi adiicitis: sed quatenus sacramentis confirmatur et augescit fides etc.

Decima sexta valde probatur quia multas alias exponit ipsa. Nec in reliquis quatuor quidquam desidero, sed iudico sanctas, pias, et sacris scripturis per omnia congruentes esse, et tam planas, ut si omnes hactenus sic loquuti essent, qui evangelium sunt professi, iam pridem exitiali hac caruissemus contentione.

Quae ego hic addidi non sic addidi ut his vestris loquutionibus adeo offendar, quum facile ex his meis intelligas quo sensu ego a vobis positas esse iudicem, sed volui perpendere omnino quid simpliciores, rudiores, suspiciosiores, contentiosiores offendere potuerit, ne fortassis, dum ego pro tollendis laboro suspicionibus, hisce propositis nutrirem magis. Quae utinam tandem cessent. Videor mihi videre vos idem sentire quod nos. Abhorrere utique ab his erroribus qui hactenus tolerari et dissimulari non potuerunt, utpote de corporali corporis Christi praesentia et humanitatis ipsius in ubiquitatem extensione, item ab alligatione gratiae ad sacramenta. In quibus duobus articulis, meo iudicio, omnis hactenus constitit controversia. Utinam ergo in loquutionibus etiam convenire possimus talibus, quae nihil veteris fermenti saperent, sed ad ecclesiae aedificationem essent appositae, ut non modo idem sentiremus sed et, iuxta quod apostolus monet, loqueremur. Dominus tribuat nobis spiritum suum, qui est unitatis et concordiae spiritus, ne afflictissimam alias ecclesiam nostris magis affligamus contentionibus. Amen.

PETRI VIRETI CONFESSIO DE MINISTERIO VERBI ET SACRAMENTORUM.

Quum sola fides vera sit et certa Christianorum scientia, qua ad veram rerum divinarum cognitionem pervenire et veram consequi salutem homines possint, testeturque Paulus ex divini sermonis auditione eam oriri, atque hanc porro auditionem ex eiusdem divini sermonis annunciatione, minime dubium est quin huius causa ab optimo omnium parente Deo institutum sit ecclesiae ministerium, cuius quasi paedagogia et magisterio sese ad captum demittens humanae imbecillitatis, tanquam pueros omnium rerum divinarum rudes et ignaros, ad earum nos manuduceret cognitionem, in qua omnis nostra vertitur salus, eiusque nos faceret compotes. Quapropter hoc totum ministerium contineri circumscribique voluit divini sermonis annunciatione et sacramentorum administratione. Ergo quum Deus huius ministerii autor sit, ipsum fateor esse quidem efficax, non autem hominum ministrorum ratione atque opera, aut eorum quae ipsi afferre possunt, sed illius solius vi atque efficacia qui eius est autor, et eorum effector quae vi ipsius numinis perficiuntur, qui sui spiritus arcano afflatu corda movet ac intus perficit quod foris externo ministerio nunciat testaturque, idque libere, ubi, quando, per quos et in quibus ipsius bonitati visum fuerit, suo unius, non autem ministrorum arbitrio.

Non est igitur quod quis talem somniet hic statim inter Deum et hominem nostrum individuam aliquam connectionem aut societatem et adhaesionem, perinde ac si Deus nihil sine ministri opera per se efficere possit, aut quasi suum necessario spiritum in os inspiret ministri, dum sacris dat operam, ipsius ministri ore in auditorum animos vicissim inspirandum una cum ipsius halitu corporeaque voce et verbo externo, aut quasi sua inspectabili et divina manu in aspectabilem et humanam manum sua dona effundat, aliis vicissim a ministro distribuenda et impertienda, sed hoc potius Deum per se efficere re vera quod illorum denunciat ministerio.

Atque ideo, tametsi Deum fallacem esse negemus in hoc ministerio, nullas tamen ei leges imponimus, neque vim eius ullis locorum, aut temporum, aut personarum alligamus circumstantiis, sed hoc solum asserimus, nunquam esse electis inutile et otiosum, quoniam ipsorum animos Deo suo perfundere spiritu et fide donare placet, hancque esse viam qua nobis ad se suorumque beneficiorum communitatem aditum patere voluit, et animos nostros rerum corporearum specie ad coelestes subducere.

Ex his itaque facile perspicimus nobis diligenter esse attendendum quid proprium sit hominis ministri, qui tantum plantare et rigare potest, et quid Dei, qui solus dat incrementum.

Quemadmodum ergo non hominem solum et eius opus, sed etiam Deum cum ipsius opere nos in hoc ministerio contemplari oportet, ita necesse est duo nos verbi genera statuere: alterum quidem externum quod ministri ore enunciatur, alterum vero internum quod ex solius Dei ore demanat. Quocirca, tametsi Paulus sermonem illum, cuius minister fuit et quo ex Christi mandato homines instituebat, non hominis sed Dei sermonem esse affirmet, nolumus tamen Pauli verba ita interpretari ut hunc externum sermonem illum proprie esse intelligamus quem alibi vivum efficacemque suapte vi atque natura et quovis ancipiti gladio acutiorem testatur, et quem Esaias in aeternum permanere concionatur, sed huius tantum vivi et efficacis Dei sermonis externam esse notam et signum ac veluti adumbratam quandam expressionem atque imaginem, qui suapte vi atque natura in sensus quidem incurrat externos corporis, internos vero animi permovere efficereque sensus non possit, nisi vivus ille Dei et efficax sermo, cuius est simulacrum, et divini spiritus magisterium accedat, inque hominum animos et corda influat at infundatur.

Idem est de sacramentorum quoque sacris symbolis iudicium, quae, praeterquam quod cum Dei verbo coniuncta sunt semper (sine cuius nota nullam habere possunt sacramentorum rationem, quippe qua in eum finem consignentur, quasi in publicum usum principis moneta aut cera ipsius sigillo), hac nimirum sunt na-



tura praedita ex instituentis decreto ut ipsa etiam quasi aspectabilis sermonis prae se ferant imaginem, sintque, si Augustini verbis uti placet, quasi visibile verbum quod in oculos occurrat, reliquos concitet corporis sensus, veluti aurium sensum externae sonus vocis, et principum sigilla eorum impressa et affixa diplomatibus. Quod sane institutum eo spectat ut familiarius nostrae succurratur infirmitati.

Proinde in sacramentorum negotio duo nobis considerare convenit. Prius est Dei sermo, alterum symbola ipsa quae ipsius sunt tanquam sigilla quaedam. Deinde utrumque horum duplicem admittit rursum considerationem. Nam ut ad internum quoque verbum nobis est respiciendum, quando externum auribus nostris insonat, ita, dum oculis corporis sacramentorum symbola obiiciuntur et obversantur, oculos quoque animi convertere oportet ad eas res quarum sunt symbola.

Ex his omnibus, quae sit vera sacramenti definitio, clarum esse potest. Est itaque sacramentum signum visibile a Christo institutum, quo, ut Deus sua nobis promissa obsignat, ita nos vicissim nostram in eum fidem profitemur.

At vero huiusmodi sacramenta duo duntaxat a Christo instituta agnosco: baptismum scilicet et coenam Domini.

Porro baptismum definio: sacramentum quo nobis nostra regeneratio aquae symbolo obsignatur et in ecclesiam suam nos Christus recipi testatur.

Coena vero sacramentum est quo panis et vini symbolis testatur Christus sui corporis et sanguinis immolatione nos esse redemptos, eaque nobis in spiritualem alimoniam donata esse. Ergo panis et vinum symbola sunt quae rebus terrenis constant. Corpus et sanguis Christi res divinae et spirituales quas ipsae significant. Quum igitur Christus panem vocat suum corpus et vinum suum sanguinem, figurate verba illa, non autem simpliciter, ut prima specie sonare videntur, accipienda sentio, sed eodem sensu quo illa, in eodem rerum genere: circumcisio est foedus Domini, agnus est transitus. Idcirco, qui μετωνυμικῶς est pro significat interpretantur, non repudio sed approbo, praesertim quum haec interpretatio et literis divinis et veterum patrum sententiis apprime consona sit, modo de ea significatione intelligatur quae sacramentis propria est. Huius autem significandi ratio huiusmodi est, ut, quemadmodum nequaquam intelligimus inanibus imaginibus et ludibriis piorum mentes illudi, sacramentorum actione et perceptione, quasi nullus omnino iis inesset rerum coelestium, quae externis symbolis signantur, spiritus divini in fideli anima gustus atque sensus, sic nec terrenas in coelestes transformari, aut coelestes terrenis aliqua necessitate velut individuo nexu alligari, aut affigi, aut cum symbolis coniungi, aut his tanquam in theca concludi, aut verborum virtute Christum e coelo vocari, eius corpus et sanguinem naturali, locali, contigua, aut circumscripta definitivaque praesentia ac ratione nobis in mensa hac opponi visibili, sed ita proponi, ut sublati in coelum animi eo modo in coelesti illa mensa coelesti, hoc est, vivifico pane et divino potu fide et spiritus Christi virtute pascatur, quo nobis corporis alimento in mensa hac visibili oculis subiicitur et repraesentatur, quae coelestis illius mensae imaginem nobis qualemcunque refert, in quam os fidei afferimus, quod solum percipiendis coelestibus illis epulis idoneum est.

Atqui, ne quid relinquatur ambiguitatis in coeli vocabulo, Christum assero ita coelos conscendisse, ut eum neutiquam existimem sic suum hinc corpus subduxisse, ut ipsum minime e terris re ipsa, sed ex oculorum tantum subduxerit conspectu, ipsumque duntaxat occultaverit, ita ut in terris praesens etiamnum corporea versetur praesentia, sed inconspicuus et invisibili modo. Sed contra vere ascendisse, ipsiusque corpus eo a nostris seiunctum esse naturali modo locorumque intervallo, quo a terra coelum distat, illicque certum habere locum, coelesti eius gloriae proprium et corpori glorificato congruum, tametsi, qualis sit, certo non possit ratione humana definiri. Alioqui eius ascensio haud recte ac proprie ascensio diceretur, sed potius absconsio, aut, ut ita dicam, invisibilitas.

Caeterum quod attinet ad communicationem quae electis est cum Christo, in eam nos admitti agnosco simul atque evangelium fide suscipimus adoptamurque eius beneficio in filios Dei, ac eam subinde augeri, quo magis nostra augescit et adolescit fides. Quum autem eius velut adminicula divinum sermonem et sacramenta fateamur, dubium non est quin ea hinc magis atque magis adolescat, quo magis animus afficitur per earum simulacra rerum quibus Deus permoveri voluit externos hominis sensus: si modo ipse vim sui spiritus in piorum cordibus exercere voluerit. Quod sane illi facillimum est, sive id in ipsa sacramentorum actione, sive extra ipsam praestare statuerit. Quamvis non dubitem, tum pietatem et religionem maxime in animis nostris versari, quum rebus divinis operam damus.

Ergo quamvis aqua signum est in baptismo effusi semel in ara crucis Christi sanguinis, rei quae iam praeteriit, eadem tamen ipsius quoque praesentis signum est, qui, ut in cruce semel naturali modo effusus est, ita quotidie ratione spirituali per fidem in animos fidelium effunditur, in peccatorum ablutionem, neque id solum dum aqua illa tingimur, sed toto vitae nostrae curriculo, si modo vera Christi membra sumus. Alioqui, si vis illius effusionis non se in omnia saecula, in omnes aetates, et totam denique hominis vitam diffunderet, sed eo tantum temporis momento circumscriberetur quo baptismi abluimur lavacro, non quotidie modo, sed singulis etiam horarum momentis eo nobis esset accurrendum.

Simile est de pane et vino in coena iudicium. Signa sunt quidem rei magna ex parte praeteritae, immolati scilicet in ara crucis corporis Christi et effusi sanguinis in peccatorum nostrorum expiationem: sunt et absentis corporis et sanguinis Christi symbola, quod quidem attinet ad corporalem et naturalem eius in terris praesentiam. Interea tamen non desinit nobis esse panis ille coelestis, vitae largitor aeternae, et verum animorum alimentum, et totius spiritualis hominis, idque perpetuo. Nam in eum finem expendi in cruce voluit, et nobis sacrosancta sua coena testari, sic nos coelesti illo pane perpetuo ali in vitam aeternam, sicuti baptismo nos in se renatos confirmat.

Ego Petrus Viretus fateor me hanc edidisse fidei meae confessionem de verbi et sacramentorum ministerio, neque me unquam sensisse, loquutum esse, aut scripsisse in aliam sententiam. Bernae 26. Martii anno 1549.



CONSENSIO MUTUA IN RE SACRAMENTARIA MINISTRORUM TIGURINAE ECCLESIAE ET D. IOANNIS CALVINI MINISTRI GENEVENSIS ECCLESIAE.

ORNATISSIMIS VIRIS ET FIDELIBUS CHRISTI SERVIS, TIGURINAE ECCLESIAE PASTORIBUS AC DOCTORIBUS, CARISSIMIS SYMMYSTIS ET OBSERVANDIS FRATRIBUS, IOANNES CALVINUS S. D.

Tametsi eadem saepius de re vobiscum ago, non tamen puto mihi timendum esse, ne importunus esse videar. Quando idem utrisque studium [1]) est, fieri non potest, quin vobis probetur quod ago. Quod autem paulo acrius insto, huc me assiduae bonorum virorum flagitationes stimulant. Iam aliquoties monui levi quidem [2]) de causa, non tamen sine praetextu offendi permultos, quod de sacramentis [3]) diversum a vobis, nescio quid, tradere videar. [4]) Vestram ecclesiam, quae tot praeclaris dotibus ornata est, merito reverentur: nostrae quoque, et mihi forsan privatim, aliquid deferunt. Ita cupiunt scriptis [pag. 4] nostris in discenda pietatis doctrina adiuvari, ne qua dissensionis species eorum progressus moretur. Huic offensioni tollendae quum nullum putarem aptius fore remedium, quam si familiari colloquio rationem communiter iniremus testandae nostrae [5]) consensionis, hac de causa profectionem, ut scitis, ad vos suscepi: et venerandus collega noster Guilhelmus [6]) Farellus, (ut est indefessus Christi miles) qui mihi dux alioqui et autor erat, comitem se adiungere non recusavit. Ut inter nos conveniat, testari quidem vere ac fideliter utrinque possumus: sed quia rem, ut est, non omnibus persuadeo, mihi plurimum dolet, anxios vel suspensos manere, quorum tranquillitati melius consultum optarem. Proinde, ut initio praefatus sum, nihil intempestivum facere me [7]) arbitror, si urgeo, ut publicum aliquod eius quae inter nos constat consensionis testimonium exstet.

Ego vero capita, de quibus inter nos contulimus, et breviter colligere, et ordine digerere, operae pretium esse existimavi: ut, si vobis meum consilium probabitur, cuivis velut [pag. 5] in tabula cernere liceat, quid inter nos et actum et transactum fuerit. Certe bona fide me ex sermonibus nostris retulisse, quaecunque subiiciam, vos testes mihi [8]) fore confido. Nos vero (me et Farellum dico) pari vobiscum studio, sinceram omnique fuco et astutia vacuam perspicuitatem quaesiisse, pii lectores, ut spero, animadvertent. Quanquam simul admonitos esse velim, nihil hic contineri, quod non collegae etiam nostri, quotquot vel sub reipublicae Genevensis ditione, vel in comitatu Neocomensi Christo serviunt, sua subscriptione approbaverint. Valete praestantissimi viri, et mihi vere ex animo [9]) colendi fratres. Dominus vos spiritu suo regere pergat in ecclesiae suae aedificationem, vestrisque laboribus benedicat. Genevae, Calendis Augusti. Anno Domini 1549.

---

1) iudicium *Edd. genev. omnes et Amst.* (iugement). 2) quidem *omitt. eaedem.* 3) de sacramentis *om. eaedem.* 4) *Versio gallica hic addit:* adioustans qu'ilz avoyent quelque couleur d'ainsi penser, encor qu'il n'y eust pas cause suffisante. 5) nostrae *exhibet sola princeps Turic.* 6) Gulielmus *Genev. et Amst.* 7) me facere *Genev. etc.* 8) mihi testes. *eaedem.* 9) animo vere *Genev.*

SEQUUNTUR ARTICULI CONSENSIONIS. [1]

[pag. 6] I. *Totum ecclesiae regimen spirituale ad Christum nos ducit.* Quum Christus sit finis legis, et eius cognitio [2]) totam in se evangelii summam comprehendat, non dubium est, quin huc spectet totum spirituale ecclesiae regimen, ut ad Christum nos ducat: sicuti per eum solum ad Deum pervenitur, qui ultimus est beatae vitae finis. Itaque quisquis hinc vel minimum deflectet, nunquam de ullis Dei institutis rite vel apposite loquetur.

II. *Sacramentorum cognitio vera, ex cognitione Christi.* Quum autem sacramenta sint evangelii [3]) appendices, [4]) is demum et apte et utiliter de eorum natura, vi, officio et fructu disseret, qui a Christo exordietur. Neque id modo, ut obiter Christi nomen attingat, sed ut vere teneat, quorsum nobis datus sit a patre, et quid nobis bonorum attulerit. [5])

[pag. 7] III. *Cognitio Christi qualis.* Sic ergo habendum est, Christum, quum aeternus esset Dei filius, eiusdem cum patre essentiae et gloriae, induisse carnem nostram, ut iure adoptionis, id quod natura proprium habebat, nobis communicaret, nempe, ut simus filii Dei. Quod fit, dum fide inserti in corpus Christi, idque spiritus sancti virtute, primum iusti censemur gratuita iustitiae imputatione, deinde regeneramur in novam vitam: quo reformati in imaginem patris coelestis, veteri homini renunciemus.

IV. *Christus sacerdos. Christus rex.* Ita Christus in carne sua considerandus est nobis sacerdos, qui peccata nostra unico mortis suae sacrificio expiavit, qui omnes nostras iniquitates delevit sua obedientia, qui perfectam nobis [1]) iustitiam comparavit, qui nunc intercedit pro nobis, ut accessus nobis ad Deum pateat. Considerandus est tanquam victima expiatrix, qua placatus est Deus mundo. Considerandus est frater, qui nos ex [pag. 8] miseris Adae filiis effecit beatos Dei filios. Considerandus est reparator, qui spiritus sui virtute reformat quidquid in nobis est vitiosum, ut mundo vivere desinamus et carni, ac Deus ipse in nobis vivat. Considerandus est rex, qui omni bonorum genere nos ditat, qui nos gubernat sua virtute, ac tuetur, qui spiritualibus nos armis instruit, ut adversus diabolum et mundum invicti stemus [2]) qui nos ab omni noxa liberat, qui oris sui sceptro nos moderatur ac regit. Atque ita considerandus, ut ad se Deum verum, et ad patrem nos evehat: [3]) donec impleatur illud, quod tandem futurum est, nempe, ut sit Deus omnia in omnibus.

V. [4]) *Quomodo Christus se nobis communicet.*

---

1) Consensionis capita. *Edd. Genev. omnes (Crisp. Gallas. Bes.) et Amst. Numeros articulorum in latinis quidem exemplaribus Beza primus apposuit, quos tamen et nos, quanquam alioquin editiones authenticas pressius sequentes, in lectorum commodum servandos duximus. Rubricas marginales omnibus libris communes corpori scripturae inserimus sed typis cursivis ab ipso textu distinctas.*

2) *Sic praeter principem Turicensem habet quoque codex Genev.* 145 *ubi fol.* 86 *exstant annotationes ad Consensionem nostram Caroli Ionvillaei manu scriptae, sed ut videtur dictante Calvino, qui et ipse propria manu quaedam addidit. Quas infra singulis articulis subiiciemus. Caeterae edd. omnes habent:* agnitio. *Ita quoque bis in rubrica art. II.*

3) Evangelii sint *Genev. caett.*

4) dependances et accessoires.

5) Cf. Calvin. Instit. Cap. 16 [§. 20]: In eundem in quem . . . . necesse est. *Ionvill. l. c. Locus exstat in ed. nostra T. I. p.* 953.

1) nobis perfectam *Genev. caett.*

2) *Pro* instruit *sola Amst. habet* instituit. *Quae sequuntur:* ut adversus diabolum et mundum invicti stemus, *leguntur in sola principe Turicensi.*

3) nous eslieve à sa maiestó divine et à celle de son Pere.

4) *Totus hic articulus quintus abfuit a textu de quo inter Calvinum et Bullingerum mense Maio Turici convenerat. Sic enim ille ad hunc in ep. d.* 26. *Iunii scribit, cuius autographon vidimus Genev. Cod.* 107 a. *fol.* 13*:* Quidam monuerunt, si quando in publicum exiret (*consensio*), pauca desiderari posse, quae si adderentur aliquid lucis et simul gratiae accederet. Primum, ubi dicimus, Christum in carne sua considerandum esse sacerdotem, regem etc. tum continuo post subiicimus: *Haec spiritualis est communicatio* . . . . hoc certe nimis est abruptum. Corrigi autem facile vitium posset hanc sententiam inserendo: *Porro . . . . facit.* In his verbis scio nihil esse quod non vobis arrideat. Et omnino tale aliquid

Porro, ut se nobis talem exhibeat Christus, ac eiusmodi effectus in nobis proferat, unum cum ipso nos effici, et in eius corpus coalescere oportet.[1]) Quia[2]) non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est, ex quo totum corpus compactum [pag. 9] et connexum, per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensura cuiusque membri augmentum corporis facit.[3])

VI. *Spiritualis communicatio. Sacramenta instituta.*[4]) Haec spiritualis est communicatio, quam habemus cum filio Dei, dum spiritu suo in nobis habitans facit credentes omnes omnium quae in se resident bonorum compotes. Cuius testificandae causa, tam evangelii praedicatio instituta est,[5]) quam sacramentorum usus nobis commendatus: nempe, sacri baptismi et sacrae coenae.[6])

VII. *Sacramentorum fines.* Sunt quidem et hi sacramentorum fines, ut notae sint ac tesserae christianae professionis et societatis, sive fraternitatis: ut sint ad gratiarum actionem incitamenta, et exercitia fidei, ac piae vitae: denique syngraphae ad id obligantes. Sed hic unus inter alios praecipuus, ut per ea nobis suam[7]) gratiam testetur Deus, repraesentet atque obsignet. Nam etsi nihil aliud significant, nisi quod[8]) verbo ipso annunciatur, hoc [pag. 10] tamen magnum est, subiici oculis nostris quasi vivas imagines, quae sensus nostros melius afficiant, quasi in rem ducendo, dum nobis Christi mortem, omniaque eius beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur, deinde[9]) quod ore Dei pronunciatum[10]) erat, quasi sigillis confirmari et sanciri.[11])

---

texendae orationi necessarium est. *Iam vero hac sententia inserta reliqua pars art. IV. separatim numerata sextum constituit.*

1) nos oportet. *Genev. caett.*

2) Quia. *Sic scribunt princeps Turicensis, Crispinus, Gallasius, Defensio* 1555, *adeoque Calvinus ipse in ep. modo laudata. Beza et Amst. habent:* Qui.

3) faciat. *Genev. caett. — Ad hunc Articulum Ionvillaeus l. l. confert* Calv. in 11 prioris ad Corinth. (*v.* 24): Ego tum demum participare .... ipso coalescimus. *Item:* Calv. in Catechismo: Quum in Christo sita sit .... dum se nostra facit. Idem in eodem: Recipiendi porro modus .... participes fiamus. *Habes haec in editione nostra Catechismi* pag. 124 et 125.

4) Sacramenta ad quid instituta 1555.

5) est *omitt. omnes praeter principem Turic.*

6) Calv. Cap. 16 [§. 16] Institutionis: Christum sacramentorum omnium materiam .... extra ipsum promittunt *Ionvill. l. l.*

7) gratiam suam *edd. omnes sola principe excepta.*

8) quam quod *eaedem.*

9) Et aussi ce n'est point peu de chose.

10) pronunciatum *Turic. Crisp. Gallas. et Defensio* 1555. praenunciatum *Beza*, renunciatum *Amst.*

11) Calv. Cap. 16. [§. 5] Instit. Et quid est, obsecro, quod aliquem .... in tabula depictas nobis ad vivum repraesentant etc. Idem eodem [§. 7]: Constituimus ergo .... adaugent fidem nostram. *Ionvill. u. s.*

VIII. *Quod vere sacramenta figurant Dominus vere praestat.*[1]) *Gratiarum actio.* Quum autem vera sint, quae nobis Dominus dedit gratiae suae testimonia et sigilla, vere procul dubio praestat ipse intus suo spiritu, quod oculis et aliis sensibus figurant[2]) sacramenta: hoc est, ut potiamur Christo, tanquam bonorum omnium fonte, tum ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, spiritu[3]) renovemur in vitae sanctitatem, iustitiam denique ac salutem consequamur, simulque pro his beneficiis olim in cruce[4]) exhibitis, fide vero perceptis a nobis, et quae quotidie fide percipimus,[5]) iam[6]) agamus gratias.[7])

IX. *Distincta signa et res signatae.*[8]) Quare, etsi distinguimus, ut par est, inter signa et res signatas, tamen non [pag. 11] disiungimus a signis veritatem: quin omnes, qui fide amplectuntur oblatas[9]) illic promissiones, Christum spiritualiter, cum spiritualibus eius donis recipere, adeoque et qui dudum participes facti erant Christi, communionem illam continuare ac reparare fateamur.

X. *Promissio maxime in sacramentis spectanda.* Neque enim ad signa nuda, sed potius ad promissionem, quae illic annexa est, respicere convenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit[10]) nostra fides, eatenus ista vis et efficacia, quam dicimus, se exserit.[11]) Ita materia aquae, panis aut vini, Christum nequaquam nobis offert, nec spiritualium eius donorum compotes nos facit: sed promissio magis spectanda est: cuius partes sunt, nos recta fidei via ad Christum ducere, quae fides nos Christi participes facit.[12])

---

1) Quod .... praestat, *leguntur haec in sola Turicensi.*

2) tout ce que les sacremens figurent par dehors.

3) spiritu *omitt. in versione gallica.*

4) olim in cruce exhibitis, qui nous ont une fois esté donnez.

5) fide vero perceptis a nobis et quae quotidie fide percipimus. *Sic quidem legitur in editione principe, sed male. Lectio ex duabus diversis insulse conflata. Scilicet primum scripserat Calvinus: fide vero perceptis a nobis .... postea animadvertit orationem alioqui nonnihil asperam* (*quae ipsius sunt verba in ep. ad Bullingerum supra* p. 752 *laudata*) *mitigari hoc modo posse:* et quae quotidie fide percipimus. *Addit, sensum ita pleniorem futurum. Quam posteriorem lectionem exhibent recentiores libri omnes.*

6) iam agamus gratias. *Sic Turic. Caeterae:* gratias agamus *omisso* iam.

7) Calvin. Instit. Cap. 18 [§. 18]. Fateor panis fractionem .... ac sibi persuadeant. *Ionvill.* (*quem hic locus demonstrat editionem a.* 1543 *respexisse: vide quae annotavimus T. I, pag.* 1002). Idem in Catechismo: Sic baptismum esse .... nobis certum est. [*Ed. nostr. p.* 118.]

8) *Sic sola princeps. Caeterae:* Non disiuncta quidem sed distincta *etc.*

9) illic oblatas. *Edd. Genev.*

10) proficiet 1555. proficiat *Crisp. Gallas. Bez. Amst.*

11) exseret *Edd. Genev.*

12) Calv. in 5 ad Ephes. [*v.* 26]: Verbo sublato perit tota .... et usus signi explicatur. Idem, cap. 16 Instit. [§. 15]: Ut autem non signum veritate .... illis capies utilitatis. Ibid. [§. 16]. Quantum igitur tum ad .... vera fide

XI. *In elementis non obstupescendum.* Hinc concidit eorum error, qui in elementis obstupescunt, [1]) et illis [2]) affigunt salutis suae fiduciam: quum sacramenta [pag. 12] a Christo separata nihil sint quam inanes larvae: et in ipsis omnibus haec vox claro personet, non alibi quam in solo Christo haerendum, nec aliunde petendam esse salutis gratiam. [3])

XII. *Sacramenta per se nihil efficiunt.* Praeterea, si quid boni nobis per sacramenta confertur, id non fit propria eorum virtute, etiamsi promissionem, qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est, qui spiritu suo agit: et quod sacramentorum ministerio utitur, in eo neque vim illis suam infundit, nec spiritus sui efficaciae quidquam derogat: sed pro ruditatis nostrae captu, [4]) ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facultas maneat apud ipsum solum. [5])

XIII. *Deus organo utitur, sed ita ut omnis virtus sit Dei.* Itaque, quemadmodum Paulus admonet, eum qui plantat aut rigat nihil esse, sed unum Deum qui dat incrementum: ita et de sacramentis dicendum est, ea nihil esse, quia nihil profutura sint, nisi Deus in solidum omnia efficiat. Organa quidem sunt, quibus [pag. 13] efficaciter, ubi visum est, agit Deus: sed ita, ut totum salutis nostrae opus, ipsi uni acceptum ferri debeat. [6])

XIV. Constituimus ergo unum esse Christum, qui vere intus baptizat, qui nos in coena facit sui participes, qui denique implet quod figurant sacramenta: et uti quidem his adminiculis, [7]) ut totus effectus penes eius spiritum resideat. [8])

XV. *Quomodo sacramenta confirment.* Sic interdum sacramenta vocantur sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare, promovere: et tamen solus spiritus proprie est sigillum, [1]) et idem fidei inchoator est et perfector. Nam haec omnia sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt, ut ne minima quidem salutis nostrae portio ab unico autore ad creaturas vel elementa transferatur. [2])

XVI. *Non omnes sacramento participantes, re quoque participant.* Praeterea sedulo docemus, Deum non promiscue vim suam exserere in omnibus qui sacramenta recipiunt: sed tantum in electis. Nam quemadmodum [pag. 14] non alios in fidem [3]) illuminat, quam quos praeordinavit ad vitam, ita arcana spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quod offerunt [4]) sacramenta. [5])

XVII. *Sacramenta non conferunt gratiam.* Hac doctrina evertitur illud sophistarum [6]) commentum, quod docet sacramenta novae legis [7]) conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Praeterquam enim quod in sacramentis nil nisi fide percipitur, tenendum quoque est, minime alligatam ipsis esse Dei gratiam, ut quisquis signum habet [8]) re etiam potiatur. Nam reprobis peraeque ut electis signa administrantur, veritas autem signorum ad hos solos pervenit. [9])

XVIII. *Omnibus offeruntur Dei dona, fideles duntaxat percipiunt.* Certum quidem est, offerri communiter omnibus Christum cum suis donis, nec hominum infidelitate [10]) labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant sacramenta: sed non omnes Christi et donorum eius sunt capaces. Itaque ex Dei parte nihil [pag. 15] mutatur: quantum vero ad homines spectat, quisque pro fidei suae mensura accipit. [11])

---

suscipimus. Idem in 7 sess. concil. Trident. [*can.* 4 *ed. nostr. p.* 494]: Qui a sacramentis fidem separat . . . . quum sint evangelii sigilla. Idem in Catechismo [*pag. nostr.* 120]: Quomodo per baptismum . . . . vestimur Christo eiusque spiritu donamur. *Ionvill. l. l.*

1) qui s'amusent comme eslourdis.

2) illic, *Edd. Genev.*

3) Calv. in 5 ad Ephes. [*ubi supra, sed paulo antea*]: Hic demum verus ac rectus sacramenti usus est . . . . et in ipso sistere. Idem Cap. 16 Instit. [§. 16]: Alterum vitium est . . . qui nos Christi facit participes. Et Cap. 17 [§. 2]: Quis nos aqua mundari . . . . unicum nostrum lavacrum. Et in Catechismo [*pag. n.* 114 *seq.*]: Quo igitur modo et quando usum sacramentorum . . . . obsignatione vero in baptismo. *Ionvill.*

4) pro ruditatis nostrae captu *omitt. in versione gall.*

5) Calv. in 12 prioris ad Corinth. [*v.* 13]: Optimum temperamentum . . . . addit esse opus spiritus sancti. In 3 ad Titum [*v.* 5]: Vim et usum sacramentorum . . . . detrahit quod suum est. Cap. 16 Instit. [§. 9]: Sic inter spiritum sacramentaque . . . . multae energiae refertum. Ibid. [§. 17]: Nec ulterius proficiunt . . . . reputandam docemus. In 7 sess. concil. Trident. [*can.* 8 *ed. nostr. pag.* 495]: Nam in sacramentis proprie . . . . quando per eos agit unus Deus. *Ionvill.*

6) Calv. in 10 prioris ad Corr. [*v.* 3]: Si man spiritualis erat cibus . . . . separare non est nostrum. *Ionvill.*

7) et sic quidem uti his adminiculis *Edd. Genev.*

8) Calv. in 10 prioris ad Corr. [*v.* 3]: Confundunt papistae . . . . perperam transferatur. Idem Cap. 17 Instit. [§. 8]: Quum Ioannes aqua se . . . . interioris gratiae autor. *Ionvill.*

1) le sceau souverain.

2) Calvin. in 5 ad Ephes. [*v.* 26]: Est ergo Deus qui mandat . . . . vim suam mutuatur. — Calvin. in 5 ad Ephes. [*l. l. paulo antea*]: Interea . . . . ne quod unius Dei est . . . . in elemento vel in homine haereat [*Hic locus ab ipso C. propria manu adscriptus est*]. Calv. Cap. 16 Instit. [§. 8]: Primum verbo suo nos docet . . . . et oculis obversarentur. Item [§. 9]: Sic confirmandae . . . . auribus vox insonet. *Ionvill.*

3) in fidem *omitt. vers. gall.*

4) quae offerunt *Edd. Genev.*

5) Calvin. in 5 ad Ephes. [*u. s.*]: Multi signum recipiunt . . . . absque spiritu est inefficax. *Ionvill.*

6) des Sorboniques.

7) du Nouveau Testament.

8) habeat. *Edd. Genev.*

9) Calvin. in 12 prioris ad Corr. [*v.* 13]: Multis literalis tamen . . . . percipiunt cum sacramento. Idem Instit. Cap. 16 [§. 14]: Quid vero est sacramentum . . . . vera fide percipiat *etc.* *Ionvill.*

10) incredulitate. *Edd. Genev.*

11) Calvin. in 3 prioris ad Corr. [*v.* 7]: Quum potentiam suam . . . . tametsi ergo et nostrum laborem non respicit [*Calvinus propria manu superscripsit:* despicit; *edd. habent:* respuit] coelestis pater . . . . sua pendere [*Cal. p. m. add.*

XIX. *Fideles ante et extra sacramentorum usum Christo quoque* [1]) *communicant.* Quemadmodum autem nihilo plus sacramentorum usus infidelibus confert, quam si abstinerent, imo illis [2]) tantum exitialis est: ita extra eorum usum fidelibus constat quae illic figuratur veritas. Sic baptismo abluta sunt Pauli peccata, quae iam prius abluta erant. Sic idem baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen iam spiritu sancto donatus erat. Sic in coena se nobis communicat Christus, qui tamen et prius se nobis imperticrat, et perpetuo manet in nobis. Nam quum iubeantur singuli se ipsos probare, inde consequitur, fidem ab ipsis requiri, antequam ad sacramentum accedant. Atqui fides non est sine Christo, sed quatenus sacramentis confirmatur et augescit fides, confirmantur in nobis Dei dona, adeoque augescit quodammodo [3]) Christus in nobis, et nos in ipso. [4])

XX. [pag. 16] *Adeo non alligatur gratia actioni sacramentorum, ut fructus eorum percipiatur aliquando post actionem.* Utilitas porro quam ex sacramentis percipimus, ad tempus, quo ea nobis administrantur, minime restringi debet: perinde ac si visibile signum, dum in medium profertur, eodem secum momento Dei gratiam adveheret. Nam qui in prima infantia baptizati sunt, eos in pueritia, vel ineunte adolescentia, interdum etiam in senectute regenerat Deus. Ita baptismi utilitas ad totum vitae decursum patet: quia perpetuo viget quae illic continetur promissio. Et fieri interdum potest, ut sacrae coenae usus, qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram parum prodest, fructum deinde suum proferat. [5])

XXI. *Localis imaginatio tollenda.* Praesertim vero tollenda est quaelibet localis praesentiae imaginatio. Nam quum signa hic in mundo sint, oculis cernantur, palpentur manibus, Christus quatenus homo est, non alibi quam in coelo, nec aliter quam mente et fidei intelligentia quaerendus [pag. 17] est. Quare perversa et impia superstitio est, ipsum sub elementis huius mundi includere. [6])

XXII. *Expositio verborum coenae Domini: Hoc est corpus meum.* Proinde qui in solennibus coenae verbis: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus,

vult] eius successum ut integra laus apud se maneat. Calv. in 11 prioris ad Corr. [*v.* 27]: Huc quidam provecti . . . . coena Petrus quam Iudas *etc.* Calv. in 3 ad Gal. [*v.* 27]: Si quis hic quaerat . . . . facere nequeunt. *Ionvill.*

1) quoque *om. edd. Genev.*

2) tantum illis *eaedem.*

3) quodammodo augescit *eaedem.*

4) Calvin. Instit. Cap. 16 [§. 14]: Ex quo alterum etiam . . . . signo esse posse *etc.* Et Cap. 17 [§. 14. 15]: Non quia sacramento . . . . fidei exercitationem. *Ionvill.*

5) Calv. in Catechismo [*p. n.* 126]: Numquid hanc communionem . . . . sicuti unum cum patre est et similia. *Ionvill.*

6) Calv. in 10 prioris ad Corr. [*v.* 4]: Iam diximus . . . . substantiali unione. Calv. Instit. cap. 18 [§. 20]: Et Christi corpus finitum esse . . . . nefas esse ducimus. *Ionvill.*

praecise [1]) literalem, ut loquuntur, sensum urgent, eos tanquam praeposteros interpretes repudiamus. Nam extra controversiam ponimus, figurate accipienda esse, ut esse panis et vinum dicantur id quod significant. Neque vero novum hoc aut insolens videri debet, ut per metonymiam ad signum transferatur rei signatae [2]) nomen: quum passim in scripturis eiusmodi loquutiones occurrant, et nos, sic loquendo, nihil afferimus, quod non apud vetustissimos quosque et probatissimos ecclesiae scriptores exstet. [3])

XXIII. *De manducatione carnis Christi.* [4]) Quod autem carnis suae esu et sanguinis potione, quae hic figurantur, Christus animas nostras per fidem spiritus sui [5]) virtute pascit, id non perinde [pag. 18] accipiendum, quasi aliqua fieret [6]) substantiae vel commixtio vel transfusio: sed quoniam ex carne semel in sacrificium oblata, et sanguine in expiationem effuso, vitam hauriamus. [7])

XXIV. *Contra transsubstantiationem et alias ineptias.* Hoc modo non tantum refutatur papistarum commentum de transsubstantiatione, sed crassa omnia figmenta atque futiles argutiae, quae vel coelesti eius gloriae detrahunt, vel veritati humanae eius [8]) naturae minus sunt consentanea. [9]) Neque enim minus absurdum iudicamus, Christum sub

1) praecise: ricq à ricq.

2) figuratae. *Edd. Genev.*

3) Calv. in 11 prioris ad Corr. [*v.* 24]: Cur appellatio corporis . . . . nomen signo tribuit. — Instit. Cap. 18 [§. 10 *seqq.*] fuse de expositione metonymica disserit. *Ionvill.*

4) corporis Christi. *Edd. Genev.*

5) sancti *eaedem.*

6) fiat aliqua *eaedem. Lectio turicensis Calvini authentica fuit teste epistola in nota seq. alleganda.*

7) *Totus hic articulus aberat a recensione textus primaria. Sic enim scribit Calvinus ad Bullingerum d.* 26. *Iunii in ep. supra laudata:* Post caput decimum octavum [*nunc* XXII.] ubi figurate exponimus coenae verba: Hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, cogitavi non intempestivum fore si obviam iretur quorundam dubitationi. Erunt enim procul dubio boni quidam viri, quos male habebit nullam fieri rei mentionem, ubi signum duntaxat nominatur, praesertim quum in toto scripto verbum de carnis manducatione non fiat. Sicuti autem nimium cauti esse non possumus ne quid crassis opinionibus affine verba nostra redoleant, ita rursus studendum est ne homines moderati recteque sentientes minus quam quod satis est reperiant. Atqui non difficilis esset satisfaciendi ratio si qua talis expositio adderetur: *Quod autem carnis suae esu . . . . vitam hauriamus.* Hic quoque nihil puto contineri quod aut verbis displiceat, aut aliis suspectum esse possit, aut denique calumniae futurum sit obnoxium. Quod si omittatur, audientur multorum querimoniae, praeteritum fuisse quod maxime ad rem pertinebat. Nec deerunt qui astute id factum esse obstrepant. Qui vero minus erunt iniqui et maligni interpretes data opera nos dissimulasse suspicabuntur, quia inter nos male conveniret. Ad haec in multorum animis scrupulus de modo et ratione manducationis haerebit. Nemo festinationi ignoscet, quia et in re tanta maturitatem omnes requirent et vix ullis persuadebitur nos adeo properasse. . . . .

8) eius *om. edd. Genev.*

9) consentaneae *eaedem.*

pane locare, vel cum pane copulare, quam panem transsubstantiare in eius [1]) corpus. [2])

XXV. *Christi corpus in coelo ut in loco est.* Ac ne qua ambiguitas restet, quum in coelo quaerendum Christum esse [3]) dicimus, haec loquutio locorum distantiam nobis sonat et exprimit. Tametsi enim philosophice loquendo, supra coelos locus non est: quia tamen corpus Christi, ut fert humani corporis natura et modus, finitum est, et coelo, ut loco, continetur: necesse est a [pag. 19] nobis tanto locorum intervallo distare, quantum [4]) coelum abest a terra. [5])

1) in corpus eius *eaedem.*
2) Calv. in 11 prioris ad Corr. [*v.* 24]: Interea tamen crassas . . . . se tibi communicet. Instit. Cap. 18 [§. 22]: Talem Christi in coena . . . . vel in pluribus ponitur locis. *Ionvill.*
3) esse *om. edd. Genev.*
4) quanto *eaedem.*
5) Calv. in 4 ad Ephes. [*v.* 10]: Quum dicitur Christus in coelo esse . . . . mundi machina. In Catechismo [*pag. nostr.* 129 *seq.*]: Ergo nec corpus in pane . . . . frustra quaeri. *Ionvill.*

XXVI. *Christus non est adorandus in pane, vel in sacramento.* [1]) Quod si imaginatione nostra Christum pani et vino affigere fas non est, multo minus licet in pane eum [2]) adorare. Quanquam enim panis in symbolum et pignus, eius quam habemus cum Christo communionis, nobis porrigitur: quia tamen signum est, non res ipsa, neque rem in se habet inclusam [3]) aut affixam, idolum ex eo faciunt, qui mentem suam in eum convertunt, Christum adoraturi. [4])

1) vel in sacramento *om. edd. Genev.*
2) eum in pane *eaedem.*
3) inclusam habet *eaedem.*
4) Calv. in 11 prioris ad Corr. [*v.* 24]: Ita fit ut obstupescant . . . . mera idololatria. Instit. Cap. 18 [§. 32]: Qui sacramenti adoratione . . . . est exsecrabile idolum. *Ionvill.*

TIGURINORUM RESPONSIO AD D. CALVINI SCRIPTUM. [1]

ECCLESIAE GENEVENSIS FIDO PASTORI D. IOANNI CALVINO, FRATRI CARISSIMO, PASTORES DOCTORESQUE MINISTRI TIGURINAE ECCLESIAE S. D.

[pag. 20] *Ingens tuum studium, Calvine, frater in Domino colendissime, et opera sedula, quibus moliris doctrinam de sacramentis in dies illustriorem facere, ac tollere offensiones e media ecclesia, quae obortae videntur ex obscuriore quadam explicatione mysteriorum: adeo nihil molestiae nobis adferunt, ut ea non modo laude ac praedicatione digna, verum etiam pro nostra virili et adiuvanda esse et imitanda iudicemus. Quum enim sacrosanctae leges principis nostri Iesu Christi omnes actiones referant ad culturam* [pag. 21] *caritatis, studiumque mutuum iuvandi, nihil etiam severius prohibent, quam ut ullus obiiciat alteri impedimentum, quo minus vel recte vereque iudicet de iis rebus, quarum notitia necessaria est, aut certe utilis et salutaris hominibus: vel minus praestet officium suum, quod tum Deo, tum proximis debetur: eademque gravitate* [2] *iubent summovere, quantum fieri potest, offendicula, in quae impingere solent homines. Quamobrem causa tui adventus ad nos, et D. Guilhelmi Farelli venerandi nobis fratris, honestissima nobis visa est, et in primis digna viris ecclesiasticis: ut primum familiari colloquio, quam simplicissime mutuo* [3] *exponeremus nostram sententiam de sacramentis, praesertim in iis capitibus, in quibus aliqua certe controversia hactenus fuit, inter eos qui per caetera capita sinceriorem evangelii doctrinam magno consensu tradiderunt: deinde consensum nostrum edito in publicum scripto testaremur. Nullam enim aliam viam et rationem commodiorem videmus, qua controversiae religionis dirimantur, aut pellantur* [pag. 22] *vanae suspiciones, ubi discrepantia nulla exsistit, aut denique tollantur offensiones, quae nasci nonnunquam solent in ecclesia Dei ex docentium controversis opinionibus, quam si partes, quae dissentire videntur, aut re vera dissentiunt, invicem apertissime suam mentem explanent, tum sermone, tum scriptis. Sed parum esset veritatem investigatam et deprehensam apud eos retineri, nisi aliis quoque hominibus ea patefiat: plenius expositis iis, quae parcius indicata fuerant, et quod obscurius fuerat dictum, notioribus verbis enunciato quodque ambigue fuerat enunciatum, certis, propriis et significantibus vocibus declarato. Quae ratio semper ecclesiasticis patribus placuit, et in controversiis de religione componendis adhibita est saepissime, et nunquam non salutaris fuit ecclesiae: denique approbata est summo exemplo apostolorum Christi Domini ac Dei nostri. Nam ut in Actis legimus capite decimo quinto, non alio modo ac via sedata est maxima dissensio, quum apostoli, et apostolorum germani discipuli docerent fiducia in nomen Christi* [pag. 23] *purificari corda, et eius solius gratia servari homines: aliqui contenderent, oportere circumcidi, et servari legem mosaicam. Itaque, non possumus non summopere probare, Calvine, care frater, tuos sanctos conatus, et omnium piorum, qui student idoneis rationibus offensiones tollere, et labefactam pacem atque tranquillitatem ecclesiae instaurare, dum christianam doctrinam simplici ac accurata explicatione, magis magisque illustrem ac planam reddere nituntur, et vanas opiniones discordiae eximere animis: aut eos etiam, qui verbis et sententiis nonnihil dissiderunt, in veram, solidam et sanctam concordiam reducere.*

Caeterum, ut publicatione scripti, quo nostrum consensum clare testari voluimus piis iuxta et adversariis veritatis, eum speremus fructum, quem in epistola tua ominaris, facto iam periculo etiam [1] *adducimur. Nam formulam mutuae nostrae consensionis ad fratres aliquos* [2] *transmisimus, et hic exhibuimus aliquot viris Christum et veritatem diligentibus, neque imperitis rerum sacrarum:* [pag. 24] *qui non modo agnoverunt* [3] *inter nos convenire in iis etiam capitibus,*

1) *Hanc rubricam sola exhibet princeps Turicensis.*
2) gratnitate *Crisp. et Gallas.* (rigueur).
3) mutuum *Turic.*

1) etiam *om. edd. Genev.*
2) aliquot *Beza Amst.*
3) cognoverunt *Edd. Genev.*

in quibus hactenus multorum opinione dissensimus, sed etiam gratias egerunt Christo servatori, cernentes nos in Deo et veritate consentire, magnamque spem uberioris fructus in ecclesia[1]) *polliciti sunt. Quanquam nonnulli copiosiorem tractationem huius argumenti ob ingenia quaedam desideravere: qui audito consilio nostro, haud difficile admiserunt satisfactionem. Quorsum enim attinebat pluribus verbis edisserere, Deum esse autorem sacramentorum, et ea instituisse legitimis ecclesiae filiis: quotque sint a Christo ecclesiae tradita sacramenta, aut quae invecta sint ab hominibus: quae sint partes sacramentorum, aut quo loco, quo tempore, quo instrumento sacro peragi conveniat mysteria? In quibus, et aliis nonnullis id genus capitibus, nullam fuisse inter nos vel speciem et umbram dissensionis, satis probant libri editi: quos vel praeceptores nostri, piae sanctaeque memoriae, vel ipsi scripsimus de sacramentis. Verum, de corporali Christi Domini praesentia,* [pag. 25] *de genuina sententia verborum solennium, de manducatione corporis Christi, de fine et usu*[2]) *et effectu sacramentorum (in quibus capitibus multi existimarunt hactenus confligere nostras sententias, aut certe verba) tam copiose, tam plane et simpliciter loquuti sumus, ut speremus homines studiosos tum fraternae concordiae, tum perspicuae veritatis, non desideraturos esse in scripto nostro vel copiam vel lucem orationis. Neque diffidimus quin aliarum quoque ecclesiarum Christi per Helvetiam ministri facile agnituri sint, eam ipsam doctrinam de sacramentis nos expressisse, quae multis iam annis populo christiano vulgata est: utque in veritate confessa minime gentium a nobis discrepent: id quod pollicemur nobis, non sine magnis rationibus, de omnibus piis per ecclesias aliarum nationum.*

Si quis tamen evidentiorem sacramentorum explicationem protulerit, malumus ea ipsa uti cum piis omnibus, quam hortari unum hominem ut subscribat nostrae consensioni, in qua scripturae sanctae verba usurpavimus, [pag. 26] *et expressimus aperte*[1]) *quo sensu accipiamus, et cum ecclesia catholica nos facere pro compertissimo habemus. Porro si non offensiones omnium, quos discordiae inter nos species impedivit in viis Domini, scriptum hoc sustulerit, praeclare tamen suo munere functum existimabimus, quod non obscure neque fucate omnibus testati sumus, nos quibus Christus dedit idem sentire et loqui de religionis dogmatibus, in mysteriorum etiam explicatione, haudquaquam discrepare. Vale frater dilectissime. Tiguri, 30. Augusti, Anno Domini 1549.*[2])

1) ecclesiam *Crisp. et Gallas.*
2) de usu *Edd. Genev.*

1) apte *eaedem* (de la façon la plus convenable).
2) *In edd. Genev. haec vocibus integris non siglis expressa.*

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.



CORPUS REFORMATORUM.

VOLUMEN XXXVI.

IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VIII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1870.



IOANNIS CALVINI

OPERA QUAE SUPERSUNT OMNIA.

AD FIDEM

EDITIONUM PRINCIPUM ET AUTHENTICARUM

EX PARTE ETIAM

CODICUM MANU SCRIPTORUM

ADDITIS PROLEGOMENIS LITERARIIS,

ANNOTATIONIBUS CRITICIS, ANNALIBUS CALVINIANIS

INDICIBUSQUE NOVIS ET COPIOSISSIMIS

EDIDERUNT

GUILIELMUS BAUM EDUARDUS CUNITZ EDUARDUS REUSS

THEOLOGI ARGENTORATENSES.

VOLUMEN VIII.

BRUNSVIGAE

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

(M. BRUHN.)

1870.



IOANNIS CALVINI

TRACTATUS THEOLOGICI MINORES

TOMUS QUARTUS.



CONTINENTUR HOC VOLUMINE

(Asterisco notamus quae apud Bezam desiderantur.)



PROLEGOMENA.

CAPUT XXVI.

DE SCANDALIS. 1550.

De scandalis, quibus suo tempore multi impediebantur quominus puriori evangelio accederent, scribendi consilium cepisse videtur Calvinus, biennio fere postquam libellum suum adversus Pseudo-Nicodemos primum ediderat. Scribit enim ad Farellum mense Septembri a. 1546 (Cod. Gothan. 404 Fol. 9): *Libellum de scandalis inchoaveram. Abiicere coactus sum. Quidquid tentabam, carebat successu.* Et paulo post, nempe a. d. VI. nonas Octobres ad eundem (Cod. Genev. 106 Fol. 173): *Opusculum de scandalis inchoatum, quia non ex voto fluebat stylus, ad tempus intermisi, nec resumere est animus, donec epistolam ad Galatas ad finem usque perduxero.* Quae quidem a. 1548 iunctim cum aliis nonnullis paulinis lucem vidit: de illo autem opusculo altissimum silentium usque ad annum 1550 vergentem. Quo anno a. d. XIV. Cal. Sept. ad Farellum de eodem ita scribit ut vel nuper absolutum, vel mox absolvendum fuisse dixeris. *Libellus de scandalis*, ait, *pro immensa argumenti copia non modo brevis sed etiam concisus erit. Ad hanc porro clausulam omnia referentur: non esse cur scandalorum praetextu evangelium infament odiosumque reddant improbi, infirmos autem debere munitos esse, ut quidquid scandalorum obiicit Satan fidei constantia superent. Si quis a recta via avertitur, vel impingit, vel deficit, sic culpam sustinere, ut excusatione careat. Simul tamen ostendo quam horribilis Dei ultio maneat scandalorum autores.* (Cod. Goth. 404 Fol. 10.) Quem ipse brevem et concisum vocat, tu postquam perlegeris locupletem et luculentum libenter dixeris. Qui sigillatim et ex ordine admodum perspicuo omnia scandala, sensu biblico sic dicta, recenset, quae vel ex scripturae sacrae simplicitate, vel ex dogmatum indole nascuntur, rationis humanae modulum excedentium, vel ex discordiis maxime inter theologos ortis, quibus vulgo ansam et occasionem illa praebent, vel tandem ex ipsorum hominum malitia et pravis studiis. Beza asserit, Calvino libelli conscribendi occasionem praebuisse offendiculum a nonnullis inde acceptum quod quum magistratus Genevensis omnes dies festos praeter septimum quemque sive dominicum abrogandos decreverit, plures ipsos dominicos confingerent a Calvino sublatos, ut eum in invidiam vocarent, quum tamen non modo non postulante, sed etiam ignorante ministrorum collegio actum de ea re apud populum sit. Quae nobis, si argumentum totius tractatus consideramus, et autoris propositum pluribus ab annis conceptum, parum vero similia videntur.

Editionem huius tractatus principem, eamque formae et chartae dignitate nec minus typorum magnitudine et elegantia insignem, habuimus ex bibliotheca Collegii Wilhelmitani Argentoratensis. Ecce eius titulum:

DE SCANDALIS, | QVIBVS HODIE PLERI- | QVE ABSTERRENTVR, | NONNVLLI ETIAM ALIENAN- | tur à pura Euangelii do- | ctrina. | | IOANNIS CALVINI LIBELLVS | apprimè vtilis. | | AD LAVRENTIVM NORMANDIVM. | | 2. CORINTH. 11. | Quis scandalizatur, quin ego non vror? | | GENEVAE, | APVD IOANNEM CRISPINVM. M. D. L.

Forma quaternaria. Plagulae quatuor foliorum quatuordecim (A—O). Paginae numeratae 110, ultimum folium vacuum. Epistola ad Normandium typis minoribus expressa duabus paginis absolvitur. Notae marginales ultra paginam primam textus nullae. Ad calcem errata nonnulla corriguntur.

Ex eadem officina, vix semestri spatio interiecto, prodiit altera editio eaque manualis, verum et haec satis nitida, quam ipsi possidemus. Titulus est:

DE SCANDALIS | QVIBVS HODIE PLE- | RIQVE ABSTERRENTVR, | NONNVLLI ETIAM ALIENANTVR | à pura Euangelii doctrina, | | IOANNIS CALVINI LIBELLVS | apprimè utilis. | | Ad Laurentium Normandium. | | II. COR. X. | QVIS OFFENDITVR, ET | EGO NON VROR? | | GENEVAE, | Ex officina Ioannis Crispini. | M. D. L. I.

Forma octonaria minor. Quaterniones decem (A—K) Epistola legitur pag. 3—7. Tractatus ipse incipit a pag. 9, absolvitur pag. 153. Marginalia nulla. Paginis 154—157 inscripsit typographus nescio quo autore satis longam seriem effatorum sacrorum de scandalis loquentium, quae ut hoc loco verbo tenus referamus nemo a nobis exiget. Sunt vero sequentia Psalm. LXIX (v. 23—29); Ies. VIII (14?) et Luc. II (v. 34); Ies. LVII (v. 14. 15); Matth. XI (v. 6); Matth. XVIII (v. 7—9); Matth. XXIV (v. 4—14); Luc. XVII (v. 1); Ioann. VI (v. 66. 67); Rom. XVI (v. 17); 1. Cor. I (v. 23. 24); 1. Petr. IV (v. 4. 5). Denique pag. 158 (quae vitio operarum 156 dicitur) legitur subscriptio haec: GENEVAE | EXCVDEBAT IOANNES | CRISPINVS, PRIDIE | NONAS MARTII. | M. M. LI. (sic!). Ultimum folium vacuum.

Textum latinum exhibent Corpora tractatuum Gallasii pag. 829—878; Bezae ed. prioris pag. 107 —148, posterioris pag. 87—121; Stoerii pag. 75—105; Amstelodamensis pag. 64—90. Aliae editiones latinae seorsim excusae si quae exstiterint, ad nostram quidem notitiam non pervenerunt.

Versio gallica saepius separatim prodiit. Cuius pro tempore quatuor recensere possumus editiones, omnes rarioribus, imo rarissimis adnumerandas. Princeps haec fuit:

DES SCANDALES | qui empeschent au- | iourdhuy beaucoup de gens | DE VENIR A LA PVRE | doctrine de l'Euangile, et en desbauchent d'autres. | | TRAICTE COMPOSE | nouuellement par Iehan Caluin. | | 2. COR. 11. | QVI EST SCANDALIZE, QVE | IE N'EN SOYE BRVSLE? | | A GENEVE. | De l'imprimerie de Iehan Crespin. | M. D. L.

Forma quaternaria eius moduli quem nos hodie octonariam maximam dicimus. Plagulae undeviginti (A—T). Paginae numeratae 149 quarum tres ultimae eadem illa exhibent scripturae sacrae allegata quae supra recensuimus. In fine legitur: A Geneve de l'imprimerie de Iehan Crespin le dixieme [*sic*] iour de Decembre 1550. Epistolam dedicatoriam (pag. 3—8) sequuntur duo poemata quae quanquam invitis musis nata, ne honesto vati debitam observantiam denegare videamur, oblivione interire non patiemur.

CONRAD BADIUS AUDICT SIEUR DE NORMANDIE.

C'est à bon droict que ce proverbe a lieu,
Qu'honneur est bon quand l'homme de bien loue:
Car l'homme droict qui aime et qui craind Dieu,
Comme il ne veult que son faict on alloue
S'il ne le vault: aussi bien il n'advoue
Celuy d'autruy, s'il ne l'a merité.
Ne sois marri doncques, si verité,
En te louant, dit ce bon personnage:
Car où quelcun en seroit irrité,
L'effect de soy en porte tesmoignage.

Autre Dizain à deux manieres de gens, pour lesquels en partie ce livre est faict.

Espriz craintifs, qui n'osez approcher
De l'Evangile, où se puise l'eaue vive,
Craignans trouver quelque gouffre ou rocher:
Vous desgoustez, qui iusques à la rive
Estans venuz, d'une façon craintive
Avez ce cours heureux habandonné,
Venez, lisez, ce livre est ordonné
Pour vous monstrer qu'en la saincte doctrine
Que vous blasmez, scandale n'est donné,
Mais qu'en vous est de ce mal la racine.

Exemplari uti potuimus a viris spectatissimis et humanissimis, bibliothecae ducalis Gothanae administratoribus nobiscum communicato. Secundae vero editionis unicum quod reperire nobis contigit, cum plurimis aliis rarioribus libellis, inclytae Guelferbytanae quondam praefectus, Conradus Bethmann nobis conferendum concessit, quem nuper praematuro fato literis et studiis ereptum debita laude prosequi nunc maxime officii nostri esse ducimus. Haec altera citius etiam, quam in archetypo vidimus, suam antesignanam sequuta est. Titulus est:

DES SCANDALES | QVI EMPESCHENT AV- | IOVRDHVY BEAVCOVP DE | gens de venir à la pure doctrine de l'E- | uangile, et en desbauchent d'autres. | TRAICTE COMPOSE NOV- | uellement par Iehan Caluin. | | 2. COR. 11. | QVI EST SCANDALIZE QVE | IE N'EN SOYE BRVSLE? | | A GENEVE, | De l'imprimerie de Iehan Crespin. | M. D. LI.

Forma minima. Quaterniones duodecim (A—M). Paginae numeratae 190; quibus praemissus est quaternio unus (*) sine numeris paginarum, cuius tres ultimae paginae in albis. Carminum supra descriptorum alterum tantum, idque posterius, adest. In fine libri subscriptio legitur haec: A Geneve, de l'imprimerie de Iehan Crepin (sic) le XXIV. Mars M. D. LI.

Tertiae editionis unicum exemplar, quod quidem nobis innotuit, possidet bibliotheca armamentarii Parisiensis. Quam ipsi non vidimus, habemus tamen quae ad eam accuratius recensendam sufficiant, in schedis bibliographicis olim a Rudolpho Reussio Eduardi filio Parisiis in usum nostrum conscriptis. Titulus est:

DES SCAN- | DALES QVI EMPES- | CHENT AVIOVRDHVY | beaucoup de gens de venir à la pure do- | ctrine de l'Euangile, et en desbauchent | d'autres. | | Autheur M. Iean Caluin.*| (Emblème de l'imprimeur) | IMPRIME PAR IEAN BA- | PTISTE PINEREVL | 1560.

Forma octonaria minor. Quaterniones quindecim (A—P). Folia 124 non numerata. Emblema Typographi repraesentat struthionem extensis alis incedentem et pedibus praeditum in ungulam equinam desinentibus, cum adagio: NIL PENNA SED VSVS. Tractatus ipsius epigraphe ex secunda ad Corinthios petita legitur in folio primo verso. Adest alterum carmen, ut in praecedente editione. Finem faciunt loci biblici.

Idem est hic Io. Baptista Pinereul ex cuius officina prodiit post Calvini obitum prima Opusculorum editio gallica a. 1566, ubi tractatus de scandalis legitur pag. 1145—1219. In Stoerii volumine exstat pag. 1307—1394.

Quartae editionis separatim excusae, quae post autoris obitum lucem vidit, titulum nobis descripsit ex suo exemplari, ut videtur unico, O. Bourchenin, vir humanissimus, pastoris munere fungens in oppido Lezay in finibus Pictavorum:

TRAITTÉ | DES SCANDA- | LES, QVI EMPES- | CHENT AVIOVR- | d'huy beaucoup de | gens de venir à la | pure doctri- | ne de | l'Euangile, et | en desbauchent d'autres. | PAR M. IEAN CALVIN. | [*trois astériques*] | 2. COR. 11. | *Qui est scandalisé, que ie n'en | soye bruslé?* | M. D. LXV.

Plagulae sunt triginta et quinque, quarum duae primae dedicationem et praefationem novi editoris continent, caeterae textum 264 paginis absolutum.

De Laurentio Normandio cui Calvinus libellum hunc dicavit, praemissa epistola qua nobilem et amicissimum iureconsultum insigni ob vitata scandala et fideliter servatam fidem laude cumulat, vide quae monuimus supra in prolegomenis ad tractatum de Astrologia latine versum.

CAPUT XXVII.

DE PRAEDESTINATIONE ET PROVIDENTIA DEI LIBELLUS. DE LIBERTATE CHRISTIANA LIBELLUS. 1550.

Exstat in nonnullis bibliothecis libellus Calvini de Praedestinatione rarissimus quem cave cum aliis eiusdem vel nominis vel argumenti confundas quos infra recensebimus. Edidit eum Io. Crispinus typographus genevensis celeberrimus anno 1550. Tituli facies haec est:

DE PRAEDE- | stinatione et proui- | DENTIA DEI, LIBELLVS. | IO. CALVINO AVTHORE. (*Emblema officinae*). GENEVAE. | M. D. L.

Forma libelli octonaria minor, quaterniones septem (A—G), paginae 112. Emblema repraesentat prelum typographicum cum epigraphe in circulo descripta: IN SVDORE VVLTVS TVI VESCERIS PANE TVO. In fine legitur: EXCVSVM GENEVAE, APVD | IOANNEM CRISPINVM, | CONRADI BADII OPERA, | PRID. NON. IVL. M. D. L.

Titulum excipit pag. 2—4 praefatio ἀνώνυμος sed sine dubio editoris Crispini nomine scripta, quae quatenus calvinianae theologiae concinat eiusque indolem referat, ipsa perlecta facile intelliges:

Christianis omnibus S.

Qui in praedestinationis divinae adyta praecipiti quadam confidentia penetrare audent, ii mihi cum Phaethonte et Icaro merito videntur comparandi. Hic enim fugae paternae comes, quum volandi praecepta a patre accepisset, nempe ut mediam viam insisteret et ab ea latum unguem non discederet:

— ne si (dicebat) demissior ibis,
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat.
Inter utrumque vola —

praescriptis finibus continere sese non potuit: sed, ut poeta refert,

Tum puer audaci coepit gaudere volatu,
Deseruitque ducem: coelique cupidine tactus
Altius egit iter,

et liquefactis cereis pennis in mare praeceps demersus est. Ille alter, dum patris Solis equos regendos suscipit, mandatisque eius non paret, relictis assuetis orbitis per invia delatus, quum

— multum coeli post terga relictum,
Ante oculos plus —

cerneret, curru tandem excussus temeritatis suae poenas dedit. Sic curiosi isti homines, qui affectatione quadam portentosa, verbi Dei finibus non contenti, in abditissima sacrosanctae maiestatis Dei mysteria perrumpunt: postquam se diu vanis istis conatibus misere totos excruciarunt, hunc tandem laborum suorum fructum consequuntur, ut quum inde pedem referre velint, nullus pateat exitus: imo caecis ambagibus, densissimisque futilium quaestionum plagis obsessi, et de statu dimoti, Satanae furiisque eius praedae fiunt. Quorum exemplo moniti, Fratres, discamus non plus sapere quam oportet: et quae imbecillitatis nostrae captum excedunt, ea ne a divinitate ipsa viribus nostris extorquere contendamus. Ergone (dicet aliquis) a providentiae Dei consideratione mortalibus in universum abstinendum esse censes? Minime vero: sed quum Dei Optimi Maximi bonitas, scripturas suas (in quibus nihil prorsus quod scire nostra interesset, omissum est) immortali beneficio evolvendas nobis permiserit, in iis nos dies noctesque exerceamus, et quae in occulto recondita Dominus esse voluit, ne scrutemur: quae vero in apertum protulit, ne negligamus. Verum quoniam peculiare spiritus sancti donum est, ex iis ipsis scripturis tam difficilium quaestionum (ut sunt de praedestinatione et providentia Dei) causas nodosque expedire posse, hunc eius argumenti libellum, si legendum vobis exhiberem, non ingratum fore existimavi: brevem enim, sed sobriam, sed puram de praedestinatione disputationem continet: ut quidquid de ea homini christiano cognosci fas est, inde nullo negotio possitis elicere. Persuasum enim vobis esse vehementer cupio, nihil hic ab autore positum, quod non e sacro verbi Dei fonte hauserit. Quod si munusculum hoc nostrum gratum vobis fuisse intellexero, in divinam Iesaiae prophetiam eiusdem autoris commentaria, propediem exspectate. Valete. Genevae, 8. Cal. Iulii. 1550.

Subiiciuntur huic praefationi epigraphes vice duo loca Rom. IX. 11—16 et Prov. XXV. 27, ubi nimirum versio vulgata habet: Qui scrutator est maiestatis opprimetur a gloria. Qui sequitur textus pag. 5—89 nullus alius est nisi ille ipse quem exhibet Caput XIV Institutionis, ex ea recensione accuratissime descriptus quam eodem anno Io. Gerardus ediderat. Incipit: Iam vero quod non apud

omnes —, desinit in verbis: et quis avertet eam? (Edit. nostrae Tom. I pag. 861—902.) Adsunt lectiones editioni Gerardianae peculiares, non vero numeri sectionum sive paragraphorum, quas tamen typographus hactenus non neglexisse dicendus est, quod unaquaeque spatio interposito a nova linea incipit.

Pag. 90 haec leguntur: *Christiano lectori S. Quum hunc de Praedestinatione et Providentia Dei libellum, non apposite satis desinere et nimium multas paginas vacare viderem, nihil potius esse duxi, quam si breve hoc De libertate Christiana opusculum, vice supplementi, illi adiungerem. Etsi enim non est eiusdem prorsus argumenti, ab eo tamen genere non multum abhorret. Fruere igitur, amice Lector, et nostrum erga te studium solito tuo favore et benevolentia prosequere. Vale.*

Sequitur pag. 91—112: DE LIBER- | tate Christiana, | IO. CALVINI LIBELLVS. Sub quo titulo Io. Crispinus Institutionis Cap. XII quasi singulare aliquid celeberrimi autoris opusculum cupientibus offert. Incipit a verbo: Tractandum, et in idem desinit. (Edit. nostrae Tom. I. pag. 829 —840.)

Quod si quis quaesiverit an Calvinus ipse haec maioris operis frustula separatim excudi iusserit, quanquam certi nihil de ea re ad nos pervenit, plurima tamen obstare videntur quominus tale consilium viro summo tribuamus. Cur enim alii typographo aut editori rem commisisset quam ei qui Institutioni excudendae operam nuperrime navaverat? Cur haec duo potissimum capita, inter se non connexa, tot aliis postpositis, lectoribus tenuioris conditionis, qui scilicet maius opus emere non poterant, obtulisset? Cur alterum futili praetextu usus priori adiunxisset, nempe ne pagina vacaret? Quis credat ipso teste et auspice dici potuisse, tractatum de Praedestinatione non satis apposite desinere? Quis demum talem autorem suos labores alieno patrocinio commendatos in publicum exire passum esse? Quae si perpendimus vix a nobis impetrare possumus ut Crispinum a fraudis crimine, ut hodie quidem talia aestimari solent, vindicare conemur; vel, si hoc nimis aspere dictum videatur, saltem inconsulto autore fecisse statuemus.

Exemplar huius libelli nostris copiis addendum frustra adhuc quaesivimus. Suum nobis examinandum humanissime concessit Vir egregius Henricus Lutteroth Parisiensis, alia iam occasione de simili officio nobis praestito merita cum laude memoratus.

CAPUT XXVIII.

DE VITA HOMINIS CHRISTIANI. 1550.

Idem Crispinus aliam etiam particulam Institutionis calvinianae eodem anno separatim typis exscripsit, libellum et quoad formam et quoad raritatem praecedenti simillimum. Continet caput ultimum operis maioris sive vigesimum primum ex eadem recensione quae tum novissima erat desumptum. Titulus est:

DE VITA | hominis Christiani, | insigne opusculum. | IN QVO VIR PIVS | methodum, qua ad rectum constituendae vitae | scopum deducatur, et regulam quandam uni- | uersalem, ad quam officia sua dirigat, habet. | Ioanne Caluino authore. | GENEVAE. | M. D. L.

Emblema officinae non adest. Subscriptio in fine plane eadem ac in praecedenti opusculo, data tamen VIII Calend. Iulii. Sunt quaterniones quatuor cum parte quinti (A—E), paginae 67. Textus

incipit: Dum vitam christiani hominis, et desinit in verba: pretiosissimum habeatur. (Edit. nostrae Tom. I pag. 1123—1152.) Praemittitur praefatio talis:

Christianis omnibus S.

Quemadmodum non solum turpe et indecorum, sed et flagitiosum esset, fratres in Christo dilectissimi, si quis, post datum militiae nomen, praestitumque suo duci solenne sacramentum, stipendiis praemiisque amplissimis devinctus, non modo fidem datam falleret, sed ad hostes quoque transfugeret: sic nihil vel sceleratum vel abominandum magis esse potest, quam nos (qui Christianorum nomine tantopere gaudemus et triumphamus, quique sub Christi summi imperatoris ac unici servatoris nostri signis, non dico magna mercede, sed et beneficiis infinitis militamus, initialique baptismi sacramento in illius verba iampridem iuravimus) usque adeo turpiter ab eo ad nominis sui infensissimos hostes, Satanam scilicet, mundum, et carnis nostrae illecebras deficere, palamque sacrosanctae illius maiestati, non sine magno legum sanctionumque suarum contemptu illudere, et ex professo bellum indicere. Quod tamen passim et ubique locorum inter nos hodie (proh dolor) cernere est. Christiani quidem haberi omnes volumus: sed quotusquisque est nostrum, obsecro, qui Christi vestigiis insistat, qui aequissimis imperiis sanctissimisque legibus illius pareat, qui ad pietatis integritatisque studium mores componat suos? Imo, quantum in nobis est, mentem atque oculos a proposito nobis vitae exemplo avertimus: imo inimicissime atque infestissime adversus illius edicta contendimus, nominisque eius dignitatem fidei nostrae commissam dolo periuriisque prodimus: imo perfidia et scelere dextras, quae fidei illi datae testes esse debebant, violamus. Cur igitur illius insigne gestamen circumferimus, cur illius sacramento accessimus, si consiliis et viribus maiestatem eius oppugnamus? Cur ad impietatem et scelus sanctissimo eius nomine abutimur? O nos indignos tanto imperatore milites! Quousque tandem patientia illius abutemur? Semperne veterno isto tam gravi consenescemus? Agedum, fratres, paulatim ad nos redeamus, et anteacta deprecantes supplices pacem et veniam petamus. Ne scelerum nostrorum conscientia furiisque diutius nos opprimi sinamus sed quum poenitentiae sit adhuc locus, conditionis nostrae deterrimum genus cum pietate et iustitia commutemus. Atque ut tandem aliquam resipiscentiae rationem ineamus, operae pretium facturum me putavi, si De vita Christiana breve hoc sed vere pium opusculum ex illo Institutionis Christianae thesauro (cuius non speciosas tantum opes, sed autoris ipsius nomen vobis per se satis notum esse existimo) in communem nostrum omnium usum excerperem. Certam enim methodum constituendae in Christo vitae, mentisque nostrae ad pietatis studium informandae disciplinam, paucis sed apte complectitur. In hanc igitur, fratres, sine ulla intermissione diligenter incumbamus, et ingenii nostri derelictum et incultum solum vepribusque et Satanae zizaniis per ignaviam nostram obsessum his piis artibus studiisque continenter excolamus, ut qui inde hactenus praeter lolium et steriles avenas nihil percepimus, uberrimos posthac fructus magno cum foenore referamus. Maximus enim ille ac optimus imperator noster Christus, cui non terrenum modo sed et coelorum subest imperium (ut est erga observantes sui munificus et liberalis), ubi perditissimam vitae nostrae conditionem in melius commutatam, nosque ex immorigeris obsequentiores effectos viderit, non donativis solum sed et beneficiis muneribusque praestantissimis nos nostraque omnia prosequetur. Valete.

Huic praefationi (qua perlecta nemo sane libellum hunc et similes non Calvino inscio prodiisse sibi persuadebit) subiiciuntur duo apostolica dicta Iacob I. 21 et 1. Petr. II. 1—5.

Exstat hoc opusculum in nostro ipsorum museo calviniano.

CAPUT XXIX.

EXPOSITION SUR L'ORAISON DE N. S. IESUS CHRIST. 1551.

Possidemus libellum minusculum et nitidum quem in nulla alia bibliotheca, neque publica neque privata, vidimus, tractatum ἀνώνυμον de oratione dominica continentem, eumque gallico sermone conscriptum, quem ab haeredibus C. Sudhofii, theologi nuper Francofurtensis, redemimus eiusdem nomine autographo insignitum. Qui ante hunc eum possederat ligatura pulcra et tali κειμηλίῳ digna ornato in ipso operculo a bibliopego et Calvini autoris nomen et Genevam patriam inscribi iussit, in utroque neutiquam falsus. Titulus opusculi hic est:

EXPOSITION | SVR L'ORAISON | DE NOSTRE SEIGNEVR | Iesus Christ. | | LVC. XI. Seigneur, enseigne nous à prier. | MATTH. VI. | Quand vous priez, ne parlez pas beaucoup, comme | les Gentilz: car ils cuident estre exaucez par beau- | coup de parolles. | | M. D. LI.

Constat hic libellus duobus quaternionibus (A—B) formae octonariae minoris, paginis triginta duabus. Nomen typographi neque in fronte apparet, neque in fine. Verum quin genevensis fuerit dubium esse nequit, et vix a vero aberrabimus si vel Crispino vel Gerardo tribuendum ducimus, quorum alter plures Institutionis partes eodem fere tempore separatim edidit, alter eo ipso anno 1551 gallicam eiusdem operis recensionem novam et auctam ex officina sua prodire iussit, e qua nostri libelli editorem quisquis ille fuerit, hunc simpliciter descripsisse putaveris. Attamen si quid videmus Crispino potius quam Gerardo dixerimus has pagellas acceptas referri debere, non tantum quia ille tali methodo in evulgandis Calvinianis lucubrationibus uti solebat, et ex alienis sudoribus lucrum facere, sed maxime quod operarum praefectus sive corrector saepissime alias leges orthographicas sibi scripsit quam quae in Gerardi officina obtinuerant. Tum hoc quoque minime negligendum videtur, quod textus ipse, de quo hic agitur, non ad editionem Institutionis anni 1551, sed ad priorem Gerardinam anni 1545 conformatus est, adeoque eiusdem apographon haberi debet. Complectitur libellus noster quae leguntur in editione a. 1545 inde a pag. 790: Nostre pere qui es es cieux, usque ad pag. 805: et a voulu ce qui estoit besoing. (Ed. 1551 Chap. XV §. 30—47. Ed. 1560 Livre III Chap. XX §. 36—49. Opp. Calvini Tom. III col. 424—450.) Primi tantum versus pro necessitate rerum paullulum immutati ita se habent:

Au commencement de ceste oraison convient considerer qu'il fault que toutes noz oraisons soyent par nous presentées et addressées à Dieu au nom de nostre Seigneur et sauveur Iesus Christ: ainsi comme nulles ne luy peuvent estre aggreables par autre nom.

CAPUT XXX.

DISPUTATIO DE COGNITIONE HOMINIS. 1552.

Hic quoque libellus hodie rarissimus ad eorum numerum pertinet quos Io. Crispinus ex Institutione christiana decerpsit separatim excudendos. Invenimus exemplar unum, et praeter parisiense in aedibus S. Genovevae asservatum nobis unicum, in bibliotheca Francofurtensi ex qua nobiscum ad tempus communicatum est humanissime. Titulus sic habet:

DISPVTATIO | DE COGNITIONE HO- | minis: in qua de peccato origina- | li, de naturali hominis corruptio- | ne, de liberi arbitrii impotentia: i- | tem, de gratia regenerationis, et | auxilio Spiritus sancti, tractatur. | IOANNE CALVINO AVTHORE.| (Emblema) *GENEVÆ.* | *Ex officina Ioannis Crispini.* | *M. D. LII.*

Emblema est ancora cum serpente, cum epigraphe partim a dextra partim a sinistra adscripta hac: SACRA ANCHORA. Forma libelli eadem atque in caeteris huius generis Crispinianis. Praefatio adest nulla. Quaterniones sunt novem (A—I), paginae numeratae 143. Incipit pag. 3 textus capitis secundi Institutionis: *Non sine causa* caett., desinit pag. 138 in verbis: *illigatum manere.* (Editionis nostrae Tom. I. pag. 305—372.) Paragraphorum numeri, quales exstant in editione anni 1550 quam nostra sequitur, hic non apparent verum quum unaquaeque sectio a nova linea incipiat, earundem genuina ratio accurate servata est.

Pag. 139 haec leguntur: LECTORI S. *Ne tibi vacuam chartam daremus, Christiane lector, his addere nobis visum est Augustini secundum caput de Praedestinatione sanctorum: quia et necessaria cognitu continet, et ab hoc proposito minus aliena.* Sequitur igitur adeoque vacuas paginas implet, praeter ultimam, caput illud magni Hipponensis episcopi, incipiens a verbis: *Prius itaque fidem* . . . et desinens in illis: *posteriorem Deum.*

CAPUT XXXI.

CONGREGATION SUR L'ELECTION ETERNELLE DE DIEU. 1551.

Sequuntur libelli duo non eodem quidem, ut videtur, tempore editi, verum eadem occasione nati et idem tractantes argumentum, locum scilicet de aeterna Dei praedestinatione et electione, vexatissimum illum et a Calvino acerrime vindicatum, sed in quo asserendo multi Helvetiae theologi, adeoque ipsi alioquin arctiore vinculo iuncti, timidius eum sequuti sunt cautiusque ei assentiebantur. Hinc maxime effectum esse videtur ut ipse Noster eo maiore studio placita sua defenderet, eoque vehementius in aliter sentientes inveheretur. Habuerunt tamen duo isti libelli diversissima fata. Alter enim, de quo capite sequente dicemus, celebrioribus autoris scriptis accensendus est, et magnam autoritatem praesertim apud Genevenses nactus postea in numerum symbolicorum ecclesiae reformatae librorum a quibusdam est relatus. Alter vero, quem tibi iam proponimus, mox oblivione sepultus, vix in unico exemplari superstes ad nostram pervenit aetatem, quippe quem etiam Beza non dignatus sit in corpus suum Tractatuum calvinianorum inserere.

Utrique edendo ansam praebuit Hieronymus quidam Bolsecus, olim carmelita parisiensis, nunc vero Vegiaci, in vico tunc Bernensis ditionis, nunc Sabaudicae, et Genevae proximo medicam artem exercens, et initio a nonnullis ex ministrorum numero in familiaritatem receptus. Qui mox et publice et privatim dubia sua de electionis dogmate, qualiter a Calvino tradebatur, libere professus, et subinde ab hoc eiusque collegis confutatus, usque tamen molestas suas obiectiones instaurabat. Prima vice, si temporum rationem habueris, nomen eius in acta publica relatum invenies in Commentariis ministerii Genevensis (Registre de la vénérable Compagnie) Vol. 1 pag. 97 ubi ad d. 15. Maii 1551 haec

leguntur: *Ledit iour fut appellé en la congregation des freres Me. Hierosme Bolsec medecin lequel tenoit quelques propos esgarez touchant le liberal arbitre et la predestination et luy fut remonstré vivement par les passages de l'Escriture. Ledit Hierosme se monstra fort obstiné iusques à ce qu'on luy leut le passage d'Ezechiel.* Eadem pluribus referunt Beza et Colladonus in Vita Calvini, ira tamen et invidia eum prosequentes, ut facile tibi persuaseris ipsos virum multo magis nigrum fecisse quam fortasse re vera tum fuerit. *Audit an*, inquit Colladonus, *vint en ceste ville un certain nommé Ierosme Bolsec, un peu auparavant Carme de Paris, et puis soudain devenu de theologien medecin ou plustost triacleur: Lequel pour se faire valoir, pensant estre arrivé en son Cloistre et non en une Eglise de Dieu de laquelle il n'avoit iamais rien sceu que par ouir dire, commença à tenir par ci par là et aussi en pleine Congregation mauvais propos touchant la doctrine de la Providence et Predestination eternelle de Dieu. Contre lequel Calvin d'entrée proceda en telle sorte que c'estoit seulement pour le ramener au droict chemin sans luy donner matiere de s'aigrir. Car il se contenta de luy respondre tellement en public que le peuple qui estoit là assemblé ne s'en retournast point abbruvé d'aucun erreur. Et c'estoit plustost pour redresser ce que l'autre avoit mal dit que pour s'attacher à la personne d'iceluy: comme aussi il se contenta de rabatre les coups sans le marquer. Davantage il fut appelé en conference particuliere avec ledit Calvin et ses compagnons Ministres de l'Eglise là où on luy remonstra assez longuement et par divers passages de l'Escriture comment il s'abusoit. Cela fut environ le 15. iour de May. Mais il se monstra fort obstiné neantmoins, combien qu'il ne respondist rien pertinemment et que luy-mesme confessast qu'il ne savoit que repliquer à un passage d'Ezechiel qu'on luy mit en avant.*

Verum hic prologus tantum fuit tragoediae. Mos erat ministris genevensibus singulis Veneris diebus in templo convenire et certos scripturae locos per vices publice exponere, eosque deinde inter se coram populo elucidare. Tales sermones congregationes vocabant, nomine ab ipso coetu repetito. Ita accidit ut die 16. Octobris eiusdem anni locus Ev. Ioannis cap. 8 v. 47: *Qui ex Deo est verba Dei audit* caett. considerandus proponeretur ab Ioanne a S. Andrea Calvini collega. Adfuit et Bolsecus. Qui sive ambitione monastica percitus (verbis hic utimur Bezae, non ut ea simpliciter nostra faciamus, verum ut lectores perspiciant quo animo eum tunc audierint ministri), sive ab illis factiosis iampridem quaerentibus per quem Calvinum lacesserent incitatus, palam ausus est aeternae praedestinationis decretum evertere, adiectis etiam in veram doctrinam contumeliis: idque eo audacius, quod forte Calvinum suo loco non sedentem abesse crederet. Et aberat quidem ille initio, sed eo sermonem ingresso superveniens pone alios nonnullos sese continebat. Finita monachi oratione Calvinus repente apparens, quamvis plane nihil antea tale meditatus, tum certe si unquam alias qui vir esset ostendit. Siquidem illum tot verbi divini testimoniis, tot Augustini praesertim locis, tot denique tamque gravibus argumentis confutavit, perculit, obruit, ut omnes praeter ipsummet perfrictae frontis monachum ipsius vehementer puderet. Aderat in ipso audientium coetu assessorum praetoris unus quorum in urbe ius prehensionis est. Is illum dimisso coetu tanquam seditiosum in custodiam tradit. Quid plura? Causa multis disputationibus agitata, Senatus Bolsecum ut seditiosum et mere Pelagianum d. 23. Decembris publice damnatum urbe expulit, fustuariam poenam minatus si in ditione genevensi esset deprehensus. Haec Beza in Vita Calvini. Nos de famosa ista Bolseci causa plura hoc loco non addemus, quum integra acta, in quibus non pauca sunt Calvino autori vindicanda, ex archivis genevensibus deprompta edere constituerimus, velut opusculi in titulo memorati appendicem.

Quibus praemissis ad ea transimus quae proxime ad praesens argumentum pertinent, nempe ad libelli illius historiam cuius titulum supra descripsimus. Quum fere per bimestre spatium Bolseci causa Genevensium animos in diversa abeuntium suspensos tenuerit et non pauci miseri captivi res amplecterentur, inter quos Iacobus Falesius (alias Iaques de Bourgogne) vir nobilis et huc usque Calvino coniunctis-

simus, hic e re fore duxit si et plebi et magistratui doctrinam suam de loco illo controverso denuo copiose et dilucide proponeret. Atque hoc quidem fecit scripto singulari mense Ianuario proxime sequentis anni senatui oblato de quo infra dicemus: illud vero *congregatione*, quam vocabant, die Veneris 18. Decembris habita, paucis diebus ante latam iudicum sententiam. De hac congregatione primum afferre lubet quae leguntur in ipsis ecclesiasticorum actorum commentariis (Registre de la Vénérable Compagnie) Vol. I. fol. 181: *Le vendredi 11. iour de decembre fut advisé par les ministres que d'autant que la cene approchoit ce seroit bon de remedier à ce trouble qui avoit esté faict par Me. Hierosme afin que s'il y en avoit qui fussent infectez de son erreur qu'on y pourveust et que le sacrement ne fust point pollué par eux. Pour ce faire fut resolu que le vendredi suyvant seroit proposé en la congregation de ceste matiere et que M. Calvin la desduiroit, puis que chacun des ministres en son ordre adiousteroit en brief ce que nostre Seigneur luy auroit donné pour la confirmation de la doctrine. Le vendredi suyvant qui estoit le 18. dudit mois fut ainsi faict, et tous les ministres, tant ceulx de la ville comme des champs, l'un apres l'autre declairerent leur sentence touchant ceste matiere.* Eadem fere Colladonus habet in Vita Calvini (ed. Franklin pag. 88): *Cependant entre autres moyens qu'on suivit de reunir tout en un sainct accord de la Foy, pource que lors la Cene de Decembre approchoit, il fut advisé par la compagnie des Ministres, que le vendredi 18. iour dudit mois Calvin traitteroit tout le discours de ce poinct de la Predestination en la Congregation publique et qu'apres luy tous les autres Ministres, tant de la ville que des champs, diroyent ce que Dieu leur avoit donné pour protester de leur consentement expres en cest article. Ce qui fut fait. Et mesmes outre les Ministres y eut encore quelques gens de bien et de savoir qui declarerent avec grande edification ce qu'ils en croyoyent. L'acte de la dite Congregation a esté imprimé depuis là où la chose se peut voir.*

Impressa quidem haec Acta fuisse Vir egregius dicit, annum vero non indicat. Nos anno 1562 antiquiorem editionem neque vidimus neque usquam laudatam reperimus. Sed hanc quoque diu frustra quaesivimus. Exstitisse tantum comperimus ex apographo quod evulgavit Caesar Malan, V. D. M. apud Genevenses, a. 1835, quum sacra saecularia ecclesiae genevensis reformatae celebrarentur, faustissimam occasionem se nactum esse ratus, ut ipse innuit, qua dogma calvinianum labentibus annis ex hominum memoria paene sublatum, imo a multis impugnatum, popularibus denuo commendaret. Ille vetus aliquod exemplar a. 1562 impressum, quod possidebat, typothetae denuo recudendum, et sic probabiliter destruendum tradidit. Quod eo magis dolendum est, quod alterum Genevae reperiri non potuit, quamvis diligentissime nostris rebus prospecturi et ipsius editoris filius, C. Malan iunior, et Vir Clar. Stephanus Chastel, theologiae professor et olim bibliothecae publicae praefectus, tale aliquod detegere studuerint. Quibus nihilominus pro suis curis in nostrum commodum impensis publice debitas grates agimus. In Malaniano autem apographo quominus subsisteremus, plura nos retinebant, maxime quod sermonem gallicum referebat a stilo calviniano quam alienissimum, scilicet ab editore ita mutatum ut hodierni lectores minus docti nullis vel linguae vel scriptionis antiquioris proprietatibus impediti detinerentur. Ex hac tali perplexitate, quae eousque nos morabatur ut aliquamdiu prelum otiari iubere ipsi cogeremur, tandem nos expedivit Vir optimus I. Hornerus Turicensis, cuius et doctrina et in officiis praestandis liberalitas plurimis iam documentis nobis comperta est. Qui ex ditissima bibliotheca civica, cuius cura ei demandata est, unicum quod superesse videtur exemplar eiusdem editionis anni 1562 depromsit nobisque, nescio quo casu antea neglectum et praetermissum, protinus tradidit. Quo inspecto seduloque cum apographo anni 1835 collato, sane erat quod nobis gratularemur de industria in illo antiquiori exemplari reperiundo collocata. Talem nimirum inter utrumque discrepantiam intercedere cognovimus ut authentico textu destituti non nisi mutilum et deformem tibi offerre potuissemus. In praefatione non pauca omnino expuncta

fuisse invenimus, in caeteris partibus per singulos fere versus omnia ad leges sermonis nostro saeculo usitati immutata.

Praemittitur prooemium ad lectores, ex quo, nisi omnia nos fallunt, efficere licebit nos hic re vera editionem principem habere et anno 1562 *Congregationem* istam primum typis mandatam fuisse. De rebus enim mense Decembri a. 1551 gestis postquam egit autor ita ut dixeris prisca admodum ipsum referre, haec addit: *Si ce bien ne vous a esté plustost offert, ne laissez pas pourtant de le recevoir, car ceste doctrine tant bonne et tant pleine de consolation est auiourd'huy pour le moins autant necessaire que iamais pource qu'auiourd'huy elle n'a non-plus faute d'ennemis qu'elle n'avoit alors.* Quod in titulo legitur: *Nouvellement mise en lumiere*, non hoc sibi vult quod nobis *nova* editio audit, sed recens facta. Quae omnia si recte perpenderis, nullius ponderis esse tibi persuadebis ea quae P. Henry (Vita C. III. 58) de actibus a. 1552 impressis dicit, quippe qui non ipsum librum viderit, verum solummodo excerpta quaedam Geneva ipsi missa. Titulus illius editionis hic est:

CONGREGATION | FAITE EN L'EGLISE DE | Geneue par M. Iean | Caluin | En laquelle la matiere de l'election eternelle | de Dieu fut sommairement et clairement par luy | deduite, et ratifiée d'vn commun accord par ses | freres Ministres: repoussant l'erreur d'vn se- | meur de fausse doctrine, qui effrontéement a- | uoit desgorgé son venin. | *Nouuellement mise en lumiere.* | (Emblema typographi) | A GENEVE, | Par Vincent Bres. | *Auec priuilege.* | 1562.

Emblema pro forma libelli satis magnum occupat spatium, nempe dimidiam fere pagellae partem. Repraesentat mulierem dextra palmae ramum tenentem, cuius capiti manus e nubibus porrecta coronam imponit: a fronte eam leo, aper et serpens adoriuntur, a tergo duae aliae bestiae formae satis dubiae, lupum dicas et ursum si placet, eius vestem dentibus et unguibus dilacerant. Appellatur misera illa: PATIENCE VICTORIEVSE, quod satis commode additur, quia aliter ne Oedipus quidem divinari potuisset. Adagium utrinque adscribitur hoc: Qui vaincra, n'aura point de nuisance | par la mort seconde. APOCA. 2.

Forma octonaria minima. Quaterniones octo (A—H). Titulum sequuntur folia quatuor non numerata cum praefatione editoris anonymi. Congregatio ipsa quae dicitur pertinet a pag. 1 ad 113, ita ut Calvini oratio ultra dimidiam partem occupet. A pag. 63 sequuntur caeterorum ministrorum declarationes numero tredecim. Pag. 114 ad 118 editor in fugam vacui nonnulla Augustini effata adiecit. Editionem recentiorem Genev. 1614 quam passim laudant Viri docti ipsi non vidimus, neque unquam exstitisse certo affirmarimus.

Qui post Calvinum verba fecerunt in hac congregatione verbi divini apud Genevenses ministri, omnes fere tam in thesauro epistolico calviniano quam in actis Senatus frequentius laudantur; itaque suo loco plura de singulis congerendi et occasio nobis offeretur et officium incumbet. Hoc loco sufficiet eorum nomina simpliciter recensere et quidem eo ordine quo ministerium suum in republica genevensi auspicati sunt, quatenus hoc ex libello: *Genève ecclésiastique ou livre des spectables pasteurs et professeurs* etc. a. 1861 a Viro doctissimo et omnibus numeris a nobis colendo Andrea Archinard V. D. M. edito colligi potest. Unus Iacobus Bernard iam ante Calvinum Genevae munere ecclesiastico functus erat; insequuti sunt inde ab anno 1542 Ludovicus Trepperеau et Philippus Osias vulgo de Ecclesia dictus; 1543 Abelus Pouppin; 1544 omnium celeberrimus et Calvino coniunctissimus Nicolaus des Gallars Sieur de Saules, latine Gallasius dictus, tractatuum calvinianorum primus editor; 1545 Franciscus Bourgoing, qui etiam D'Agnyon vocatur, et Matthaeus Malesian, quem Archinardus *Malesier* appellat; nos neutrum nomen alibi legimus. Anno 1546 successit Ioannes de Sainct-André; 1549 Raimundus Chauvet, Michael Cop et Ioannes Fabri. Duodecimo loco ponimus Ioannem Perery cuius neque in libro modo laudato neque in nostris schedis ullam mentionem factam meminimus. Fortasse is idem est qui in aliis docu-

mentis Perrier, Pyrier, vel Poirier dicitur, verum hunc quoque in Catalogo supra laudato frustra quaesivimus. Accessit Claudius Baduellus tum temporis in Gymnasio sive Collegio professor, postea demum concionator. Ex pastoribus anno 1551 Poppinus, Gallasius, Chauvetus, Copus et Faber in ipsa urbe, caeteri ut videtur variis in vicis sacra administrabant. Cave tamen mireris tredecim tantum nomina in libello nostro occurrere, praeter Calvinum, quum multo plures ministri in Genevensium ditione tum munere ecclesiastico fungerentur, ut facile vel ex Archinardi nomenclatore didiceris. Non enim omnes in unaquaque congregatione verba facere solebant et exhibetur hic simplex narratio rerum die 18. Decembris gestarum.

Appendicis loco huic libello subiicimus ipsa Acta publica ad Hieronymi Bolseci causam pertinentia, ex Archivis civitatis Genevensis maxime desumpta. Asservantur ibi peculiari comprehensa fasciculo in quo praeter libellum 69 folia colligata complexum schedae solutae et singulares ultra viginti reperiuntur. Nonnulla ex his selecta iam olim Hottingerus in suae hist. eccl. T. VIII. publici iuris fecit, non tamen ex ipsa Geneva petita, verum quae in archivis Turicensibus authentice descripta habebat. Plura etiam dederunt Alph. Turretinus in libro qui inscribitur Nubes testium, et Ruchat in cel. opere suo ed. Vuillemin. Tom. V. Recentius quoque F. Trechsel in Appendice libri de Antitrinitariis, et P. Henry in Vita Calvini App. T. III. Multo autem locupletius et diligentius rem tractavit libro singulari a. 1865 Genevae edito Henricus Fazy, tum temporis archivis genevensibus praefectus: *Procès de Jérôme Bolsec publié d'après les documents originaux*; forma quaternaria maxima pagg. 74. Quem non nisi paucissimis in locis veterem scripturam minus bene legisse aut descripsisse deprehendimus, documenta vero omnia et singula, in suis archivis asservata, vix una aut altera scheda excepta, Actis inseruisse et additis annotationibus, imo etiam perpetua rerum enarratione lectoribus declarasse cognovimus, ita quidem ut ex ipsis summi senatus protocollis quae ad historiam causae pertinebant fideliter exscriberet.

Erant tamen quae et nos, vel post tales Viri doctissimi curas, alioquin omni laude dignas, permoverunt, ut eadem Acta iterum integra ederemus. Poteramus quidem illa documenta quae ipsi Calvino autori tribuenda sunt, cum aliis quibusdam omnino non negligendis, Thesauro epistolico reservare, Bezae exemplum sequentes apud quem nonnulla ita edita leguntur. Verum quum in ista operis nostri parte ad ordinem temporum singula stricte exigere constituerimus, facile videbamus fore ut variis variorum literis causae alienae hinc inde interiectis, huius ipsius progressus lectorum oculis et menti minus lucide sese offerret. Deinde haec ipsa causa Bolseci, a primo statim initio ad finem usque, tam manifeste, tam evidenter, tam confesse calviniana res est, ut merito tota inter Nostri opera referri posse, imo debere videretur. His ita deliberatis primum Fazyi textum sedulo cum authenticis exemplaribus contulimus, lectiones variantes ex aliis ab ipso neglectis depromptas adscripsimus, nonnulla alio ordine disposuimus, pauciora ab editore omissa suo loco inseruimus, quae Bernae Turici et Neocomi tam in bibliothecis quam in archivis exstant scripta huc pertinentia inspeximus, excerpsimus, addidimus, maxime vero ex Commentariis ministerii genevensis ab ipso A. Archinard olim Venerabilis Coetus secretario nobiscum communicatis plura alibi non occurrentia hausimus, ita ut plenius et accuratius iam, quam unquam antea ex editione hac nostra memorabilis illa et tristissima causa cognosci possit.

CAPUT XXXII.

DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE. 1552.

Est hic libellus proprie secunda pars scripti olim a Calvino adversus Albertum Pighium Campensem editi, de quo vide Prolegomena nostra Tomo VI. praemissa pag. XXIV. Priorem partem de libero arbitrio tractantem autor temporis angustiis pressus separatim ediderat anno 1543, posteriorem de praedestinatione et providentia disputaturam proximis nundinis edendam pollicitus. Sed aliis plurimisque curis distractus post longum demum annorum intervallum promissis suis stetit, ipsis illis, de quibus modo diximus, turbis Genevae ab Hieronymo Bolseco excitatis maxime permotus. Interea enim alii quoque plures ex pontificiis vetus illud certamen suo marte redintegraverant Calvinum nominatim aggressi, inter quos erat Georgius quidam Siculus, monachus ordinis S. Benedicti, apud Italos, ut videtur, et sparsis libris et revelationibus quas sibi contigisse fingebat, non parvi nominis. De quo ipse medio mense Augusto a. 1551 sic scribit ad Viretum (Bibl. Genev. Cod. 107 a. fol. 45 autogr.): *Mitto Georgii Siculi deliria quae fratres Itali a me refutari optassent. Ego autem abstinui, quia nullus esset finis, si singuli isti canes propriis libris repellendi essent. Praestat igitur multos responso non dignari. Si quando otium suppetet, potius quod iam ante annos octo pollicitus sum praestabo. Ita Pighio respondens aliorum latratus compescam.*

Quod suum consilium citius quam fortassis animo praeviderat exsequendum duxit, commoda oblata occasione, quum saepius ac fere quotidie idem argumentum tractandum esset, tam in concionibus quam libellis publicis ad magistratum contra Bolsecum datis, atque etiam ad exteros, quorum iudicia de eodem eiusque erroribus expetebantur. Raptim igitur, et currente calamo ut dicunt, vergente anno tractatum de Praedestinatione adversus Albertum Pighium et Georgium Siculum conscripsit, eumque ante Kalendas Ianuarias absolvit. Scribit quidem Viretus d. 7. Ianuarii (Col. Gen. 111. a. fol. 100 autogr.) se a Beza accepisse quod Calvinus coeperit Pighio respondere, et scripto diligenter perlecto se moniturum pollicetur autorem, si quid durius hic iudicaverit. Verum eodem fere tempore ipse Calvinus de suo opusculo, non inchoato tantum sed perfecto, haec ad Bullingerum, qui ipsius adversus Bolsecum acerbitatem et vehementiam minus probare videbatur (Cod. Genev. 107 a. fol. 52): *Novum opus a me promitti, in quo Deum non esse peccati autorem demonstrandum suscipiam, non recte interpretatus es. Nam quum ista calumnia me impostor gravaret, eius refellendae causa obieci, quod verum erat, me edito libro satis testatum esse quantum ab illa blasphemia abhorream. Librum porro contra Libertinos pridem editum intelligo. Et tamen huius nebulonis improbitas me compulit ut meae adversus Pighium responsioni quod restabat de praedestinatione attexerem* caett. Quid quod epistola dedicatoria, qua libellum suum Senatui obtulit ipsis Kalendis Ianuariis scripta est.

Attamen non statim typis evulgatum fuisse pluribus iisque gravissimis argumentis demonstrari potest. Atque hic parvi momenti est quod Calvinus ad Melanchthonem scribit d. 28. Nov. 1552 (Epp. Genev. pag. 107. Laus. pag. 245. Amst. pag. 66) de proxime edito libello. Nullo negotio idem effeceris ex literis a Beza ad Calvinum d. 21. Ian. 1552 datis, quas Bretschneiderus ex Codicis Gothani schedis misere laceratis edidit (Epp. Calvini ineditae 1835 pag. 97). Beza scilicet, multa de laudibus Nostri suaque ipsius modestia praefatus, de novo amici opere sic scribit ut non modo nondum impressum significet, verum etiam antequam imprimeretur hinc inde retractandum et corrigendum, quin imo ad aliam plane

methodum exigendum. Nescimus quidem quatenus illi talia monenti autor morem gesserit; monita autem omnino neglexisse, quae tamen ipse postulaverat, neque ullam eorum rationem habuisse, minus vero simile videtur. Eodem demum die 21. Ianuarii Calvinus tractatum suum Consulibus et senatui Genevensi praesentem obtulit, simul veniam petens ut sibi liceret utroque sermone edendum prelo submittere. Quod non statim impetravit a patribus conscriptis, scilicet iam taedio captis controversiae quae ipsos tamdiu detinuerat et civium animos non parum turbaverat. Ecce quae leguntur ea de re in Commentariis actorum senatus (Registres du Conseil) in Archivis Genevensibus asservatis Tom. 46 fol. 138 v.: *Par l'organe de M. Calvin les ministres hont proposé que pour aultant que plusieurs tant en Italie que aultre part hont escript mesme contre eulx de la matiere dont est esté question dernierement entre H. Bolset qui sont choses qui meritent bien response: pourquoy entre eulx ilz hont composé ung livre quilz vouldroyent volontier dedier à la seigneurie et iceluy imprimer en latin et en francoys pour envoyer en Alamagne sil plaict à la seigneurie leur donner licence: ce quilz implorent combien qu'à present il naye apporté que la preface daultant que le livre est à Lausanne. Arresté que ilz apportent le livre et lon le face veoir à Me. Beliaquet et M. Trolliet.* Ibidem fol. 140 ad 25 Ianuarii: *Sus la lecture de la preface du livre adressé à la seigneurie des faictz debatuz avecque Hier. Bolset pource quil se y trouvent plusieurs iniures etc. est arresté que lon les corrige et devant que imprimer soyt aoye la relation de ceulx esquelz le livre est commys.* Ibidem fol. 142 ad 28 Ianuarii: *Icy est parlé du livre que presenta laultre iour M. Calvin pour imprimer. Et est esté refferu comment les commys hont relaté lavoir veu et trouvé iceluy livre estre de grande chose et hault ministere et fort bien fondé meritant bien destre imprimé: toutesfois il y a plusieurs motz diniure qui se porroyent bien oster. Il y est aussy que ladresse doibt estre à noz magnifiques seigneurs. Et dempuys sont entré M. Cop et Me. Abel qui hont requys leur donner ladvys et aussy si lon limprimera. Arresté que leur soit dict quilz corrigent les motz diniures et mettent ladresse comment sus est dict et quilz advisent bien que la chose se puisse soubstenir et ne soit iniurieuse et le porront faire imprimer.* Post haec libelli editionem aliquandiu retardatam Calvinus maturasse putandus est. Certe eius iam mentionem factam videmus in literis d. 10 Septembris a Bartholomeo Traherone Londinensi ad Bullingerum datis, quibus autorem hoc nomine maximis laudibus effert. (Archiv. Turic. Plut. VI. Cod. 164 fol. 201). Titulus editionis latinae est:

DE AETERNA DEI | *PRAEDESTINATIONE,* | *qua in salutem alios ex hominibus elegit, a-* | *lios suo exitio reliquit: item de prouidentia* | *qua res humanas gubernat,* | Consensus Pastorum Geneuensis Ec- | clesiae à Io. Caluino expositus. | (Emblema) | *GENEVAE,* | *Ex officina Ioannis Crispini.* | *M. D. LII.*

Forma octonaria minor. Quaterniones tredecim cum dimidio (A—O). Paginae numerantur 210 ita tamen ut numeri 166—175 bis appareant, pro 176 rursus 166 posito, et sic deinceps continuata serie usque ad 198, quem reliquis omissis statim sequitur 209, quo fit ut totius summae ratio iusta constituatur. Finem faciunt primum erratorum tabula, tum tres paginae cum locis Rom. 8, 28—30. Cap. 9, 10—18. Cap. 11, 5—10 et 33—36. Eph. 1, 3—6 verbo tenus descriptis. Ultimo loco apparet Crispini SACRA ANCHORA cum suo serpente, hic figuris arabicis quas dicunt circumsepta. Idem emblema in titulo nude expressum conspicitur. Exemplari usi sumus nostro.

Tractatui ipsi praemittitur dedicatio Senatui genevensi inscripta, ut iam diximus. Cuius ad illum satis singularis est ratio. Per totum librum Calvinus suo nomine Pighium impugnat, hominem iam ante decennium suo fato defunctum; epistola dedicatoria autem omnium ministrorum nomine conscripta est, qui se hunc libellum meditatos esse dicunt, ut circumforaneum quendam erronem, Bolsecum puta, quem nuper turbarum omnium pater Satan supposuerit, confutarent. Cuius tamen nomen, ne ex sacrilega audacia praemium reportaret, se silentio sepelire maluisse affirmant. Quid multa? Patet librum

scriptum fuisse et absolutum, eo consilio ut priori adversus Pighium edito quasi complementum adderetur; postea vero Calvino dignum visum, qui patribus civitatis offerretur, quos eo tempore haec maxime controversia exercebat, et quidem velut communis omnium ministrorum fidei declaratio, ipso suo unanimi consensu peregrinum hominem et imprudentem facillime debellantium. Sic ex scripto Calvini mere privato publicum et quasi authenticum orthodoxiae genevensis documentum factum est, quod deinceps apud historicos Consensus genevensis nomine designari contigit. Quem tamen caeterae helveticae civitates nunquam, quod sciamus, ex magistratuum autoritate receperunt.

Recusus est hic Consensus apud Gallasium pag. 879—946; apud Bezam pag. 948—1005 et in editione altera pag. 797—845; in Stoeriana pag. 688—730; in Amstelodamensi pag. 593—629. Exstat quoque in Collectione confessionum in ecclesiis reformatis publicatarum ed. Herm. Ag. Niemeyer Lips. 1840 pag. 218—310.

Gallicam versionem absque ulla mora latino archetypo comitem additam fuisse nobis vero simillimum videtur. Certe praefatio ad Senatum citra dubium viris consularibus sermone vernaculo concepta exhiberi debuit, quod eo facilius tibi persuaseris, quod a latina dedicatione multum differt, ideoque a nobis ex parte ad utramque formam describenda fuit. Etiam tractatus ipse satis liberum translatoris stilum expertus est, quem, sin minus ipsius Calvini fuisse nobiscum suspicari velis, fortasse tamen amanuensi cuidam tribuendum conieceris, ita officio suo fungenti ut autor ipse operi condendo invigilaverit conditumque expoliverit.

Haec quoque versio semel tantum separatim excusa prodiit et rarissima eius sunt exemplaria. In tota Helvetia unicum Turicense nobis innotuit quo etiam in paranda nova archetypi editione usi sumus. Titulus est:

DE LA PREDESTI- | *NATION ETERNELLE* | *de Dieu, par laquelle les vns sont eleuz à sa-* | *lut, les autres laissez en leur condemnation* | *Aussi de la providence par laquelle il gouuer-* | *ne les choses humaines.* | | . Traicté tresvtile, nouuellement com- | posé et mis en lumiere. | (Anchora Crispini sine adagio). | *M. D. LII.*

Forma eadem ac latini exemplaris. Quaterniones sedecim (A—Q). Paginae numeratae 252 et duo folia in albis. Recusus est textus gallicus in Collectione opusculorum Bezana pag. 1219—1314; in Stoeriana pag. 1393—1504.

CAPUT XXXIII.

QUATRE SERMONS. 1552.

De huius libelli origine et occasione vix habemus quod dicamus. Beza et Colladonus in suis de vita Calvini commentariis nullam eius mentionem fecerunt, neque ullum eiusdem in epistolis autoris et amicorum mutuis vestigium deprehendisse meminimus. Quid quod ipse in sua praefatione ad christianum lectorem data de utilitate quidem argumenti complura, de externa vero, quam nos dicimus, opusculi historia plane nihil profert. Quae quum ita sint, in mentem nobis venit, fieri potuisse ut Calvinus a Roberto Stephano rogatus, qui non ita diu antea Parisiis Genevam migraverat, in hac urbe magis secure quam in patria prelum exerciturus, viro honesto ipsi operam suam offerenti, quia forte nullum scriptum

maioris ambitus paratum habebat, quatuor illos sermones ex pluribus selectos tradiderit excudendos. Haec sane ex mera coniectura tibi proponimus pensanda: tu si quid novisti rectius istis, candidus imperti.

Prima concione Christiani admonentur ut externam idololatriam fugiant, scilicet papisticam, quod argumentum saepius iam a Nostro singularibus libellis tractatum fuisse memineris. Secunda exhortatur auditores ad tolerandam persequutionem. In tertia fideles docentur, quanti facere hoc debeant quod in ecclesia Dei vivant, ubi eum possint pure ac libere adorare. In quarta denique demonstratur quantis laboribus studiisque sit redimenda libertas Dei in ecclesia christiana pure colendi. Addidit autor in fine explanationem Psalmi LXXXVII. cuius summam hanc facit: unam Dei ecclesiam supra omnia mundi regna excellere quia Deum habeat salutis suae praesidem eiusque imperio gubernetur.

Huius libelli unicum exemplar, quod aetatem tulisse videtur et nobis quidem innotuit, possidet Vir humanissimus Henricus Lutteroth Parisiensis saepius iam a nobis nec tamen unquam satis laudatus ob officia benevolentissime nobis praestita. Ad huius exemplaris fidem tibi conciones illas vel tractatiunculas recusas offerimus. Titulus est:

QUATRE SERMONS | de M. Iehan Caluin, traictans des | matieres fort vtiles pour nostre | temps, comme on pourra veoir | par la preface. | | Auec briefue exposition du Pseau- | me LXXXVII. | (*Emblema*) | L'Oliuier de Robert Estienne. | M. D. L. II.

Forma libri est octonaria minor. Quaterniones novem et quinternio unus (a—k). Folia numerata 82, sed numerorum series multis mendis typographicis turbata. Emblema est Oliva Stephanorum notissima. In collectionibus Opusculorum gallicis legitur ter recusus, apud Bezam pag. 824—879; apud Stoerium pag. 945—1010; apud Lacroix pag. 211—292.

Exstat eiusdem versio latina Claudii Baduelli paulo minus rara, quam et ipsi possidemus. Forma est eadem ac archetypi. Quaterniones sunt tredecim (A—N), paginae 206 numeratae, duae ultimae in albis. Typi cursivi. Titulus est:

IOANNIS CALVINI | HOMILIAE QVA- | *tuor, gravem atque his temporibus admodum* | *opportunam et vtilem admonitionem atque* | *exhortationem continentes, quemadmodum* | *ex ipsa praefatione perspici poterit.* | | *Breuis item explanatio Psalmi LXXXVII.* | *ab eodem authore latine scripta.* | | E GALLICO IPSIVS AVTHORIS SER- | mone in latinum a Claudio Baduello conuersae. | | | GENEVAE. | EX OFFICINA IOANNIS CRISPINI. | 1553.

Translator peculiarem praefationem praemisit operi quam hic transscribimus:

Claudius Baduellus omnibus pietatis studiosis S. P. D.

Ea Dei perpetua fuit in ecclesia liberanda et conservanda consuetudo, ut eam aut in maxima horrendaque dispersione dissipatam recollegerit, atque unum in locum, quasi gregem sparsum perditumque in ovile, congregarit, aut iniquissima hominum dominatione oppressam et corruptam eo convocarit, ubi libere et pure pieque sanctissimum nomen eius invocare ac celebrare posset. Qua quidem in re et salutaris eius gratia est perspecta erga eos qui eius sanctam vocationem sequuti sunt, et formidabilis severitas in illos qui eiusdem bonitatem autoritatemque sunt aspernati. Quod si unquam Deus in ecclesia asserenda atque in libertatem vindicanda praepotentem manum suam exseruit atque ostendit, hoc eius opus redemptionis ac liberationis temporibus nostris exstitit, ut summa manus, quod aiunt, in eo quidem operis ac beneficii genere, imposita ab eo esse videatur. Tam excellentem autem ac perfectam redemptionem atque ecclesiae restitutionem, et periculi magnitudo, et gravissimae servitutis diuturna turpitudo, et proxima mundi consummatio, ad quam omnia toto impetu

feruntur, magnopere requirebat et salus nostra flagitabat. Memoria quidem adhuc recens eorum malorum quae in papatu experti ac perpessi fuimus, et sensus praesentium bonorum ac solatiorum, quibus nunc liberati fruimur, ad cogitationem ac commemorationem tam praeclari et salutaris operis cum omni pietate, benevolentia, caritate erga Deum usurpandam debet nos omni ratione excitare: ne nos aut in tanto tamque illustri eius beneficio immemores et ingrati, aut in nostra salute negligentes esse videamur. Ordinis autem, quem Deus in hac ecclesiae liberatione conservavit, ratio et via huiusmodi est, ut in eo non solum summa Dei sapientia, sed etiam singularis quaedam in nos indulgentia et benignitas facile perspici possit. Neque enim primum violentia aliqua magna atque ea acerbitate usus est, qua subito populum suum ad apertam et periculosam nominis sui confessionem professionemque vocaret, sed certos conservans gradus eam adhibuit moderationem qua animos primum, deinde corpora humanissime tractavit. Primus ad libertatem aditus introitusque factus per Martinum Lutherum, sanctissimae memoriae virum, quo quidem autore ac principe Deus animos hominum miserrima servitute liberavit eosque impiis opinionibus superstitionibusque implicatos ex vinculis Satanae, quibus constricti tenebantur, in eam conscientiae libertatem restituit in qua suavissimam et amabilissimam Iesu Christi gratiam sentire, amplecti amareque potuerunt. His iactis libertatis fideique fundamentis progressus est deinde ad redemptionem corporum quae quidem adhuc, in iis etiam qui animo soluti ac liberati erant, gravissima servitute oppressa tenebantur, nefariaque idolorum pollutione cum summa et indigna creatoris redemptorisque ipsorum contumelia foedabantur. Qua in parte redemptionis, insignis opera, fides, industria atque admirabilis constantia Guilielmi Farelli, Ioannis Calvini, Petri Vireti exstitit. Nam hos quidem tres video fuisse, qui a Deo missi eiusque maximo spiritu praediti atque incitati, quum corpora hominum ab illa idolorum foeditate atque impietate ad libertatem ac sanctitatem vocaverunt, tum vero fidei religionisque christianae confessionem ex tenebris in lucem eruerunt, ac verum Dei cultum et honorem evangelii in oculis hominum constituerunt. Quid enim antea ad laudem Dei et gloriam illustrandam proderat conscientias habere iis superstitionum vinculis solutas et liberas, quum imago filii Dei in corporibus nostris impressa sic commaculata atque deformata esset, ipsa vero fidei vitaeque professio, quae suum redemptorem Iesum Christum recognoscere debebat, cum impio idolorum cultu atque Antichristi dominatu consentire plane videretur? Papa quidem sempiternus filii Dei inimicus illum interiorem cultum in animis hominum occultum facile perpessus esset, a quo quidem scelerata eius dominatio ac nefaria, totiusque christianae religionis profanatio ac oppressio, nunquam in hanc tantam lucem atque hominum cognitionem prolata esset. Nunc vero ipsius spiritus virtutem, corpus nostrum, divina quadam societate sibi coniunctum, ab illius crudelissima tyrannide et turpissima servitute ad sanctissimam filiorum Dei libertatem revocantis, atque redemptoris gloriam omni confessione illustrantis, nullo modo ferre potest. Itaque singulari horum trium virorum et doctrina et diligentia perfectum esse video, ut honos Dei purissimusque eius cultus suam quodammodo possessionem, quam ille perditus ac sceleratus occuparat, nunc recuperare videatur. Quum autem omnia eorum et facta et dicta et scripta eum fructum afferant, qui in vita ac moribus piorum et Deum timentium uberrimus praestantissimusque demonstretur, tum vero hae Calvini fidelissimi et sapientissimi ecclesiae ministri conciones in omni pietatis pure casteque colendae genere ita excellunt, ut institutio, doctrina admonitioque plane christiana ad omnium hominum, et eorum qui in hac ecclesia sunt, et illorum qui nostra privati libertate ab ea absunt, rationem officii et salutis prudenter accommodata videatur: maxime autem obstinatus, atque in fallaci mundi amore obfirmatus, propeque desperatus sit, qui antea multum diuque ab eo monitus, nunc eius gravissimam exhortationem atque autoritatem non sequitur, Deumque in eo loquentem atque unumquemque exhortantem aspernatur. Quamobrem, quum hae homiliae sive conciones ab ipso habitae ab eodem sermone gallico scriptae essent, perdignae mihi visae sunt, atque ad rationem temporum nostrorum maximopere opportunae, quae ad eorum cognitionem ac admonitionem pervenirent, quibus lingua gallica ignota esset. Ego Deum et patrem Domini nostri Iesu Christi oro ut spiritu

suo caeterorum omnium mentes ita illuminet, atque animos accendat, ut, quo nos per evangelium suum vocavit, et conduxit, ipsi quoque eodem venire velint et possint.

Versio haec latina legitur in Tractatibus a Beza editis 1576 pag. 733—778; 1597 pag. 614—652; in Stoerii editione pag. 529—562; in Amstelodamensi pag. 457—485; ubi tamen observandum est, Psalmi 87 explanationem latine in sola editione principe supra pluribus descripta exstare, non vero in quatuor Opusculorum corporibus modo laudatis.

CAPUT XXXIV.

DEFENSIO ORTHODOXAE FIDEI DE TRINITATE. 1554.

Seriem opusculorum Calvini secundum ordinem temporum edendorum ex proposito persequentes, ad eum iam devenimus tractatum qui tibi infelix illud et ulcerosum Servetanum negotium in memoriam revocat, de quo et olim variae fuerunt hominum sententiae non sine ira et studio iudicantium, quodque vel hodie, post tantam rerum et opinionum conversionem, sive laudatores Nostri spectes, sive obtrectatores, merito τὸ θρυλλόμενον appellare possis.

Longam fatorum Michaelis Serveti Hispani instituere narrationem post plurimos et diligentissimos virorum doctorum labores, vel placitorum eius sane singularium systema exstruere, quod fortasse multis prius risum quam bilem moveret, neque huius loci neque nostri officii est. Multo minus in mentem nobis venit nos arbitros constituere famosissimae causae, de qua iam ad taedium, imo ad nauseam usque disputatum est in utramque partem, et satis superque Iliacos intra muros peccatum et extra. Sane brevi manu ablegandos censemus ab omni accusationis iure scriptores romanenses, iesuitici praesertim ordinis, qui crudelitatis notam ausi sunt inurere memoriae Calvini, post tot et tam atrocia supplicia de hominibus sumpta omnis aetatis sexus et nationis, evangelicae fidei addictis. Verum etiam quod ad eos attinet qui olim sententiam senatus Genevensis suo suffragio approbarunt, testimonium eis perhibemus, ut apostoli verbis utamur, studium quidem Dei habuisse, ἀλλ' οὐ κατ' ἐπίγνωσιν, et magis ad codicem theodosianum quam ad evangelium respexisse. De recentioribus quidquam dicere, in diversas nunc quoque partes abeuntibus, eo facilius supersedemus, quo locupletiorem futuris historicis materiae disquirendae copiam suppeditamus ipsi. Id enim unice nobis proposuimus ut Calvini librum, undique congestis, quae alios latuerunt, ab aliis neglecta sunt, subsidiis criticis, quam accuratissime et fidelissime ederemus, eumque additis omnibus quae ad Serveti res faciebant documentis ita illustraremus, ut in posterum rectius de iis vel saltem tutius iudicare possent, qui eas denuo tractandas sibi forte sumpturi sunt.

Vix interempto Serveto, quum iam de viro non omnium eadem atque iniqua esset opinio, et indies plures minus sibi in miserando eius fato et iudicum severitate damnanda temperarent, maximeque in Calvini nomen invidia rei caderet, ipse de scribenda apologia cogitavit, sive potius de nova quadam actione coram theologorum tribunali instituenda, quia quam in priore lite magistratus civilis tulerat sententiam, ea convincendis et placandis animis nondum satisfecisse videbatur. Iam die 22. Novembris Bullingero haec scripsit (Arch. Turic. Plut. VI. tom. 166, fol. 19 aut.): *Brevi ut spero pleniores a me recipies literas. Fidum tamen hominem nactus, per quem tibi librum Serveti mitterem, occasioni deesse nolui. Si quid mihi relaxationis concessum fuerit, brevi libello quale monstrum fuerit ostendam, ne improbi, quod fieri Basileae audio, male dicere pergant, ne etiam obmurmurent imperiti.* Cui paucis post diebus scil. 28 Nov. Bul-

lingerus respondit (Bibl. Genev. Cod. 114, fol. 90 autogr.): *Quum scribere de rebus Serveti coeperis, ne obliviscaris demonstrare, iure ultimo affici supplicio blasphemos et omnes qui Serveto similes sunt.* Idem paulo post d. 13 Dec.: *Vide, mi Calvine, ut diligenter et pie omnibus piis describas Servetum cum suo exitu, ut omnes abhorreant a bestia* (Epp. ed. Genev. p. 119, ed. Laus. p. 279, ed. Hanov. p. 311, ed. Amst. p. 77). Porro d. 8 Decembris Viretus Farello nunciat, nimirum a Calvino de ea re certior factus, brevi prodituram historiam Serveti cum confutatione haeresium illius quae satisfaciat bonis omnibus. Quae epistola exstat in Bibl. pastorum Neocomensium in autographo. Ipse Calvinus de opusculo suo, ut videtur nondum absoluto, pridie Cal. Ianuarii ad Bullingerum haec scribit (Bibl. Genev. Cod. 107 a. fol. 65 aut.): *Contra Servetum prodibit libellus his nundinis Francofurdianis. In quo argumentum illud quod a me tractari optabas breviter complexus sum. De his qui obstrepunt privatim apud te conquestus fueram. Interea eorum nominibus parcere statueram, ut feci, ne paucorum hominum dedecus toti ecclesiae aspergeretur. Et certe digni sunt quos obruant aeternae tenebrae. Quod mihi prius non venerat in mentem docuit ipse causae progressus, vestram de Serveto epistolam libro inserendam esse, quod ergo mihi vestra humanitate fretus permisi.* Quod hic de obstrepentibus dicit, tu de quibusdam Basileensibus dictum accipias, maxime de Castellione. Quid quod in autographo primum scripserat: De Curione et similibus qui Basileae obstrepunt, quod postea cancellatum hodieque distincte legitur. Castellio iam a. 1551 in praefatione Bibliorum suorum ad Eduardum Regem scripta fortiter et strenue pro libertate conscientiae singulis concedenda contra severiorem saeculi illius disciplinam decertaverat, mox et a Calvino et a Beza eam ob causam acriter exagitandus.

Librum tandem vergente mense Februario a. 1554 publici iuris factum fuisse colligimus tum ex subscriptione versionis gallicae, de qua infra dicemus, tum ex variis variorum epistolis eo tempore scriptis, e quibus pauca tantum excerpsisse hoc loco sufficiet. Primum ipsum audiamus autorem a. d. VII. Cal. Mart. Bullingero inter alia haec nunciantem (Epp. Calvini et Genev. pag. 385. Laus. pag. 289. Hanov. pag. 323. Amstel. p. 241): *Serveticae impietatis refutatio prius tibi missa erit, ut spero, quam ad te literae meae perveniant. Libellus brevis est ac tumultuarie conscriptus. Praestabit tamen, quod continet scriptum esse, quam nihil.* Triduo post Basileam iam allatum testantur Gratarolus medicus et Sulzerus eidem Bullingero scribentes (Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 155, fol. 61 et 366 autogr.). Quorum ille simpliciter: *Legi*, inquit, *egregium ac fortissimum Calvini librum contra Servetum.* Hic vero paulo obscurius: *Calvini scriptum de Serveti haeresi et supplicio iam prodit, meo quidem iudicio sanctum et accuratum, quanquam totum nondum videre potuerim, idque profuturum ecclesiis vehementer arbitror, quod perniciosum errorem eumque multis persuasum de haereticis non puniendis graviter convellat et refutet.* Bullingero ipsi paulo serius legendi copia fuit, quum exemplar a Calvino missum per octiduum fere Bernae apud Hallerum iacuerit. Unde obiter tantum inspectum a se dicit, in literis d. 26 Martii datis (Arch. Turic. Plut. VI. vol. 164, fol. 123). Addit tamen: *Nihil dubito quin omnia tractaris summa et integerrima fide. Unum metuo, ne liber parum sit gratus futurus multis simplicioribus, et tamen tui et veritatis studiosissimis, propter brevitatem, et ideo etiam propter obscuritatem gravitatemque argumenti. Et quidem stilus tuus praesertim in hoc opere videtur esse gravior. Nihilo minus magnas tibi gratias debere omnes bonos fatemur, maximas vero eruditiores.*

Caeterum varia fuisse scriptorum coaevorum de hoc libro, vel potius de ipsa causa Servetana iudicia, non est quod te moneamus, benevole lector. Et quidem, praetermissis editis libris, ex thesauro epistolico a nobis congesto plurima tibi proponere possemus, tum effuse laudantium, ut Farelli, tum timidius adhaerentium et cum reservatione aliqua approbantium, ut Musculi, tum vero etiam indignabunde obloquentium, ut Castellionis aliorumque; verum haec pro tempore seposita olim, si Deo placet, in medium

proferemus. Liceat tamen, quaesumus, iam hic unum, idque ipsius autoris de suo opere iudicium afferre quod legimus in literis ad Bullingerum datis a. d. III. Cal. Maias, quarum autographon habetur in Archiv. Turic. Plut. VI. vol. 105, fol. 597, ubi sic respondet ad ea quae supra a Bullingero observata transscripsimus: *In libello meo semper hoc veritus sum, ne quid obscuritatis afferret brevitas. Cavere tamen non potui: imo destinato fere animi proposito ob alias causas inductus sum ne caverem. Hoc enim mihi non praecipue solum, sed fere unice agendum esse duxi ut detestabilis omnibus pateret Serveti impietas. Plena autem earum rerum, de quibus dissero, tractatio visa fuisset astute quaesita, quae splendore suo dogmata non adeo impia obrueret. In stilo illam quam dicis gravitatem non animadverto. Quin potius summam operam dedi, quoad licebat, ut spinosas Serveti argutias non magna molestia diductas et explicitas haberet etiam rudis lector. Neque tamen me latet, quum in scriptis meis omnibus concisus sim, me hic solito magis fuisse restrictum. Verum modo constet, sincera fide rectoque studio defensam a me fuisse sanam doctrinam, hoc unum mihi pluris est quam ut suscepti laboris poeniteat. Verum tu pro tuo in me amore, pro ingenii tui candore et aequitate, humaniter iudicas. Alii me durius exagitant, quod saevitiae et atrocitatis sim magister, quod mortuum hominum, qui manibus meis periit, calamo proscindam. Sunt etiam quidam non malevoli qui argumentum illud nunquam me attigisse cuperent de haereticis puniendis. Dicunt enim alios omnes, ut invidiam fugerent, data opera tacuisse. Sed bene habet quod te habeo culpae socium, si qua tamen culpa est, quia mihi autor et hortator fuisti. Vide igitur ut te ad certamen compares.* Haec ille.

Iam his praemissis ipsam tibi, quam hic maxime exspectas, notitiam literariam offerimus. Libelli minus infrequentis, quam caeterorum Nostri opusculorum archetypa, titulus sic decurrit:

DEFENSIO ORTHODOXAE | fidei de sacra Trinitate, contra prodigio- | sos errores Michaelis Serueti Hispani: | vbi ostenditur haereticos iure Gladii co- | ercendos esse, et nominatim de homine | hoc tam impio iuste et merito sumptum | Geneuae fuisse supplicium. | | Per Iohannem Caluinum. | (*Emblema*) | Oliua Roberti Stephani. | M. D. LIIII.

Forma est quaternaria minima ad nostram hodiernam octonariam proxime accedens. Quaterniones sedecim cum dimidio (a—r). Paginae numeratae 261; ultima subscriptiones ministrorum exhibens, absque numero. Exstat in collectione nostra.

Iam scripti huius singulas partes satis laxo nexu iunctas paucis recensebimus. Statim post titulum generalem nullaque praefatione interposita legitur *Fidelis expositio errorum Michaelis Serveti et brevis eorundem refutatio: ubi docetur iure gladii coercendos esse haereticos* p. 3—37. Haec tamen inscriptio, quatenus expositionem promittit placitorum infelicis Hispani, minus ad hoc primum caput quam ad totum opusculum pertinet, siquidem praemissa brevi de eius impietatibus declamatione deque gravibus inde in pios redundantibus periculis, tantum nonnulla referuntur de autoris cum Serveto et olim habita consuetudine et recentius tum coram tum scriptis facta conversatione, et inde a pag. 8 agitur causa *An christianis iudicibus haereticos punire liceat.* Qua absoluta denuo ad suas cum Serveto relationes transit; se haereticum Viennensibus iudicibus denunciasse, quod nonnulli invidiose affirmabant, enixe negat; fatetur se autore eum Genevae deprehensum et ad causam dicendam postulatum fuisse; suas ipsius et collegarum partes in eadem agenda declarat; quo pacto a senatu commissus semel atque iterum cum captivo de ipsius dogmatibus contulerit, et quam liberaliter commodatis libris ipsi defensionis subsidia ministraverit, pluribus enarrat; totum denique negotium ita exponit, ut omnem infausti exitus culpam a se remotam in fatalem rei vesaniam reiiciat.

Huic tractationi subiiciuntur *Tres quaestiones Calvino propositae a Serveto* de homine Iesu filio Dei, de regno Christi in hominibus, et de sacramentis, cum Calvini responsione. Cuius solutiones quum Servetus paucis refutasset, quae refutatio hoc loco inseritur, ille alteram responsionem conscripsit longiorem. Haec habentur pag. 38—57. Quibus absolutis redit ad relationem de Serveto supra abruptam, ita quidem ut in libris impressis alterum opusculi elementum ab altero, responsio pridem exarata ad Servetum a nova hac ipsa ad lectorem expositione, nullo externo signo distinguatur, quod in nostra editione in tuum commodum emendatum reperies (pag. 58—64).

Sed antequam in recensendis libelli nostri partibus ultra progrediamur, operae pretium facturi nobis videmur inserta alia etiam Serveti epistola, cuius apud Calvinum nulla fit mentio, quam autem eo minus hoc loco praetereundam ducimus, quod evidenter demonstrat Servetum, post receptam alteram illam responsionem, neutiquam in sententiam adversarii transiisse. Exstat epistola illa propria autoris sui manu scripta in Cod. Genev. 113 fol. 108 et absque inscriptione et subscriptione sic decurrit:

De prima quaestione non amplius contendam. Hoc unum te lubens monebo ne illud trium rerum monstrum tantum et tam impossibile in Deo tu admittas nullis bene intellectis scripturis probatum. Hac tamen ratione tu moveris quod Deus ab aeterno dicitur pater. Quasi ego non clare docuerim, seclusa in Deo temporum ratione, eum semper dici patrem et ab aeterno filium hunc generare in quo et patres antiqui spem habuerunt. Ad logon du provocas quasi Iohannes voluntate humana logon dixerit potius quam filium. Ad obiectionem meam quod monstrose discerpitur deus et quod duo filii doceantur tu nihil respondes sed quasi ludens de duobus sermonibus obiicis, non animadvertens in dispensatione consistere sermonem, filii autem vocabulum esse magis substantiale et quod hic filius ab eo sermone dicitur filius et sermo. Imponis mihi quod sermonem ego dicam aliquando coepisse. Oppositum expresse doceo in principio primi dialogi. Hypostasim eius, dispensationem aeternam, futuri hominis personam et substantiam manifeste doceo ut in ea facie videatur Deus.

In secunda quaestione, regnum Christi in nobis non satis agnoscens, rogas ubi doceat Iohannes tales nos esse in mundo qualis est Christus. Verba eius cap. quarto prioris epistolae sunt haec: Fiduciam habeamus ad diem iudicii quia sicut ille est et nos sumus in mundo hoc. Talem fiduciam hinc merito sumit Iohannes. Nam si praesentem huius regni Christi gloriam et gustum a nobis excludas, non erit in nobis alterius futuri talis et tam certa fiducia. Mihi deinde succenses quod cum Christo dicam eum qui minimus est in regno hoc esse maiorem ipso Abrahamo, et quod cum Paulo dicam Abrahamum fuisse carnalem. Ita me Paulus ipse docuit Rom. 4: Quid igitur dicemus invenisse Abraham patrem nostrum secundum carnem? Ex iis quae in ipso Abrahamo secundum carnem gesta sunt deducitur ibi spiritualium typus. Sicut alibi in Israele carnali et Aaron carnali ostenditur figura spiritualium. Carnalis dicitur tota illa vetus generatio quia non erant ita ut nos novo spiritu regeniti et ad coelestem hanc novam vitam cum Christo resuscitati. Annon spiritum novum attulit resurrectio Christi? Non nego quin ad eandem futuram haereditatem et ad idem dei regnum sint patriarchae post resurrectionem assumendi, sed praesentem gratiam et adventus Christi dona coelestia esse nobis potiora. Hoc vellem cogitares. Quomodo mortem Christus veniens abolevit, vitam nobis in lucem produxit, et immortalitatem, ut ad Timotheum scribit Paulus? Quomodo nos in suum coeleste regnum evexit? Si caro Christi est vere cibus, est vere alimentum. Si est vere alimentum, ille qui ea nutritur efficitur substantialiter unum cum Christo. Substantiali autem hoc carnis Christi cibo non est usus Abraham. Praestantiores igitur sumus nos. Mihi crede, non est cohaeres diabolis qui Christi regnum hoc et gratiam eius nobis factam extollit. Regenerationem a baptismo tu longe separare conaris, et tantum dicis baptismum esse signum adoptionis. Ego cum Paulo dico esse lavacrum regenerationis et renovationis spiritus nos salvans. Si baptismus est lavacrum regenerans ea ipsa lotio ex aqua et spiritu sancto est regeneratio.

In tertia quaestione mire te involvis. Fateris parvulos omnes nasci filios irae, maledictionem tolli per gratiam, gratiam esse per fidem et in eis non esse fidem. Omnes qui ex progenie sunt Abrahae ais nasci filios dei et dicis te non esse tam crassum ut credas esse filios. Ego autem dico etiam praedestinatos in filios dei, nasci, cum Paulo, filios irae, licet ratione boni propositi Dei dicere possis eos ab utero vocatos filios. Olim quoque in carnali foedere parvuli carnis censebantur filii; nunc illi soli sunt filii qui per fidem fiunt filii Dei. Et ad hos solos filios extenditur promissus spiritus υἱοθεσίας *quem in baptismo dari docet Petrus. Qui etiam spiritus ex auditu fidei est, teste Paulo. Si Iohannis Baptistae exemplum tibi baptismum probat, baptiza pueros in utero matris. Nec deerunt tibi exempla multorum qui in utero sanctificati sunt. Ad eundem modum ex certis exemplis tua de promissionibus generalia commenta fingis. Ais enim neminem sine promissione posse iustificari. Mirum certo quod ita tibi placeas et verum fidei christianae caput dissimules. Ex solo aspectu Christi miracula facientis mulier Chananaea vel Caesarianus aliquis illi credens poterat tunc iustificari etiam si de promissionibus nihil unquam audisset. Nam Christus factis quoque declarabat se esse filium Dei et id credentes salvabat et iustificabat etiam si essent Scythae nullam promissionem habentes. Imo ridiculum si quis non sit Deo crediturus, nisi aliquid ipse promittat. Possem ad hoc tuum dictum explodendum testimonia et exempla iustificatorum adducere innumera tam ante tempus legis quam tempore legis et tempore gratiae etiam in Ninive et in insulis novis. Sed quia times ne sim tibi satan, finem facio. Remitte igitur scripta mea et vale. Si vere credis papam esse antichristum credes quoque trinitatem et paedobaptismum ex doctrina papatus esse doctrinam daemoniorum. Iterum vale.*

Redeamus nunc ad Calvini libellum. Postquam de illa cum Serveto controversia dixit quae pro tempore ipsi sufficere videbantur, iam propius accedens ad argumentum suum methodice tractandum describit triginta et octo *Sententias vel propositiones ex Serveti libris excerptas, impias, blasphemas, profanis erroribus et deliriis refertas, a verbo Dei et orthodoxo ecclesiae consensu alienas,* et ministrorum genevensium nomine nuper in acta publica relatas ut accusationis praesidia essent (pag. 64—71). Huius documenti exemplar authenticum manu scriptum in archivis genevensibus asservatur, ad cuius fidem textum receptum nonnullis in locis emendare potuimus. Idem valet de sequentibus duobus documentis quae Calvinus libro suo integra inseruit. Quorum primum est *M. Serveti responsio ad articulos Calvini* (pag. 72—81). Constat ea duabus partibus. Initium facit satis longa series locorum ex Tertulliano, Irenaeo et Petro apostolo, quem dicit, eiusque discipulo Clemente, i. e. ex Recognitionibus pseudoclementinis petitorum, quibus ille sua placita confirmare et vindicare studet. Deinde paucis ad triginta octo articulos Calvini supra memoratos respondet, partim sensum suum prolata explicatione declarans, partim vero satis habens adversarii obiurgationes conviciis propulisse. Multo maioris momenti est alterum documentum quod inscribitur: *Brevis refutatio errorum et impietatum M. Serveti a ministris ecclesiae Genevensis magnifico Senatui oblata* (pag. 82—123). Exemplari authentico, scribae Calvini manu exarato, passim additae leguntur Serveti annotationes autographae, quas partim longiores margini adscripsit, partim breviores, imo brevissimas et ἀποτομωτάτους, singulis verbis inter lineas superposuit. Has quoque Calvinus refutationi suae typis editae comites addidit, sed paulo negligentius descriptas, ita ut nostram editionem ad fidem exemplaris manuscripti emendatam multis in locis libris olim impressis locupletiorem et accuratiorem dicere merito possimus. Caeterum haec refutatio omnino sequitur praecedentis Serveti responsionis tenorem, ita ut primum allegata ex patribus eodem ordine quo proposita fuerant excutiantur, deinde triginta illi et octo articuli contra Serveti exceptiones vindicentur. Huic documento subscripserunt manu propria quatuordecim ministri genevenses, ipso Calvino agminis duce: quorum tamen nomina in editionibus omissa sunt. Variae hae

libelli partes, sive potius ei inserta documenta a pag. 64 ad 123 exstant etiam in Commentariis ministerii (Registre de la Vénérable Compagnie) Tom. II.

Quibus ita ex actis publicis in praesentem usum repetitis pergit autor in enarrando causae processu (pag. 123 seq.): se non amplius ad desperati haeretici convicia respondisse, quum ultimas eius calumnias intactas relinquere maluerit quam sibi sumere quod iure suo licuisset. Senatum vero quatuor helveticas ecclesias adiisse, Tigurinam, Bernensem, Basiliensem et Schafusianam, deque tota causa earum consuluisse pastores. Quorum responsiones quum unanimi consensu Serveti errores iuste reprehensos affirmassent, supervacaneum videri ut singulae seorsim recenseantur. Unam igitur Tigurinam speciminis loco verbo tenus descriptam lectoribus exhibere satis habuisse. Cuius exemplum legitur pag. 125—130, a nobis ex autographo in archivis genevensibus asservato recognitum et emendatum. Atque hic liceat nobis te, benevole lector, de peculiari quadam et prae caeteris conspicua scripti indole monere. Quod si attente perlegeris, et Serveti quaestiones, responsiones, annotationes omnes et singulas, easque minime decurtatas ab autore tibi candide propositas consideraveris, mirum sane esset si non in admirationem quandam rapiaris, ne stuporem dicamus, super illam sanctam αὐθαδείαν, qua usus est in exponenda declarandaque tota causa. Sane cuivis haud inique iudicanti persuasum erit, hunc virum, quum haec talia toti christiano orbi legenda obtulerit, sibi veritatis unice adfectatae conscium fuisse, neque ullo dubio turbatum quin boni civis et fidi pastoris officio functus fuerit.

Quas huc usque recensuimus libelli partes, eas non immerito historicam causae expositionem dixeris, quippe quae vel meram rerum gestarum narrationem exhibeat, vel ipsa causae publice actae documenta referat. Sequitur iam pars altera eaque magis theoretica, sive potius polemica, qua scilicet vulgus lectorum fusius edoceretur de Serveti erroribus, iique data opera refutarentur. Verum et haec disputatio non uno tenore decurrit. Ac primum quidem exponitur Serveti Christologia (pag. 130—175) absque ulla peculiari huius partis inscriptione, ita ut quae ratio inter eam et praecedentem Turicensium epistolam intercedat lectores minus facile perspiciant, et versionis gallicae autor hanc lacunam expleverit praemissa rubrica: *Plus ample declaration des erreurs abominables de Servet faite par I. Calvin.* Quam talem declarationem excipit, et quidem suo proprio titulo ornata, *Refutatio calumniarum quibus Servetus iustam errorum suorum damnationem a ministris genevensibus conscriptam eluere vel saltem eludere tentavit* (pag. 176—257), ubi triginta et octo illae propositiones haereticae ex operibus Serveti antea a Calvino excerptae, et supra iam descriptae et refutatae, denuo sigillatim excutiuntur, et partim quidem diligentius partim paucis tantum versibus retractantur. In quarum penultima, quae de paedobaptismo agit, autor prae caeteris subsistit, atque inter alia singulas adversarii rationes numero viginti contra hoc institutum prolatas exponit expositasque profligat. In fine vero, absoluta propositionum illarum recensione, multus est in demonstrando et explodendo Serveti pelagianismo. Finem facit variorum eius placitorum farrago, quae prius omissa, nunc spicilegii vice extra ordinem addita, non minus acriter quam caetera discinduntur. Coronidis loco apponit breve Serveticae theologiae compendium per locos dispositum (pag. 257—261), ubi agitur de Deo, de Christo, de spiritu, de homine eiusque corruptione, de fide, de iustitia, de differentia veteris et novi testamenti. Toti libro subscripserunt praeter ipsum Calvinum quatuordecim ministri.

Quum in hoc scripto Calvinus saepissime Serveti opiniones ex eius recentissimo opere, seu potius opusculorum variorum collectione quam sub *Restitutionis Christianismi* titulo nuper Viennae ediderat, depromptas citet, adeoque ipsius libri paginis accurate allegatis, lectorum interest scire, editionem Murrii, cuius solius nobis copia fuit, quum authentica exemplaria corvis albis rariora sint, horum formam hactenus repraesentare, ut pagina paginae respondeat, adeoque qui a Nostro significantur numeri in illa quoque relegi queant.

Recusus est Tractatus hic in editione Bezae prima pag. 816—907; in secunda pag. 686—764, apud Stoerium pag. 592—658; denique in ed. Amstelodamensi pag. 510—567.

Versio gallica typis edita latinum archetypum proxime sequuta est, ita ut facile tibi persuadeas utrumque exemplar fere eodem tempore prelo commissum fuisse. Titulus illius hic est:

DECLARATION | POUR MAINTENIR LA | *vraye foy que tiennent tous Chrestiens* | *de la Trinité des personnes en vn seul Dieu.* | PAR IEAN CALVIN. | Contre les erreurs detestables de Michel Ser- | vet Espaignol. Ou il est aussi monstré, qu'il | est licite de punir les heretiques: et qu'à | bon droict ce meschant a esté executé par iu- | stice en la ville de Geneue. | (*Emblème de l'ancre avec le serpent*) CHEZ IEAN CRESPIN | A GENEVE, | *M. D. LIIII.*

Forma octonaria minor. Quaterniones viginti tres (A—Z). Paginae numeratae 356, quas sequuntur duae aliae, altera ministrorum exhibens subscriptionem, altera typographi. Cuius posterioris tenor hic est: DE LIMPRIMERIE DE IEAN CRES- | PIN LE VINGTQVATRIEME IOVR | DE FEBVRIER L'AN APRES LA NA- | TIVITE DE NOSTRE SEIGNEVR | IESVS CHRIST. M. D. LIIII. Reliqua quatuor folia in albis. Liber hic rarioribus adnumerandus in germanicis bibliothecis vix semel aut bis exstat; in tota Helvetia frustra eum quaesivimus. Exemplari usi sumus integro quidem, verum edacis temporis iniuria, et magis etiam immiti vermium dente attrito, quod e museo Seminarii Montalbanensis humanissime nobiscum communicavit Vir doctissimus et amicissimus Michael Nicolas, post alia in res nostras collata studia hic denuo nec unquam satis laudandus.

Recusa est haec versio in collectione opusculorum calvinianorum Bezana pag. 1315—1469, in Stoeriana pag. 1505—1692. Minus presse latinum archetypum sequitur, imo multifariam ab eo differt et demptis additis mutatis plurimis textus particulis, modo minoribus, modo etiam longioribus, saepius libere decurrit ut vix a vero aberrare dixeris si quis ad ipsum Calvinum autorem hanc lectionis varietatem referat. Caeterum Bezae editio, quam tamen cursim tantum inspeximus, a principe nonnullis in locis discrepat.

Editioni nostrae, quam locupletioribus subsidiis criticis instructi procurare potuimus quam quae in plurimis aliis tractatibus recognoscendis nobis ad manus fuerunt, duplicem etiam appendicem subiunximus, qua addita rem neque a nostro instituto alienam, neque tibi ingratam futuram suscepisse nobis videmur.

Ac primum quidem descriptas leges ad calcem huius opusculi Epistolas illas triginta a Serveto ad Calvinum missas, quarum frequentem hic iniicit mentionem in sua Defensione. Nempe quum hae epistolae a Thesauro nostro abesse omnino non debuerint, in quem omnes ad Nostrum datas literas recipere decrevimus, magis e re fore nobis visum est, si hoc ipso potissimum loco eas tibi exhiberemus, praesertim quum quo tempore conscriptae sint vel Genevam allatae nemo mortalium hodie definire audeat. Si dicere licet quod nobis maxime vero simile videtur, eas non singulas et manu scriptas, per tabelliones, ut in literis mutuis vulgo fieri solebat, sed una cum integro elucubrationum Serveti volumine, cui insertae hodieque leguntur, Calvino innotuisse crediderimus. Quod etiam Bezae testimonio confirmari posse videtur, qui ad Bullingerum de Serveto nuper Genevae in carcerem deducto scribens, inter alia Calvinum nominatim ab eo triginta epistolis excusis indignissime tractatum ait (Bibl. Genev. Cod. 119, fol. 129). Caeterum minime negamus, antea iam inter utrumque commercium epistolicum intercedere potuisse, praeter illud cuius testem habemus hunc ipsum tractatum. Ipse enim Noster passim tale aliquid innuit, idemque demonstrant literae eius ad Frelonium Lugdunensem typographum datae; et fortasse Servetus ex suis talibus subitariis adumbrationibus postea has, quas nunc legimus, lucubrationes confecit.

Textum simpliciter describimus ex Murriano exemplari Restitutionis Christianismi ubi exstat pag. 577—664 satis mendose expressus. Sed commode accidit ut olim Parisiis, dudum antequam de edendis Calvini operibus cogitaremus, unus de coetu nostro ex codice quodam bibliothecae imperialis (lat. 3676 chart.) has ipsas epistolas descripserit, cuius apographi ope plurimis in locis textum Murrii evidenter corruptum emendare potuimus, codicis lectione in margine apposita. Continet autem codex ille primo loco nonnulla Seb. Castalionis opuscula, inter alia eius libellum a. 1554 contra Calvinum causae Servetanae occasione editum, qui inscribitur: De haereticis an sint persequendi et omnino quomodo sit cum eis agendum, doctorum tum veterum tum recentiorum sententiae. Quem sequuntur fol. 216 v. excerpta nonnulla ex libro Serveti de Trinitatis erroribus, tum fol. 218 v. usque ad fol. 296 epistolae hae ipsae de quibus nunc agimus. Adsunt tamen non nisi viginti septem priores integrae et pauci vigesimae octavae versus; non quod codex mutilus sit, scriptura enim subsistit in media pagina et folio verso et sequentibus adduntur viginti septem propositiones Serveti de Baptismo quae impressae exstant in Restit. Christ. p. 570—573, verum librarius laborem suum ad finem non perduxisse censendus est, sive quod ab eo nescio quo pacto distractus fuerit, sive potius eum imperfecto exemplo usum esse conieceris. Epistolas enim triginta in titulo promiserat.

Altera appendix exhibet ipsa Acta causae famosissimae Servetanae, partim post varias virorum doctorum curas ad authentica documenta denuo collata, partim vero ex ipsis his fontibus nunc primum eruta digesta et publici iuris facta. De iis qui ante nos in his studiis operam suam locarunt haec accipe. Primus, quod sciamus, nonnulla huc pertinentia edidit Vitae Serveti anglice conscriptae inserta Michael de la Roche, in Memoirs of Litterature 1711 vol. II. quae postea etiam gallice versa reperiuntur in Bibliothèque angloise T. II. His maxime usus est qui et pauca alia addidit Henricus ab Allwoerden Stadensis cuius exstat Historia M. Serveti a. 1727. Helmstadii praeside cel. I. Laur. Moshemio defensa. Quem historicorum suae aetatis principem huic opusculo, praeter nomen, alia quoque de proprio penu addidisse, degustata libri doctrina facile tibi persuadebis; idque postea libere professus est vir summus. Ipse tamen lucubrationem illam minus perfectam iudicans, neque suo nomine dignam, opus ab integro aggressus viginti fere annis post germanice Serveti vitam enarravit in satis grandi volumine cui titulum fecit: Anderweitiger Versuch einer vollständigen und unpartheyischen Ketzergeschichte. Helmst. 1748. ubi tamen paucissima tantum ad Actionem genevensem referenda verbo tenus descripta reperies. Paulo plura, verum maxime ad Acta causae Serveto Viennae Allobrogum prius intensae pertinentia habes in eiusdem autoris supplementis biennio post ibidem editis sub titulo: Neue Nachrichten von dem berühmten Spanischen Arzte M. Serveto. Nostris temporibus duumviri clarissimi F. Trechsel Bernensis et A. Rilliet de Candolle Genevensis historiam Serveti ex Actis publicis illustratam diligentius tractarunt ipsaque causae documenta pluribus numeris locupletius ediderunt, prior in opere maiori: *Die protestantischen Antitrinitarier vor Faustus Socin. Erstes Buch. Michael Servet und seine Vorgänger. Heidelberg 1839*; posterior in schediasmate peculiari: *Relation du procès criminel intenté à Genève en 1553 contre M. Servet*, quod insertum exstat in *Mémoires de la Société d'histoire et d'archéologie de Genève.* Tom. III. 1844. Quorum tamen hic solus ipsas authenticas chartas in archivis genevensibus asservatas inspexit et excerpsit, ille vero easdem pridem deperditas esse ratus, apographo aliquo usus est quod saeculo superiore exaratum Bernae in Archivis olim ecclesiasticis nunc civicis habetur (Epist. T. VI. pag. 261—298). Falsi istius rumoris quem postea etiam P. Henry in publicum sparsit, origo inde repetenda videtur, quod olim magistratus Genevensis, scilicet mitiore saeculo Reformatoris honori prospecturus, Acta illa curiosorum oculis subduci iusserit, ita ut iam ipsi Moshemio eorum copia facta non sit.

Nos tamen his tam variis subsidiis non contenti ipsa ditissima reipublicae genevensis archiva

adiimus et singulis documentis a Rillieto iam editis cum authenticis exemplaribus denuo collatis reliqua ex iisdem descripsimus, item ex tomo XLVII protocollorum Senatus quaecunque ad hanc causam faciebant, post eundem autorem, quem in omnibus accuratissimum et fide dignissimum reperimus, sedulo excerpta relegimus. Atque hac fausta nobis oblata occasione viris doctissimis Theophilo Heyer et Adolpho Grivel, archivorum Genevensium praefectis, publice gratias agere debemus officiosissimas, pro ea qua nostras res adiuvarunt et promoverunt humanitate. Addidimus etiam nonnulla ex Commentariis ministerii supra iam memoratis deprompta; item ex Turicensibus quoque archivis (Plut. VI. Vol. 105 olim B. I.) copias nostras auximus, ita ut nunc tandem tibi Acta causae Servetanae integra proponere possimus. Bernense vero apographon, et aliud quod Genevae in bibliotheca civica exstat, nihil amplius nobis suppeditarunt.

Quibus ita studiose conquisitis et digestis duo denique supplementa sive corollaria subiunximus ad historiam Serveti antiquiorem pertinentia. Alterum est documentorum actionis contra eum Viennae in Delphinatu institutae, cui ille fuga se subduxit, paucis mensibus antequam Genevae denuo in carcerem coniiceretur. Authentica huius causae acta hodie deperdita sunt, scilicet, ut ex ipsa Vienna quaerentibus rescriptum est, pridem incendio absumpta. Oportuit igitur ex secundariis fontibus colligere quae forte iam olim edita fuerunt, tum a Moshemio, tum maxime in libro: Nouveaux mémoires d'histoire de critique et de littérature par M. l'abbé d'Artigny. Paris 1749. Tomo II. pag. 55—154.

Alterum supplementum continet epistolas aliquot quas Oecolampadius et Bucerus, multis annis ante Calvini tempora, de rebus et libris Serveti mutuas scripserunt. Et quidem Bucerianas ex archivis Seminarii nostri Argentoratensis depromimus, caeteras sumimus ex editione prima epistolarum Zwinglii et Oecolampadii, ita tamen ut huius iudicium de Serveto magistratui Basileensi oblatum non, ut ibi exstat, latine versum tibi exhibeamus, sed germanice ex authentico exemplari descriptum, in archivis civitatis Basileensis asservato. Apographon debemus insigni liberalitati viri clarissimi Chr. Io. Riggenbachii, theologiae in academia patria professoris, qui, ut per amanuensem aliquem illud nostrum in usum describendum curaret rogatus, humanissime hoc officio ipse defungi voluit.

DE SCANDALIS

QUIBUS HODIE PLERIQUE ABSTERRENTUR,

NONNULLI ETIAM ALIENANTUR

A PURA EVANGELII DOCTRINA.

IOANNIS CALVINI LIBELLUS APPRIME UTILIS.

AD LAURENTIUM NORMANDIUM.

GENEVAE,

APUD IOANNEM CRISPINUM.

M. D. L.



IOANNES CALVINUS, VIRO MULTIS DOTIBUS EXIMIO, LAURENTIO NORMANDIO, S.

Quum tibi multis nominibus aliquam laborum meorum partem animo destinassem, hoc opusculum prae aliis eligendum censui, quod ad faciendam eius, quam continet, doctrinae fidem, exemplum tuum non parvae confirmationis vice esse potest. Nam ex quo, relicta patria, huc ad nos voluntarius exsul migrasti, quot et quam violentis Satanae machinis fueris impetitus, nos quidem duo optimi sumus testes: sed alii quoque non ignorant. Mors patris, quarto post discessum tuum mense, nunciata est. Venire tibi in mentem necesse fuit, quod malevoli non tacebant, mortis causam dolori posse ascribi, ut tota invidia in te redundaret. Sequutum est paulo post[1]) acerbissimum vulnus, quod uxor tibi, qualem optimus quisque vir optaret, in medio aetatis flore erepta est. Hic quoque fieri aliter non potuit, quin mentem hominis non stupidi percellerent variae tentationes. Iam auribus tuis insonabant improborum calumniae: fuisse infaustis ominibus e natali solo extractam, ut miserum spiritum in alieno prope orbe deponeret. Sed animum tuum propius hoc urgebat: aliquid habituros coloris, si consilium tuum tristi eventu a Domino maledictum esse iactarent. Omitto punctiones innumeras,[2]) quas te intus sentire par fuit. Nam quum grave sit malum viduitas: tali vitae socia privari, plus quam lugubre tibi fuit. Filiolae quoque postremo ad luctus cumulum funus accessit. Interea quoscunque potuit impetus, aliunde effudit Satan, ut saucium iam pectus obruendo conficeret. Denique, plus tibi molestiarum intra semestre tempus devorandum fuit, quam nonnulli, quorum celebrata fuit animi magnitudo, tota vita pertulerint. Illa fuit scandalorum moles, tibi Satanae astu in ipsis stadii carceribus opposita, quae te ad gradum reflectendum cogeret. Atqui, invicta spiritus Dei virtute fretus, documento aliis omnibus fuisti, nullum esse tam arduum difficileque obstaculum,[3]) quod non eodem eluctari praesidio liceat. Et simul expertus es, quibus suos ad resistendum armis instruere soleat Dominus, quoties ad certamen ipsos vocat. Memini, quum tibi primus indicarem patrem esse mortuum, et exemplum adducerem Abrahae, quem patris carnificem vocare poterant aetatis suae homines, quod Thare domo abeuntem sequutus in medio itinere defecerat, te statim excipere: Quum testem facti tui et approbatorem haberes Deum, impiorum calumnias nihil morari: hoc dolere solum, quod non pater, additus tibi profectionis comes, Abrahae te similem fecisset. Te quidem non adeo lautum esse ac superbum, ut vel Abrahae socius esse recusares, vel eam ignominiam fugeres, quam Deus summa laude prosequitur. Caeterum uxor ipsa prius obitus sui luctum, quam nos relinqueret, mirifice levavit ac mitigavit. Nulla enim medicina desiderari aptior potuit, quam heroicae illae voces, quas inter ultimos spiritus edebat: quum apprehensa manu mea gratias Deo ageret, cuius manu in eum locum esset adducta, ubi tranquillo animo liceret mori: quum superioris vitae sortem animo deplo-

1) au bout de deux mois. 2) secrettes. 3) destourbiers.

rans, [1]) bis se felicem esse clamaret, quia nuper ex maledicto Babylonis carcere extracta, [pag. 4] iam ex misero etiam corporis ergastulo exitura esset: quum ex vivo conscientiae sensu de peccatis suis, de aeternae mortis reatu, de tremendo Dei iudicio non muliebriter disserens, magnifice Christi gratiam extolleret, eamque pari humilitate et fiducia velut sacram anchoram amplecteretur. Haec verba non modo clare et diserte, sed insolita energia inter ultimos anhelitus fundentem sic me audisse recordor, ut spectaculo adhuc interesse videar. Itaque, quum te ex adverso intuerer, in domanda animi moestitia praeclare luctantem, minus iam mirabar, tot talibusque remediis adiutum, virum esse fortem in dolore. Aliis recitandis supersedeo. Hoc tantum dico: quum perplexum ex immensa congerie scandalorum labyrinthum tibi fabricatus esset Satan, sic te omnia superasse, ut non modo idoneus sis aliis monitor et hortator, sed etiam ut qui paulo sunt molliores, tuo exemplo animati, novam strenuitatem merito sumere debeant. Scilicet arx valde munita est, aequabilis animi moderatio: cuius singulare specimen quum aliis in rebus, tum in hac praebuisti, quod quum in patria reliqueris quae alios ad ambitionem rapiunt, alios suis illecebris affixos tenent, nullo prorsus eorum desiderio tangeris: ut te non minus aequo sedatoque animo illis carere appareat, quam facile semel renunciasti. Huius tuae pietatis, sicuti ego fructum et oblectationem non vulgarem capio, ita non mirum, si cupiam ad alios partem aliquam pervenire. Nam qui te nuper, quum in urbe ex qua natus sum, regius esses praefectus, et civium nostrorum magister, [2]) tanquam procul a Christo dissitum gemebam: nunc ex quo totus Christo addictus es, vere meum esse duco, et quasi communi ecclesiae gremio amplector. Velim tamen ut libellus hic etiam apud eos quibus ignotus es, qualecunque sit amoris in te mei documentum. Pignus enim ipse nullum flagitas. [3]) Multa quidem sunt inter nos iustae necessitudinis vincula, sed nulla sanguinis est propinquitas, nulla alia coniunctio, quae amorem nostrum superet. Adeoque frater unicus te sibi aequari non aegre patitur: quod mutuae compensationis vice se abs te peraeque amari sentit. Porro quod multorum votis serius prodit liber, utinam veteri proverbio, quod initio libri citavi, legitime excusare possem: Sat cito, si sat bene. Sed vereor, ne multos, qui partim ex argumenti amplitudine, partim ex longiore mora, magnum sibi nescio quid polliciti sunt, spei suae frustratio magis offendat: quum res copia, splendore, vehementia orationis, totis denique eloquentiae fulminibus apprime dignas, concise, humiliter et ieiune perstringi videbunt. Quibus ego quid respondeam, non habeo, nisi me rationem sequutum esse, quam fore optimam arbitrabar. In quo, ut mihi subscribant, non postulo: modo veniam a se dissentienti dare non recusent. Vale eximie vir, et frater mihi in Domino coniunctissime. Genevae, VI. Idus Iulii, meo natali die. Anno M. D. L.

---

1) en gemissant pour le regret qu'elle avoit de s'estre si long temps tenue en l'idolatrie Papale, elle s'escrioit à haute voix: O que ie suis heureuse d'estre sortie de ceste maudite captivité de Babylone et que ie vay estre delivrée de ma derniere prison! Helas, que seroit-ce, si i'estois maintenant à Noyon où ie n'oseroye ouvrir la bouche pour confesser franchement ma foy: encore que les Prestres et Moynes desgorgeassent à l'entour de moy tous leurs blasphemes! Et icy non seulement i'ay liberté de donner gloire à mon Sauveur, pour venir hardiment devant luy: mais i'y suis conduite par les bonnes exhortations que vous me faites . . . .

2) Lieutenant du Roy à Noyon et maire de la ville.

3) *Add.* tant en estes asseuré.

DE SCANDALIS QUIBUS HODIE PLERIQUE ABSTERRENTUR, NONNULLI ETIAM ALIENANTUR A PURA EVANGELII DOCTRINA.

[pag. 5] Non abs re Dominus, postquam multis argumentis eum se esse comprobasset, qui venturus erat in piorum salutem, hanc tandem clausulam adiunxit: Beatus qui non fuerit offensus in me (Matth. 11, 6; Luc. 7, 23). Scilicet non tantum in evangelii sui professione multa noverat contineri, a quibus humanum ingenium penitus abhorreat: sed etiam exoritura mox, Satanae artificio, providebat omne genus obstacula, quae illam mundo vel exosam redderent, vel suspectam. Et sane impleri necesse est, quod de ipso pronunciavit spiritus sanctus, lapidem fore offensionis et petram scandali: non quia iustam ipse offensionis causam in se habeat, sicuti mox videbimus. Sed quid refert? Haec quidem illi quasi fatalis est conditio:[1] ut quoties se offert hominibus, in eum bona pars impingat. Hoc si quando alias usu venit, hodie innumeris prope exemplis verum esse experimur. Quo magis superiorem eius admonitionem subinde nos memoria repetere convenit, quo penitus animis nostris infixa haereat: ne impedimentis, quae Satan obiiciet, ab illo aversi, ista etiam quam suis promittit beatitudine privemur. At quam pauci sunt quibus hoc veniat in mentem? Contra vero, quam multi reperiuntur, qui scandalorum praetextu, aut evangelium non secus ac scopulum aliquem refugiunt: aut illud amplexi, facto etiam aliquo progressu, cursum deinde reflectunt? Itaque, quum nullum esset, meo iudicio, argumentum in quo tractando utilius locarem operam, non invitus hoc tractandum suscepi: [pag. 6] praesertim quum fidem in hac re meam bonis quibusdam viris obstrinxerim: qui flagitare quasi debitum, quod promisi, non desinunt. Citius fortassis fieri debuit: sed quum hactenus occupatum me tenuerint partim aliae scriptiones non minus necessariae, partim magna et varia negotia, sat hoc cito erit, si sat bene.

Porro antequam in rem ipsam ingredimur, videndum est, qui conveniat titulus hic Christo, quem constat aeternae vitae esse ostium, ut sit lapis offensionis et petra scandali (1 Petr. 2, 8): qui fiat similiter, ut evangelii doctrina, quae unica est via salutis, perpetuo cum tam multis scandalis sit coniuncta. Clarius hoc fiet, si a scandali definitione exordium sumamus. Quum ratio vivendi nobis a Deo praescripta, ei, quam sequi nos oportet, viae aut stadio comparetur, hinc nata est altera metaphora, ut scandala vocentur impedimenta, quaecunque vel a recto cursu nos abducunt, vel obiectu suo nos retardant, vel casus occasionem praebent. Horum certe nihil in Christum, neque in ipsius evangelium competit. Officium Christi est, recta nos ad patrem manu ducere: quin etiam lux est mundi qua illuc dirigimur, via qua pervenimus, ostium quo intramus. Natura evangelii est, sublatis omnibus impedimentis, facilem nobis aditum patefacere in regnum Dei. Nihil igitur vel a Christo, vel ab evangelio magis alienum, quam nomen scandali. Omnino verum est, si in se aestimetur Christus, nihil eius naturae magis repugnare quam scandalum. Ita et de evangelio sentiendum est. Accidit autem hoc hominum pravitate, ut simul atque eminus apparet Christus, undique scandalis impetantur: vel in ea potius ipsi incurrant. Lapis ergo scandali est, non quia det ipse causam impingendi: sed quia in occasionem trahatur. Sicuti evangelium, [pag. 7] quum doctrina sit pacis et concordiae, ingentium tamen motuum est occasio: quod inde tumultuandi ansam impii arripiunt. Quod autem aliunde est, id tanquam proprium Christo assignare, ut culpam ipse crimenque sustineat, perquam iniquum foret. Atque id est quod dicit Petrus: Aedificemini in domum spiritualem, qui lapis est vivus: ab hominibus quidem reprobatus, a Deo

1) cela luy est coustumier.

autem electus, vobis etiam pretiosus qui creditis. Caeterum, iis qui non credunt, lapis quem reprobaverunt aedificantes, lapis ad quem offendant, petra ad quam impingant (1 Petr. 2, 4 seqq.). En ut Christus se omnibus offerat in fundamentum, ut in templum Dei exstruantur. Ibi certe nulla offensio. Cur igitur offendunt? quia in quo placide acquiescere debebant, in eum caeco impetu contumaciter irruunt.

Quae tamen est hominum vel malitia, vel corruptela, videmus, ut quod accidentale est Christo, non minus sit ordinarium, quam si eius officio maxime conveniret. Nunc ad eos venio qui Christi evangelium alias amplecti non abnuentes, volunt tamen habere absque scandalis. Cum Christianis mihi negotium est. Voluntne Christum ab omni scandalo remotum? Novum sibi fabricent: neque enim alius esse potest filius Dei, quam qualis in scripturis praedicatur: aut certe mutent hominum ingenia, totumque mundum reforment. Audimus quid scriptura pronunciet. Non cadit hoc in Christi personam solum, sed in totam doctrinam. Nec temporale est, sed duraturum toto doctrinae cursu. Quam sunt igitur praeposteri, qui hodie renascentem evangelii doctrinam hoc tantum nomine repudiant, quia in ea deprehendunt quod a prophetis et apostolis praedictum fuit! Interea nihilominus Christiani censeri volunt. Quid si in prima evangelii exordia incidissent, quo tempore nullum non scandalorum genus, subinde [pag. 8] ex evangelio scaturiebat? Quam celeriter a Christo se procul removissent! Quantum exhorruissent, ne qua contagione fuissent ex levi tactu afflati! Si id se tunc facturos fuisse negant, cur ergo tam sunt hodie delicati? Cur non easdem nunc quoque agnoscunt in Christo notas? At res est odiosa scandalum, et modestis ingeniis horrenda. Quis negat? Neque etiam dico appetenda ultro esse scandala: fugiamus ea quoad licet. Verum, christiani hominis pectus ita munitum esse oportet, ut quidquid scandalorum erumpat, nunquam loco moveatur: ne vel minimum unguem deflectat a Christo. Ad hanc constantiam qui non est comparatus, ut per omnia scandala invictus perrumpat, nondum quid valeat christianismus intelligit. At resistere scandalis difficile est: praesertim huic adeo tenerae nostrae imbecillitati. Fateor certe: sed postulare, ut ab eo incommodo simus immunes, cui sacrosanctum Christi et evangelii eius nomen esse obnoxium cernimus: id vero cum ratione pugnat. Proinde, qui hodie scandala in causa esse obtendunt, cur purae evangelii doctrinae, quam profitemur, nomen dare metuant, imo horreant ad eam accedere, hos omnes monitos esse velim ne sibi pro Christo idolum comminiscantur. Fixum enim illud manere oportet: si scandala omnia fugere velimus, Christum semel abnegandum esse: qui, nisi esset petra scandali, neque verus Christus esset.[1])

Quanquam hominum genera quatuor esse scio, quos scandala a Christo avertant, vel certe qui hoc colore evangelio sunt inimici. Multos retinet scandalorum horror, ex naturali quadam modestia[2]) conceptus, ut ne gustum quidem evangelii capere audeant. Alii magis ignavi et indociles, socordia tamen magis quam malitia se impediunt. Sed sunt permulti fastu et perversa eius, a qua procul absunt, [pag. 9] sapientiae opinione inebriati, quibus sua arrogantia scandalum est. Sunt etiam qui malitiose dataque opera, scandala omnia colligunt, multa etiam confingunt: neque id tam scandalorum quam evangelii odio, ut ipsum quoquo modo infament. Imo quum sint scandalorum autores, impudenter contorquent in evangelium quidquid est invidiae. Talibus calumniis refertos videre est Sadoleti, Eccii, Pighii, Cochlaei et similium libros. Primos et secundos mitius tractare convenit: tertii et postremi acrius repellendi. Nam cuius est, non dico humanitatis (quam enim humanitatem a truculentis istis bestiis requiras?) sed verecundiae, probra obiicere filio Dei, quorum ipsi culpam totam sustinent? Sed haec postea videbimus. Tantum initio admonere volui, quibuscum hominibus agere instituerim, ut inde iudicent lectores, quid exspectare debeant in hoc libello. Invenient hic infirmi ac rudes, quo se muniant ad superanda scandala. Invenient improbi, quod ad sacrilegas eorum calumnias reflectendas sufficiat. Magnum est quod polliceor: sed aequis iudiciis satisfacturum me confido. Nam ut omnium morbis medear, minime sperandum est. Et iam magnae stultitiae damnavi, si quis efficere conetur, ne scandalo sit Christus impiis. Scripturam impleri oportet, quae id praedixit fore. Neque vero alium susceptae a me lucubrationis eventum exspecto, quam ut magis ac magis inflammetur eorum rabies. Sed infirmos respicio: quorum fidem ut illi quatefaciunt, ita nos, quasi supposita manu sustinere convenit. Quod ad desperatos pertinet, mihi abunde fuerit, si illorum petulantiam cohibuero: aut certe effecero, ne contagio veneni ulterius serpat.

Quoniam autem, quacunque de re agatur, distinctiones plurimum solent afferre lucis, inter praecipuas scandalorum species hic breviter distinguam, quae evangelii cursum tum ab initio [pag. 10] turbarunt, tum etiam hodie morantur. Ergo ex scandalis, si placet, alia vocemus intrinseca, quae ex ipso evangelio, saltem hominum opinione, nascuntur. Alia tametsi aliunde proveniant, perpetuo tamen fere sunt annexa. Alia autem adventitia, quae ex

1) lequel ne seroit pas le Sauveur du monde, le fondement de l'Eglise, ni le vray christ, si *etc.*
2) ilz aiment la paix.

alienis remotisque fontibus manant. Primi generis sunt, quae principium quasi inclusum habent in ipsa evangelii doctrina. Paulus evangelium mundi sapientibus dicit esse stultitiam (1 Cor. 1, 18 et 2, 14): quod verum est, non ideo solum, quod illis derisui est plebeia et ostentatione carens eius simplicitas: sed quod multa etiam illic continentur, quae humano iudicio valde sunt non absurda modo, sed etiam ridicula. Nam quod filius Dei, qui vita aeterna est, carnem nostram induisse, ac mortalis homo fuisse praedicatur: quod morte eius nobis vita esse parta, damnatione iustitia, maledictione salus, id tantopere abhorret a communi hominum sensu, ut quo quisque est acutior, eo citius repudiet. Iam vero quod evangelium nos omni sapientiae, virtutis, iustitiae laude spoliat, ac nihil facit reliquum praeter extremam ignominiam, fieri nequit quin graviter offendat. Nam, quae est carnis nostrae superbia, nemo libenter eripi sibi patitur, quorum falsa imaginatione turgemus omnes. Hinc acerrimus conflictus. Illa quoque de abnegatione nostri, de crucifigendo veteri homine, de mundi contemptu, de amplectenda cruce praecepta, quantum asperitate sua offendunt? Sed ipsa experientia longe etiamnum durior, quum persequutionibus et aliis aerumnis probatur fides. Huc accedunt etiam alia, quae quum humanae rationi paradoxa videntur, plenaque absurditatis, ut priora illa de quibus diximus, tum vero spinosis quaestionibus occasionem praebent, quae totidem mox scandala pariunt, hoc est, infinita. Talis est praedestinationis doctrina, et similes. Ex secundo genere sunt ista: quod exorto evangelio, protinus turbae sequuntur et seditiones: detegitur multorum, quae prius latuerat, impietas: ebulliunt [pag. 11] plurimae sectae et inaudita errorum portenta: maiore licentia multi insolescunt,[1]) multi ex professoribus flagitioso vitae exemplo, doctrinam ipsam deformant: qui ad tempus visi fuerant toti fervere, non modo flaccescunt, sed horrenda defectione alienantur a Christo. Quin etiam probos atque alioqui sinceros doctores Satan miris artibus inter se committit,[2]) ut notam aliquam ex eorum infirmitate doctrinae inurat. Praeterea, quum ex novitate ipsa alii plus audendi licentiam arripiant, usitatum etiam est in rebus novis, necdum bene constitutis, acrius observare quidquid peccatur. In hac classe sint haec et similia. Tertium genus partim ex fictis calumniis constat, partim manat ex hominum ingratitudine: dum procul accersunt varias criminationes, quas maligne falsoque in evangelium conferant, ut inde exosum reddant. Iam

1) Multi insolescunt *om. Beza et. Amst.*
2) Satan use de ceste ruse et cautelle de mettre picques et contentions entre les bons Ministres de Dieu, les bandans les uns contre les aultres.

plerosque eorum qui fideles habentur, dum alienae ac prorsus adversae professionis hominibus permixti rationem fovendae amicitiae quaerunt: ambitio, quasi tempestas quaedam, abripit, ut evangelium abiicere malint, quam a communi vita dissidere.[1]) Quando igitur cum tot ac tam diversis monstris est mihi confligendum, hanc distinctionem praeponi operae pretium fuit, vel hac una de causa, ut si singula recensere non patiatur infinitas, ad genera se referant lectores.

Ergo, ut de prima classe disserere exordiar, male habet fastuosos homines, et pompis deditos, quod plebeio et abiecto dicendi genere, spiritus utitur in scripturis: qui etiam elegantiae assueti sunt ac nitori, incultam istam et nullis coloribus vestitam orationem vel respuunt, vel fastidiunt. Hic mihi defensionis partem ab aliis tractatam suscipere non libet: talem ex inscitia contemptum nasci, quia non minus in sua lingua expoliti sunt Moises et plerique ex prophetis, quam qui apud Graecos et Latinos summa cum admiratione plausuque philosophi aut oratores leguntur. Etsi enim hebraeae linguae peritis satis id notum est: quia tamen nihilo [pag. 12] Amos minus est propheta, quam Iesaias: eundem Ieremias gradum obtinet quem David, quorum tamen oratio minime parem splendorem habet: quin potius Ieremiae stylus oppidanum[2]) hominem, Amos vero pecuarium redolet: libenter fateor sacros libros, quibus tota coelestis philosophia continetur, non rhetorum modo picturis, sed mediocri etiam ornatu, qualem etiam literati homines desiderant, esse vacuos: sed nimis sunt morosi, quibus ob hanc causam minus sapiunt. Qui vero hoc praetextu, eorum autoritatem extenuant, nimis iniqui sunt ac maligni. Non modo concedit Paulus, eloquentiam sibi deesse: sed ultro praedicat ac gloriatur (1 Cor. 2, 1). An vero ideo contemptior eius doctrina esse debet? Quin potius, ubi nullus est orationis splendor qui oculos perstringat, melius relucere contendit vim coelestis sapientiae. Nec vero quidquam tradit, usque ad caput quartum prioris ad Corinthios epistolae, quam, tunc demum rite fundatam esse fidem in spiritus sancti sapientia et virtute, ubi dictionis elegantia et ingenioso artificio animi non ducuntur. Idque certo fidei experimento quisque nostrum compertum habet. Certe, si Demosthenis vel Ciceronis coloribus picta esset Ioannis vel Pauli doctrina, plus forte ad lectores alliciendos haberet gratiae, gravitatis autem ad conscientias permovendas, et dignitatis ad conciliandam sibi autoritatem, ne centesima quidem pars restaret. Viva enim Dei

1) ne laissent point de se tenir à la façon commune, et sur cela l'ambition les transporte: tellement ilz aiment mieux se conformer au monde qu'à Iesus Christ.
2) paisant.

maiestas illic se exserit: ut sentire cogantur quicunque legunt, nisi quorum mentes obstupefecit Satan, Deum esse qui sibi loquitur. Quare nimis sunt insipidi, qui nullum ideo ex scriptura gustum capiunt, quod illic sermonis lenocinia [1]) non reperiunt. Sed quid? [2]) si corda penitus ferire, quam amoeno tinnitu oblectare aures mavult Deus? Nam quod dicit Paulus, in vasis testaceis depositum esse evangelii thesaurum quo [pag. 13] virtus Dei in hominum infirmitate clarius appareat (2 Cor. 4, 7), praesenti quoque instituto optime convenit. Hoc nostro iure assumere nobis licet: nullas esse tam subtiles philosophorum disputationes, quae validius persuadeant: nulla esse oratorum fulmina quae vehementius afficiant, quam simplex et rudis scripturae stylus. Quis enim non videt admirabili Dei providentia factum, ut in humili sermonis genere nuda spiritus efficacia melius exstaret? Volunt illi facundiae suavitate aures sibi deliniri: at Deus, qui linguam hominibus formavit, nobiscum vult balbutire. Interim balbutiendo fulminat: nec minus excelsa gravitate effertur ad subigendas hominum mentes, quam si rhetorum omnium disertissimus, quidquid haberet exquisitum, ex intimo artificio promeret. Hoc modo spiritualia spiritualibus coaptari Paulus docet (1 Cor. 2, 13): et nos dilucide cernimus, quantum per se valeat simplex Dei veritas. Nimis ergo fastuosi sunt homines, si vel eos a scripturae lectione revocat eiusmodi fastidium, vel divinae autoritatis pondus elevat. Verum illos sibi habere suas delicias sinamus. Nos vero, si cordis aures loquenti Deo praebuerimus, adeo rudis et incultus sermo non offendet, ut potius ad considerandam, quae illic eminet, spiritus maiestatem evehat. Ita enim eruendi sunt sapientiae thesauri, quos in Christo absconditos esse Paulus monet (Col. 2, 3). Atque hac de re nonnihil reperire poterit, si quis volet, primo Institutionis capite: ubi de scripturae autoritate dissero. [3])

Nunc ut eiusdem classis scandalis mederi pergamus, texendane erit integra dogmatum probatio, quae humanae rationi parum arrident? Sed enim tum argumentum immensum foret, tunc ea ex nostris et aliorum lucubrationibus potest sumi. [4]) Et scripturae testimonia huc afferre, inutilis esset labor. Nam ut Christi [pag. 14] divinitatem clare demonstrem ex scriptura eiusmodi hominibus, quid proficiam? Audacter scilicet quidquid adduxero repudiabunt. Imo haec illis causa est, cur totam scripturam reiiciant: quia speciem habeat absurditatis, eorum opinione, quoties occurrit quod non placet. Itaque tunc sibi demum videntur ingeniosi, quum simplicitatem nostram rident: quod certa fide amplectamur quae demonstratione non tantum carent, sed humano iudicio sunt incredibilia. Quis idiota, inquiunt, persuaderi sibi sinat, cuius nullam rationem videt? Si rationibus contendam, quales humani ingenii acumen capit, nimis ineptus ero. Quod enim Christum credimus Deum [1]) in carne manifestatum, id mysterium esse Paulus fatetur, procul remotum ab omni hominum perspicientia. Quid igitur? si quam absurditatem obtendant, diluere quidem promptum erit: atque ita, ut obmutescere cogantur, nisi impudenter latrare velint. Facere tamen non potero, quin nos idiotis quibuslibet iudicent stupidiores, quia in tantarum rerum persuasione ex nudis scripturis pendeamus. Quare ad eos me convertam, qui eiusmodi scandalis tentantur quidem, sunt tamen adhuc sanabiles. [2]) Talibus non aliud dabo remedium, quam quod Paulus praescribit: nempe, ut mundo stultescere discant, quo coelestis sapientiae sint capaces (1 Cor. 3, 18). Stultitiam non vocamus stuporem: nec iubemus ut qui liberalibus disciplinis sunt eruditi, earum cognitionem abiiciant: qui ingenii praediti sunt dexteritate, obbrutescant: quasi Christianus esse nequeat, nisi qui pecudi magis similis sit, quam homini. Pueros, non sensu sed malitia, requirit christiana professio (1 Cor. 14, 20): sed ne quis aut proprii ingenii, [3]) aut doctrinae fiduciam in scholam [4]) Christi afferat: ne fastu quis turgidus, aut occupatus fastidio, mox repellat quod proponitur, [pag. 15] antequam vere gustaverit: si dociles modo nos praebuerimus, nullum sentiemus hic obicem. Sed qui sibi sapiunt, solis inquam, iis scandalum est sua arrogantia. Quid enim? An quia se usque adeo filius Dei exinanivit, ut frater tuus fieret, suamque aeternam divinitatem copularet mortali carni tuae, id tibi obstaculo erit, quominus ad eum accedas? An quia ex immensa sua altitudine ad te Deus descendit, ideone eris ab ipso remotior? Quid, si te sursum ad inaccessa coeli adyta vocaret? Quomodo ad eum tam procul contenderes, qui propinquitate offenderis? Sed dicis tibi instar portenti esse, quum audis Deum mortalem. Quid autem hoc est aliud, quam Deum immortalem in mortali carne nostra habitasse? Nam et res ipsa clamat, [5]) non frustra hoc a Ioanne (1, 14) praedicari: conspectam in eo fuisse gloriam, et dignam filio Dei, et

1) amorces et friandises de langage bien paré.
2) pourquoy le trouverons nous mauvais?
3) *Scil. editionis tum temporis recentissimae, nunc lib.* I., *cap.* 7.
4) et a esté et est tous les iours plus amplement deduit par Traittez qui sont proprement composez pour cela.

1) nostre chef.
2) qui . . . . cerchent d'estre reduits.
3) engin.
4) en l'eglise.
5) ses œuvres ont monstré clairement.

quae non obscurum divinitatis eius specimen praeberet. Nisi tibi liberet fingere portenta,[1]) nullum hic certe invenires. Fides nostra habet, quod susceperit Deus corpus morti obnoxium. Hic mysterium audis quod adores, non fabulam, quam derideas, non monstrum quod horreas. Tuae potius ingratitudini imputa, quod tam inaestimabilis gratiae admiratio adversas omnes cogitationes non absorbeat. Scio frustra multis haec dici. Neque etiam me latet, quibus nos cachinnis excipiant, quod in Christi morte vitam, gratiam in maledictione, in damnatione iustitiam quaeramus. Scilicet, inquiunt, ita ex ardenti fornace gelida aqua fluit: ex tenebris lux oritur. Concludunt ergo, nihil esse nobis stultius, qui a mortuo vitam nobis datum iri speremus: qui a damnato petamus absolutionem, ex maledictione hauriamus Dei gratiam: et ad patibulum confugiamus, tanquam unicam aeternae salutis anchoram. Et quidem nostram simplicitatem ridendo valde sibi acuti videntur. Ego autem illis deesse dico, quod est in vera sapientia praecipuum: [pag. 16] nempe sensum conscientiae. Qualis enim prudentia, qualis ratio, quale iudicium, ubi conscientia obstupuit? Atqui, unde hoc totum, quod a christianae religionis principiis sic abhorrent, nisi quod a Satana prorsus sunt inebriati, ut nullo iudicii Dei timore, nulla peccati cogitatione tangantur? Dixi iam prius, non alia via posse ad Dei sapientiam perveniri, nisi stulti fiamus mundo. Sed huius humilitatis, sicuti religionis totius, fundamentum est conscientia et timor Domini: quo sublato frustra aedificium moliaris. Itaque quisquis omnia, de quibus memini, scandala nullo negotio superare volet, is tantum in se ipsum descendat: simul enim atque suam miseriam agnoverit, via tam illi ad Christum, quam Christo ad illum erit strata et complanata. Clamat vox prophetica: Parate vias Domini (Ies. 40, 3). Et quae parandi ratio, nisi ut agnita qua premuntur necessitate homines Christum desiderare incipiant, quem prius fastidiebant sibi placentes? Eodem etiam modo viam ad Christum nobis paramus: imo pium illud desiderium nobis equorum instar et navium erit, quibus omnia obstacula praetervehamur. Sicuti enim ad capessendas altiores disciplinas exculto riteque praeparato ingenio, ita ad coelestem philosophiam[2]) subacto animo opus est. Nam quis gustus, ubi fastidium?[3]) Quis accessus, ubi ferrea undique duritia clausum pectus et obseratum? Frustra igitur de Christo verba facias, nisi apud eos qui vere humiliati sentiunt quantopere indigeant redemptore, cuius beneficio mortis aeternae exitium effugiant. Itaque hinc auspicari discant, quicunque sponte nolunt decipi, et decepti perire: ut cum Deo sciant sibi esse negotium, cui semel reddenda est ratio: horrendum illud etiam angelis tribunal proponant sibi ante oculos: accusatorem diabolum sibi imminere cogitent: audiant [pag. 17] conscientiae suae testimonium: ad stimulos peccati ne obdurescant: tum minime periculum erit, ne quid pudendum inveniant in Christi morte: ne ignominia crucis terreantur: ne quod denique aliud obstaculum illos retardet. Huius rei pulcherrimam imaginem cernere licet in muliere Samaritana. Quamdiu de mystico aquae vivae haustu cum ea disputabat Christus, suaviter garrulitate et cavillis dicax et audacula ludebat:[1]) verum, postquam exprobrata illi scortatione conscientiam eius pupugit, facetiarum statim oblita, prophetam reverenter agnoscit, quem prius dicteriis vexare non dubitabat (Ioann. 4, 19). Ita quos offendit in Christo divinitas cum humanitate in unam personam coniuncta, quibus absurdum videtur a mortuo vitam petere, et crucem maledictam fontem vocare omnis gratiae et salutis: hos sciamus[2]) ideo offendi, quia timore Dei vacui nullum spiritualis doctrinae gustum habent. Quare ne sit nobis offendiculo ipsorum stupor, sed potius ab humana Christi natura ad divinam gloriam feramur, quae omnes curiosas quaestiones in admirationem convertat: a morte crucis ad gloriosam resurrectionem dirigamur, quae totum crucis opprobrium deleat: a carnis infirmitate ad potentiam spiritus transeamus, quae stultas omnes cogitationes absorbeat. Tali sensu imbutum fuisse Paulum certum est, quum ita diceret: Non me pudet evangelii Christi, Dei enim potentia est in salutem credentibus (Rom. 1, 16). Nam his verbis eos demum evangelii pudere significat, qui vim eius salutarem non apprehenderunt.[3]) Porro non aliter apprehendi subiicit, quam patefacta ira Dei in nostrum exitium. Quis iam miretur, cibum non sapere iis quibus nullum est palatum? Quisquis enim ita obstupuit, ut nulla irae Dei revelatione tactus secure dormiat, nihil in agnoscendo Christo ab iis differt, [pag. 18] quibus in iudicando sapore ablatus est palati sensus. Tales autem nequaquam solemus morari, ut a cibo propterea quispiam nostrum abhorreat, quod ab illis respuitur.[4])

Sed hoc etiamnum scandalum, quod similiter ex doctrina emergit, violentius est ac magis commune: quia quum natura placeamus nobis, nostraque omnia velimus haberi in summo pretio, illic

1) si les hommes ne se forgeoyent des imaginations sauvages à leur plaisir.
2) l'escole de Dieu.
3) quel goust aura la viande si l'estomach est desbiffé?

1) ceste affetée ne faisoit que s'en iouer en brocardant.
2) *Sic bene princeps. Caeterae omnes:* hoc sciamus.
3) apprehenderent *Beza et Amst.*
4) Or si nous voyons les malades refuser la viande, ne laissons pas pour cela de manger.

nihil nobis sit reliquum praeter extremam bonorum omnium inopiam. Nam illic stultitiae damnatur universa hominum sapientia: iustitia et virtus rediguntur in nihilum. Hoc vero carnis superbiae adeo videtur intolerabile, ut prae indignitate frendant, quicunque nondum se ipsos abnegare didicerunt. Volunt enim homines semper retinere aliquid proprium: atque ut aliqua ex parte coacti cedant Deo, sibi tamen omnia semel eripi nullo modo sustinent. Initio sibi videntur sapientissimi, fiducia virtutis suae inflati sunt, iustitiam suam admirantur. Postea a Deo moniti, partim etiam convicti experientia, sapientiam quidem suam vacillare, virtutem et iustitiam claudicare agnoscunt: sed ut se prorsus omni destitui sapientia et iustitia credant, nullo modo possunt adduci. Hoc autem quid aliud est quam veluti facta pactione cum Deo partiri? Evangelium autem lucem illam quam nos habere imaginamur, pronunciat esse meras tenebras: iustitiae vero nullam adeo guttam relinquit, ut foetidas coram Deo sordes esse pronunciet, quaecunque a nobis afferimus. Hic excandescunt mundi sapientes: hypocritae etiam insaniunt. Atque haec praecipua causa fuit cur circa regni Christi exordia tota philosophorum natio, quasi facta conspiratione, una cum politicis omnibus,[1]) tam ardenter se evangelio opposuerit. Nolebant enim suam sibi sapientiam perire, quam et ipsi instar idoli adorabant, et cuius causa maximo in honore se haberi noverant. Atque utinam minus talium hominum offensione commoti fuissent prisci [pag. 19] doctores! Nam dum illis mulcendis pharmaca adhibere student, dilutam ac degenerem[2]) theológiam nobis tradiderunt. Nunquam sponte ita loquuti essent Origenes, Tertullianus, Cyprianus, Basilius, Chrysostomus, et eius ordinis reliqui.[3]) Sed dum temperamentum quaerunt placandis mundi sapientibus, vel declinandae eorum offensioni, terram coelo miscuerunt. Hominem prorsus exinanire odiosum erat, et communi iudicio adversum.[4]) Mitigationem excogitant, quae ad carnis sensum propius accedat: sed interea doctrinae sinceritas profanatur. Ergo nihil melius quam ulcus ipsum fortiter premi, quo fieri possit ex sanie ipsa iudicium. Nihil autem clarius, quam vesana superbia incitatos semper fuisse homines, ut evangelio obstreperent. Eadem causa Iudaeos incitabat ad belluinum furorem, quo percitos fuisse ipsos testes sunt evangelistae, praesertim Lucas et Paulus. Nam

1) avec leurs gouverneurs et gens d'estat.
2) froide et desguisée.
3) *Add.* s'ils eussent suyvi ce que Dieu leur avoit donné de iugement.
4) Ces bons personnages cerchent un moyen plus conforme au sens humain, c'est de conceder ie ne say quoy au franc arbitre et laisser quelque vertu naturelle aux hommes.

pro iustitiae suae defensione certabant, quae nihil quam fumus erat, sed tamen Christo pretiosior illis videbatur. Utrique violento impetu ruebant ad oppugnandum evangelium, sed hi furiosius: ut palam fieret, nihil hypocritis esse virulentius. De hoc scandalo Christus ipse generaliter loquitur: quum dicit, filios saeculi evangelii lucem odio habere, ne mala ipsorum opera appareant (Ioann. 3, 20). Nam remoto evangelio, tanquam luce exstincta, lucet in tenebris fallax et evanida carnis sapientia, regnumque obtinet: ficta vero sanctitas, alas suas fastuose[1]) circumquaque extendit. Simul atque unicus sol iustitiae Christus cum evangelii sui claritate emergit, non tantum evanescunt illa quae prius suum culmen honoris occupabant, sed instar stercoris reputantur. Hinc illae scilicet lacrymae. Haec illa est exitialis offensio, de qua alibi Paulus loquitur, quod propriam iustitiam volentes stabilire, iustitiae Dei subiecti non fuerint (Rom. 10, 3). Quod hodie quoque experimur. Paucos enim videas sapientiae suae persuasione inflatos, qui non sint obstinati [pag. 20] veritatis hostes. Hypocritae vero usque ad rabiem infesti. Et quae alia causa Bunello[2]) fuit, cur ab evangelio deficeret, nisi quod homo ad ostentationem natus, et sibi plus nimio placens, in ordinem se cogi aegre sustinebat? Unum exempli causa nominavi. Utinam non multos haberet sui similes. Quid autem nobis agendum? Sinamus illos impingere in lapidem offensionis, ut idem illis, quod olim Iudaeis, eveniat. Volentes iustitiam statuere, inquit Paulus, iustitiae Dei non sunt subiecti. Ita fit ut in sua caecitate pereant. Libenter, inquam, nos inanes ac nudos Christo offeramus: quo nos suis bonis impleat, sua gloria vestiat: atque hoc genus scandali abolitum erit.

Verum mare quodammodo exhauriendum suscipiam, si velim scandala omnia excutere, et ordine recensere, quae sibi miseri homines in suam perniciem ex scripturae doctrina struunt. Neque enim temere modo impingunt, si qua occurrit difficultas,

1) comme un paon.
2) *Petrus Bunellus patre Normanno natus Tolosae humaniores literas docuit, inter Ciceronianos elegantissimus, ipso Aldo Manutio teste. Amicus Io. Sturmii fuit, in rebus evangelicis primum liberius sentiens, sicut plerique Galli qui literis favebant renascentibus. Postea Lazaro Bayfio legato gallico apud Venetos adiunctus fuit, item eiusdem successori Io. de Silva episcopo Vauriensi, quem deinde in Galliam redeuntem sequutus, aliquot per annos in eius sede episcopali otium literarium egit. Denique iterum in Italiam profectus Taurini fatis concessit a. 1546 aetatis quadragesimo septimo. (Hist. eccl. I. 48. Sammarthani elogia Gallorum. Bayle etc.) Evangelici apostatam appellabant tum ob pelagianismi crassioris errorem, tum quia apud Silvam ep. agens, qui et ipse apostata erat, et fidelium persequutor, silentio approbabat quae patronus atrocia in evangelicos dioeceseos Vauriensis et iubebat ipse et exsequi alios passus est.*

sed ultro dataque opera per salebras omnes discursant, quasi una haec illis sit voluptas, ingenium spinosis quaestionibus fatigare. Quidquid minimam prae se fert absurditatis speciem, sedulo colligunt et acriter exagitant, ne videantur ad credendum nimis faciles. Si qua etiam est in nonnullis scripturae locis dissidii et repugnantiae species, eam cupide arripiunt: ac omnia eiusmodi testimonia coacervando, venditant suum acumen. Hoc porro genus hominum morbo prope insanabili laborat. Nam quum eos pudeat quidquam nescire, nihil tamen discere sustinent. Verum quia simplices plerumque et alioqui non indociles percellunt sua iactantia, breviter istam scandalorum partem attingere necesse fuit: non quod paucis verbis removeri possint, quibus ne longum quidem volumen sufficeret. Sed primo loco monendi sumus omnes, [pag. 21] ut in legendis scripturis quam spiritus Dei viam monstrat teneamus: quae certe plana erit ac aequabilis ad Christum aspirantibus. Deinde ne complicandis quaestionum nodis ingeniosi appetamus esse aut videri: postremo ne mox respuamus, si quid nobis est incognitum vel abstrusum. Est hoc vitium non parva dignum reprehensione: quod ignorantia in fastidium statim apud multos erumpit. At vero parum reverentiae Deo tribuit, qui oracula eius esse negat, quaecunque non assequitur. Quid enim hoc aliud est, quam infinitam Dei sapientiam sensus nostri modulo, hoc est totum orbem digito uno metiri? Quod si profectam fatemur a Deo esse scripturam, ne multa illic contineri miremur, sensu nostro altiora. Denique in pietate hic sapiendi modus et ordo est, fidei obsequio ad rectam intelligentiam contendere.

De scandalo, quod ex acerbitate nascitur, aut molestia crucis, et doctrinae austeritate, loquitur Dominus in parabola, ubi evangelium sementi comparat (Matth. 13, 3). Nam eos qui ingruente persequutione deficiunt semini similes facit, quod absque radice germinavit. Eos vero in quibus suffocatur doctrina curis saeculi, semini inter spinas enato, quae eius fructum ac maturitatem impediant. Differunt aliquantum haec scandala: sed ego, vitandae prolixitatis causa sub uno genere comprehendo. Audimus Christum discipulis suis omnibus denunciantem, ut suam quisque crucem tollat (Luc. 9, 23). Audimus hortantem ad subeunda quaelibet odia, discrimina et opprobria propter nomen suum (Matth. 10, 22). Audimus monentem, fieri aliter non posse, quin odio simus impiis, quin afflictiones in mundo nos maneant (Ioann. 16, 33). Audimus pronunciantem omnes beatos, qui persequutionem veritatis causa sustinent (Matth. 5, 10). Carni et sanguini hoc maximum scandalum [pag. 22] est. Natura enim crucem reformidamus omnes. Itaque multi hac de causa resiliunt, qui libenter alioqui filium Dei amplecterentur, si a cruce separare ipsum possent. Sed unde hoc scandalum, nisi ex nostra teneritudine? Christus secum mori nos iubet, ut vitae suae simus participes. Per societatem passionum suarum ducere nos vult ad suam gloriam. Non iniqua conditio, si quid in nobis esset aequitatis. Sed multi cuperent Christum habere gloriosum sepulta crucis mentione: quod fieri nequit. Ac ne eo quidem contenti culpam, quae in ipsis residet, in doctrinam ipsam traducunt. Sic olim Capernaitae durum Christi sermonem esse clamitabant (Ioann. 6, 60): quum in ipsis, non in sermone, esset duritia. Miramur, si cordatos habere discipulos velit filius Dei, non molles, neque effeminatos? Miramur, si sua insignia [1]) gestari ab ipsis velit? si pugnare sub vexillo suo iubeat?

Huic morbo affinis est alter ille, quem dixi. Nam carnis abnegatio res tam molesta est ut multos a scholae Christi accessu deterreat: alios, ubi ingressi fuerint, procul extrudat. De peccato originali et communibus naturae vitiis disputari, utcunque ferent: Dei gratiam ac Christi beneficia suis laudibus ornari libenter concedent: sed ubi ad curandos singulorum morbos ventum est, quia acris est medicina, eam contumaciter recusant. Ita multos cernere licet, quibus evangelium, quod primo gustu placuerat, simul ac pupugit ipsorum conscientias, plus quam amarum videri coepit. Scilicet, quum sermo Dei gladius sit utrinque secans, quum eius partes sint non arguere modo et reprehendere manifesta vitia, sed usque ad cor intimum penetrare, transfigere omnes medullas, discernere inter affectus et cogitationes, denique totum hominem immolare Deo, isti vulnera sua attingi [2]) nolunt. Alii furandi, alii rapiendi, [pag. 23] alii scortandi, alii commessandi licentiam sibi relinqui postulant. Omnes impune vanitatis suae cursum persequi cupiunt. Quid igitur mirum, si a Christo se avertant?

Atqui, dicet quispiam, scandalum monstrare hoc est, non tollere. Respondeo, morbum fuisse indicandum, ut remedium tandem quaeratur. Corrigenda potius erat animorum mollities, quam quaerendi praetextus, qui nihil nobis suffragentur, vitium foveant. At res est ardua. Quis negat? Luctandum tamen est, neque id nostra virtute, sed Christi: qui sicuti nos ad certamen mittit, ita etiam instruit armis necessariis ad vincendum. O si perciperemus quid illud valeat: Beatos esse qui persequutionem patiuntur ob iustitiam (Matth. 5, 10), quam facile nobis esset eluctari, non hoc offendiculum modo, sed quaecunque a mundo et carne nobis ingeruntur! Tibi adeo molesta est persequutio, ut a Christo resilias. Cur? Nescis quid valeat

1) ses armoiries.
2) telles gens ne veulent point qu'on touche leurs maux ne qu'on gratte leurs rongnes.

Christus. Abripit te cura vitae praesentis. Nempe, quia futurae nullum gustum habes. Urit te avaritia. Nempe, quia nondum tenes quae sint verae divitiae. Te ambitio inebriat; quia scilicet nondum didicisti in domino gloriari. Te gula, libido venerea, pompae aut aliae vanae oblectationes alliciunt, ut Dei tui obliviscaris. Hoc ideo fit, quod suavitatem illam, quam propheta timentibus Deum reconditam esse testatur (Psal. 31, 20), adhuc ignoras. Denique non mirum est, paucos inveniri vere Christianos: quia pauci sunt qui didicerint tanti esse Christum, ut reliqua omnia habeant pro stercoribus. Exhortationibus alibi locus erit. Hic de scandalis ita tractandum est, ut appareat cui sint iure imputanda.

Sed quid de privatis cuiusque miseriis disputo, quum universalis [pag. 24] ecclesiae conditio longe maiorem offensionis materiam in se contineat? Primum, nunquam ea specie nitet, in qua hominum sensus Dei regnum agnoscant. Deinde, si quando contingat in mediocrem aliquem statum assurgere, mox aut tyrannorum violentia opprimitur, aut sponte concidit, ut non nisi ad exiguum tempus duret. Hinc factum est, ut saeculis omnibus superbi homines veram religionem aut despicerent, aut etiam contumeliose traducerent. Videmus quam insolenter Cicero, quia Iudaeis res erant minus secundae, divinae legi insultet. Ex hoc uno aestimare omnes licet. Ac ne longius abeam, [1]) quid causae est, cur hodie multi a sincera evangelii professione abhorreant, nisi quod et paucos numero nos esse vident, et minimae autoritatis, nullius vero potentiae: in adversa autem parte, contraria omnia mirantur? Et sane, ut hodie res habent, nihil mirum si tam deformis ecclesiae status illos absterreat: splendor autem, qui in adversariis relucet, ipsis perstringat oculos. Verum, nulli ad hunc lapidem alii impingunt, nec alios hoc offendiculum retardat, nisi qui spirituale Christi regnum non agnoscunt. Nam quibus neque stabulum in quo natus est, nec crux in qua pependit Christus, obstat quo minus regem ipsum adorent: illi humilem ecclesiae eius fortunam minime despicient. Fatentur quidem omnes verbo, et fateri necesse est, rationi in primis esse consentaneum, ut in ecclesiae forma, quasi in speculo, viva Christi effigies appareat. Et quum Paulus (Rom. 8, 18) de capitis et membrorum similitudine disserit in crucis tolerantia, assentiuntur omnes. Quum dicit (2 Tim. 2, 11), nos commori oportere, ut vitae eiusdem simus participes, nemo reclamat. Quum tota scriptura vitam praesentem comparat durae militiae, eamque variis certaminibus refertam esse docet, hoc totum verum rectumque [pag. 25] esse annuunt. Itaque militantis ecclesiae nomen sic vulgo tritum est, ut etiam in puerorum ore resonet. Ubi ad rem ventum est, quasi omnium obliti, non secus imaginem Christi refugiunt, atque inauditum aliquod portentum. [1]) Atqui, si detur illis quod appetunt, ut prospere habeat modis omnibus ecclesia, ut opibus et potentia floreat, ut pace continua fruatur, ut denique nihil illi ad beatum et maxime optabilem statum desit: an non illa erit terreni imperii facies? Proinde alibi quaerendum erit spirituale Christi regnum. Imo prorsus a capite suo divisa erit. Nos vero meminerimus, sic contemptibilem esse externum ecclesiae aspectum, ut decor eius intus splendeat: sic in terra fluctuari, ut fixam habeat in coelo sedem: sic coram mundo laceram ac ruinosam iacere, ut coram Deo et eius angelis stet integra ac vigeat: sic esse in carne miseram, ut sua illi nihilominus in spiritu reposita sit felicitas. Hoc modo, quum in praesepi contemptus iaceret Christus, eius excellentiam angeli in nubibus canebant, testimonium eius gloriae stella in coelo reddebat, magi eius virtutem e regione longinqua sentiebant. Quum in deserto esuriret, certaret cum Satanae ludibriis, usque ad sanguinem sudaret: angeli rursus illi ministrabant. Quum iam vinciendus esset, sola voce hostes retro abigebat. In cruce pendentem sol defectu suo mundi regem esse clamitabat. Sepulcra aperta, mortis et vitae Dominum confitebantur. Nunc si Christum videmus impiorum contumeliis superbe in suo corpore vexari, saeva tyrannide opprimi, sannis esse expositum, violentia huc et illuc rapi: nihil istorum quasi insolens nos terreat. Quin potius nobis in mentem veniat, in hoc ordinatam esse ecclesiam, ut quamdiu in mundo peregrinatur, militet sub perpetua cruce.

[pag. 26] Quod si dextri et aequi essemus operum Dei interpretes, [2]) unde offendiculi occasionem arripimus, id nobis optimae consolationis loco foret. Nam quod plerumque calamitosa, semper instabilis est ecclesiae conditio, imo quod, non secus ac in procelloso mari, variis tempestatibus assidue iactatur: primum in eo Dominus luculentum mirificae providentiae specimen exhibet: deinde hoc utile adeoque necessarium fidei et patientiae nostrae probandae exercitium est. Si ita fundata esset ecclesia praesidiisque omnibus instructa, ut suis ipsa opibus niteretur, nihil a terreno quovis imperio differret: nec vero quispiam dubitaret, humanitus eam regi, si usitato more ad hunc usque diem perstitisset. Dum autem videmus quasi per innumeras mortes

1) Il n'est ia besoin de cercher ce qui s'est fait au temps passé.

1) comme la chose la plus sauvage du monde.

2) Si nous savions bien faire nostre profit des œuvres de Dieu.

vitam nihilominus tot saeculis duxisse, fieri non potest, quin divinitus fuisse servatam colligamus. Hanc Dei virtutem magis illustrant aliae circumstantiae: quod quum undique lethalibus periculis impetita, quibus subinde obrui poterat, toto prope mundo invito et contra nitente, semper tanquam ex naufragio evasit. Nihil dico, quod non facile secum agnoscat, quisquis ante suos oculos temporum omnium historias subiicere volet. Illa vetus ecclesiae querimonia est (Psal. 129), quod a iuventute subinde oppugnata fuerit, ac infestos habuerit impios, quod super dorsum suum araverint, ac longe protraxerint sulcos suos. Hac voce Dei spiritus pios sub gravissimis aerumnis gementes excitare voluit, ut omnes aetatum gradus ab initio mundi percurrendo ecclesiam agnoscerent semper patiendo vicisse. In hanc meditationem incumbere nos decet: ut si quando nos praesens temporis nostri conditio angit, eorum recordatio, quae iam olim experti sunt patres nostri, nos reficiat. Itaque, collectam omnium temporum descriptionem habere expediet: [pag. 27] ut inde sibi quisque nostrum, quoties res et usus postulabunt, exempla levandis nostris miseriis apta ante oculos subiiciat.

Verum, antequam ultra progrediar, notare operae pretium est, unde tam crebrae variaeque mutationes, quibus subinde circumagitur et quasi rotatur Dei ecclesia, proveniant. Huius vero rei cognitio non ex remotis vel obscuris coniecturis petenda est, quum assiduae hominum a Deo defectiones perpetuum alioqui gratiae eius tenorem interruperint: idque ab ipso prope mundi exordio animadvertere licet. Quum de Seth et filio eius Enos, loquitur Moises, tunc coeptum esse invocari Dei nomen recitatur (Gen. 4, 26) quo intelligimus verum Dei cultum (qui in maledicta Caini progenie quodammodo interciderat) rursus ex integro fuisse restitutum, ut in mundo vigeret ac floreret. Vix octo generationes praetereunt, quum omnes eorum posteri, quos Deus sibi in filios segregaverat, ita se in omne scelerum genus proiiciunt, ut orbem totum suis flagitiis pollutum diluvio secum perdant. Quum ad octo animas redacta esset ecclesia, sic purgata saltem esse videbatur, ut exiguum illud semen quod restabat nihil ex se nisi meram sanctitatem proferret. Atqui, mox quarta parte minuitur. Posteri quoque Iapheth paulo post diffluunt. Residua erat familia Sem, quae non multo post tempore sic ipsa quoque degenerat, ut merito a Deo magna pars abdicetur. Quum genus Abrahae ex Aegypto mirifica potentia eductum traiecto mari rubro in haereditatem sibi promissam pergit, quis non ex talibus auspiciis perpetuitatem felicis status divinet? Atqui illi ipsi, in quibus liberandis tam praeclarum virtutis suae specimen Deus ediderat, nullum peccandi finem faciunt: donec horrendis modis in deserto omnes deleantur. Filii tandem possessionem adeunt, sed cuius [pag. 28] nulla est sex fere saeculis[1]) stabilitas: quia ipsi perfida sua levitate identidem eam turbant. Saepius tamen eos Dominus in tolerabilem formam restituit. Atqui nec primae liberationis memoria, nec repetitae toties ferulae ad eos castigandos, nec praesens poenarum sensus, nec data saepius venia retinere ipsos potest, quin Dei iugum excutiendo, nova mala sibi accersant. Praedixerat hoc Moises futurum, ut pingues et bene saginati recalcitrarent (Deut. 32, 15): sed res ipsa longe superat. Quid Iudicum historia praeter continuas defectiones recenset? Itaque, si quos offendunt variae agitationes, quibus obnoxiam esse in mundo ecclesiam vident, coniiciant oculos in illud speculum, et mirari desinent, minus fixam habere in terra sedem, qui tanta fidei inconstantia coram Deo fluctuantur. Erecto Davidis regno certior videbatur ratio solidi et diuturni status composita. Sed luctuosa illa pestilentiae clades, quae triduo prodigiosum in modum per mundum grassata est, multum ex felicitate minuit. Statim a morte Salomonis corpus ipsum populi scinditur: nec postea desinunt lacera membra invicem se mordere: externis etiam bellis utrumque regnum misere fatigatur. Dicemusne fato suo urgeri? quin potius ipsi Dei vindictam peccatis suis urgent, atque accelerant. Nam in quo maxime videntur innoxii, dum censum peragit David, quod privatum illud unius hominis delictum esset: sacra tamen historia pronunciat, Deum in ipsos omnes excanduisse (2 Sam. 24, 1). Sequuta est tandem maior illa et parum ab extremo interitu distans conversio, quum in exsilium babylonicum tota gens abducta est. At certe, nisi eos praecipites desperata obstinatio egisset, nunquam huc venissent calamitatis. Reditus post annos septuaginta, illis est velut altera nativitas. Verum simul ac domum reversi sunt, [pag. 29] tanti beneficii immemores iterum in varias corruptelas degenerant. Alii se profanis coniugiis polluunt. Alii decimis ac primitiis Deum plus quam indigne fraudant. Alii posthabita neglectaque templi structura in ornandis palatiis toti occupantur immanesque sumptus faciunt. Foeda haec nimium ingratitudo, et quam non debuisse inultam manere nemo non fatebitur. Itaque, quod tranquillis secundisque rebus diu non fruuntur, id eorum vitio imputandum est. Ex quo vero Christus, pacis ac bonorum omnium autor, mundo innotuit, vere experti essent homines quam certa sit ac bene fundata aeterni eius regni felicitas, si ipsum passi fuissent inter se

1) sex fere saeculis: *sic omnino scribendum cum Beza et Amst. Princeps et* 1551 *nescio quid sibi volentes:* sexcentis fere saeculis *habent. Gallus ad computationem vulgarem propius accedens dat:* quatre cens ans.

residere. Atqui, nunquam magis saevis bellorum tempestatibus concussus orbis fuit, nunquam tam multiplici profundaque malorum colluvie submersus. Non ita in obscuro causa latet, quin facile deprehendi investigando possit. Nascitur Christus,[1]) pax ubique et alta quies. Quadraginta post annis, aut circiter, spargitur per diversas mundi plagas ipsius evangelium. Postquam longe lateque detonuit, tanquam versa repente alea, res passim turbulentae. Unde tam subita mutatio, nisi quod Deus, contempto ac reiecto suo evangelio, quo citius, eo magis palam, tantae ingratitudinis vindex exstitit? Itaque quum impuri homines, quidquid tunc malorum exoriebatur, in Christi nomen coniicerent, piis ecclesiae doctoribus promptum fuit, adeo futiles eorum calumnias diluere.[2]) Quid enim? Quum pacem sibi a Deo oblatam reges ac populi sprevissent, annon aequum fuit inter se committi, ut mutuis vulneribus perirent? Et quid manere inter eos potest ordinatum, qui Deo se submittere recusant? Nec tantum loquor de professis hostibus qui sanae pietatis doctrinae contumaciter reluctati sunt, sed eorum qui nomen [pag. 30] Christo dederunt: quam frigide multi et contemptim, alii quam perfida simulatione Christum osculati sunt? Quos divinae in hac parte severitatis exempla offendunt, cessantem non minus cupide arguerent. At, nisi oculos aperire pigeat, quibuscunque se unquam patefecit Deus, per eos tantum stetisse perspiciemus,[3]) quominus collocata in tuto eorum felicitas diu et prolixe consisteret,[4]) nec aliunde quam sua culpa fuisse miseros. Ierosolymam scimus fuisse fontem, ex quo in ultimos usque terrae fines salus profluxit. Plenam illi instaurationem pollicebantur Christi adventu omnia prophetarum vaticinia. Longe autem secus accidit. Nam quum vix tenuem umbram retineret pristinae dignitatis, non modo quod reliquum habebat paulo post amisit, sed funditus ipsa diruta fuit ac in vastam solitudinem redacta.[5]) In quaerenda tam prodigiosae ruinae causa cur nemo laborat, nisi quod desperata gentis impietas causam se fuisse aperte clamitat? Nunquam adeo saevis cladibus intra exiguum temporis spatium afflicta fuit Roma, quam ex quo illuc evangelium pervenerat. Qui factum est ut in qua urbe tamdiu grassata est effrenis plebis libido, nefariae factiones dominatae sunt, et tandem importuni tyranni: illic fixam habere sedem Christi regnum non potuerit? Nempe, quum tot lethalibus morbis extremam evangelii medicinam Deus afferret, tanquam exitio devoti, ea superbe reiecta, in peius ruere non destiterunt. Idem et hac nostra aetate observare licet. Intra paucos annos quum praeclara renascentis ecclesiae initia apparuissent, collapsa deinde retro vidimus referri. Atqui priusquam nobis hanc poenam irrogaret Dominus, multiplicem ubique et foedam vidimus evangelii profanationem: ut non tam admiranda sit haec quae accidit subita rerum eversio, quam diuturna in sustinendis [pag. 31] saeculi nostri prodigiosis sceleribus patientia. Quum tot hominum millia, abnegato papatu, cupide, ut videbatur, nomen dedissent evangelio, quam pauci, obsecro, a vitiis suis resipuerunt? Imo, quid prae se maior pars tulit, nisi ut excusso superstitionum iugo, solutius in omnem lasciviam difflueret? Quum itaque, veram esse faterentur evangelii doctrinam, quotusquisque eius disciplinae collum submisit? Annon id fuit inaestimabilem salutis thesaurum quodammodo pedibus calcare? Et sane de eius pretio atrocitas poenae, quae tam sacrilegum contemptum sequuta est, admonere nos potius debet, quam de fortuitis ecclesiae iactationibus absurdas gignere in animis nostris opiniones. Quin potius mirum est, in tanta nostra ingratitudine, quidquam incepti a Deo operis adhuc manere residuum.

Nunc, unde paululum digressus eram, redeo: Deum ecclesiae suae custodem hinc melius agnosci, quod misere semper vexata fuit, quam si inter summas commoditates pacata laetaque floruisset. Quo tempore nomen Dei in familia Seth invocari coeptum Moises narrat, non dubium quin soboles Cain, ut numero hominum et audacia superior erat, ita adversus paucos illos, eosdemque mansuetos homines plus quam ferociter se extulerit. Qui poterant igitur agni inter lupos diutius salvi manere, nisi auxiliari Dei manu tecti fuissent? Continuo deinde temporis successu, una cum malitia, vis quoque ad nocendum improbis crevit. An dicemus humanitus stetisse, qui inter tot infestas bestias similes oppressis degebant? Nisi forte putet quispiam, gigantes moderatione fuisse cohibitos, ut piis sibi obnoxiis parcerent: quibus se, tanquam genus adulterinum, noverant esse detestabiles.[1]) Restat tandem unus homo cum exigua familia. Iussus a Domino arcam fabricare, per annos centum [pag. 32] et viginti continuos eorum qui prorsus in Deum insaniebant rabiem in se provocat. Novum enim vitae asylum quaerendo palam omnibus interitum minatur. Quoties putamus eorum conviciis et improbitate lacessitum pro Dei iustitia acriter certasse? In tanta

1) Nascente Christo *Beza et Amst.*

2) *Add.* comme nous voyons que Tertullien, Lactance, S. Augustin et autres bons docteurs l'ont fait. Car que sauroit on replicquer contre ceste defense?

3) perspiciemus *om. princeps.*

4) *Princeps habet:* constitueret.

5) *Add.* en sorte qu'il semble que la venue de Iesus Christ ait esté sa desolation.

1) *Add.* parquoy il est vray-semblable qu'ils les haissoyent mortellements et les eussent voulu manger tous vifs s'ils eussent peu.

vero hostium truculentia, annon totidem illi subeundae fuerunt mortes, nisi Dei manu fuisset ereptus? Adde, quod nisi coelesti virtute fuisset suffultus, millies ipse quotannis sponte concidisset. Maius deinde et divinius sequitur in arca miraculum, quod coelo et aere privatus, vitam non nisi in sepulcro invenit: spiritum vitalem ubi trahat, nisi in mortifera suffocatione,[1]) non habet: denique quod non aliter superstes in mundo potest manere, nisi e toto mundo discedat. Quum mundum ex diluvio emersum Deus quodammodo renovasset, sequutum est paulo post multo deterius ac magis exitiale diluvium, quod impietas gentes omnes occupavit. Neque hoc decem mensium[2]) fuit, sed longa annorum serie grassando vires collegit: ut ipsa quoque familia Sem, sanctius Dei peculium, propemodum absorpta foret: nisi quod Melchisedec, cum paucis purum Dei cultum retinens, inter innumeros fluctus rectus integerque stabat: quae illi unica fuit enatandi ratio. Abraham vero ut Deus salvum haberet, e profundo idololatriae gurgite eum eduxit. Porro in terram, quae illi destinata erat in haereditatem, traductus, sic in ea peregrinatur, ut nunc litigare de aqua cogatur, nunc eum fames alio dispellat. Apud duos reges,[3]) quo mortis periculum effugiat, non aliud invenit remedium, nisi ut suam uxorem vita sibi cariorem, exponat veluti in praedam. Easdem atque etiam asperiores molestias subeunt filius et nepos, quotidie cum saevis et barbaris hominibus, non citra vitae discrimen, quasi cum feris bestiis dimicantes. [pag. 33] Certe si cui in tuenda eorum salute, conspicua non est Dei manus, eum plus quam caecum esse oportet. Nec vero sine causa David istud Dei praesidium, quo tuti fuerunt, singulari elogio prosequitur: quum prohibitos fuisse dicit reges, ne christos Domini laederent, neve prophetis eius essent molesti (Psal. 105, 15). Pauci erant numero, alienigenae et ignoti homines: vagi huc et illuc oberrabant: perfidis et immanibus populis undique cincti: momentum nullum immune habebant a novo aliquo discrimine. Spectaculum quidem hoc fuit superbis hominibus contemptibile et fere propudiosum, fateor: verum in hoc contemptu, ut iam dixi, tanquam in speculo, melius refulgebat extraordinaria Dei tutela. Imo clarius perspicere licet, non ex uno tantum diluvio ereptam semel fuisse ecclesiam, sed longa aetatum serie in continuis malorum exundationibus fluitantem nihilominus durasse.

Sequitur aegyptiaca servitus, quae ab universali naufragio parum differebat: nisi mature Deus opem tulisset. Omitto contumeliam ac onerum iniquitatem: quod ad viles sordidasque operas mancipati, quod addicti immanibus aerumnis aegre spiritum trahebant. Sed quum masculum semen penitus aboleri iussisset Pharao, quis non ad extrema ventum esse dixisset? Mentiuntur obstetrices, ne regiae crudelitati ministras se praebeant. Ipse denique gentis liberator Moises, iuncea arca inclusus, ad ripam fluminis proiicitur. Desperata omnium salus, totumque nomen prorsus deletum videbatur. Quam insigne ergo hoc Dei miraculum esse iudicabimus, quod qui decies consumpti esse poterant non modo integri manent, sed incredibiles illos faciunt progressus, qui referuntur a Moise? Hic vero se ostendit in reputandis Dei operibus plus quam maligna hominum [pag. 34] pravitas. Nam si quid opinione sua maius a Deo editum fuisse audiunt in ecclesiae salutem, quasi fabulosum reiiciunt. Quidquid vulgare est, nec alias insolitum, fortuito accidisse, vel saltem humanitus, iactantes contemnunt. Si autem minus prospera aut laeta est ecclesiae conditio, hoc protinus arripiunt ad scandali materiam. Proinde quod miseris Iudaeis lateritium opus tam grave et illiberale non secus ac iumentis imponi, quod masculam eorum sobolem ab utero ad necem postulari, quod turbam ignobilem tumultuarie collectis vasis clanculum aufugere Moises narrat: hoc plurimis indignum esse ecclesiae gloria videtur. Quod Iacob cum sua familia comiter a Pharaone fuisse exceptum, quod benigne tractatum et in opimis pascuis collocatum refert: hoc in secunda fortuna deputant. Quod non ita longo temporis successu in populum ingentem crevisse familia una dicitur, quod tradit idem Moises tot a Deo edita fuisse portenta, ut perditos ac desperatos Israelitas redimeret: quia fidem excedit, quasi fictitium subsannant. Ergo ut puras ad consideranda Dei opera mentes afferamus, hac pravitate nobis ingenita ante purgandae sunt.

Ne historiam texere videar (quod minime praesentis est instituti) quae magno orationis splendore ornari merentur divinae in servanda ecclesia providentiae exempla, leviter quasi in transcursu attingere mihi satis est. Quanquam ne decimam quidem partem attingere patitur operis ratio. Nec vero id magnopere necesse est: modo ex paucis unum hoc quod volo agnoscant lectores: quo magis sub cruce oppressa fuit ecclesia, eo clariorem in ea erigenda Dei virtutem exstitisse. Ex quo in terram Chanaan ingressus est populus, quo minus vacuam ab hostibus tranquillamque possideat, sua illi [pag. 35] obstat incredulitas. Continuis deinde hostium incursionibus impetitur. Fractis deinde contusisque viribus, praedae ac direptioni patet. Praeterea dominos saepius mutat, qui tamen certatim in eum perdendum conspirant: ut mirum sit tot ac tam diris propinquisque cladibus fuisse superstitem. Certe, post captam Domini arcam, ne latum quidem

1) en lieu où il creve et soit estouffé de puantise.
2) un an.
3) *Add.* estant venu en Egypte et en Gerar.

digitum ab ultima desperatione aberat. Afflictus erat plus quam atroci clade. Totus prope flos virorum perierat. Palati ac dissipati nihil aliud quam fletus et lamenta meditabantur. Ne remedium quidem prae malorum gravitate quaerentibus, aliqua primum datur relaxatio: postea subito praeter opinionem e coelo salus affulget. Occiso Saule simile instabat excidium, quum David res collapsas momento restituit. Si continuus pacis prosperique status tenor fluxisset, posset quidem maioribus praedicari encomiis rara illius populi felicitas: sed tot mirifice a Deo allatae salutes non perinde agnoscerentur. Quum postea decem tribus se a corpore alienant, tale dissidium inter multos hostes, acriter nocendi occasioni intentos, praesentem interitum minari videbatur. Degenerant postea Israelitae in alienos ritus. Itaque abdicantur quodammodo a Dei familia. Residuam partem, quae ecclesia Dei censetur, diu staturam esse nemo putaret. Et sane eo saepe necessitatis coniicitur populus ille, ut salute desperata extrema quaeque attonitus exspectet. Tempore Achaz, quum duo potentissimi reges ipsam quoque Ierosolymam aggressi essent, tota regio quasi duplici incendio correpta iam flagrabat: Achaz pavore exanimatus ad primos hostium insultus facile concidisset. Exstinguitur subito tantus ignis absque hominum manu, fumus etiam discutitur. Annon in liberatione ista Dei gloria pleno se fulgore effundit? Quum vero Sennacherib regnum praesidiis nudatum occupasset, trepidam urbem et ad resistendum [pag. 36] minime instructam furiose invadit, rex Ezechias fere similis est capto, nullum effugium, nihil intus opis, nihil aliunde subsidii. Dum hostis plus quam insolenter se efferens alio mox abripitur, annon tum haec inopinata mutatio verum esse ostendit, quod ab Iesaia praedictum erat, esse promptam Deo rationem, qua truculentam bestiam illam vel domaret, vel cohiberet (Ies. 37, 29)? Sed ubi paulo post nova victoria [1]) inflatus revertitur, longe aliud gratiae potentiaeque suae specimen in solvenda obsidione edit Dominus. Neque enim per homines eum inde revocat, vel usitatis modis frangit illius impetus, mediosque conatus abrumpit: sed inaudita strage per manum angeli exercitum illi nocte una adimens, inermem ac spoliatum ignominiosa fuga procul a Iudaea profligat, quam victor ingentibus copiis tenebat. Hoc certe unum facinus amplo documento est, nihil interdum magis expedire, quam ecclesiam extremis angustiis urgeri, ut mirabili Dei potentiae, quod incolumis evadit, tribuere discat. Nos vero bis ingrati, si velum ultro nobis opponimus, quod divini erga ecclesiam favoris conspectum obscuret, ubi illustre eius speculum nobis Deus ipse ante oculos ponit.

Iam vix ulla magis coram mundo pudenda ecclesiae deformitas fingi potest, quam babylonicum exsilium. Crudelis rerum omnium direptio, foeda terrae populatio et vastitas, urbs incendiis et violentia hostili disiecta et lacera, templum horribilli ruina excisum, totius sacrae supellectilis indigna spoliatio, quantam hostibus insultandi licentiam dare poterant? Et ea quae nunc recensui ostendunt, quam insolenter se extulerint Chaldaei. Omnium vero conviciis et sannis passim impetitum fuisse Dei cultum, veri simile est. Atqui haec tantum quaedam erant veluti praeludia. [pag. 37] Populus Babylonem abductus, non secus ac mortuum cadaver in sepulcrum reconditur. Quanquam hoc quoque interest, quod lacerae partes huc illuc dissipantur, ne rursus coalescant. Nulla amplius Dei regia, nullum sacrarium, nulla cultus species, nulli solennes coetus, nullum denique superest ecclesiae nomen. Ac ne quid ad extremam contumeliam desit, in superbis et impuris comessationibus sacra vasa ostentui habentur. Quin eo usque grassatur saevitia, ut Deum invocare capitale sit. Sed facit haec tam immanis omnium malorum congeries, ut in restituenda populi salute, magis emineat Dei virtus. Primum, quod Daniel et eius socii in raram potentiam ex servitute evehuntur, ut aliquid levationis misere oppressis fratribus afferant: hoc iam documento palam factum est, ecclesiam, ubi videtur penitus relicta, curae tamen esse Deo. Quod tres sancti homines, qui in fornacem coniecti fuerant, salvi inde ac integri evadunt, memorabile in primis specimen liberationis populi mox futurae illic relucet. Reditus autem ipse populi non minori admiratione dignus fuit, quam inaudita quaedam resurrectio: ut vere in Psalmo fideles iactent, se tunc somniantibus fuisse similes (Psal. 126, 1). Iam quod commeatus a rege praebetur, quod templum exstruitur sumptu regio, quod gravibus edictis prohibentur a Iudaeis iniuriae, pudeat nos non agnoscere Deum harum rerum autorem, quum totidem incredulis fuerint portenta. Haec autem consideratio dici non potest quantopere ad iuvandam augendamque fidem nostram valeat. Quo convincitur eorum ingratitudo, qui in tam bene ordinato gloriae Dei theatro scandalum quo impingant sibi fingunt. Porro, in terram suam reversi, subito incredibilem in modum tam hominum numero quam opibus augentur. Hoc quoque non obscurum divinae [pag. 38] potentiae miraculum est, praesertim quum nulla illis daretur ab hostibus relaxatio. Scimus enim tot fuisse adversis copiis obsessos, quot vicinae erant in circuitu gentes. Verum, ut in cruce clarius refulgeat extraordinarium Dei praesidium, non multo post aliis identidem atque aliis cladibus sic proteruntur, ut iam

1) qu'il avoit eue en Egypte.

ultima internecio appareat. Sub Persarum imperio, tametsi eorum conditio fuerit tolerabilis, tamen velut oves mactationi destinatae, parum a macello interdum abfuerunt. Ne immanem suum impetum in eos profunderet Alexander, coelesti oraculo cohibitus fuit. Quum vero post eius mortem Syriae et Aegypti reges, quasi truculentae bestiae in rabiem accensae, mutuo se discerperent, nec ullus esset ultro citroque saeviendi finis, quis gentem in medio sitam et utriusque libidini expositam diu fore superstitem sperasset? Nec sane tot ac tam variis cladibus deiecta stetisset, nisi Deum habuisset custodem, manuque eius suffulta esset. Tandem sub dira Antiochi tyrannide, quasi in profundum gurgitem demersa, nullam amplius lucis scintillam in toto mundo habet. Tota regio sanguine innoxio exundat. Hierosolyma horrenda cadaverum [1]) strage quasi pavimento sternitur. In templo collocatur exsecrabile idolum. Abolitis Dei institutis profani ac degeneres gentium ritus regnum occupant. In ignem proiiciuntur sacri omnes libri, ut Dei veritas ex hominum memoria penitus excidat. Quisquis hiscere audet, imo quisquis dolore ingemiscit, ac non potius se perfida simulatione contaminat, protinus ad lanienam protrahitur. Maccabaei, cum manu a se collecta, in cavernis montium vagi et inopes inter feras latent. Quod in tanta desperatione manent tamen reliquiae piorum, quae postea emergant, quis neget admirabili Dei providentia fuisse servatas? [pag. 39] Quod Moisis et prophetarum libri ex illis flammis [2]) illaesi evadunt, quis humanae custodiae tribuat? Denique temporum illorum historia longe certius testatam nobis Dei providentiam facit in protegenda ecclesiae salute, quam si magnificos de omnibus populis superbosque triumphos egisset. Idem et aliae quae postea contigerunt perturbationes spectaculum nobis praebent. Nam quum usque ad Christi adventum, nunc externis bellis, nunc intestinis factionibus, nunc barbara principum libidine, quasi assiduo rotatu vexati raptatique fuerint Iudaei, factum est tamen singulari Dei beneficio, ut ecclesia inter istas turbulentas conversiones in suo gradu steterit. Hic nobis in mentem veniant tot sancti viri, imo et mulieres, quibus earum quas recensui calamitatum devoranda fuit indignitas. Nonnullis, qui ad provectam usque aetatem vixerunt, [3]) necesse fuit per longas et multiplices malorum ambages errare, et tandem anxie mori, quum nullum exitum viderent. Haec sane erant scandala quae a recto cursu depellere ipsos possent. Et tamen fide eluctati vocationem suam constanter persequuti sunt. Nunc vero tam animosa eorum strenuitas non modo instar vehiculi, quod lassitudini nostrae medeatur, sed loco alarum esse nobis debet, quibus supra arduas rupes, spinosos perplexosque saltus et quaevis abrupta transvolemus. Eventus autem laetiores, qui fidelis in servanda ecclesia Dei curae testes sunt, nisi omnem scandali sensum nobis tollant, plus iusto sumus molles ac delicati. Imo hoc fastidium minime ferendum est, si in plano itinere scandalum prava imaginatione nobis ipsi obiicimus.

Quod si in veteri populo hoc boni semper habuerunt ecclesiae infortunia et aerumnae ut praesentius Dei auxilium secum adferrent, ac quo gravior fuit crucis pressura eo clarius ostendit Deus sua manu erigi ecclesiam, erectamque sustineri: [pag. 40] sub regno Christi longe clarior est huius rei conspectus. Si per continuos pacis successus, florentem iucundumque statum retinuisset ecclesia, ex quo publicari coepit evangelium mundo: nempe haec fuisset humanitus usitata ratio, quam omnes contemptim praeterissent. Verum quum adversus exiguam et contemptibilem manum protinus efferbuerint gentium ordinumque omnium odia, quum nomen christianum diu sic fuerit ubique invisum ac detestabile ut singulis momentis parum ab interitu distaret, quum passim diris modis saevitum fuerit in eos omnes qui vel obscuram aliquam christianismi significationem dare audebant, quum ad exstinguendam eorum memoriam facta esset totius orbis conspiratio: quod ecclesia nihilominus semper aliqua duravit, hic insolita virtus et arcanus nescio quis vigor apparet. Hoc dico, quum templa Christianis essent ferarum in sylvis et montibus latebrae, nusquam tutum domicilium, et extrema infamia parique odio flagrarent, quis nomen evangelio dare non horruisset nisi divinitus excitatus? Atqui subinde multi certatim ex destinato ad subeundum tale dedecus, ad miserum illum et servilem metum advolabant. Simul atque Christum professus erat quispiam, non modo ad mortem rapiebatur, sed saevi cruciatus simul erant propositi. Nulla sexus, nulla aetatis misericordia erat. Aliquos fuisse repertos qui hac mercede Christiani esse vellent, nonne plus quam mirum est? Ut quisque captus erat acerrima de sociis quaestio habebatur. Si quando in tormentis vocem continuit, qui in tyranni necem cum aliis conspiraverat, ne conscios detegeret, omnes constantiam mirantur: in tot provinciis, in tot urbibus innumera servatae ad extremum fidei exempla, annon linguas divinitus fuisse gubernatas testantur? Quum autem [pag. 41] in singulis hominibus, ac saepe etiam in mulierculis periclitaretur tota ecclesiae salus, in eo certe insigne miraculum fuit, quod non brevi omnes funditus sublati fuerint. Atqui inter tot diminutiones, excidiis non multum absimiles,

1) des corps de ceux qui sont tués pour maintenir la loi de Dieu.
2) apres qu'on en a bruslé toutes les copies qui se trouvoyent.
3) *Sic princeps et* 1551. *Beza et Amst.:* vixerant.

latius tamen propagari non desiit. Idque vere fuit sub crucis ignominia triumphare. Imo qui omnes circumstantias qua decet aequitate reputabit, inter mortes innumeras fatebitur continuam fuisse multarum resurrectionum seriem. Quod pro sua difficultate nobis incredibile foret, si quis narraret posthac futurum: nunc quum factum est, non modo contemnere, sed offensionis loco ducere, non iudicii est, sed maligni fastidii. Illi quidem maxime violenti fuerunt impetus, sed aliae quoque aetates ab eadem crucis militia minime immunes fuerunt. Quin duriora certamina sunt experti, qui sincere ac fideliter Deo servire tunc volebant. Fasces Christi regno submiserat romanum imperium. Videri ecclesia poterat in beata quietis et gloriae sede collocata. Barbarae etiam nationes in Christi possessionem concesserant. Verum haeretici interea ac perfidi homines rerum sic potiebantur, ut probi verique pastores a suis ecclesiis per vim nec sine ignominia fugati in regionibus ignotis exsularent. Ac ne exsilium quidem illis permissum fuisset, nisi latuissent ab hostium tyrannide. Quod tam atroci persequutionum violentiae exposita saepe fuit ecclesia, quod fere prostrata sub hostium pedibus iacuit, procul quidem hoc abest a specie terrenae dignitatis. Quod autem exiguus piorum numerus invicta fidei constantia tantos persequutionum fluctus superavit, quod superstes omnibus tyrannis ac haereticis fuit ecclesia, quae veram fidei doctrinam ad posteros transmitteret, hoc vero est luculentum divinae virtutis testimonium, quod supra omnes mundi glorias [pag. 42] longe excellit. Ita in praesenti ecclesiae calamitate nulla refulget dignitas, quae coeleste Dei regnum hominum oculis repraesentet. Nam ea opressa summi hostes [1]) ipsius titulo quasi spoliis ornati non minus crudeliter quam superbe eam conculcant. Si quis eorum impietati vel tantillum ausit obsistere, gladiis, ignibus ac omne genus tormentis formidabiles, verae ecclesiae in terris locum vix relinquunt. Quod si aliquos sibi angulos inveniat, nunc vi et armis impetita, nunc ludibriis vexata, nunc minis et terroribus fatigata, nihil minus quam regium illum Christi decorem tantopere a prophetis commendatum, prae se fert. Verum quum minaciter terrendo ac furiose saeviendo non eo tamen usque proficiunt impii, quin Dei ecclesia sub crucis humilitate firma rectaque subsidat, cur non in hac mirifica eius conservatione Dei gloriam exosculamur? Si quis rerum peritus, quam multa per hos triginta annos ad eam perdendam machinati sint impii, secum animo revolvat, non fuisse centies penitus deletam mirari cogetur. Et nunc quod intra biennium misere discerpta fuit, laceraeque eius partes a leonis faucibus parum absunt, tametsi multorum animos frangit, optimo Dei consilio factum esse tandem sentient fideles, quo manum suam in ea liberanda clarius exserat. Neque enim ab ipso servari, nisi ex morte ereptam, agnoscimus.

1) le Pape et les siens.

Huc postremo accedit et alia ratio, quod ferociam nostram domari subigique crucis disciplina plus quam necesse est. Videmus ut ecclesia, quae in mediis vexationibus spirituali vigore floruerat, nimis laeta pace diffluxit. Hodie quum sub duro austeroque fraeno nos Dominus constrictos teneat, videmus ut passim omnes fere lasciviant. Quid fieret, si libere exsultandi daretur occasio? Quum evangelii professio longe lateque in Germania regnaret, et integrae adhuc essent [pag. 43] eorum vires, qui ad tuendam bonam causam videbantur animati, hacque fiducia susceptum esset luctuosum hoc bellum, quodque infeliciter cessit, erectis in magnas spes partis nostrae animis dixi aliquando publice, [1]) plus a nostra quam hostium victoria nobis instare periculi. Neque enim tam metuendas esse ullas clades, quam nimis triumphale, ut ita loquar, evangelium, quod nos ad insolentiam efferret. Nec vero me istius vocis hodie quoque poenitet. Nisi profanae licentiae Dominus obviam mature ivisset, morbus fuisset temporis successu propemodum incurabilis. Nulla doctrinae piisque monitionibus fuisset autoritas. Mediocrem disciplinam qui nondum admittere sustinuerant, iugum omne, non secus ac indomitae belluae, violento impetu rupissent. Tanta infamiae macula ab evangelio abstergi non potuit, quam si ad modestiam vi et malis coacti fuissent, qui eam sponte hactenus discere noluerant. Rursum hoc examine, quali quisque esset animo, patefecit Dominus. Magnifice omnes evangelium sub umbra [2]) iactabant. Primas in multis locis tenebant scelerati hypocritae. Post cladem vero acceptam, quidam magni nominis principes protinus exanimati, nobiles respublicae metu nescio quo attonitae, sponte conciderunt. [3]) Hic se plus quam effeminata mollities, imo perfida ignavia, aperte prodidit. Impias et sacrilegas a Christo defectiones intra biennium in natione una plures vidimus, quam narrent omnium temporum gentiumque historiae. Quam infractum vero sit fidei robur, ubi spiritus virtute corda sustinentur, palam in aliis factum est. Heroica magnanimitas, quam Dominus in homine uno [4]) victo et capto, saeculis omnibus spectandam proposuit, nunquam nisi tali crucis experimento credita fuisset. Insignia quaedam eius generis [pag. 44] exempla,

1) quelques fois en mes sermons.
2) *Sic quoque Gallus:* Chacun parloit bravement et à pleine bouche de l'Evangile estant à repos et comme en l'ombre. *Beza et Amst. male:* sub umbram.
3) tous se sont laissé mettre le pied sur la gorge.
4) au duc de Saxe.

quae referre promptum esset, consulto praetereo. Sed haec et alia innumera quisque apud se expendat. Iam mulieres ad mortem raptari aiunt, [1]) quo minus habeant veniae non viri tantum, sed toti populi: qui ut brevem caducae pacis usuram redimerent in mundo, filium Dei aeternae vitae autorem abnegare, seque coelesti eius regno privare non dubitarent. Postremo, quorsum profutura sint quae vulgo nunc in gravibus malis reputantur, Dominus ipse melius novit. Nostrum est, quidquid calamitatum acciderit, forti animo accipere, exitum, qualis optandus est, a Domino sperantes: semper quidem hoc habere constitutum, utcunque ad tempus prematur ecclesia, optimum patrem, qui singularem eius curam gerit nunquam passurum, ut obruta deficiat. Si Christum in medio hostium dominari oportet, sicut spiritus testimonio [2]) olim testatum est (Psal. 110, 2), regnum eius inter nos sine militia et continuis certaminibus esse non potest. Si nos ovibus similes sumus mactationi destinatis, adversarii autem luporum instar rabie ardent: veniat nobis in memoriam illud Domini praeceptum, possidendas esse in tolerantia animas, donec suam ipse virtutem in nostra infirmitate perficiat (Luc. 21, 19). Certe nihilo felicius habebant apostoli, quum intrepide clamarent: Ut quid tumultuantur gentes, et populi meditantur inania (Act. 4, 25)? Nos quoque, si teneamus quid valeat illud, in coelo Deum ridere (Psal. 2, 4), quum impiis habenas laxat, eadem qua apostoli fiducia instructi toti mundo quamvis armato secure insultabimus.

Sequuntur scandala, quae iterum ex doctrina vulgo creduntur provenire, sed re vera humanae vel proterviae, vel inscitiae, vel curiositatis proprii sunt ac germani foetus. Scriptura de naturae nostrae corruptione ita docet, quod ingenitam ex utero vitiositatem ac malitiam afferamus: ita non [pag. 45] posse ex mala arbore prodire nisi malos fructus, donec Christi gratia simus in integrum restituti. Hic colligit humana ratio, non tantum carere homines ipsos culpa dum peccant, sed Deo culpam merito posse adscribi, qui tales eos creat, ut nati ad peccandum videantur. Interroget unusquisque suam conscientiam: protinus convictus obmutescet. Illic enim reperiemus quod scriptura toties testatur, fontem omnium vitiorum esse pravitatem, quae in nobis haeret. Nos ideo mala omnia perpetrare, quia quod Deo displicet appetamus. Qui fit igitur ut, quos intus reos peragit propria conscientia, vanas excusationes hinc inde avide conquirant, ad se et alios reatu eximendos? neque eo contenti, Deum quoque in crimen vocent? Nisi sponte se fallere in suum exitium illis liberet, annon

1) en aucuns lieux d'Allemagne.
2) comme David l'a prophetisé.

vitium, quod in se cernunt, damnarent potius quam alio causam transferrent? Sed agedum, quia qualemcunque duntaxat blasphemiis suis praetextum quaerunt: ostendamus uno verbo, nullo eos colore impudenter maledicere. Quem voluntate peccare constat, isne innocentem se iactabit? Ubi omnia dixerint, illuc demum veniendum, nihil, nisi quod sponte committunt, illis a Deo imputari. Et quis hominum ipsos in voluntariis malefactis absolvet? Porro quod homines iure damnant, an damnare non erit Deo liberum? Atqui tamen cum Deo expostulant, quod non meliorem illis mentem, et cor etiam rectius dederit. Quasi vero non dedisset initio. Nam pravitatem, quae in nobis regnat, doctrina nostra non fert acceptam Dei creationi, sed naturae corruptioni assignat. Excipiunt rursus, iniquum esse, alieni delicti poenam sibi infligi. Ea forte exceptio nonnihil haberet coloris, si a proprio peccato ipsi immunes aliena culpa gravari se ostenderent. Sed quum rectam in primo parente [pag. 46] naturam [1]) ita perdiderint, ut sponte sint vitiosi, quid sibi, tanquam insontibus, fieri conqueruntur iniuriam? Scilicet faciunt, quod perditissimi latrones solent: qui dum ad supplicium rapiuntur, probris undecunque arreptis iudicem lacerant. Et sunt eiusmodi homines saepenumero, sicut ad perpetranda maleficia prompti, ita etiam facundi ad conviciandum. Quid autem ita ferociter insultando proficiunt? Neque enim aut levatur eorum ignominia, aut iudici macula ulla inuritur. Idque ipsi norunt: sed desperatione excaecati miserum ex ridicula ultione solatium capiunt. Hactenus eorum blasphemiis respondi, qui impietatem ex professo suam produnt. Sed restant Sadoleti, Pighii, [2]) similiumque calumniae, quibus doctrinam nostram infamant, quasi varias et prope infinitas absurditates secum traheret. Illinc vero si quid est scandali, ideo est, quod scripta nostra non leguntur. Quid ergo facerem, nisi ut omnes eos horter, qui praepostera offensione abrepti ignotam veritatem refugiunt, ne duplicem temeritatis poenam sibi accersant? Nam et se fraudant oblata sibi salute: nec illis impune cedet, causa inaudita, secundum mendacium statim pronunciasse.

Quod vero praedestinatio mare est scandalorum, unde id contingit, nisi ex nostra vel curiositate, vel petulantia? Hic de arcano Dei iudicio agitur, cuius fulgore humanas mentes, si propius accedant, non perstringi modo et hebetari, sed penitus absorberi necesse est. Et tamen quantum ferebat captus noster, quantumque nostra intererat, Dominus scripturis patefecit: Nos scilicet esse omnes perditos, nisi quos ad vitam eligendo a morte redimit: ad eos Christi gratiam solos pervenire, qui gratuita

1) leur droiture et integrité naturelle.
2) *Add.* des advocats de la Papauté.

electione, antequam nascerentur, ad salutem praeordinati fuerant: alios sicuti sunt aeterno exitio destinati, in suis peccatis manere. Ultra progredi [pag. 47] etiam si fas esset, non tamen expediret. Nunc vero, quum non minus impium sit quam noxium, unde nos, tanquam iniecta manu, arcet Dominus, perrumpere, officii nostri erat, quod Dominus tradit, reverenter amplecti, et eo contentos ab omni alia inquisitione abstinere. Vera enim sapiendi regula in hac parte talis est sobrietas, quae nihil amplius scire appetat, quam quod scripturis est revelatum. Nihil certe absconditum a nobis Deus esse voluit, nisi cuius aut supervacua erat cognitio, aut magis abstrusa, quam ut eius percipiendae simus capaces. Quo magis ingrati sumus, nisi nostrum inquirendi studium attemperamus ad eum quem ipse tenuit modum docendo. Quid ergo miramur, si in abyssum se praecipitant, aut scopulis allidunt, qui phreneticorum more adversus Deum violento impetu ruunt? Deum tyrannidis accusant, quod exitio adiudicet nondum natos. At sentient olim iustum iudicem: imo iam intus sentiunt, etiam si non agnoscant. Causantur frustra dari praecepta de moribus, frustra leges ferri, inique etiam exerceri iudicia puniendis maleficiis, quum fatis regantur omnia, vel potius rotentur. [1]) Quasi vero non ita suos electos spiritu sancto moderetur Deus, reprobos Satanae agitandos permittat, ut illis doctrinam pietatis et exhortationes fructuosas reddat, hos teneat contumaciae convictos et inexcusabiles, quia moniti non paruerint. Omitto, quam nihil proficiant, Dei providentiam calumniose Fati nomine infamando. Neque enim vel intricatos causarum nexus somniamus cum Stoicis, vel astris subiicimus mundi gubernationem, vel necessitatem comminiscimur in ipsa rerum natura. Atqui ea est quam fatalem vocant profani homines. Longe igitur aliud est Dei praedestinatio quam fatum. Sed facessat logomachia. [2]) Si fixa est, inquiunt, aeterno Dei decreto rerum necessitas [pag. 48], supervacuum est docere, quale sit cuiusque officium. Nihil enim ex eo quod iam constitutum est, mutabit doctrina. Atqui expendere rursum debebant, a Deo quoque ipso ordinatam in hunc finem esse doctrinam, ut arcanis eius consiliis subserviat. Quos aeterna sua adoptione praeordinavit ad vitam, nonne doctrina, quasi porrecta manu, ducit quo destinaverat? Quid enim aliud est efficax vocatio, quam electionis, quae prius latebat, complementum? Reprobos variis obiurgationibus compellat, nullo, ut videtur, profectu. Verum quum ipsos inexcusabiles hoc modo reddat, hic quoque nonnulla doctrinae vis apparet. Non animadvertunt stulti homines, quam pulchro inter se ordine consentiant Dei opera. Hinc fit ut doctrinam, quae nihil aliud est quam aeternae eius voluntatis ministra, cum voluntate ipsa temere in certamen committant. Proinde discamus, non hominibus ideo loqui Deum, ut quae apud se olim decrevit revellat, aut etiam corrigat: sed potius ut effectu ipso comprobet, quam firma sint et stabilia. Quos ab initio semel elegit, fieri nequit ut pereant: sed quia perire ipsos non vult, in fidem tutelamque Christi tradit. Porro ut Christum habeant pastorem a quo custodiantur, in eius ovile colligi necesse est. Itaque quum pastoris vocem audiendo salutem electi consequuntur, nihil aliud quam externa evangelii praedicatione ad suum finem perducitur ipsorum electio. Eandem et reprobis doctrinam iubet proponi. Cur? An ut quod de illorum exitio statuit, evertat? Quin potius ut obstinata eorum incredulitas magis patefaciat quid valeat occultae electionis gratia. Quale enim illustrius speculum, in quo haec perspicue reluceat, fingi potest, quam dum in communi doctrina, eadem Dei vocatione, pari organo, tantum est hominum discrimen, ut alii pertinaciter [pag. 49] respuant, quod alii obedienter amplectuntur? Videmus tamen interea, ut verbum quod hominis ore profertur, etsi impiorum corda non emendet, feriat tamen ipsorum conscientias, et lasciviam instar fraeni cohibeat.

Iam de scandalis, quibus secundum ordinem assignavimus, est disserendum. Queruntur multi, evangelium discordiarum esse fontem, quia simul atque emergit, una surgunt contentiones: imo, non secus ac si classicum cecinisset, homines inter se armantur. Fatendum est sane quod Christus pronunciat (Matth. 10, 34), simul cum evangelio dissidia fere et pugnas exoriri: sed qua id occasione fiat reputandum est. Primum, si contumaciter insurgunt homines, quum eos in ordinem cogere vult Deus, qua id ratione fiat, iam prius diximus. Difficile est, ut qui sibi nimium sapiunt, dociles se Christo praebeant. Iam vero, quum affectus carnis, qui in hominibus regnant, totidem sint quasi feroces ac indomitae belluae, miramur si tumultuose iugo et fraeno resistant? Atqui nimis indignum est, cuius mali causa in nobis reperitur, culpam in evangelium conferri. Nihilo rectius faciunt, qui turbarum metu, et discordiarum odio, a pacis doctrina abhorrent. [1]) Tranquillo statu nihil putant esse melius. Quid ergo, si tyrannus quispiam hoc

1) comme si le monde estoit tourné en une fosse.

2) Nous laissons telles resveries aux Payens et la predestination de Dieu n'a rien de commun avec cela. C'est donc une calomnie meschante quand ceux qui veulent diffamer nostre doctrine nous enveloppent en telles choses. Mais regardons simplement au faict. Ils alleguent *etc.*

1) *Add.* Il leur semble qu'il n'y a rien de meilleur que de se tenir coy, et pourtant ils prisent surtout *etc.*

saevitia et immanitate sua consequutus sit, ut dum virgines matronasque ingenuas ad se rapit, dum fortunis optimum quemque spoliat, dum iugulat trucidatque innocentes, metu omnes attoniti sileant: anne hoc praetextu tyrannis laudem merebitur? Nunc si quaeritur, quaenam sit pax ista, quam evangelii iactura redimere multi non dubitant, hoc sane constabit: vitiosas perversasque religiones placide et absque motu obtinere, quia deterrimus omnium tyrannus Satan impune hominibus semimortuis insultat.[1]) Tametsi quoad [pag. 50] externam corporis servitutem attinet, tolerari forsan potius interdum expediat, quam libertatis asserendae causa tumultum movere, qui in caedes et confusam vastitatem erumpat. Verum, ubi de aeterno animae exitio agitur, nihil tanti esse debet, ut mortiferam pacem vel appetamus, vel etiam voluntarii colamus. Quid etiam quod filium Dei ita[2]) imperii sui iure fraudamus? Atqui coelum potius terrae misceri praestaret, quam illi minui honorem a patre datum, nedum prorsus eripi et abdicari. Nos scilicet vivemus alieni a vitae principe: ut pax nobis constet apud homines, bellum ex professo adversus Deum suscipiemus? Ne dissidium cum improbis habere cogamur, a Christo dissidere non recusabimus, per quem sumus una cum angelis Deo reconciliati? Nimis sane indigna merces. Nec vero Christus, quum pacatum Satanae regnum describit, ideo appetendum esse docet: quin potius summi beneficii loco fore hoc promittit, ut fortior cum illo confligens iniusta illum tyrannide spoliet (Luc. 11, 21). Nam si tam animosos cernimus, qui ambitiose pro imperio vel libertate sua dimicant, ut quosvis excipere motus non dubitent: ubi turbarum procellas excitat Satan ad turbandum Christi regnum, quanto nos fortiori animo contra obniti decet? Filius in patrem insurget: pater filii vitae non parcet: fratri insidiabitur frater. An ideo sunt haec praedicta, ut sibi ab evangelio caveant homines, ac non potius ut in tempore moniti nullum ex novitate terrorem concipiant? Neque enim cum aliis mihi negotium est, quam qui ad fucosae pacis praetextum Christi ipsius nomine abutuntur.[3]) Etsi me quoque non latet, turbulentos homines movendis seditionibus Satanae esse flabella, ut in evangelii odium placidos alioqui homines inflammet. Ita nostro saeculo, sub evangelii renascentis initia,[4]) barbaros homines armavit, qui legibus, [pag. 51] iudiciis et omni politiae bellum ex professo indicerent. Sed quum nobis minime ignotum sit eiusmodi artificium, modo pacem ex animo quaeramus, eam vero experimento sentiemus a Deo nobis per evangelium offerri: ut inter homines quoque nobis constet. Ab evangelio quidem recedere, ut seditionibus obviam eatur, nimis perversum est.

1) Satan tient les hommes dans ses laqs et abuse de leur stupidité.
2) Il y a encore pis, qu'en supprimant l'Evangile pour nous accorder avec le monde, nous fraudons *etc.*
3) *Add.* Veulent ils transfigurer Iesus Christ qu'il ne soit plus tel qu'il se prononce?
4) *Add.* il y a environ quarante ans.

Iustior in speciem haec scandali causa est, quod simul ac publicari coepit evangelii doctrina, velut aperta scaturigine, multorum erumpit impietas, qui religiosi antea visi fuerant. Atqui longe aequius erat, hoc ad fidei confirmationem valere. Quum has Christo partes assignat Simeon (Luc. 2, 35), ut retegat ex multis cordibus cogitationes: adeo nemo refragatur, ut plausibilis sit sententia. Quid ergo in re ipsa absurdi invenitur? Fingamus nunquam fuisse dictum, ut sine praeiudicio aestimetur quod apparet. Quum ante annos triginta ubique vigeret religio, et in communem receptumque Dei cultum, sine controversia, omnes consentirent, nunc impietas et Dei contemptus passim ebullit.[1]) Principio dico nihil esse mirum, si tenebras lux discutiat: tam altas esse cordis humani latebras, tamque flexuosos recessus,[2]) ut abyssos prope omnes superet, iam olim proverbio vulgatum est. Iam, si qua in re fallax est hominum simulatio, mira erga Deum improbitate ludit, ubi minime fas erat. Huc accedit Satanae vafrities, quod partim ignorantiae caliginem obducens, partim Dei cultum obtegens caeremoniarum larvis, miram religionis, quae nulla est, pompam ostentat. Hoc sub papatu fuisse vident omnes oculati. Illic enim conscientiae quasi circaeis veneris fascinatae stupent: per longas ambages serium Dei sensum refugiunt. Nam immensum illud caeremoniarum chaos vere latronum est spelunca: quia hypocritae sub illis involucris abditi, quidvis sibi impune licere confidunt. [pag. 52] Eiusmodi securitas si verae fictaeque religionis discrimen tollit, nihil mirum. Quod si quando propius ad Deum accedere videntur, non alium in finem multum se fatigant adeoque excruciant, nisi ut interior cordis impietas talibus remediis delinita intus quiescat.[3]) Nunc si illata evangelii face profligatur hypocrisis, ac palam fit impietas, iniusta est ac perversa quae inde suscipitur offensio. Olim inter profanos homines, nisi qui palam veneficus erat, et testamentarius, et periurus, et coopertus omni flagitio, nemo

1) se iette hors des gonds, comme on dit en commun proverbe. *Add.* Si l'on allegue que l'Evangile en soit cause, ie respon *etc.*
2) entortillé en tant de fictions.
3) *Add.* Qu'on regarde de bien pres et on verra que tout ce qui s'appelle le service de Dieu en la Papauté n'est sinon que pour faire tourner les hommes à l'entour du pot et les amuser à des menus bagages, à ce qu'ils ne viennent point droit à Dieu.

habebatur deorum contemptor. Nam quum carnales sibi deos fingerent, nihil facilius erat quam religione defungi. Atqui videmus, ut acriter in derisores invehantur prophetae: quod procul dubio non sine gravibus causis faciunt. Ergo impietas, quae se exserebat in Dei ecclesia, apud incredulos nulla fere tunc apparuit. An ideo legem et prophetias flabella ad eam excitandam fuisse dicemus? An ideo pura religio, quae hydram illam in lucem protrahebat, minoris censebitur? Quin etiam in ipsa Dei ecclesia, non nisi post natum Isaac, Ismaelis sannae se proferunt. Qui antea secundus erat a sancto Abrahamo, repente in sceleratum gratiae Dei ludibrium erumpit: quo meretur a patris familia abdicari. An tale exemplum Abrahae domesticos a sancta progenie alienare debuit? Porro, quod in Isaac tenuiter fuit adumbratum, in Christo clarius exprimi oportuit: idque factum testatur evangelii historia. Scimus enim, ex quo in mundum ipse productus fuit, quantopere efferbuerit eorum insania, qui prius se religionis titulo venditabant. Quare maligna haec facessat opinio, ex evangelii doctrina scaturire impietatis licentiam: quia velut e latibulis in apertam lucem protrahitur. Quin potius hoc ipsum nos oblectet, retegi ex multorum cordibus cogitationes.

[pag. 53] Quanquam huius rei alia quoque notanda est ratio: nempe quum oblatam evangelii gratiam alii respuant, alii contemptim summis tantum labris gustent,[1]) alii superbe repudient, annon digna est omnium ingratitudo, de qua non mediocrem vindictam Deus exigat? Et profecto severe ulciscitur, quum adempto religionis sensu in horrendam istam caecitatem eos praecipitat. Quotquot ergo videmus hodie Lucianicos homines, qui totam Christi religionem subsannant:[2]) quotquot item Epicureos, qui nullo Dei metu ad quamlibet nequitiam se prostituunt: totidem sciamus a Deo nobis ante oculos poni vindictae Dei exempla, quae nobis evangelii dignitatem pretiumque commendent. Paulus merito in reprobum sensum et foedas probrique plenas cupiditates coniectos fuisse dicit, qui Dei notitiam, qualis ex solo mundi aspectu concipi potest, iniuste suppresserant: ut qui Deum fraudaverant suo honore, extremae ignominiae subiecti, iustam reciperent ingratitudinis suae mercedem (Rom. 1, 28). Quo indignius est sacrilegium evangelii contemptus, non mirum est, si atrocior de ipso nunc sumitur vindicta. Quid enim? An qui scintillulas in mundi fabrica emicantes sua socordia exstingui passi sunt, iure plexos esse fatebimur: qui autem plenum gloriae Dei fulgorem, qui in evangelio lucet, destinata malitia obruunt et exstinguunt, eos vellemus impune Deo illudere? Quod si Deum contemptae vel abiectae suae gratiae severum esse vindicem plus quam aequum est, cur eius vindictae, quae in primis laudanda est, exempla cernentes offendimur? Imo potius decebat, ut iam dixi, sicuti hoc modo evangelii maiestatem asserit Deus, ita eius reverentiam in animis nostris sanciri. Evangelium, quo se nobis in filii persona offert ac donat, quomodo satis digne excipi potest? Atqui [pag. 54] incomparabilem hunc thesaurum vulgari honore multi vix dignantur: alii abiiciunt ad pedes, alii vanis mundi delitiis secure posthabent: multi etiam tanquam aliquod ludicrum, iocose ad profanam oblectationem convertunt. Quid postea sequutum est? Quum aliqua saltem religio eorum animis insideret, nunc canum in morem adversus Deum[1]) latrant. Atque hoc quidem acumine sibi placent, imo semidei videntur, quod nubibus oppedere non dubitant.[2]) At vero, si prodigiosa est hominis in pecudem conversio, eo magis sunt deplorandi, quod nullo mali sui dolore tanguntur. Papistarum ineptias lepide rident, sed ipsi indigni sunt, qui unquam ad papismum revertantur. Neque enim vulgares eorum exitus esse convenit,[3]) quibus et sacer Christi sanguis, et aeterna Dei veritas, et lux vitae, partim risui fuerunt, partim contemptui. Et certe qui nunc passim regnat evangelii contemptus certum est belluinae cuiusdam vitae praesagium. Nam, quum hoc extremum sit curandis hominum vitiis remedium, ubi Dominus cum evangelio suo affulget, quibus nihil prodest remedium hoc, eos esse incurabiles constat. Qui vero medicum scientes ac volentes aut eludunt aut procul abigunt, ultro sibi quaevis accersunt mortes. Ut caput hoc concludam, quibus atrox malum, ut est, censetur impietas, hi ex hac gravitate poenae, quam indigne evangelii sui contemptum ferat Dominus, aestimant:[4]) atque hoc documento in eius fide et obedientia confirmantur. Agrippam, Villanovanum, Doletum,[5]) et similes vulgo notum est tan-

1) ils mettent le nez comme en passant.
2) des mocqueurs qui sous couleurs subtiles se gabent de la Chrestienté.

1) eum *Beza et Amst.*
2) quand ils osent despiter le ciel et toute Divinité.
3) ne doyvent point eschapper que Dieu n'en face une execution terrible et qui face dresser les cheveux en la teste à ceux qui en oyent parler.
4) *Add.* Parquoy tant s'en faut qu'ils soyent troublez de voir ceux qui se desbordent à telle impudence que plustost cela les conferme *etc.*
5) *Calvinus hic plures suae aetatis scriptores perstringit qui non omnes eodem ei loco esse debuissent et in quibus accusandis nimius fuisse videtur. Quo pacto Cornelium Agrippam a Nettesheim evangelii contemptoribus adnumeret, nos quidem non assequimur. Fortasse respexit ad nonnulla quae ille in libro suo de incertitudine et vanitate scientiarum liberius disputaverat De scripturae sacrae autoribus. Fortassis etiam scepticismi suspectum habebat et theosophica eius placita satis dubiae et intricatae indolis, theologo ingenii luciditate*

quam Cyclopas quospiam evangelium semper fastuose sprevisse. Tandem eo prolapsi sunt amentiae et furoris, ut non modo in filium Dei exsecrabiles blasphemias evomerent, sed quantum ad animae vitam attinet, nihil a canibus et porcis putarent se differre. Alii, ut [pag. 55] Rabelaysus, Deperius et Goveanus,[1]) gustato evangelio, eadem caecitate sunt percussi. Cur istud? nisi quia sacrum illud vitae aeternae pignus sacrilega ludendi aut ridendi audacia ante profanarant? Paucos nomino. Quicunque eiusdem sunt farinae, eos sciamus nobis a Domino in exemplum quasi digito monstrari, ut sollicite in vocationis nostrae stadio[2]) pergamus, ne quid simile nobis contingat.

Porro, quia non lapsu tantum suo vel praecipitio infirmos offendunt perditi isti homines, sed impietatis suae venenum huc illuc profundunt, ut atheismo orbem repleant: huic quoque scandalo obviam eundum est. Idque facit spiritus, dum venturos admonet illusores, qui spem nostram sannis exagitent: sed idem pronunciat animas instabiles eorum illecebris fore obnoxias. Ergo ut simus extra periculum, colligenda est in Christo firmitas. Solennis mos est impuris istis canibus, quo plus ad ructandas blasphemias licentiae habeant, scurrilem personam agere. Ita in conviviis et sermonibus suaviter iocando omnia religionis principia convellunt. Ac primum quidem obliquis facetiis se insinuant. Hic tamen finis est, ut omnem Dei timorem obliterent ex animis hominum. Nam eo tandem perrumpunt, religiones omnes ex hominum cerebro natas esse: Deum esse, quia sic credere libeat: futurae vitae spem lactandis simplicibus inventam esse: metum iudicii puerile esse terriculamentum. Hae quidem Sirenum voces deliniendis multorum auribus nimis sunt appositae: sed quas iam suus pruritus titillat. Nam quosdam videmus adeo cupide quae ad tollendum pietatis sensum faciunt captare et venari, ut vixdum percepto paucorum verborum sonitu, repente ab aeterna et inflexibili Dei veritate desciscant. Et sane, quisquis vel modice in scripturis sacris versatus erit, longe alibi quam in opinione fundatam esse fidem nostram expertus, non ita facile nutabit. Qui vero insculptum in [pag. 56] cordibus spiritus sigillum gerunt, multum abest quin machinis istis impetiti concidant. Sed hoc est scilicet quod dicit Paulus (1 Tim. 1, 19), naufragium facere homines in fide, postquam a bona conscientia exciderunt. Quo significat et hanc esse rectae intelligentiae custodem:[1]) nec mirum esse si nihil firmum habeant, qui inter varias cupiditatum procellas fluctuantur. Itaque non est quod nos turbet atheismus, qui nunc quum in toto mundo passim grassatur, tum vero in regum et principum aulis, in tribunalibus, in splendidis aliis vitae generibus[2]) praecipue regnat. Nam si rerum peritos interrogem, adeoque eos ipsos, qui se expedire ab hac tentatione nequeunt, quotusquisque illic bonae conscientiae hospitium concedat: in promptu erit responsum, eam procul exsulare. Quid ergo miramur illud fidei naufragium, quod Paulus necessario sequi docet? Porro, si tam sedulo reconditam in arcis pecuniam servant, quotquot aliquo eius amore tanguntur: qui nullo timoris Dei praesidio munitus, ultro se in praedam exponit, quid excusationis obtendet, si coelesti fidei thesauro spoliatur? Praesertim quum nihil tam exitiale esse noverimus, quam istas impiorum tendiculas. Neque enim quod ab illis instat periculum, extenuare in animo est: quin potius moneo et testificor, nullos tam esse veneficos serpentum afflatus. Verum eo magis ad cavendum vigilantes ac sollicitos esse nos decebat. Interea ab hac quamvis pestifera contagione immunes fore dico quicunque solidas in Christo radices agere non neglexerint. Neque vero hoc meum, sed Pauli dictum est (Ephes. 4, 13): Crescendum esse in Christi notitia, donec adolescamus in virum perfectum: ne simus amplius obnoxii hominum versutiae, qui nos circumvenire tentant. Simul tamen altera Pauli exhortatio audienda (2 Cor. 11, 3): quando hac lege desponsi sumus filio Dei, ut [pag. 57]

clarissimo parum recti iudicii documenta videbantur. Neque minus duram sententiam idem fert de Stephano Doleto doctissimo typographo, qui quidem reformatorum fidem non amplexus est, sed humanioribus literis unice deditus pontificiorum rabiem in exagitandis haereticis fortiter impugnavit et a Sorbonistis falso atheismi accusatus Parisiis a. 1546 *supplicio affectus est. Cuius exitum ipse Beza in editione prima Iuvenilium biennio post impressa deflevit, ab iterata autem carmen suum postea exsulare iussit. De Fr. Rabelaesio famosissimo Gallorum satyrographo plura hic dicere non attinet. Est tamen quod mireris eum a Nostro iis accenseri quos aliquando evangelium gustasse, id est, sacris reformandis animum et operam dedisse dicere poterat. Eutyches Deperius (Bonaventure des Périers), poeta facetus et ingeniosus, per aliquod tempus inter familiares Margarethae reginae eminens, tum et Olivetani in bibliis gallicis edendis collaborator, circa a.* 1539 *Lugduni sibi ipse mortem conscivit. Antonius denique Goveanus, genere Lusitanus, Tolosae primum, dein Divonae Cadurcorum, postea Valentiae et Gratianopoli ius civile magna auditorum frequentia professus est. Augustae Taurinorum decessit, unus communi doctorum suffragio hoc assequutus teste Thuano, ut et poeta elegantissimus et summus philosophus et praestantissimus iuris interpres simul haberetur. Gratianopoli in suspicionem quum incidisset spretae catholicae fidei, causam ita dixit ut victor decederet. Eum reformationi unquam favisse minime constat. De Villanovano, quem alii cum Serveto confundunt, vide Henry in Vita Calvini III.* 29.

1) et beaucoup d'autres que ie ne nomme pas pour le present.

2) *Princeps habet* studio.

1) le seul estuy ou coffre pour garder le thresor de foy.

2) aux cours des rois et des princes, entre gens de iustice, protonotaires et autres de bonnet rond, entre les gentilshommes, thresoriers et gros marchans.

integram illi servemus coniugii fidem, in primis cavendum esse, ne suis lenociniis nos corrumpat Satan: nam si aliquod iam impudicitiae signum dedisse videtur, quae lenoniis illecebris aurem praebuit mulier: parum castas esse animas apparet, quibus ad perfidam defectionem sollicitari dulce est.

Non absimilis est errorum omnium ratio. Labascit multorum fides: alii etiam prorsus ab evangelio desciscunt, quia erroris segetem esse coniiciunt. Quasi vero a terrae cultura et satione quisquam abhorreat, quia purum semen in lolium saepe degenerat. Ne quem percelleret rei novitas, admonuit Christus hoc futurum (Matth. 13, 24). Tametsi enim hypocritas illic zizaniis comparat, tritico veros ac germanos Dei filios: hanc tamen usitatam Satanae fraudem esse ostendit, corrumpere quibuscunque potest modis et vitiare coeleste Dei semen, ne ad frugem perveniat. Mundum instar deserti et inculti agri scimus diu iacuisse sterilem: nunc evangelii doctrinam seminavit Deus per suos ministros. Miramur si Satan quascunque potest errorum corruptelas misceat? Et quae non statim a primo evangelii exortu falsorum dogmatum plaustra invexit? Omitto innumeram multitudinem. Sed Valentini, Montani et Manichaeorum deliriis quid magis prodigiosum fingi potest? Perquam vero ridiculum est, eos qui evangelii lucem tam densis tenebris non fuisse exstinctam miraculi loco ducunt, vim eius contra tot machinas [1]) stetisse invictam cum plausu audiunt, quia nunc quoque mendacii tenebras offundat Satan, evangelii doctrinae infensos reddi. Verum, quia ad hunc scopulum variis modis impingitur, breviter ostendam nullam esse offensionis speciem, in quam non sponte vel socordia, vel alio proprio vitio singuli incurrant. Qui simpliciter [pag. 58] unum hoc obtendunt, sectas ex evangelii doctrina pullulare, hi partim qualemcunque praetextum captant, partim nimia levitate mali causam in evangelium transscribunt, quae alibi residet. Quisquis aperire oculos dignabitur, evangelium perspiciet non modo puram ac liquidam esse Dei veritatem, sed optimum sanctae unitatis vinculum. Nunc si contra insurgit Satan, ut hanc lucem errorum nebulis obscuret, ac unitatem laceret, in quam coalescunt filii Dei, officium ille suum facit. Est enim et mendacii pater, et dissidiorum omnium autor atque artifex. Nostrum ergo erat eo intentius in quaerenda veritate laborare, inventam constantius amplecti. Non modo abstinent isti ab omni eiusmodi studio, ac refugiunt: sed hunc defensionis clypeum opponunt Deo, ne obedire eius imperio cogantur. Alii tametsi data opera non quaerunt quomodo repudient sanam doctrinam, quum tamen levi occasionis aura perciti resiliunt, nihil habent iustae excusationis.

1) si grans heurts.

At vero non abs re timent ne, si incerti quo eundum sit flexibiles se praebeant, sua hac facilitate implicentur errorum laqueis. Est hoc quidem aliquid: sed eius periculi alia melior erat cautio: nempe, ut se pia humilitate, modestia, sobrietate, reverentia, Deo subiicerent. Neque enim frustra promisit Christus, pulsantibus ianuam apertum iri (Matth. 7, 7). Nec frustra spiritu iudicii et discretionis a patre donatus est. [1]) Non frustra etiam per os Iesaiae promittit Dominus paedagogum se fore populo suo, qui ad regendos eius gradus a tergo praesto sit (Ies. 30, 21). Denique non fallendi nec frustrandi causa viam vitae nobis in verbo suo monstrari pronunciat. [2]) Unde apparet bonam hominum partem hoc ipsum ingeniose appetere, ut contemptis remediis in suo malo torpeat.

[pag. 59] Quod autem multos videmus hoc vel illo errore captos a recta via abduci, nunquam nisi iusta Dei vindicta accidit. Primum vere Augustinus superbiam nominat haereseon omnium matrem: nullus enim unquam exstitit erroris magister, quem non prava ambitio in suum praecipitium extulerit. Scimus Deum parvulis fidum esse doctorem. Scimus Christum humiles ac mansuetos ad se vocare, ut eos habeat discipulos. Proinde qui arrogantia turgent, eos non mirum est ab hac schola pulsos vagis suis speculationibus sursum ac deorsum raptari. Quotquot hac nostra aetate a pura evangelii doctrina prolapsi falsorum dogmatum coeperunt esse autores, reperiemus omnes superbiae morbo correptos ingenii tormenta sibi et aliis fabricasse. Pro multis unum Serveti exemplum sufficiat. [3]) Is enim lusitanico fastu inflatus, magis etiamnum propria arrogantia turgens, hanc sibi comparandi nominis rationem optimam esse statuit, si omnia religionis principia convelleret. Quidquid ergo de tribus in Deo personis olim ab ipso apostolorum saeculo traditum a patribus, et continua aetatum serie ab omnibus piis receptum fuit, non modo tanquam insulsum repudiat, sed plus quam atrocibus conviciis exagitat ac proscindit. Iam canina illa mordendi latrandique rabies, quam ebulliunt omnes scriptorum eius paginae, satis testatur, qualis hominem spiritus instiget. Ad rem vero si venias, clare perspicies, ieiuna inanis gloriae siti accensum absurdissima quaeque deliria cupide hausisse, quibus se inebriaret. Sermonem Dei non prius fuisse imaginatur, quam dum Moises Deum in mundi creatione loquentem inducit. Quasi vero tunc demum esse coeperit, quum exseruit tantam

1) *Add.* mais à fin qu'il nous en face participans.
2) *Add.* car quand nous cheminerons selon qu'il nous enseigne, nous serons hors des dangers d'erreur.
3) Il y un certain Espagnol nommé Michel Servet qui contrefait le medecin se nommant Villeneuve. Ce povre glorieux estant desia enflé de l'arrogance de Portugal *etc.*

suam virtutem, ac non potius aeternae suae essentiae specimen ediderit. [pag. 60] Christi carnem sic deificat, ut veritate humanae naturae abolita divinitatem, quae spiritualis est, palpabilem fingat. Et tamen Deum plenis buccis Christum vocando, umbratile nescio quod spectrum nobis comminiscitur: utpote qui ab initio platonica duntaxat idea fuerit:[1]) nec alio iure sit filius Dei, nisi quod in utero virginis ex spiritu sancto conceptus est. Interim multa speculationum plaustra congerit, quae adeo nihil habent coloris, ut facile sano cuivis homini constet, non nisi caeco sui amore fascinatum posse ita desipere. Quod si protinus, ut emersit Dei veritas, superba ingenia tum sua ambitio sollicitat, tum etiam Satan impellit, ut illam pravis commentis et fanaticis opinionibus, vel obscurent, vel pervertant, non est cur nos tanquam re insolita turbari oporteat. Quare, ut superbiam prius diximus omnium haereseon matrem esse, ita eorum vanitas, qui se talibus magistris discipulos adiungunt, ad eas fovendas perpetua est nutrix. Quoties spargitur error aliquis a pseudopropheta, Moises tentari nos dicit, an Dominum ex corde amemus (Deut. 13, 3). Quorsum id, nisi ut sciamus non alios abduci a pura doctrina, quam qui pietatem falsa professione mentiebantur? Fidem vero firmis radicibus fixam adeo machinae istae non evertunt, ut potius eius firmitudinem illustrent: quemadmodum Paulus grassantibus in ecclesia sectis eos qui probati sunt manifestos reddi scribit (1 Cor. 11, 19). Quo minus mirum est, prout afflavit aliquis novae sectae ventus, plurimos huc illuc dilabi, quum paucissimi infixum in animis Dei timorem habeant. Tantum abest ut nos cum multitudine titubare deceat.

Proterviendi ansam ex evangelio arripere, iam olim multis usitatum fuit. Non abs re toties apostoli, ne in licentiam carnis vertatur libertas, de ea moderanda praecipiunt. [pag. 61] Semper enim caro, vel minima occasione oblata, statim exsultat. Atque ut dura est et humano ingenio contraria servitus, bona pars, quovis modo iugum excutiat, beatam vitam in eo sitam arbitratur. Hoc praetextu olim servi, quasi evangelii praeconio ad pileum vocati essent, contumacia efferebantur: alii regum et magistratuum subiectione se eximebant. Similiter hodie permulti infimae sortis homines, gustato evangelio, insolenter se iactant: famuli altos ferocesque spiritus induunt: complures pudoris ac modestiae obliti sibi quidvis arrogant. Sed hoc pessimum, quod se ab ipsius Dei obsequio plerique non secus emancipant, ac si nos adoptando in filios patrium omne ius et imperium sibi abrogaret. Foeda sane pravitas, et quae sua indignitate graviter vulnerare possit pios omnes animos. Verum, urat nos potius Dei iniuria, quam a nobis duplicetur.[1]) Audimus quid de Christi mansuetudine testatus sit Iesaias (42, 2). Audimus quid de se ipse Christus praedicet: Discite a me, inquit, quia mitis sum et humilis corde (Matth. 11, 29). Et hac de causa, quemadmodum Paulus admonet (Phil. 2, 7), quum esset in forma Dei, se ipsum exinanivit, ut ab eo submissionem omnes discamus. Quum ex coelesti maiestatis suae solio huc usque descenderit Dei filius, ut carne nostra indutus non servi conditionem modo, sed extremam crucis ignominiam subiret: quem nostrum cristas erigere non pudebit, ut aliquid simus vel esse videamur? Qui summis opibus et honoribus excellunt, eos, ut se ad magistri exemplum conforment, necesse est, tanquam magnitudinis suae oblitos, ad humiles descendere. Plus quam igitur praepostera humilium arrogantia erit, si altos efflare spiritus evangelii praetextu incipiant. Neque enim iure suo magni cedere iubentur, ut abiecti alioqui homines ius alienum usurpent. Caeterum, [pag. 62] haec doctrina non modo singulis officii sui legem praescribit, sed nobis quoque castigationes suppeditat, quae ferocientium proterviam retundant: interea mali huius invidiam et crimen avertit ab evangelio. Fieri quidem vix potest, ubi miseri homines, nullis opibus, nulla autoritate, nullo ingenio, nulla dignitate freti, simul ac garrire de evangelio didicerunt, se fastuose ingerunt, non sine aliorum contemptu, quin stomachum tanta indignitas ingenuis et cordatis hominibus moveat. Quanquam adeo ridicula est bonae partis stultitia, ut pudore et misericordia potius nos afficere, quam bilem nobis provocare debeat. Demus tamen esse, quod nos valde offendat: an nostra adversus stolidam superbiam indignatio, in ipsum omnis modestiae autorem incurret?

Ecce ex altera parte multos evangelii professionem dissoluta turpique vita, quantum in se est, foedantes. Unde affine proximo[2]) scandalum nascitur. Et certe quum nos sancte honesteque vivendo evangelium ornare Paulus testetur (Tit. 2, 10), qui sibi male vivendi licentiam indulgent, totidem sunt christianismi probra et maculae. Nec vero dubium est, quin horrenda eiusmodi omnes Dei ultio maneat, qui perversis suis moribus pietatis doctrinam infamant, et sacrum Dei nomen ludibrio exponunt. Sentient olim quam intolerabile sit crimen, sanctum evangelii thesaurum profanasse: quam non frustra dictum sit, non impune laturos qui Dei nomine abusi fuerint (Exod. 20, 7). Sentient quam

1) ut pote . . . . fuerit *omitt. in gallico.*

1) *Add.* en nous forgeant un scandale qui nous retire de l'Evangile.
2) semblable à celuy dont i'ay naguere parlé.

pretiosae sint Deo animae, quibus salutis viam malo suo exemplo praecludunt. Primum, nimia est ista improbitas, Deum, quem factis abnegant, ore confiteri, sicut Paulus dicit (Tit. 1, 16): ut coelestis sapientiae discipuli appareant, quum tota vita manifestum Dei contemptum arguat. Sed [pag. 63] haec plus quam sacrilega impietas, evangelio ad scelerum praetextum abuti. Loquor de artificio iam vulgari,[1]) quo se perfidi et nequam homines[2]) ad fallendum, fraudandum, modisque omnibus nocendum insinuant. Vidi olim, quos lenociniis suis impurisque actionibus non pudebat evangelii umbram obtendere.[3]) Alii qui minus sunt scelerati, dissolute tamen vivendo et ecclesiam polluunt vitiorum suorum sordibus, et evangelio maculam aspergunt. Iam illud quidem miserum est ac dolendum, non modo imputari sanctitatis doctrinae hominum flagitia, sed in eorum persona calumniose eam traduci. Sed aliud est ecclesiae ulcus magis deplorandum: quod pastores, ipsi, inquam, pastores, qui suggestum, hoc est, sacrum Christi tribunal ea lege conscendunt, ut vitae puritate prae aliis omnibus excellant, interdum sunt turpissima vel nequitiae vel malorum aliorum exempla. Ita fit, ut nihilo plus fidei ac gravitatis obtineant eorum conciones, quam si fabulam in scena ageret histrio.[4]) Et tales scilicet contemptui se esse apud plebem, aut etiam ludibrii causa digito se monstrari conqueruntur. Ego autem potius vulgi miror patientiam, quod non eos luto et stercoribus mulieres ac pueri operiunt Ministerii dignitatem extollunt plenis buccis: at illis non venit in mentem, ideo non haberi suum ministerio honorem, quia ipsum sua turpitudine conspurcant. Nam sicuti vere olim a quodam dictum est: Ut ameris, amabilis esto: ita morum gravitate et sanctimonia reverentiam sibi acquirant oportet, qui in pretio haberi volunt. Atque utinam tali hominum colluvie exonerari purgarique posset ecclesia. Sed longe aliter ut plurimum contingit. Nam quum se merito contemptibiles esse norint,[5]) mala [pag. 64] conscientia libertatem illis adimit.[6]) Denique, quum propter inhonestae vitae probra sentiant omnibus se obnoxios, vel pudore metuque retenti hiscere non audent, quoties severe exigendum foret, quod ipsi minime praestant, vel parcere delinquentibus coguntur et adulari. Adde quod ignavi sunt ventres, qui, ut molestia omni valere iussa otio delitiisque suis consulant, coelum passuri sint terrae misceri. Eorum etiam nonnulli

1) *Princeps habet:* non vulgari.
2) (perfidi et nequam homines) beaucoup de galans.
3) *Add.* brief, qui en eussent volontiers fait un maquerelage.
4) que si une farce se iouoit sur un eschaffaut.
5) *Add.* telle canaille qui occupe le lieu de pasteurs.
6) *Sic Beza et Amst. Princeps et* 1551: adimat.

virtutum odio suis peraeque et aliorum vitiis libenter indulgent. Populus autem ut gratiam referat, eos amat solos, amplectitur, fovet: atque ut suis delictis patronos habeat, suo patrocinio tuetur.[1]) Interea tamen non desinit scandalum sibi ex corrupta pastorum vita obiicere, ne ad Christum accedat. Nimis id quidem perverse et impudenter: sed neque excusatione dignus quispiam, quem a Christi accessu arcebunt hominum peccata. Nihilo scilicet magis, quam si quis ex fonte bibere recuset, quia sentibus et spinetis dicat esse obseptum: quum tamen obstacula transcendere nec magno labore et sine periculo liceat. Quia nonnullos evangelium in ore habentes scelerate aut nequiter vivere conspiciunt: En, inquiunt, evangelium. Quanto rectius cum dolore agnoscerent, gravem fieri Deo iniuriam, quum doctrinae vita tam male respondet! Si nebulae terris caliginem obducunt, nemo tam insanus est aut improbus, ut solem propterea caliginosum vocet. Atqui inter solis et evangelii claritatem plurimum interest. Nam quum illum obscurent nebulae, facere non potest hominum pravitas, quin perluceat sanae piaeque doctrinae splendor, quo vita nostra, abstersis tenebris, in veram iustitiam reformatur. Ergo solem, etiam dum absconditus latet, fatebimur esse lucidum: conspicuam evangelii lucem et in ea refulgentem Christi gloriam quum cernamus, [pag. 65] oculos nobis hominum peccata, qualiacunque tandem sunt, perstringent?

Quantum ad duces ipsos[2]) spectat, iam noverat Christus in ignominiam doctrinae maxime redundare, si turpiter vivunt. Ut hoc scandalum avertat, hortatur ad servandum quod iubent, etiamsi ne minimo quidem digito attingant onera, quae aliorum imponunt humeris (Matth. 23, 3). Scribarum tunc munus erat populum instituere in lege Dei: illi autem, quum in cathedra divinae essent legis interpretes, domi et in foro pleni erant fraudibus, superbia, crudelitate, periuriis: libidinose quidvis audebant. Vult nihilominus Christus, suam Dei verbo autoritatem intactam manere. Non fuit haec saeculi unius propria admonitio: quin potius hodie quoque vox coelestis auribus nostris inclamat, utcunque vitam professioni suae minus consentaneam agant pastores, perperam tamen fieri, si quid hac causa evangelio detrahitur. Ut certe nimis indignum est, quam Deus praescribit bene vivendi regulam, perversa hominum vita metiri. Reddent illi quidem aliquando rationem, ac sentient illud non e nihilo fuisse denunciatum: satius nunc fore homini, suspensa a collo mola, demergi in profundum maris, quam si unum quemlibet ex minimis offendat

1) *Add.* Voyla comment les asnes s'entrefrottent.
2) ceux qui ont la charge d'enseigner.

(Marc. 9, 42). Nostrum tamen interea est, ea quam Dominus sternit via ad metam properare.

Scandalum tamen hac in parte duplicatur, ubi ad scelerum indignitatem privatum damnum accedit. Alii benigne hospitio excepti, vel furto onusti clam abeunt, vel aliis modis hospites defraudant, vel sollicitant ad stuprum ancillas, ac interdum etiam uxores tentare audent. Alii ad captandum miri artifices nudatos relinquunt, quibus aureos montes pollicebantur.[1] Alii in mutuo fallunt: alii [pag. 66] abnuunt depositum: alii in societate perfidi.[2] Alii quam eleemosynae nomine pecuniam a bonis frugique hominibus abstulerunt, vel in scortationem consumunt, vel in aleam, vel profusos alios luxus. Alii quod ad iuvandam eorum industriam mutuo datum fuerat, audacter in otio heluantur. Atque ad haec flagitia nonnulli socias habent uxores.[3] Alii sacrosanctum coniugii vinculum, deceptis uxoribus, et abiectis liberis,[4] violare non dubitant. Plura sunt eiusmodi facinorum exempla, quam quibus recitandis brevis catalogus sufficiat. Fieri certe non potest, quin grave acerbumque ingenuis animis vulnus infligat istorum hominum perfidia. Praesertim vero consternari bonos viros necesse est, qui quum tenue haberent peculium, se evangelii praetextu, non secus ac si in praedonum manus incidissent, spoliatos vident, atque ad inopiam redactos. Atque hoc inter duriora nostra exercitia memorandum est, quod videre cogimur, qui sic impune evangelio illudant. Verum, si merito prohibet Deus per os Pauli, ne multos ingratos et pravos experti tamen benefaciendo fatigemur (2 Thess. 3, 13): idque facit, ne cui probo et egenti desint nostra officia: quanto diligentius cavendum, ne hominum perversitas eo nos morositatis adducat, ut simus erga Deum ingrati et impii? Quemadmodum igitur acriter vigilare nos decet, ne eiusmodi nebulonibus aperta sit ianua ad nocendum, obviam eundum illorum insidiis: danda opera, quantum in nobis est, ut per magistratus severe vindicentur fraudes et maleficia: ut quibus ludibrio est vox Domini, quique ecclesiam contumeliose subsannant, carnificem, ut digni sunt, habeant magistrum, et furcas, scholam: ita rursum aliquanto diligentius cavendae sunt Satanae insidiae, ne obiecta caducae pecuniae iactura coelestem nobis [pag. 67] thesaurum excutiat. Nam et id molitur, et nobis longe magis exitiale est. Quisquis spem habet in Christo, inquit Ioannes, se ipsum sanctificat (1 Ioann. 3, 3). Ad hanc sanctitatem qui non aspirant, quum sciamus eos falso Christi nomen obtendere, quid est cur nos sua pravitate impediant ac morentur? Est quidem panis vitae evangelium: sed multum abest, quin ab omnibus concoquatur: quum ex multis, qui avide illud deglutire videntur, pauci eius gustum percipiant. Denique, quando areae Christus ecclesiam suam comparat,[1] ubi sic paleae mixtum est triticum, ut sub ea obrutum magna ex parte lateat, non extraneos facit paleae similes, sed qui falsa evangelii professione locum inter pios occupant. Quorsum etiam testatus foret, se multos ultimo die non agniturum, qui et praecones se fuisse evangelii iactabunt, et miracula a se edita obiicient (Matth. 7, 22): nisi quia saeculis omnibus tales aliquos exstare necesse est? Fit etiam interdum, ut qui Deum alioqui ex animo timent, vel saltem non omnino sunt reprobi, in foedum aliquod facinus prolapsi, et se, et quam sequuntur puram religionem, dedecore afficiant. Quantum fuit illud Davidis flagitium, quum suae libidini indulgens, ut alienam uxorem raperet, non modo unius hominis de se bene meriti innoxium fudit sanguinem, sed totum Dei populum, quantum in se erat, exitio tradidit? Si colligere huius generis scandala libeat, quae heroicos homines concutere poterant, quae domi suae vidit scelerum portenta sanctus patriarcha Iacob? Postquam eius filiae vis est allata: Simeon et Levi non minus barbara saevitia quam nefanda proditione Sichimitas trucidant. Caedibus imbuti eius filii in fratricidium conspirant. Accedit tandem ad malorum cumulum incestus primogeniti cum noverca concubitus. Et tamen in una domo tunc inclusa [pag. 68] erat Dei ecclesia. A recitandis pluribus exemplis abstineo. Hodie vero pauca scandala lynceis oculis disquirent nonnulli, ne quid cum tota Dei ecclesia, quaquaversum patet, commune habeant. Uno hoc exemplo contentus sum lectores monuisse: fidem nimis fore instabilem, si ad singulas hominum ruinas subinde labascat. Interea illud tenendum est axioma: certo Dei consilio fieri, ut semper bonis mali permixti sint. Hoc modo tum fidei probatur constantia, tum ad patientiam exercemur, tum accenditur precandi studium, tum spinarum punctiones ad caute prudenterque ambulandum nos sollicitant, tum mundi contemptus oboritur, et una cum migrandi desiderio coelestis vitae meditatio crescit. Quod si causa lateat, his tamen exercitiis constare sciamus militiae nostrae partem, quae toto vitae curriculo nobis colenda est.

Multum etiam nocet, quae vulgo cernitur in plerisque levitas. Quum principio mirum fervorem ostentent, ita mox evaniscet flamma illa, ut ex stupa

1) Il y a des affronteurs infinis qui feront accroire merveilles et trouveront moyen de crocheter les bourses de ceux qui les veulent croire.

2) Les autres sous ombre de compagnie ou de marchez et traffiques escumeront toute la substance d'un povre homme.

3) *Add.* si l'un veut chopine, l'autre dit pinte.

4) placquans là femme et enfans.

1) *Margo laudat Luc.* 3, 17.

ortam fuisse dicas. Alii tametsi propositi sint aliquouaque tenaces, paulatim tamen frigescunt. Quod partim ex vanitate, partim ex ignavia, partim ex terrenis curis provenit, id poenitentiae assignant imperiti. Ergo ipsi quoque, ne sero poeniteat longius esse progressos, mature resiliunt. Si qui mortis aut persequutionum metu territi (quod multis, proh dolor, accidit) ab evangelio deficiunt, ex eorum inconstantia scandali materia struitur. Foedus quidem eorum lapsus. Verum, utcunque Christum negemus omnes, an se ipsum propterea negabit? Imo integer ac sui perpetuo similis nihilominus manebit: ut Paulus etiam admonet (2 Tim. 2, 13). Longe aliter nos talibus exemplis percelli decuerat: nempe, ut infirmitatis nostrae admoniti sollicite caveremus, ne idem nobis accideret. [pag. 69] Postquam Iudaeos a Dei gratia excidisse narravit Paulus (Rom. 11, 22), sic formidabilem esse ostendit eorum casum, ut alios ad cavendum hortetur atque animet. Ergo si quorum acui sollicitudo debebat totis populis ab evangelio desciscentibus, eos unius aut alterius hominis defectio exanimat, quis non culpam perverso eorum iudicio assignet? Neque tamen eorum crimen extenuare consilium est, qui infirmas animas, quantum in se est, labefactant. Tantum monitos velim, qui aliis cadentibus vacillant, quam maligna sit ista consternatio. Negavit ille Christum. Quis putasset? Ille evangelio valedixit, quem omnes rupe firmiorem credebant. Ille iam tepet: alter glacie frigidior, quum ad miraculum usque fervere visi sint. Atqui non reputant, qui sic loquuntur, ideo frangi alios mortis terrore, quia solidam vitae futurae spem nondum conceperint: alios torpere, quia in illis spiritus ardorem inanes mundi curae suffocant. Quid autem morborum contagionem ab aliis ad nos sponte accersere iuvat, quum in promptu sit remedium, modo ne respuatur? Cur non potius in illa tam salubri Pauli admonitione acquiescunt? Nam quum de Hymenaeo et Phileto loquutus esset, quorum lapsus magnam trepidationem incutere poterat omnibus piis: statim quod ad eos fulciendos valeat, subiicit: Manet sigillum hoc: Novit Dominus qui sui sint (2 Tim. 2, 19). Ergo ab iniquitate discedat quisquis invocat nomen Domini. Quum noti et celebres fuissent illi duo, fieri non posse videt Paulus, quin alios suo praecipitio saltem ad nutandum impellant. Electos tamen hortatur, ut secure in Dei tutelam recumbant, ac periculum esse negat, ne insculpta ab ipso salutis nota unquam deleatur. Interea, ne quis ficta invocatione profanet sacrum Dei nomen, admonet. Vidit et Ioannes hoc scandalum ab iis scilicet, qui [pag. 70] impiae doctrinae venenum spargendo ecclesiae tunc vehementer nocebant. Sed dum id fieri testatur (1 Ioann. 2, 19), ut palam sit non esse omnes ex piorum coetu, qui nomen sibi arrogant, eius scandali, quod nonnullos impedire poterat, superandi rationem simul ostendit. Quid Alexander faber aerarius? quum ex nobili Christi discipulo transfuga et deinde infestissimus hostis factus esset, annon aliis in exemplum proponitur (2 Tim. 4, 14)? Quid Demas? quum hoc saeculum amplexus turpiter evangelium deseruit, an reliquos in eundem secum labyrinthum debuit trahere (ibid. v. 10)? Quum alibi se Paulus ab omnibus destitutum fuisse commemorat, an aliis evangelii prodendi concedit licentiam (ibid. v. 11)? Quum se a Phygelo, Hermogene Asiaticisque omnibus conqueritur fuisse reiectum, an aliis tam sceleratae discessionis fenestram aperit (ibid. 1, 15)? Quin potius talibus documentis expergefiunt pii omnes, ne obnoxia sit Satanae insidiis eorum securitas. Perpetuum illud divinae electionis signum loco clypei sic contra omnes insultus iubentur opponere, ut fidem quoque bona conscientia obsignent. Quoniam mihi cum iis hominibus est negotium, qui Christiani censeri volunt, ne sermo hac de re longius sit protrahendus, duas Pauli ad Timotheum epistolas legant, quae sedandis, ut arbitror, eorum animis abunde sufficient, nisi forte data opera vel secum tumultuari appetunt, vel sponte inanes a Christo deficiendi captant praetextus. Et certe apud sanos et prudentes hoc unum sustinendae fidei par erit, perperam fieri, si aeternam Dei veritatem fluxa hominum inconstantia metimur. Sed qui tam ingeniosi sunt ad captandam ex malis exemplis peccandi veniam, cur non tot mirifica invictae constantiae documenta observant, quae inter quasvis tentationum procellas fidem merito stabilire possent? [pag. 71] Vidit haec nostra aetas bonam martyrum copiam alacriter et intrepide ad mortem pergere. Nec virorum modo fuit haec gloria: sed in muliebri quoque sexu plus quam virile robur Deus ostendit. Nullas certe cordatas mulieres celebrant veteres historiae, quibus non respondeant, quas a decem annis protulit Flandria et Artesii comitatus. Ergone perfida quorundam desertio fidem nostram evertet? Sacer ille sanguis, cuius singulae guttae totidem piis cordibus sunt sigilla, evanescet sine pretio et virtute? Quod si illis tam vilis est, non erit tamen apud Deum inglorius. Nec vero impune illis cedet, sponte se miseris Christi desertoribus addidisse ruinae comites: eos vero neglexisse, qui porrecta manu ad coelum nos vocant.

Venio ad obstaculum illud, quod nostro tempore multos a propiore Christi accessu prohibuit. Nam primarios renascentis evangelii doctores non modo contrariis opinionibus inter se dissidere, sed acriter etiam confligere viderunt. Hic animos subiit dubitatio, quantum fidei habendum foret inter primordia dissentientibus. Metus etiam subiit, ne temere prosilirent, unde pedem referre non liceret.

Praesertim infelix illa de sacramentis contentio, dici vix potest, quam multorum animos turbarit. Quam singulare hoc fuerit Satanae artificium, ad iniiciendam timidis conscientiis remoram, ipse meo malo sum expertus. Verum, ut me propria magis culpa impeditum fuisse postea sensi, quam iusta causa retentum: ita de omnibus idem pronunciare non vereor. In eiusmodi quidem dissidiis esse fateor, quod iam aliquantum confirmatos, nedum rudes et novitios percellat: sed colligendos esse animos dico, ut ad eum nihilominus venire pergant, qui nunquam frustra quaeritur. Neque enim fallendi causa promisit, apertum iri, si pulsemus: [pag. 72] datum iri, si petamus (Matth. 7, 8). Qui se dissensionum, quas in parte nostra viderunt, odio in papatus doctrina retineri iactant, iis nullus est excusationis color. De re plus quam nota loquor. Nullum est religionis caput, de quo non illic theologastri quotidie certent. Ut contrariae sint opiniones, quam odiose alii alios nunc perstringant, nunc exagitent, testes sunt eorum libri. Imo diversas sectas profiteri, sibi gloriosum esse ducunt. Ergo bonos istos viros innumerae papistarum rixae et pugnae nihil offendunt; unica inter nos dissensio sic eos vulnerat, ut ab universa doctrina protinus abhorreant. Una quidem in re nimium concordes sunt papistae, quod certatim omnes adversus evangelium blaterant, quod impias suas superstitiones non minus clamose quam pervicaciter tuentur. Verum ad se reversi nihil quam rauca confusaque garrulitate sibi invicem obstrepunt.[1]) Scio equidem tam perditae frontis esse monachos et eiusdem farinae blaterones, ut plebeculam hoc maxime nomine a capiendo evangelii gustu deterreant, quia inter nos non bene conveniat. Quasi vero intestinis eorum certaminibus non resonent scholarum parietes. Quasi non omnes eorum libri, ut dictum est, pugnantibus sententiis referti sint. Eos tamen, quibus deplorata improbitas summa est virtus, ita petulanter agere non miror. Verum qui fit ut oculati homines quibus nihil eorum quae dico ignotum est, eiusmodi se argumento moveri simulent? Annon hoc est lucem ex professo fugere? Et in eo suam sapientiam venditant, quod se non implicent periculosis dissidiis: alios vero qui salutis viam nihilominus audent inquirere, quasi parum cautos derident. Ego vero, quia melius non video remedium, quam ut contemptu eorum superbia corrigatur, ad simpliciores[2]) me converto, qui sibi ruditatis suae [pag. 73] conscii ab inquirendae veritatis studio abstinere malunt, quam errandi periculum subire. Quum hinc Lutherus, inde Oecolampadius et Zvinglius restituendo Christi regno strenuam operam navarent, infelix illud de sacra Domini coena certamen subortum est, in cuius societatem plerique alii sunt pertracti. Ab isto summorum ducum conflictu trepidationem ad tirones pervenire magis dolendum est quam mirandum. Monendi tamen sunt ipsi quoque tirones, ne ultra modum turbentur: hanc esse vetustam Satanae vafritiem, cordatos alioqui Dei servos ad mutuam contentionem rapere, quo retardet sanae doctrinae cursum. Quis Satanae insidiis ultro cedere velit? Sic Pauli cum Barnaba dissidium usque ad paroxysmum processit (Act. 15, 39). Sic eiusdem Pauli cum Petro dissensio in manifestum conflictum erupit (Gal. 2, 11). In illis tribus agnoscunt omnes quod dixi Satanae stratagema: in praesenti negotio, ubi salus sua vertitur, cur caecutiunt? Excipiet quispiam, non fuisse illas de doctrina concertationes. Quid? An quum mosaicae legis caeremonias quidam urgerent (Act. 15, 2), non veniebat in quaestionem doctrina? Atqui eousque perductum est schisma, ut ecclesias fere omnes scinderet. An eius perturbationis causa evangelium reiici aequum fuisse dicent? Lutherum, et eos quibuscum dissensit, cordatos fuisse homines et singularibus Dei donis ornatos constat. In tota pietatis summa mirabilis fuit eorum consensus. Quis rectus esset ac sincerus Dei cultus, uno ore tradiderunt: eum ab innumeris superstitionibus et idololatriis repurgare, a pravis hominum commentis asserere conati sunt. Eversa operum fiducia, qua miseri homines inebriati erant, adeoque fascinati, totam salutem in Christi gratia repositam esse docuerunt. Christi virtutem, quae vel iacuerat prostrata, vel [pag. 74] demersa latuerat, magnifice extulerunt. Quaenam vera sit invocandi ratio, quae poenitentiae vis et natura, unde oriatur et quos fructus producat fides, quae legitima sit ecclesiae gubernatio, ab illis non varie traditur. Tantum in ipsis symbolis aliquid fuit dissentaneum. Et tamen hoc asserere non temere audeo: nisi partim nimia contentionum vehementia exacerbati, partim sinistris suspicionibus occupati fuissent animi, non tantum fuisse dissidium, quin facile conciliari posset. Quod si illo disputandi fervore non rite explicari controversia potuit: quid nunc saltem obstat, quominus veluti sedato tumultu simplex audiatur veritas? Quis verus sit sacramentorum usus, optime inter nos convenit: Sacramenta in hoc instituta esse, ut Dei promissiones cordibus nostris obsignent, ut fidei nostrae adminicula et divinae gratiae sint testimonia, communiter omnes tradimus. Non inanes esse, aut nudas mortuasque figuras diserte ostendimus: quum et efficax per spiritus sancti virtutem sit eorum usus, et arcana eiusdem spiritus sancti virtute Deus vere praestet quaecunque illic demonstrat. Itaque panem et vinum in sacra coena fatemur non vacuas esse tesseras eius communicationis, quam ha-

1) *Add.* comme en un marez plein de grenouilles.
2) simplices 1551 *seqq.*

bent fideles cum Christo, suo capite: quia ipso animae nostrae in spirituale alimentum fruantur. Horum omnium consentanea ubique est traditio. Quod igitur tantum in hac parte offendiculum reperiunt fastuosi homines, ut viam evangelio praecludat? At in modo definiendo ratio paulum est diversa. Fateor sane, non tam distincte loqui omnes, quam esset optandum: sive quod non eadem omnibus clare et liquide disserendi suppetit facultas, sive quod non eandem omnes fidei mensuram sunt adepti. Quum ex densis papatus tenebris multum adhuc sit residuum, quidquid ad [pag. 75] discutiendas errorum tenebras facit, sedulo et dilucide exponi si cui molestum est, is se lucem maligne fugere prodit. Dum autem nos a terra in coelum homines evehimus, dum a mortuis elementis eos ad Christum traducimus, quum iustitiae salutis bonorumque omnium causam reponimus in mera eius gratia, dum spiritui sancto ascribimus totam signorum efficaciam, et sicuti unicus spiritualis vitae autor et perfector est Deus, illi in solidum vindicamus quod suum est, dum crassa omnia figmenta repudiamus quibus delusum fuisse mundum palam est, dum carnalem Christi praesentiae modum perversamque eius in signo adorationem tollimus: qui inde offendiculum concipiunt, quum scientes et volentes impingant in Christum, digni sunt qui se collidant. Multos quidem esse, quos scandalorum praetextus iuvat, quia ipsis in luce caecutire libet, hac in causa sum expertus.

Porro, quod supra breviter attigi, memoria repetendum est: quum res novae multis delictis occasionem praebeant, accuratius tamen notari, et reprehendi severius, si quid tunc peccatur, quam si nulla facta esset mutatio. Quam profundus fuerit ignorantiae gurges in papatu, quam horrenda errorum caligo, cum stupore recordamur. Inde Lutherum, et qui eodem tempore laborarunt in restituenda pietatis doctrina, paulatim emergere potuisse, ingens fuit Dei miraculum. Quod non eodem simul momento omnia viderunt, quod non ad unguem expolitum primo die tam arduum fuit opus, offendi se nonnulli causantur, ne ad evangelium accedant, vel ne pergant in cursu iam incepto. Quam importunae sint lautitiae istae, quis non videt? Perinde enim faciunt, ac si quis nos accuset, quod primo aurorae exortu solem meridianum nondum cernimus. [pag. 76] Nihil istis querimoniis magis tritum. Cur non statim, quid sequi oporteret, nobis exacte praescriptum est? Cur potius quam alia, hoc latuit? Ecquis tandem erit finis, si ulterius subinde tendere permissum fuerit? Nempe qui sic loquuntur, vel profectum Dei servis invident, vel Christi regnum aegre ferunt in melius promoveri. Eadem in minimis quibusque erratis morositas apparet: quae etsi non adeo facilem merentur veniam, non tamen usque ad evangelii fastidium exasperare nos deberent. Quantumvis insulsas naenias blaterent monachi aliique magistri papalis synagogae, [1]) quamlibet absurdis glossis scripturam deforment, hoc totum non aegre condonant boni isti viri. Si quid forte minus aptum nostris hominibus exeat, tanquam magno piaculo a nobis audiendis arceri se obtendunt. Contorta scripturae testimonia, sententias male cohaerentes, argumenta frivola patienter ferunt in vetustis scriptoribus: centesimam partem si reperiant in nostrorum hominum scriptis, non modo nos damnabunt omnes qui erimus innoxii, sed a tota doctrina abstinendum ducent. Neque tamen eorum hic causam suscipio, qui scripturiendo pruritum suum sedant. Optandum enim est, ut supersedeant, qui tales sunt, a chartis inquinandis. Verum, ut indulgentia fovendas non esse paucorum ineptias concedo: ita insipidam hoc taedio totam evangelii doctrinam reddi quam iniustum sit, omnes vident. Est quidem verum illud quod dixi, in media evangelii luce multo clarius perspici, quae prius velut in nocte caliginosa latuerunt. Sed in una parte ad quaevis errata secure libenterque connivere, quum in altera quae carpas plus quam curiose observes, id vero scandala cupide appetentis, et sibi fingentis esse dico.

Nec vero aliunde provenit offensio, quam illis [pag. 77] quorundam affert vita professioni non respondens. Si eorum duntaxat, qui evangelium sequi se iactant, corrupta esset ac dissoluta vita, magis speciosa offensionis causa censeri posset. Verum, quum promiscue in toto fere orbe scelera exundaverint, quid dicemus, nisi veterem illam poetae querimoniam in nostrum quoque saeculum vere competere? Aetas parentum peior avis tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitiosiorem. Et quorsum spectat illa Christi admonitio, aetati Noe similem fore postremam (Luc. 17, 26): horribile quoddam fore iniquitatis diluvium, quo terra obruatur, nisi ut sponte iam ad Christum properantibus talis scelerum colluvies festinandi studium acuat? Accedit huc quoque, ut retuli, iusta contempti evangelii ultio. Tam sacro enim thesauro qui abusi sunt, quis dignos esse neget, quos Dominus in mentem reprobam coniiciat, ut se ad omne flagitii genus prostituant? Nec vero aliud sperandum est, quam ut magis ac magis passim homines profanescant, quorum paucos ab hoc sacrilegio immunes esse scimus. Ego tamen aliam superioribus istis causam addo: eos scilicet quos nostrorum hominum vitia ab evangelio repellunt, malignos esse et iniquos censores. Dicunt nec pie nec honeste pleros-

1) la bouche des caffards et de tous messieurs nos maistres de Sorbone.

que se gerere, qui evangelio gloriantur; atqui hoc primo loco quaerendum erat, an evangelium ipsos in deterius mutaverit. Qui scortator erat, inquiunt, vel aleo, vel alio in genere dissolutus, idem hodie est. Nempe quae in papatu vitia tolerant, ita repente detestari incipiunt, ut eorum odio ipsam quoque horreant sanctitatis et innocentiae doctrinam. Non vereor ne sibi me patronum fore putent, qui turpi ac flagitiosa vita dedecus afferunt evangelio. Quo mihi, ut arbitror, ad eos obiurgandos, qui omnes papatus corruptelas evangelio imputant, [pag. 78] maior erit libertas. Si qua illic sanctitas quaeritur, eam monachi sibi omnium consensu absque controversia arrogant. Quidni faciant, quum in eorum claustris resideat angelica perfectio? Atqui non aliunde nobis foedior vitiorum omnium colluvies. Si excipiet quispiam, quum illinc tantum exeant vomicae, non mirum esse si foetorem quocunque veniunt emittant, frivolam eiusmodi calumniam diluere promptum est. Primum enim, si quid illic probum fuit, tanquam aurum ex sterquilinio,[1]) mira Dei providentia eductum fuisse constat. Quos hac nostra aetate monachos habuit Germania, qui vel doctrina vel sanctitate cum Luthero, Bucero, Oecolampadio et similibus conferre se, nisi nimis impudenter, audeant? Quos Itali Bernardino Ochino, et Petro Vermillio opponent? Ex Galliae quoque lustris egressi sunt nonnulli, qui suo splendore multa sui ordinis probra et dedecora texissent. Paucos quidem fateor ex monachatu ad nos transisse, qui honoris causa nominari digni sint. Et quid mirum si non multi ex inferis angeli prodeant? Quod unus Loth ex Sodomis salvus evasit, insigni Dei potentiae merito tribuimus. Quae autem Sodoma tot unquam foeditatum monstris referta fuit, quot hodie scatent monachorum lustra?[2]) Itaque dicere soleo: si modo decima pars eorum qui illinc christianismi nomine evolant, Christo se vere addicat, praeclare nobiscum agi. Quin etiam quotidie videmus suis decimis Christum fraudari, ut vix ad eum pars vigesima perveniat. Qui autem scandali occasionem praebent, eos dico non tam natura pravos esse, et propriis criminibus infames, quam foeda et nefaria monachatus educatione infectos.[3]) Quod enim et ignavi sunt ventres, et rixosi, et perfidi, et ingrati, et humanitatis expertes, et factiosi,[4]) et furaces, [pag. 79] et servili ingenio, et libidinosi: nonne haec omnia claustrale vivendi institutum resipiunt? Suas quidem seorsum distinctas regulas habent diversi ordines: omnium tamen fere communis est ex illis, quas recensui, virtutibus conflata regula. Nam si optimi, quos ex coeno illo Dominus extraxit, luem inde contractam adeo tenacem esse agnoscunt, ut sibi in abstergendis reliquiis quotidie sit laborandum: quantopere in vulgus grassetur contagio,[1]) iudicare licet. Ergo quos eiusmodi scandala morantur, recipiant quod suum est, et viam planam aequabilemque invenient. Equidem si mihi esset magistratus potestas, et opes ad hunc sumptum sustinendum satis amplae: monachum ex antro suo egressum nunquam nisi semestri, ut minimum, examine exacte probatum manumitterem, ut communi vita et hominum societate frueretur. Quoscunque viderem suo monachismo adhuc indutos, vel includerem ergastulis, vel tanquam indomitas bestias in saltum aliquem submoverem.[2]) Porro a papatu eluere quas esse proprias eius sordes constat, et eas reiicere in evangelii nomen, nimis calumniosum est. Sed quid de specie una disputo? Nam si dissolutam vitam in parum honestos quorundam mores nobis obiiciant papistae, eadem, ac duplo etiam maiora, in eos probra regerere, plus quam iure nobis licet. Atque utinam minus uberem nobis materiam darent. Apud eos[3]) quanta sit scortandi impunitas, quanta iurgiorum et pugnarum licentia, quam permissae sint vulgo genus omne lasciviae, quanto cum applausu regnent effraenes pompae, et impudicae saltationes, et eiusdem generis alia, dicere nihil attinet. Horum certe nihil est, quod non, ut sobrie glorier, publicis edictis apud nos vetitum sit, et disciplina aliqua cohibeatur. [pag. 80] Quare timendum non est, ne cum papistis comparati reperiamur aeque deformes. Mala nostra quum reputamus, est cur nos valde pudeat. Sed, quod dolendum est, facit extrema illorum foeditas, ut probi fere et integri videamur.[4]) Mirum ergo est, qui ad ferenda nostrorum hominum vitia tam sunt delicati, in tolerandis adversae partis sceleribus esse bis ferreos. In quo non modo nobis iniuriam faciunt, sed Deo quoque sunt ingratissimi. Nam interim plurima rarae pietatis, sanctimoniae, virtutumque omnium exempla praetereunt: quibus ad evangelii potius amorem observantiamque provocari ipsos decebat, quam quorundam delictis in eius adduci odium vel contemptum. Non resipuisse multos causantur ex quo nomen evangelio dederunt. At vero, quam multos ex adverso proferre licet, quorum mirifica conversio evangelium nostrum decorat? Et quando nos ad gloriandum cogunt, qui tam maligne obscurant evangelii gloriam: nulla est regio, quae non hac in parte magnificos

1) *Add.* ou un grain de blé du fumier.
2) bordeaux de moineries.
3) infestos. 1551 *et seqq.*
4) addonnez à picques et à faire bandes.

1) *Add.* et en ceux qui ne sont pas des meilleurs qu'on face.
2) Au bout du terme, tous ceux que ie verroye n'estre pas bien deffroquez dedans leur coeur, ie les feroye travailler dedans les caves comme forsaires, ou ie les enfermeroye en quelque parc comme bestes sauvages.
3) omnes *ed. princeps.*
4) il semble que nous soyons demi Anges au prix.

doctrinae nostrae triumphos quotidie spectet. Ipsi quoque adversarii, quamvis dissimulent, insania tamen rumpuntur, quod homines prius intemperantiae, lasciviis, impudicitiae, vanis mundi pompis, avaritiae, rapinis deditos, nunc ad sobrietatem, continentiam, castitatem, modestiam, aequitatem compositos esse vident. Quod si quaeruntur qui continuum vitae tenorem per virtutes et praeclaram famam duxerint: neque optimo talium numero destituimur. Possem satis multos nominare qui summa laude in papatu olim praestantes, ex quo divinitus pura evangelii cognitione donati sunt, vivam nunc virtutum imaginem in vita sua exprimendo umbram se tantum antehac habuisse ostendunt. Sed ne hic sermo propter aliquam iactantiae speciem sit odiosus, breviter concludam: [pag. 81] si quos permovent exempla, virorum simul ac mulierum, non minus morte quam vita testata singularis pietas, iustitia, castitas, temperantia,[1]) multo plus ad fidei confirmationem valere debent, quam nocere incompositam aliorum vitam aequum sit.

Iam ad ultimam scandalorum classem transeamus, quam partim ex fictis calumniis constare dixi, partim ex malignis cavillationibus prodire, quas praeposteri homines longe petitas in evangelium iniuste torquent. De calumniis hoc praefari libet: non mirum esse, si eas improbi homines procul spargendo fidem doctrinae nostrae apud simplices subvertere moliantur. Nec vero communi servorum Dei lege nos eximi convenit. Non erat certe Paulus tam morosus, ut querimonias illas frustra ederet, quae passim exstant in eius scriptis. Multa pro sua prudentia tacebat, multa ignoscebat pro sua modestia, multa pro animi sui magnitudine tacitus devorabat: et videmus tamen quoties se per ecclesias odiose fuisse traductum queratur. De sinistris obtrectationibus loquor, quibus malevoli absentem et inscium apud nimium credulos rerumque et veri ignaros gravabant. Nam apertis calumniis palam impetitos fuisse Dei servos, adeoque filium ipsum, plus satis notum est. Verum Satan, ubi aperto marte nihil se proficere videt, piorum famam quasi per cuniculos clam adoritur. Quum itaque procul in longinquis regionibus duram militiam Paulus obiret, quum per mille discrimina tenderet ad promovendum Christi regnum, assiduos haberet cum variis hostibus conflictus, huc et illuc cursitando gentes locorum spatiis longe divisas colligere studeret in fidei unitatem: ignavi et nihili susurrones eum alibi indignis criminibus onerabant. Quis nostrum sibi intactam [pag. 82] ab omni improborum morsu famam postulet, quum ne Paulum quidem sua integritas tutari potuerit? Imo, quod se fecisse testatur (2 Cor. 6, 8), pergamus infracto animo per

1) attrempance.

infamiam et bonam famam. Neque enim Christi servis minus sinistros rumores contemnere necesse est, quam ab inanis gloriae aucupiis esse alienos. Nam eos iniquis iudiciis gravando hoc captat Satan, ut recte agendi alacritatem in illis frangat, vel saltem moretur. Caeterum, ut nos e gradu nostro moveri minime convenit, quoties bene agendo male audimus: ita non nisi sua culpa turbantur, qui excipiendis susurris falsisque delationibus nimium credulos se praebent. De Luthero quam multa, et in concionibus et libris editis, per totos viginti quinque annos fabulati sunt hostes! Nulla sunt mendaciorum portenta, quae non in nos comminisci et blaterare ausi fuerint. Picartus[1]) doctor Parisiensis, turbulenti quidem cerebri homo, adeoque fanaticus, sed tantae inter suos existimationis, ut pro certis oraculis habeantur omnes eius naeniae, dum more suo pro suggestu bacchatur, dicere sibi permisit, negare iam nos prorsus aliquem esse Deum.[2]) Et ille quidem se impudenter mentiri non ignorat: sed quia eiusmodi hominibus propositum est quovis modo nos oppugnare, quidquid invidiam conflare nobis potest, sibi in nos effutire fas esse putant.[3]) Et sane, quando iam optime noverunt omni se ratione destitui, nisi miseram plebem secum infatuent, non mirum est, necessario eos suffugio abuti. Quidquid autem ipsis, etiam absque colore, fingere libuerit, fidem ita protinus obtinere non debuerat: est tamen adeo usitatum, ut pro licito etiam ducatur. De me si commemorem, quam multa absurda et ridicula nugati sint, periculum est, ne eorum ineptiis me involvam. Tantum dico: si hoc iuris in nos [pag. 83] statuitur, ut quo erunt hostes nostri ad mentiendum magis effraenes et inverecundi, eo sit evangelii causa deterior, ac tantundem ex eius fide decedat: non est quod querantur tam iniqui iudices scandalum sibi obiici, quod ultro se appetere ostendunt. Nobis autem cum Paulo secure dicere liceat: Qui ignorat, ignoret (1 Cor. 14, 38).

Venio ad alteram obtrectationum speciem, quae non modo ex eadem Satanae officina prodit, sed super eadem quoque fere incude fabricatur. Hoc solum est discriminis, quod priores illi, de quibus

1) *Franciscus Picard s. Picquard* ad S. Germani Autissiodurensis decanus, theologiae doctor, concionator plebi gratiosus, Iesuitarum adversarius sed Calvino et Lutheranis infestior, a. 1542 collegio inquisitorum adscriptus, inter alia edidit sermonum aliquot volumina et obiit a. 1556. Vide Launoy, hist. Gymn. Navarr. Paris. et Hist. des Églises réf. de France I. 30, 52 seqq. Hunc talem virum designare voluisse Calvinum supra pag. 382 praecedentis voluminis, adeoque notam nostram ibi appositam corrigendam esse nunc suspicamur.
2) qu'à Geneve on nioit toute religion.
3) *Add.* Brief ils font une devotion de mentir pour bien maintenir leur foy catholique, qu'ils appellent.

loquutus sum, ut aperti sunt ac professi hostes, evangelium in suis ministris apud plebem infamant, hi autem de quibus dicere institui, ita se insinuant evangelii nomine, ut obliquis tamen murmuribus alienent quoscunque possunt a Christo. Hi vero partim sunt famelici errones, quibus, nisi ventrem farcias, calumniarum plaustris te obruent: partim nequam et scelerati homines, qui sua culpa a nobis dimissi, vel etiam ob maleficia abdicati aliquo munere, alibi novum pastum quaeritant: quanquam utrisque mens et lingua in ventre est. Alii paulo lautiores, [1]) ut qui non ita fame urgentur: quia tamen crucem fugitant, ut praetextum habeant suae ignaviae, puram evangelii professionem onerant confictis a se fabulis. Dixi iam paulo ante, ingentem esse fucorum numerum, qui furandi vel fraudandi causa oberrant. [2]) Tales ergo iam suis imposturis ita noti, ut fallendi locum amplius in ecclesiis Christi nullum inveniant, alio digressi, quidvis impudenter in nos effutiunt, quo sibi favorem, odio nostri, concilient apud imperitos. Verum, quid nobis praescribent boni viri, qui scandalum ex eorum vanitate concipiunt? Videmus inertes monachos, et tamen ingluviem suam explere solitos: ut nisi illis in os cibus ingeratur, mox [pag. 84] ad sanctificandum praelium exardeant, quemadmodum loquitur propheta (Mich. 3, 5). Videmus et alios non dissimiles monachis. [3]) Promittunt omnes se fore semiangelos, [4]) modo illis tolerabilis vivendi ratio obtingat: aqua se et pane fore contentos. Sed illa tolerantiae iactantia mox in fumum abit. Ipsi vero, postquam breve pigritiae suae specimen ediderunt, laboris pertaesi clanculum evolant. [5]) Multos quidem fateor, frustra petita conditione, ut in magno potentium confluxu fieri necesse est, discedere. Nec vero mihi creditu difficile est, quosdam interdum minus liberaliter iuvari, qui tamen essent ope digniores: vel quia in hominibus ignotis tam exactus haberi delectus nequit, vel quia ad petendum audaciores timidis ac verecundis locum praeripiunt, vel quod non semper recte iudicamus, vel quia iam erogando exhausti cogimur, qui incommodis horis veniunt, vel inanes, vel saltem tenuiter adiutos dimittere. Et tamen hi qui plus aliquanto haberent coloris, parcius, quocunque venerint, ac modestius loquuntur. Illorum passim volitant querimoniae. Et quales? Prodigiosis mendaciis aspersae. Improbius etiamnum maledicunt, qui hinc vel maleficiis suis expulsi, vel perfida defectione abstracti, ut liguriendis divitum patinis ventrem referciant, [1]) eorum favorem calumniis aucupantur. Neque enim hoc occultum est, multos inveniri qui evangelium quietum sibi cuperent, atque ab omni molestia vacuum: quum eos fateri pudeat quod verum est, crucis metum obstare, quominus christianae professioni satisfaciant. Si qua sint in Christi ecclesiis vitia, sciscitari avent, ne videantur sine causa nido suo affixi. Nempe, inquiunt, si in nobis reprehenditur idololatriae simulatio, alibi quoque diversis modis nihilominus peccatur. Et adhuc praetextum ex mendaciis quaerunt, quae [pag. 85] certum est in eorum gratiam ab eiusmodi nebulonibus [2]) conficta esse. Duo vel tria exempla breviter referre libet: ne quis posthac nisi sciens ac volens fallatur. Erat Cortesius quidam in comitatu Monsbergardensi [3]) verbi minister. Illinc expulsus Neocomum concessit: ubi quum spe sua frigidius exceptus foret, quo se ulcisceretur, quorundam sui similium opera adiutus, [4]) multas et graves piis fratribus molestias exhibuit. Verum se tandem fractum sentiens, (quod eiusmodi vulpibus solenne est) suppliciter veniam petens, fallaci poenitentiae ostentatione non modo placavit offensos fratres, sed quum se in nonnullis quaestionibus haesitare fingeret, literas ad me impetravit, quibus, ut illi satisfacere conarer, amice rogabant: Ego hominem [5]) mensa mea exceptum patienter audivi: ut multis cum lacrymis exemptos sibi iam omnes scrupulos assereret. Abeuntem quoque viatico sum prosequutus. [6]) Ab eo tempore per Galliam cursitans non cessavit [7]) mihi proterve maledicere. Alter nescio quis terrae filius, qui sibi nomen a Corno [8]) indiderat, quum nonnulla egisse indigna Christi servo delatus esset, Lausannensis synodi iudicio, donec causa melius cognita foret, desistere a ministerio iussus fuit. Paulo post [9]) quum literas Bernam ferret, eas non esse ad votum suum compositas suspicatus, alias supposuit. Deprehensum flagitium intelligens, quia non poterat falsi notam effugere, alio pedibus fugam arripuit. Atque haec omnia me absente et inscio gesta sunt. Nunc se violenter a me fuisse expulsum dictitat, quia meis haeresibus subscribere abnueret. Alius quia in cauponis nimius erat, severe a nobis obiurgatus, a furtivis comessationibus nunquam destitit, donec aeris alieni

1) belistres un peu plus honorables.
2) qu'il y a beaucoup d'affronteurs qui courent l'aigueillette trottans çà et là pour desrober ou tromper.
3) *Add.* combien que iamais n'ayent vestu le froc.
4) petis anges.
5) troussent leurs quilles sans sonner mot.

1) reficiant *Ed. pr.*
2) coureurs.
3) *Sic* 1550 *et* 1551. *Gallus:* un prescheur au conté de Monbelgard nommé Courtois.
4) *Add.* qui luy aidoyent par dessous terre à ce faire.
5) ce galand.
6) *Add.* outre ses despens qu'il avoit fait ici.
7) il s'en va droit en France et tracasse çà et là.
8) *Latinae edd. omnes:* a corno *literis minusculis.* *Gallus:* de Corno.
9) Pendant la cause.

magnitudo eum oppressit. [1]) Quum relicta familia clam se proriperet, ego Argentinam profectus [pag. 86] eram. [2]) Nihil inter nos dissidii, nulla offensionis suspicio, nisi quod paulisper, ne se perditum iret, obstiteram. Quia autem ex Augustinensium grege erat, per suorum antra obambulans, se exsulare flebiliter narrabat, quod meis haeresibus ipse quoque esset adversatus. Nec vero tam de illius ac similium nequitia queror, quam me illa urit indignitas, quod boni patres, qui quotidie ex libris nostris discunt, [3]) mercedis vice scandala ex illis lacunis hausta crepare non dubitant.

Sed inepte facio, qui colligendis istis quisquiliis et me et lectores occupem, nisi quod in paucorum hominum personis quasi repraesentari oportuit, quid passim et quotidie fieri a plerisque soleat. Aliis ultra modum rigidi sumus et implacabiles. Verum, qualem a nobis clementiam postulent, operae pretium est cognoscere. Iniuste laesi ignoscimus: nec ultionem sumimus, etiam si sit ad manum. Hoc illis non satis est: volunt praeterea non secus in gremium nostrum recipi, ac si optimam semper fidem praestitissent. Quid hoc est? Ut circumscripti, proditi, aut crudeliter violati, non audeamus nobis in posterum cavere? At ipsos poenitet. Nempe, quum meri sint crocodili, una lacrymula [4]) probitatis fidem emereri volunt. Hic ergo est inhumanus noster ille rigor, quod nos illis iugulandos non sponte praebemus. Sed de privatis nostris iniuriis dicere supersedeo. Graviter offensus erit Deus: notum crimen et pessimi exempli admissum: quin etiam scelera sceleribus aliqui cumulabunt. Convicti, culpam dimidia ex parte fatentur. Confessis nisi omnia manent integra, ac si nunquam peccassent, severitate nostra se ad desperationem cogi deplorant. Ego autem poenitentiam, quum res adeo sacra sit, non posse ex frigidis signis aestimari dico. Deinde, [pag. 87] quam mihi poenitentiam iactant, quos adeo non humiliat peccati sui agnitio, ut aeream frontem triduo post in suggestum attollere non dubitent? Monachis solenne fuit, quidquid in sodalibus flagitiorum erat, in honorem ordinis tegere. Morem hunc in ecclesiam Christi invehere multi cuperent: ego autem non melius christiani nominis honori consuli posse contendo, quam si a sordibus Dei templum repurgetur.

Sed iam in recitandis calumniis, quibus nebulones [5]) a nobis egressi evangelium oblique per latus nostrum vulnerant, verborum plus satis consumpsi.

1) il fut contraint de faire banqueroute.
2) *Add.* pour quelque affaire de l'Eglise.
3) qui apprennent, si peu qu'ils savent, de nos livres et les lisent tous les iours.
4) *Add.* qu'ils auront arrachée à grand' peine de leurs yeux.
5) les coureurs ou autres canailles.

Ad generales calumnias iterum revertor, quibus palam doctrinam manifesti iuratique hostes impetunt. [1]) Haec autem illis in primis trita est, nos christianae libertatis praetextu, quidvis et nostrae et aliorum libidini permittere: non alio spectare nostram doctrinam, nisi ut homines legibus disciplinaque soluti sine modo et modestia exsultent. Quid contineat doctrina, amplam fidem libri facient. Sed hostibus scilicet tam liberum est apud eos mentiri, qui a scriptorum nostrorum lectione arcentur, quam nobis supervacua apud lectores excusatio. Scire tamen primum velim, quodnam illud sit tam grave disciplinae iugum, quod nos ad hoc asylum fugere coegit. Neque enim tanta unquam fuit papatus austeritas, quin toto anno illic et scortari, et saltare, et intemperanter diffluere omni luxuria, et comessationes agitare, et alea ludere, et modis omnibus protervire licuerit: modo semel post annuam indulgentiam, qui ita nequiter vixerunt, in aurem sacrifici, quasi crapulae vomitu, se exonerent. [2]) Quorsum igitur in tam dissoluta licentia hoc ultimae desperationis remedium quaerere attinebat? Certe, si qui unquam rerum novarum cupidi fuerunt, non [pag. 88] tamen prius coeperunt tumultuari, quam ubi non aliter iam spes erat, voti compotes fore. Nulla vero lasciviendi cupido [3]) titillare nos potuit, cuius non permissa nobis foret impunitas sub papatu. At bis quidem ridiculi sunt papatus encomiastae, dum austeram suam disciplinam, et quasi Spartana instituta praedicant. Quis enim monacho credet plenis et rubicundis buccis [4]) sua ieiunia laudanti? Quis frugales esse putabit, quos in ganeis esse demersos ubique notum est? Ut uno verbo concludam, totus fere clerus papalis vasta lacuna est omne genus scelerum, quae non modo suum foetorem longe lateque exhalat, sed mortifera contagione inquinat reliquos mundi ordines. Caeterum, ut sancte [5]) et pudice omnia apud eos composita esse demus: quod tamen morum castitatem, quae eorum legibus astricta erat, laxari a nobis solvique dicunt, ad hoc mendacium refellendum, non alios citabo testes, quam qui nobis quotidie molesti sunt, quod omnem sibi veterem libertatem ademptam queruntur. Nihil dicam, quod non omnibus sit pervulgatum. Quicunque apud nos libidinosi, intemperantes, protervi, licere cupiunt quod libuerit, eos diceres conductitios esse papae milites in oppugnando evangelio. Nec causam dissimulant, quod sibi minime tolerabilis sit prisca haec et tristis, ut vocant, severitas, quae

1) que desgorgent les Papistes contre nostre doctrine, pour diffamer tout ouvertement et pleinement l'Evangile.
2) *Add.* à Pasques.
3) gaudir, folastrer et vivre en gens dissoluz.
4) avec une rouge troigne et un ventre de mesme.
5) *Princeps male:* fauste.

prius in obscuris chartis obsoleta iacuerat. Horum saltem placandi essent impetus, ut persuadeant boni isti continentiae vindices, nos carni dare quantum licentiae postulat. Sed quum adversus nostrum rigorem tantopere recalcitrent, quibus grata suavisque esset papatus disciplina: cuivis hinc colligere promptum fuerit, doctrinam nostram ab effraeni illa, cuius eam insimulant, indulgentia multum distare. Imo hac invidia doctrinam nostram gravant multi ex papistis, [pag. 89] quod laetitiam prope omnem ac hilaritatem e mundo tollat. [1])

Tria praecipue nobis obiectant, [2]) in quibus nos insimulant quidvis agendi licentiam appetivisse: quod a nobis abrogatur auricularis confessio, quod ciborum prohibitio damnatur, quod liberum cunctis facimus coniugii usum. Peccandi verecundiam e mundo tolli clamitant, nisi eam fraenet confitendi necessitas. Atqui mirum est, spiritum Dei neque in veteri ecclesia, neque per complures aetates post Christi adventum, hoc fraeno usum esse. Pudore ergo caruisse dicemus totum illud tempus, quo sanctitas, pudicitia, et omnes virtutes praecipue floruerunt. Quum tunc plus quam austerus esset disciplinae rigor, hoc tamen retinaculum [3]) non erat, sine quo nihil fore salvum putant boni isti modestiae patroni. Atqui falsissimum est quod iactant, cohiberi hoc remedio hominum libidines. Quis enim non videt, quemadmodum vomitu se exonerant ebriosi, ut mox tanquam ieiuni et recentes ad novam ingluviem redeant, ita papistas clancularios susurros in aurem sacerdotis vomere, ut levati priore sarcina peccata peccatis audacius accumulent? Deo quidem se confiteri praefantur. Verum commune omnibus consilium esse dico, clanculum sua arcana sacrifico retegere, ut Deum et homines lateant. Itaque videmus, ut furtivo suo murmure [4]) defuncti sibi longe securius indulgeant. Caeterum, ut demus servili metu retineri quosdam, ut a peccando abstineant, ne postea necesse sit confiteri: nos tamen libertatem carnis hac parte quaerere, calumniose inferunt. Legem Innocentii [5]) damnamus, quae conscientias necessitate obstringit, a qua ipsas Deus absolvit et liberat. Expostulent cum Deo, qui tam praecise vetat ne quis in eiusmodi laqueos se induat, [pag. 90] ne animas Christi sanguine redemptas indui sinat. Ex sacrilega audacia profectum dicimus, quod hominum figmento peccatorum remissio alligata fuit. [1]) Si suum Christo ius et honorem aliter asserere non possumus, quin subeundum sit probrum istud quod nobis inurunt: id vero in primis honorificum nobis est. Scandalum vero qui inde concipiunt, perverse morosos esse constat.

De sublato ciborum discrimine prompta et facilis est excusatio. Carni laxari habenas dicunt, ut intemperanter lasciviat, quod die Veneris, non minus quam Lunae, carnibus vesci permittimus. Quasi vero nulla nisi in carnis esu sit luxuria. Porro, quis nescit maiores semper fuisse in piscibus delicias, et hodie nunquam vel melius fumare culinas, vel operosius mensas instrui, vel maiore farciri varietate et copia, quam diebus piscariis? [2]) Facessant nugae illae: nos delitiis allicere simplices animas. Neque enim de cibis delicatioribus inter nos vertitur quaestio: sed papistae, quum omni ciborum affluentia et suavitate ingluviem die Veneris, carne tantum excepta, benigne expleri permittant, suillam aut bubulam carnem attingere nefas esse pronunciant: nos conscientiis libertatem a Domino concessam relinquimus. Itaque nihilo plus religionis in vilibus intestinis, quam in pisce sumptuose condito, [3]) statuere audemus. Frugalem certe et sobrium victum, ut decet, commendamus: nec scripta aut conciones nostras vel tantillum luxuriae favere quisquam reperiet. Quin potius testes erunt singulae fere scriptorum nostrorum paginae, nos in urgenda temperantia papistis aliquanto esse superiores. Et sublata dierum superstitione, parce et frugaliter docemus iis licere uti, quae nobis Dei beneficio suppetunt. Quae in eo tanta libertatis dulcedo, ut nos ad vertendum orbem instiget? Ego [pag. 91] sane, si palato indulgere libeat, alia potius edulia, quam carnes mihi in dimidium anni tempus deligam. Norunt familiares mei, et piscibus et aliis quibusdam summopere me oblectari, a quibus sponte abstineo, ne valetudinis dispendio tales delitias redimam. Putidum esse fateor, tam ieiunas calumnias refellere. Sed dabunt veniam lectores, si offendiculis ire obviam volens paulum ineptiam. Quanquam in his ineptiis longius morari opus non est. Pars enim haec doctrinae, quam tradimus, duobus membris constat. Illaqueari humanis legibus conscientias, quae uno Dei verbo regi debent, nefas esse contendimus. Etiamsi ista exercitii specie nihil esset

1) *Add.* et tient les gens trop serrez en melancolie.
2) *Add.* les Caffards et Docteurs du Pape.
3) On n'usoit pas d'un tel chevestre.
4) *Add.* qu'ils font à l'aureille de Messire Iean.
5) ce beau Canon fait par Innocence au Concile de Latran où il est commandé à tous, sous peine de peché mortel, de se confesser à leurs Curez.

1) *Add.* Car la remission des pechez nous est presentée en l'Evangile sans ceste condition de nous aller confesser. Les Papistes au contraire damnent tous ceux qui ne tiendront ce moyen ordonné de nouveau. Mesme ce Canon diabolique, dont i'ay parlé, contient que tous ceux qui ne cerchent point ce remede, se ferment la porte de Paradis.
2) aux iours maigres qu'ils appellent.
3) qu'un povre homme mange pour un denier de trippes, un autre d'un poisson bien apresté avec sausse exquise.

utilius,[1]) nefariam tamen esse audaciam dicimus, quum legem homines imponunt, quae animas religione obstringat. Sibi enim uni hoc iuris vendicat Deus, ut sit legislator ac iudex noster (Iac. 4, 12). Simul atrocem Christo iniuriam fieri dicimus, dum parta eius sanguine libertas ita in nihilum redigitur: nam eius beneficio, nostra quam veteris populi conditio in hoc quoque potior est, quod a dierum ciborumque observatione manumissi sumus. Deinde spirituale Dei regnum in cibo et potu esse, cum Paulo negamus (Rom. 14, 17). Itaque prava superstitione decipi homines, quum partem sanctitatis esse putant carnium abstinentiam. Denique nihil quam Paulo subscribimus, qui diabolicum esse dogma diserte pronunciat, cibos quasi pollutos vetare, quos Deus in usum hominum consecravit, ut illis cum gratiarum actione libere vescantur (1 Tim. 4, 3). Nullius scandali tanta habenda est ratio, ut res cognitu adeo necessarias silentio tegere liceat.

Nondum tamen prorsus dilutum est hoc crimen, quia nos a ieiuniis abhorrere iactant adversarii, quae passim Dominus non parum commendat. Primum, quum huic convicio satis reclament [pag. 92] libri nostri et conciones, in eius refutatione minus est laborandum. Verum excipient, nos fixa iam olim de ieiuniis decreta abrogasse. Fateor, et quidem seriis adeo gravibusque causis coactos, ut improbissime faciant, vitio rem pie iusteque susceptam nobis vertentes. Ieiunium quadragesimale ex Christi institutione fluxisse, veteri tritaque opinione receptum erat. Error in speciem levis, sed tamen error, et minime ferendus. Quam stulte et insulse cogitatum id fuerit, quam temere creditum, nullo negotio monstrare promptum est. Nam si nos ad annuum ieiunium suo exemplo invitare Christus voluit, cur semel hoc tota vita, non quotannis agressus est? Cur non statim ritum inter suos discipulos instituit? Cur non protinus ab eius resurrectione apostoli, quasi praescriptam a magistro regulam, servarunt? Et cur nobis potius imitandum Christi ieiunium, quam Moisis veteri populo? Quis autem prophetarum aut fidelium, quod a Moise factum erat, in exemplum traxit? Adde nunc illud alterum, esse eiusmodi errorem, qui nisi magna fidei nostrae iactura dissimulari nequeat. Miraculo illo sancitam fuisse evangelii doctrinam, quo certior esset eius autoritas, nemini dubium est. Itaque Christum per totos quadraginta dies non esuriisse, evangelica historia commemorat. Quod divinitus gessit Christus, ut doctrinae suae reverentiam supra humanum gradum attolleret, id non secus ac suis viribus subiectum papistae dum aemulantur, annon et mirificam Christi virtutem, quantum in se est, obscurant, et obliterant sacrum illud sigillum, quo approbata erat evangelii veritas? In aliis ieiuniis facile ostendimus, quum Deo se gratum facere homines putarent, crassum idolis cultum ab illis exhibitum fuisse. Quod praescripti sunt [pag. 93] dies, in quorum honorem ieiunent, perversae superstitionis scriptura damnat. Quod in eo divinum cultum statuunt,[1]) et opus fingunt meritorium: non modo stulta est ac inanis fiducia, sed mera impietas. Si Paulum sequimur autorem, licebit nobis in genere pronunciare, externa eiusmodi exercitia, in quibus pietatis summa non consistit, modice prodesse (1 Tim. 4, 8). Hoc vero dici non potest, quin praecisus ille qui apud papistas regnat exigendi ieiunii rigor, iure damnetur, dum necessaria officia negligere permittunt. Imo ex ore ipsius magistri clamare licet: Hypocritae, propter vestras traditiones irrita facitis mandata Dei (Matth. 15, 3).[2]) Nunc quum graviores causae nos ad loquendum impellant, repente tamen nos gulae et omnis intemperantiae faciunt patronos. Quanquam eorum, quibuscum nunc discepto, indigna est improbitas, quibus opponi tam iusta debeat et seria defensio. Quam enim, obsecro, suis ieiuniis legem papa edicit? Ne quis ante meridiem cibum gustet, atque ut a carnibus abstineat: ut denique solo prandio contentus, coenam eo die omittat. Haec porro usitata ratio est, ut pridie bene saturi cubitum eant, quo magis sit tolerabilis duarum horarum inedia,[3]) ut ipso ieiunii die, quia solum illis prandium conceditur, se absque modo ingurgitent: ut postridie libera crapula se ulciscantur. Postquam adeo secure cum Deo, non secus ac cum puero aliquo luserunt, hoc quoque addunt ad improbitatis cumulum, frugalem vivendi modum penitus a nobis solvi. Ego vero, quum tota vita sint dissoluti, nusquam tamen crassius in belluinam intemperiem quam in suis ieiuniis profluere eos dico.

De coniugio etiam aliquid dicendum restat. Fingunt adversarii, nos mulierum causa quasi Troianum bellum movisse. Ut alios in praesentia omittam: me saltem ab hoc probro immunem esse concedant, necesse [pag. 94] est. Quo mihi ad refellendam eorum putidam garrulitatem maior suppetit libertas. Quum semper ad ducendam uxorem sub papae tyrannide liber fuerim, ex quo me inde eri-

1) *Sic edd. omnes inde a* 1551. *Princeps nescio quo pacto:* Etiamsi confitendi more nihil esset utilius. *Gallus*: Qu'on amene les utilitez qu'on pourra recueillir, comme les Papistes contrefont les medecins pour faire trouver leur defense bonne . . . .

1) En ce qu'ils dedient les iours aux Saincts, il y a double mal *etc.*

2) *Add.* Et encor tout ceci est peu au regard de ce que i'ay desia touché par ci-devant: c'est qu'ils constituent leur Chrestienté et salut à honorer une feste en iusnant.

3) de peur que le lendemain le cœur ne leur faille.

puit Dominus, per annos complures sponte caelebs vixi.[1]) Mortua uxore, singularis exempli femina, iam sesquiannus est ex quo non invitus caelibatum rursus colo.[2]) Haec, quae forte parum ad causam facere videbuntur, ideo tribus verbis praefari libuit, partim ut inde coarguatur maledica hostium vanitas, partim ut omnibus testatum sit, me privatam causam minime agere. Quid autem afferunt boni isti castitatis defensores? Lutherum et alios carnis pruritu incitatos, tum sibi fecisse coniugii libertatem, tum vulgus sacerdotum, monachorum et monialium in easdem illecebras traxisse. Quae de singulorum, quos maligne falsoque infamant,[3]) continentia vere possent praedicari, consulto praetereo. Quid enim magis ridiculum, quam profugere ex papatu, qui caste vivere non sustinent? Nulla scilicet sacrificis, monachis et monialibus explendae libidinis erat libertas, nisi novum sibi asylum procul summis difficultatibus quaererent. Quasi vero non quovis scortationum genere claustra omnia, sellae et foruli[4]) omnes monachorum ac monialium foeteant. Prodigiosas libidines hic non attingo. Sed quid rem notam dissimulare attinet, sic ab antris illis, magna quidem ex parte, exsulare pudicitiam et pudorem, ut scortandi bonis patribus aliqua saltem sit illic libertas? Quid loquar de sacrificis, quos libidinum suarum adeo non pudet, ut earum trophaea ubique erigere iam illis sit gloriosum? Certe, ut parcissime loquar, mulierosis extra papatum migrare minime necesse est. Neque tamen prorsus nego, multos ex suis caveis monachos evolare, ut venere, quam furtim illic [pag. 95] carpunt, libere apud nos potiantur. Sed illos ipsos audebo citare testes, quam procul a voluptuaria vita, quam in lustris degebant, distet coniugium. Itaque nonnulli, quia statim olfaciunt, quanto astrictior sit pudica viri cum uxore cohabitatio, quam promiscuae caelibatus papalis lasciviae,[5]) mature se ad priores nidos recipiunt. Alii desperatiores Romam aut alio quo sors eos rapuerit transvolant. Atque haec quidem una est ex angelicis claustrorum virtutibus. Caeterum, ut multos concedam perverse doctrina nostra abuti, quam tamen iusta sit scandali ratio, videndum. Genus humanum Deus hac lege condidit, ut mulieri vir capitis officium praestet, mulier vicissim sit viro adiutrix: atque ita mutuo nexu sexum utrumque simul devinxit. Antequam vitiati essent homines,[6]) coniugium illis singularis beneficii loco datum ac permissum est. Ab homine mortali eripi hoc Dei beneficium, tolerabile non esse dicimus. Nunc ad primum Dei institutum accessit maior ex carnis incontinentia necessitas. Neque enim frustra spiritus hoc remedium per os Pauli fugiendae scortationi praescribit, ut quisque uxorem suam habeat, et unaquaeque etiam mulier proprium maritum (1 Cor 7, 2). Non frustra Christus et idem Paulus admonent, non esse omnes ad vitam caelibem aptos et idoneos (Matth. 19, 11). Atque utinam in hac degenere natura minus notus esset incontinentiae morbus. Huic vitio ut Deus opem ferret, non modo coniugium instituit, in quo vir licite habitet cum femina, sed ad legitimum eius usum omnes qui a carne sua uruntur clara voce invitat. Hoc beneficio apostoli, martyres,[1]) et alii ex sanctis praestantissimi usi sunt. Exorta repente caelibatus admiratio, ut vilesceret coniugii honor ac dignitas, effecit. Fuit tamen ad tempus voluntaria coniugii abstinentia, donec [pag. 96] tyrannidi superstitio ianuam aperuit. Sacerdotes itaque a coniugali vita prohibiti. Tandem ad diaconos serpsit interdictum. Iurisiurandi vinculo monachi et moniales impliciti concessum a Deo ius sibi abdicabant. Hinc solos caelibes Deo sacros censere mundus coepit. Acer usque grassatus est furor, ut vitam coniugalem, velut profanam, non levi ignominia notarent. Primum, etiamsi prospere in speciem cessisset eiusmodi mutatio, ex diabolica tamen audacia manasse dicimus. Verum, quo sanctior est virtus castitas, eo sceleratior et magis detestabilis est coactus iste caelibatus, quem omni foeditatis spurcitiaeque genere refertum esse constat. Ut angelis similis videatur quisquis abhorret a nuptiis, virginitatem papistae miris encomiis extollunt. Quasi vero extra coniugii statum, nihil nisi pudicum et virginale esse evicerint. Atqui, in hoc tantum videntur[2]) lectos propriis uxoribus vacuos habere, ut alienis polluendis ipsi incubent. Quis enim vulgare inter eos proverbium esse nescit, quando a communi ducendae uxoris iure arcetur monachus vel sacerdos, ius fasque esse, ut alia sibi ratione prospiciat? Ac ne suis partibus desint, strenue fere omnes in hoc venationis genus incumbunt. Nulla lenociniis aptior tendicula, quam confessio, qua non modo sibi obnoxias reddunt conscias probri alicuius mulieres, sed alii aliis assignant. Itaque huc ventum est, ut qui domesticis scortis contenti sunt, casti et temperantes inter alios censeantur. Arcanas obscoenitates et nefanda stupra omitto. Ac ne haec quidem, quamvis vulgo nota, attingerem, nisi quod obiter commonefieri lectores necesse est, quam ingenue faciant doctrinae nostrae

1) *Add.* ayant si bien addressé que i'ay dequoy louer Dieu.
2) ie ne me haste point à me remarier *caett. om.*
3) *Add.* ces vilains putiers.
4) selles et trous.
5) la continence Papale qui est de s'esgayer partout où on peut rencontrer.
6) *Add.* par le peché originel.

1) *Add.* les Prophetes.
2) *Add.* ces iolis puceaux.

adversarii, dum eam dissolutae licentiae insimulant, propterea quod tam atrocibus malis corrigendis [pag. 97] legitimum coniugium permittat. Rumpantur licet, qui coactum papalis cleri caelibatum ementitis laudibus ornare non cessant, in maxima tamen parte foedissimam omnis spurcitiae abyssum esse constat: in iis autem qui continentes videntur, nihilominus impuram lacunam[1]) esse dico. Talibus scilicet, quum occultis libidinum flammis, tum manifestis flagitiis diabolicam illam audaciam ulciscitur Deus, quod contempto coniugii beneficio, instar gigantum babylonicas moles exstruunt, quibus naturam et Deum expugnent. Atque ita fieri oportuit, ut saltem discerent homines, eam demum esse veram castitatem, quam nobis Dei regula praescribit. Nos autem quia belluinas lascivias, quarum nullus est modus in papatu, cohibemus fraeno coniugali, proposita carni libertate, modestiam omnem solvere dicimur. Et quid mirum: quum et Christo et Paulo simile quiddam exprobratum fuerit: ac si data opera legis iugum solverent, ut sua hominibus voluntas pro lege esset? Neque enim tam sollicite purgarent suam doctrinam a calumniis, nisi hostium improbitate et virulenta protervia coacti. Caeterum, quicunque sunt sanabiles, eos brevi ista excusatione placatos esse confido, ne scandalum sibi ex tam levi frivolaque materia fabricent.

Habet istud quoque aliquid coloris: doctrinam nostram cum vetustate et saeculorum omnium consensu pugnare. Itaque in eo se maxime papistae iactant[2]) praesertim ubi inflatis tibiis alta illa patrum et ecclesiae nomina insonant. Quoniam satis notum est, quam odiosa sit et suspecta in religione novitas, imperitos a doctrina nostra absterrent eiusmodi praetextu. Et fateor certe, si quidquam novum afferatur, minime esse audiendum. Sed huius criminis nulla [pag. 98] melior est aut certior purgatio, quam quod nihil recipi volumus, nisi claris solidisque scripturae testimoniis probatum. Atque in hoc bobus et asinis, qui praesepe saltem suum agnoscunt, stupidiores esse papistas apparet: qui quum novitium sibi Deum fabricaverint, ita unum, verum et aeternum obliti sunt, ut nulla illis coelestium oraculorum antiquitas sapiat. Excipiunt tamen scripturam falso a nobis obtendi, qui totum veteris ecclesiae consensum evertere conemur. Trita quidem inter eos calumnia, sed tam putida, ut in eius refutatione multum temporis consumere pigeat. Deinde ad eam rem longum volumen necessarium esset. Et libri nostri abunde testantur, si veterum quaerantur suffragia, illis causam nostram adiuvari magis quam premi. Quum satis constet nihilo

1) une caverne d'ordures secrettes.
2) les papistes en savent bien faire leurs choux gras.

magis consentaneam esse veterum doctrinam papatus corruptelis, quam ovis lupo similis est: quaedam tamen eorum dicta ac voculas etiam interdum non minus perverse quam improbe arripiunt,[1]) unde rudibus, et in eorum lectione non exercitatis fucum faciant. Quoties patrum illis testimonia obiicimus, etiam si pondere et numero se obrui videant, ut tamen[2]) supra omnem teli iactum sibi videntur constituti, secure contemnunt ac rident. Sedes enim apostolica, quidquid unquam doctorum[3]) fuit, magnitudine sua facile absorbet. Nec quidquam illis hac exceptione promptius est, quaevis patrum iudicia nihil se morari, ubi a sancta sede Romana aliter pronunciatum fuit. Ergo apud illos ne pili quidem aestimabitur totus patrum chorus, nisi ita libitum fuerit: nos autem quidquid uni eorum cuilibet minus considerate excidit, tanta[4]) protinus religione obstringet, ut vel tantillum discrepare sit nefas. Iterum repeto, confusum istud et prodigiosum papatus chaos antiquo ecclesiae regimini [pag. 99] tam esse dissimile, ut non magis ignis ab aqua dissideat. Quod si in eo damnando acres nimium videmur et clamosi, longe maior esset patrum vehementia, si hodie viverent. Adde quod boni isti filii, qui patrum nomen instar pilae ludendo iactant, crassissimos quosque errores videntur data opera eligere: quibus nisi assentiamur, nos totius vetustatis hostes esse clamitant. Obtulit Abrahae ex proelio redeunti Melchisedec panem et vinum: sacrificium esse putant veteres, quod ad sacram Christi coenam transtulerunt. Puerilis fere hallucinatio. Atqui ex tam praeclaris eorum lucubrationibus nihil aeque papistis arridet. Ne hac in parte nunc sim longior, qui versati sunt in patrum scriptis, et mediocriter iudicant, satis intelligunt nos illorum autoritate, ad oppugnandum papatum, esse instructos. Verum, ut statuantur in medio,[5]) propius tamen ad nos accedent. Unde ergo tanta scandali moles[6]) struitur? Atque ut demus, non posse asseri a nobis et restitui puram Dei veritatem, quin se contra efferat ille quem praedicant multorum saeculorum consensus (quemadmodum ab annis mille sic collapsa fuisse omnia fateor, ut nova subinde errorum et superstitionum monstra pullularint) quid tamen in eiusmodi dissidio inveniunt tanta offensione dignum? Si fiat comparatio, primi certe illi sub quibus floruit ecclesia, vel soli legitimi patres haberi merentur, vel praecipuum saltem honoris gradum inter patres iure

1) les Caffards et autres zelateurs du siege Romain.
2) tamen *om. Beza et Amst.*
3) toute l'autorité des Martyrs et Confesseurs.
4) nous serons reputez heretiques *caett. om.*
5) Et encor que nous laissions les Peres comme neutres sans nous en aider.
6) *Add.* dont ils veulent crever les yeux aux simples.

sibi vendicant. At boni papistae (quae est ipsorum ingenuitas) solum illud corruptius saeculum, quod multum a prisca sinceritate iam deflexerat, memoria celebrant. Atque huc tandem redeunt omnes illorum querimoniae, receptam per octingentos vel mille annos consuetudinem hodie a nobis convelli. Atqui, si veteri proverbio creditur, quod etiam [pag. 100] inter eos tritum fuit, nihil aliud est mala consuetudo quam erroris vetustas. Quo autem diuturnius est malum, magis exitiale esse scimus. Plausibilis olim erat illa Cypriani sententia: Non spectandum quid ante nos alii fecerint aut dixerint, sed quod mandavit Christus, qui primus omnium est, sequendum esse. Illud quoque pulchre ab Augustino ac scite dictum nemo negabat: Christum non sibi consuetudinis nomen, sed veritatis tribuere. Nunc corrupti moris camarinam, quae per longam annorum seriem quievit, nemo vel leviter movere audet. Imo usque adeo invaluit praefractus in tuendis summis absurditatibus rigor, ut earum reprehensionem, quasi intempestivam, non respuant modo, sed crudeliter igni et ferro vindicent. Dicit ille homo ethnicus: Sicut recte loquendi a doctis, ita et vivendi a bonis ac probis petendam esse consuetudinem. Nos, qui directorem habemus Christum, prava et corrupta hominum institutio, absque iudicio et delectu, velut tempestas quaedam violenta abripiet? Ut locum hunc breviter concludam: si inter nos valeat, quod extra controversiam inter pios esse debet axioma, non subiici annorum praescriptioni Christi doctrinam: neminem fictum istud scandalum ab inquirendi saltem studio impediet. Ubi autem constiterit, a Christo nos habere quod proferimus: quis tam erit praeposterus, ut ab aeterna Dei sapientia et coelestis magistri voce sponte ad homines concedat?

Plerosque offendit, quod totum fere mundum nobis adversum esse vident. Nec vero sibi desunt malae causae patroni, quin rudes et infirmos eiusmodi machina percellant:[1]) valde absurdum esse, ut paucis hominibus habeatur fides, totum fere christianum orbem negligi. Praecipue autem ad nos proterendos sacro ecclesiae titulo quasi malleo se muniunt. [pag. 101] Sed velim scire, qui nostra paucitate alienantur ab evangelio, quomodo fidem suam adversus Turcas sustineant. Quantum ad nos attinet, si unus Noah cunctos saeculi sui homines fide sua damnavit, non est quod magna incredulorum turba nos de gradu moveat. Interea non modo parum probabilem, sed iniustam et pudendam scandali causam esse dico, ubi Dei verbo hominum respectus praeponderat. Quid enim? An nisi hominibus credere libuerit, non stabit Dei veritas? Quin potius, ut Paulus ait (Rom. 3, 4), homo mendax, ut est, maneat: Deum veracem agnoscant, quibus se patefacere dignatur. Et iam alibi ostendimus, cur tam aegre se bona pars hominum Deo in obsequium addicat. Quo minus in tanta mundi contumacia fidem nostram ad multitudinis exemplum dirigi convenit. At signum a Christo datur: Quo aquilae convolant, illic esse cadaver (Matth. 24, 28). Ego vero non nego, si quando unum in locum collectae fuerint omnes aquilae,[1]) quin simul speranda sit totius orbis conversio. Sed quum non quaslibet illic aquilas designet Christus, sed[2]) quae vivificum mortis suae odorem sequuntur, quis non videt restringendum ad paucos sermonem esse? Si quis forte excipiat, non excusari nos exemplo Noah, si ab eo coetu discessionem[3]) facimus, qui ecclesiae nomen obtinet, Isaias, quum relicta hominum conspiratione Deum unum sequi iuberet, non extraneos notabat, sed qui tunc populi Dei nomine maxime gloriabantur (Ies. 8, 12). Et Petrus, quum ecclesiam facit arcae similem, quod pereunte mundo quasi per diluvium exigua hominum manus servetur, non esse pendendum a multitudine, satis admonet (1 Petr. 3, 20). Quid ergo miseros homines iuvat inter varios mundi flatus vacillandi nutandique occasionem captare, quum Deus aeterno verbi sui fundamento nos stabiliat? Cur [pag 102] fluctuari inter opinionum procellas malunt, quam in tuto certae veritatis portu, quo nos invitat Deus, quiescere? At summa ecclesiae reverentia debetur. Fateor sane: ac libenter etiam addo, sic coniunctum cum genuina legis et evangelii doctrina esse ecclesiae sensum, ut fida illius custos et interpres[4]) merito vocetur. Sed inter nos et papistas hoc interest, quod illi non aliter ecclesiam veritatis columnam esse putant, quam si Dei verbo praesideat. Nos autem, quia reverenter se Dei verbo subiicit, veritatem ab ea teneri, et aliis per manus tradi asserimus. Itaque non plus autoritatis apud eos habet Dei verbum, quam illi quasi precario ecclesia concedit: et totius scripturae interpretationem ad ecclesiae iudicium non secus vertunt, quam Lesbios[5]) olim ad plumbi sui normam lapidem formare solitos, veteri proverbio fertur. Itaque nullus tam perspicuus est scripturae locus, qui ad Lesbiam hanc regulam inflexus, vel, ut magis proprie loquar, detortus, non alienam formam induat. Nec tamen hic nobis summum vertitur certamen. Sed postquam ecclesiam in Christi throno collocarunt papistae, ut religionem constituat suo arbitrio, et de

1) Et puis les caffards et autres ennemis de verité n'ont garde de faillir qu'ils ne soyent comme soufflets pour allumer le feu.

1) tous les aigles ou tous les corbeaux du monde.
2) *Add.* les fideles.
3) dissensionem. *Beza.*
4) pilier.
5) *Haec a gallica versione absunt.*

scriptura absque provocatione iudicet: ius illud qualecunque est ad se mox rapiunt. Nos vero quaenam vera sit ecclesia, quia hic falli tam proclive quam periculosum est, diiudicari volumus. Certe novum non est, qui pastorum loco praesunt, eos crudeles interdum esse lupos: impios esse et perfidos Dei et ecclesiae proditores, quorum in manu ordinaria est potestas. Quid est igitur, cur nos inanes larvae terreant, quominus excutiamus, ut decet, an vere sit, quae dicitur ecclesia? Paulus columnam veritatis ecclesiam esse pronunciat (1 Tim. 3, 15): sed idem et orbis iam conversi defectionem, et Antichristi in medio [pag. 103] Dei templo[1]) regnum praedicit (2 Thes. 2, 4). Satis notum est, eadem, quibus hodie exercemur, certamina illum sustinuisse, quum Iudaei ecclesiae nomine superbientes eum et apostatam esse clamarent, et schismatum ac turbarum autorem.[2]) Continua successione ab ipsis usque apostolis se ortos esse iactant: nempe quemadmodum Valerio Publicolae et Lucio Bruto Caligula et Nero successerunt.[3]) Sic enim apostolis se conferunt, ac si non interpositum esset immensum dissidii chaos, quod nexus quosvis, si qui essent, abrumperet. Quia nobis adversa est cleri papalis colluvies, non minus eo nos praeiudicio gravari volunt, quam si nos ex coelo angeli damnarent. Eodem scilicet fastu olim Christum repudiabant scribae, quia nemo ex principibus aut Pharisaeis in eum credidisset. Et illos quidem, quum pro sua tyrannide pertinaciter ad extremum usque certare propositum sit, et veris rationibus sint destituti, inanes crepare sonitus[4]) mirum non est. Sed omnes, quibus falso arreptum ecclesiae nomen scandalo est, rogatos velim, ut aures aliquando et oculos aperire sustineant: ne fallax corporis simulacrum eos a capite avellat: ne meretrix sponsae ornatu fucata sponsum illis Christum auferat. Quas enim, obsecro, notas habent unde in tota Antichristi romani cohorte agnoscant Christi ecclesiam? Nisi forte dum papam albatum et proiectam ad eius pedes crucem vident, cardinales purpureos, episcopos mitra et lituo conspicuos, et reliquam minorem turbam suis quoque insignibus distinctam, his pignoribus contenti, non aliam desiderant ecclesiam, nisi quae in ludicris pompis[5]) apparet. Quid enim aliud nebulonibus istis dicendum restat, quando toties, tam graviter et copiose a nobis refutati sibi tamen adhuc ecclesiae titulum arrogare pergunt? Dixi [pag. 104] initio nullos propemodum hic falli, nisi qui ad Christum accedere nolentes sibi procul obstacula accersunt. Fuit quidem tempus, quum multas simplices ac pias animas impediret hic scrupulus: sed hodie paucos sanae doctrinae scandalum ex nomine ecclesiae opponere dico, qui non malitiose et superbe Christo insultent. Eiusdem protervíae est, quod miracula flagitant, quibus obstupefacti Deo tandem per nos loquenti cedere cogantur. Ego vero, quum doctrina nostra luculentum sibi testimonium reddat, miraculis omnibus, quae ab orbe condito exstiterunt, se fuisse comprobatam, istos qui veterum miraculorum obliti novis inhiant, quum ita stupeant in aperta Dei virtute, et in clara luce caecutiant, non minora esse portenta dico, quam si hominem in pecudem versum cerneremus.

Quoniam sacris opibus ditati sunt nonnulli, alii famem suam utcunque ad tempus sedarunt, nos praedandi magis cupidine, quam pio Dei zelo ad res novandas adductos esse iactant evangelii hostes: multi, qui praetextum captant repellendi evangelii, maledicis istis vocibus assentiuntur. Ego vero, si qui replendis suis crumenis ecclesiae bona praedati sunt, non excuso. Et libri nostri, quantopere abhorreamus ab eiusmodi sacrilegiis, diserti sunt testes. Verum, ut partis nostrae delictis, si qua sunt, patrocinium meum accommodare animus non est: ita calumnia non est ferenda, quod in praedam cessisse malevoli homines criminantur, quidquid foedis illis gurgitibus, hoc est sacrificis Baal et monachis ademptum est. Certe, ex quibus locis profligata est papatus impietas, illic saltem pars eorum redituum, quos scorta et lenones cum sacerdotibus[1]) vorabant, in pauperes erogatur: aliquanto plus impenditur in scholas, quam fieri solebat: aluntur veri pastores, qui salutis doctrinam populo ministrant;[2]) [pag. 105] sumptus quoque ad tuendum ecclesiae statum non pauci fiunt. Quamvis haec nos defensio coram Deo non absolvat (quod libere quidem confiteor) maligne tamen scandalum inde congeri adversus evangelii doctrinam ostenditur. At palam fieri ostendunt, quo studio impulsi causam hanc aggressi sumus:[3]) quod omnes fere in privatis rebus curandis occupati, in urgenda disciplina, corrigendis vitiis, augendo et tuendo Christi regno torpent. Cur ergo non ardore potius suo nos calefaciunt, quam ipsi congelascunt ad nostrum frigus? Legantur de templi neglectu

1) *Add.* non pas en un desert.
2) *Add.* Ainsi on ne nous peut rien reprocher en quoy sainct Paul ne soit de nostre rang.
3) voire comme les pires tyrans et les plus cruels qui furent iamais ont succedé aux gouverneurs des Republiques qui avoient maintenu la liberté. N'ont-ils point de honte de s'accomparer aux Apostres comme s'ils avoyent rien de semblable avec eux?
4) leurs gros mots d'Eglise et de siege Apostolique et des Peres et de l'union catholique.
5) tel badinage qui semble estre fait pour iouer une farce.

1) avec ceste vermine de prestraille.
2) *Add.* au lieu que les ennemis mortels de Dieu estoient au paravant stipendiez pour sacrifier à Baal.
3) nous avons esté meus à remuer l'estat de la Chrestienté.

Aggaei querimoniae. Illic quasi in tabula depictam cernere est saeculi nostri ignaviam. An quia tunc quisque domui suae intentus Dei templum non curabat, ideo non sacrosanctum Dei opus erat, templi instauratio? An fatiscere propterea quisquam debuit, quum alios videret non modo in officio necessario cessare, sed Deum quoque scelerate fraudare primitiis ac decimis? Sed hoc est scilicet, quod statim ab exordio praefatus sum, multos profanis mundi amicitiis irretitos, quidvis offensionum contra Christum appetere potius, quam ut impios et sanae doctrinae inimicos offendant. Haec illis prava ambitio, et ad fabricanda scandala ingenium, et ad lacerandum canina maledicentia evangelium, facundiam suppeditat. Adde quod praesentium vitiorum morsu non contenti, in futurum tempus inquirunt, quod eadem malignitate arrodant. Fingunt enim se propinquam ecclesiae vastitatem animis prospicere, quae ex intestinis dissidiis impendet. Hac nos providi homines non magis affici mirantur: atque ut in odium nos trahant, susque deque nobis esse colligunt, si terra incendio misceatur. Sic olim Aquilanum episcopum in privato colloquio mecum disserere memini, quam horrenda [pag. 106] clades timenda foret, nisi discordiis finem brevi statueremus. Huc autem tota tendebat oratio, fieri aliter non posse, si essemus propositi nostri adeo tenaces, quin tandem ad arma res veniret. Belli porro non alium fore exitum, quam ut bonis literis exstinctis, et barbara confusione inducta, humanitas prope ipsa e mundo tolleretur. Horum malorum sicuti culpa in nobis haereret, ita subeundam invidiam esse. Quin etiam haec ipsa religio, dicebat, pro qua tam acriter pugnatis, simul cum literis intereat necesse est. [1]) Quod tunc uni respondi, omnes sibi dictum accipiant. Nos certe, neque tam sumus socordes, quin nobis in mentem veniant quaecunque machinatur Satan: neque tam feri et inhumani, ut secure negligamus. Paci et otio non modo cupimus consultum, sed quantum in nobis est consulimus. Ordinis et politiae non minus sumus studiosi quam qui maxime. Literarum quanta nos cura sollicitet, verbis praedicare nihil opus est. Sed quum nulla exceptione opposita evangelium praedicari Christus iusserit: quicunque sequatur eventus, huic mandato parendum est. Quanquam nimium sibi arrogant [2]) homines, si meliorem ex propriis consiliis, quam ex ratione sibi a Deo praescripta successum sperant. Quid enim? An Deum caecum et incautum esse fingunt, qui ecclesiam suam inconsiderate periculis exponat? Imo quum optimus sit rerum omnium moderator, nostrum est, quamlibet perplexas angustias uno hoc Abrahae dicto superare: Dominus providebit (Gen. 22, 8). Nos scilicet de humana societate erimus solliciti: Deus autem opifex nullo eius studio tangetur? Ecclesia ab unico salutis suae praeside et custode misere deserta in nostram providentiam recumbet? [1]) Nos vero excusatione digni, si iniuncto nobis munere obedienter fungendo suas Deo [pag. 107] partes relinquimus. Ac quum David (Psal. 46, 10) proprium eius esse opus pronunciet, turbulentos maris fluctus componere, sedare bella, frangere currus et lanceas: merito nos animare haec fiducia debet ad eam doctrinam asserendam, quae nobis eius gratiam et benedictionem sola conciliat. Quisquis tamen demum conatus nostros sequatur eventus, nunquam erit cur nos obsequium Deo praestitisse et pium et gratum poeniteat: et quod moerorem nostrum vel in maximis cladibus solari poterit, nos et Christi gloriae, quae omnibus mundi regnis potior, et animarum saluti, quae toto mundo pretiosior est, fideliter serviisse.

Postquam scandala, quae plurimum hoc tempore nocere experimur, generatim recensui: nunc breviter monendi sunt rursum filii Dei omnes, ut ostensis a me remediis instructi Christum potius pro fundamento retineant, quam temerario pravoque incursu sibi faciant lapidem offensionis et petram scandali. Quin multa scandala subinde ingerantur fidelibus in hoc mundo, fieri non potest, a quibus ne Christus quidem immunis fuit. Imo vix sperandum est, ut passum unum conficiant, quin scandalum aliquod obiiciat Satan. Ita per innumera scandala ambulandum ipsis est. Sed quantumvis multiplex sit varietas et densa congeries, nemo tamen erit Christianus, nisi qui superior evadet. Petrum Christus ipse sibi scandalum esse dicit, quum a subeunda morte eum revocare tentat. Sed an impeditus scandalo gradum refert? Quin potius Satanam in Petro animadvertens, facessere alio iubet (Matth. 16, 23). Ut commune nobis cum ipso fore certamen sciamus, in genere pronunciat, necesse esse ut veniant scandala (Matth. 18, 7). Sed quemadmodum suos pronunciat nunquam fore scandalorum immunes, ita nullam scandali causam excusat. [pag. 108] Quum enim iubet oculum dextrum erui, si quem forte scandalizet (Marc. 9, 47), nihil tanti esse admonet, cuius respectu nos a scopo tantillum deduci oporteat. Si ad cavenda scandala tam essemus seduli, ut ne propriis quidem oculis quisquam nostrum parceret: nihil opus fuisset, me in amoliendis scandalis tantum operae insumere. Arduum fateor, et supra vires nostras certamen, sed non

1) *Add.* C'est l'artifice commun qu'ont telles gens pour amollir ceux qui desirent de servir rondement à Dieu.
2) passent la marque.

1) *Add.* On voit en cela quelle est l'outrecuidance des hommes quand ils ne se contentent point de leur mesure.

frustra dicit Christus, loquutum se discipulis ne scandalizentur (Ioann. 16, 1). Neque enim alia de causa vincendis aut profligandis scandalis sumus impares, nisi quia loquentem Christum non audimus. Verum est sane quod alio loco dicit, in nocte offendere eos qui offendunt (Ioann. 11, 10). Quorsum autem lux evangelii, nisi ut viam monstrando simul etiam scandala oculis subiiciat? Atqui, dicet quispiam, impedimentum etiam si conspicitur, cursum tamen abrumpere non desinet. Ego vero iam ostendi, nisi propria nobis mollities obstet, ad superanda quaevis scandala Christum unum sufficere, quum coelesti sua virtute supra mundum nos evehat. Quod si scandalo, quod invitis et fugitantibus incurrit, tam fortiter est resistendum, minus habebunt excusationis, qui ad scandala ipsi quadam animi pravitate sunt proclives. Id Iudaeis accidisse admonet Paulus, qui quum ex professo minime scandalum captarent, quia tamen Dei iustitiae, propriam volentes stabilire, non fuerunt subiecti, in Christum impegerunt (Rom. 10, 3): adeoque exitiali naufragio tanquam ad scopulum allisi fuerunt. Eorum vero qui oblata scandala libenter arripiunt, vel etiam procul dissita cupide accersunt, minime tolerabilis est perversitas. Quid enim? Quum testetur Paulus (Phil. 3, 14) se anteactam vitam oblivisci, ut ad palmam supernae vocationis properet, atque ad eandem festinationem suo exemplo nos hortetur: an scandala ad cursum [pag. 109] retardandum quisquam procul impune conquiret? Iam si in Iudaeis praeposterum zelum tam severe ultus est Deus, quid futurum istis putamus, qui scientes ac volentes impingunt? Imo qui viam alioqui planam congestis undique scandalis obruunt? Praesertim quid sibi veniae reliquum faciunt, qui ex hominum vitiis aut sceleribus clypeos, repellendo Deo, concinnant? [1]) Nam si fideles quoque ipsi, ne quid eorum celeritatem moretur, alii alios vetantur aspicere: si oculos longe circumferimus, data opera [2]) quaerentes quod nos detineat, quomodo Christus ignosceret? Ac tales quidem vere et apte porcis conferre licet, quibus ob nativum foetoris amorem, nihil suavius est quam in coenum et stercora se provolvere. Omnes porcos scandalorum nimis avidos, sive ea venentur, sive offerri sibi gaudeant, dira manet Dei ultio, ut quotidiana offendicula, et alia aliis addita, ipsos in aeternum exitium demergant. Sic enim serio excaecari [1]) aequum est, qui sponte caecutiunt: [2]) ut tandem immedicabilis sit morbus. Nos interea quum Christum audiamus omnibus maledicentem, qui scandalum infirmis praebent (Matth. 18, 7), sollicite operam demus, ne quod omnino scandalum nostra culpa accidat. Caeterum, quando reprobis et mundo incredulo Christum lapidem scandali esse oportet, modo simus extra culpam, ad scandala intrepide excipienda, quoties ea ingeret Satan, vel solo illo Christi titulo simus muniti. Simul altera Christi sententia in mentem veniat. Nam quum a discipulis obiectum esset, offendi Pharisaeos: secure omitti eos iubet, quia caeci sint, ac caecorum duces (Matth. 15, 14). [3]) Addit quoque insigne dictum: Omnis plantatio, quam non plantaverit pater meus, eradicabitur (Matth. 15, 13). Ita sane est agendum, ut omnium saluti, quoad licet, studeamus: sed quia nobis datum non [pag. 110] est eos servare, quos Deus exitio devovit: quod perit, pereat: ut est apud Zachariam (Zach. 11, 9). Nam si Paulo tollere crucis offendiculum libuisset, quasdam obliquas ad hoc rationes excudere promptum erat. Ab hoc autem consilio adeo abhorret, ut pro magno absurdo ducat, si tollatur. [4]) Scilicet fixum tenebat, quod alibi dicit (2 Cor. 2, 15): quamvis odor mortis simus reprobis in mortem, suavem nihilominus odorem nos Deo spirare.

LAUS DEO.

---

1) *Add.* sont-ils dignes de iamais obtenir pardon?
2) de guet à pend.

1) *Princeps:* exsecrari.
2) qui contrefont les aveugles en clignant des yeux.
3) comme s'il leur disoit: Ne vous en chaille.
4) qu'il debat fort et ferme que ce ne seroit point servir à Iesus Christ quand il voudroit separer sa predication d'un tel scandale. Et qui est-ce qui le rendoit si ferme et constant?

CONGREGATION

FAITE EN L'EGLISE DE GENEVE

PAR

M. IEAN CALVIN.

EN LAQUELLE LA MATIERE DE L'ELECTION ETERNELLE DE DIEU FUT SOMMAIREMENT ET CLAIREMENT PAR LUY DEDUITE ET RATIFIÉE D'UN COMMUN ACCORD PAR SES FRERES MINISTRES.

A GENEVE.

PAR VINCENT BRES.

1562.



AUS LECTEURS FIDELES, SALUT.

On dit communéement, qu'à quelque chose mal-heur est bon. La plus grande part de ceux qui parlent ainsi, n'entendent pas quelle est la source de ceste sentence commune. Car ils prennent les mots ainsi qu'ils sont couchez, et ne pensent pas que le bien qui advient apres le mal-heur, vienne d'ailleurs que de mal-heur: comme si un mal se pouvoit de soy-mesme convertir en bien. Il n'y a que l'homme fidele qui puisse vrayement interpreter cela: assavoir, que telle est la bonté et vertu de Dieu envers les siens, qu'il fait, que ce qui de sa nature tendoit à apporter ruine et dissipation, est tourné en une fin toute contraire quant aux fideles: c'est, que quelque bien et profit excellent en revient par la conduite de celui qui sait bien tirer la lumiere des tenebres et obscuritez.

Un maistre brouillon sortant de ie ne say quelle mesnie de Carmes et de moines, fait tout en un moment triacleur, songeant par quel moyen il se pourroit faire valoir, n'en trouva point de plus court ou expedient, selon son opinion, que de se fourrer à l'estourdie dedans l'Eglise de Geneve, et y semer certain poison qu'il avoit apporté d'Italie. Ce qu'il n'eust osé attenter, s'il n'eust senty le flair de la mauvaise volonté d'aucuns hommes qui se fussent volontiers employez à renverser tout ordre et discipline Ecclesiastique. Il avoit un beau champ et bien ample, et s'il fust venu à bout de son attente, il avoit ia gagné ce poinct, de rendre les hommes hardis contempteurs de Dieu, et baillé ceste liberté en la main d'un chacun de faire tout ce que bon luy eust semblé. Car renversant l'ordre de la Predestination ou election de Dieu, et la mettant apres la foy, il faisoit que la foy estoit en la puissance d'un chacun, et par ce moyen chacun se baillant la foy à soy-mesme, ne devoit faire difficulté d'estimer qu'il obtiendroit salut, encore que sa vie fust remplie d'impietez et toutes ordures.

Ce belistre impudent outre mesure, voire si iamais il y eust homme effronté au monde, avoit desia attiré des complices, (comme telles truyes trouvent assez de couchons de mesmes:) et combien que l'erreur de sa doctrine fust manifeste, que les petits mesmes le pouvoyent bien appercevoir, toutesfois selon que ceste doctrine est plausible à la nature vicieuse, elle fut aussi aisément receue d'aucuns qui eussent bien voulu que toute crainte de Dieu et toute honnesteté de vie fussent chassées bien au loin. Mais Dieu par sa grande misericorde y a si heureusement remedié, que ceste orde beste a esté confuse, et ses couchons, pour le moins, n'ont osé ouvrir le groin pour gronder. Or voicy en quelle sorte ce mal-heur a esté bon: c'est qu'il a donné occasion à l'esclaircissement de la matiere tant necessaire et tant salutaire de la Predestination. Car cela a esmeu les Ministres de l'Eglise de Geneve à traitter un iour de vendredy, selon l'ordre qu'ils tiennent de faire leur congregation à tel iour, d'exposer devant toute l'assemblée ceste matiere, de laquelle M. Iean Calvin fit une deduction si briefve, et en sa briefveté si claire, que quand on y voudroit adiouster, ce ne seroit que repeter, ou pour le plus, dire une mesme chose plus amplement: et d'autre-part, quand on en voudroit diminuer,

ce seroit rendre la chose imparfaite. Et ce que les autres freres et Ministres ont dit puis apres, ç'a esté une simple confirmation.

Voila comment ce moine triacleur, en cuidant mettre tout en desordre, a toutesfois esté occasion d'un grand bien, auquel il ne pensoit pas: et comment le mal-heur qu'il osoit bien introduire, a esté bon. Si ce bien ne vous a esté plustost offert, ne laissez pas pourtant de le recevoir; car ceste doctrine tant bonne et tant pleine de consolation est auiourd'huy, pour le moins, autant necessaire que iamais, pource qu'auiourd'huy elle n'a non-plus faute d'ennemis, qu'elle avoit alors. A Dieu soyez-vous.

CONGREGATION FAITE EN L'EGLISE DE GENEVE, EN LAQUELLE A ESTÉ TRAITTÉE LA MATIERE DE L'ELECTION ETERNELLE DE DIEU.

Priere que les Ministres ont accoustumé de faire au commencement de la Congregation.

Nous invoquerons nostre bon Dieu et Pere, le suppliant qu'il luy plaise nous pardonner toutes nos fautes et offenses, et nous illuminer par son sainct Esprit, pour avoir la vraye intelligence de sa saincte Parole, nous faisant la grace que nous la puissions traitter purement et fidelement, à la gloire de son sainct Nom, à l'edification de son Eglise et à nostre salut. Ce que luy demandons au Nom de son Fils unique et bien-aimé, nostre Seigneur Iesus-Christ. Amen.

Et premierement M. Iean Calvin a commencé ainsi qu'il s'ensuit:

Pourceque nous avons à recevoir la Cene prochainement, et que nous ne pouvons pas la recevoir comme nous devons, si non que nous ayons vraye unité [page 2] de foy, qui nous conioigne ensemble, et aussi que ces iours passez Satan a tasché de mettre troubles et divisions entre nous, comme vous sçavez: nous avons regardé d'un commun accord, qu'il seroit bon et utile de traitter de l'election de Dieu, par laquelle il nous a choisis et eleus, afin que cela soit tellement entendu des grans et des petis, que nous en soyons en paix et repos de nos consciences.

Or la matiere seroit longue à deduire. Parquoy faudra que ie m'estudie à briefveté, tant qu'il me sera possible, passant beaucoup de choses qui se pourroyent dire, pourceque le temps ne pourroit point porter que le tout fust deduit au long: tant y a que ie mettray peine, (par la grace de Dieu), qu'il y aura un sommaire où l'on se pourra tenir, et qu'il n'y aura si rude ne ignorant qui se puisse excuser que la chose ne luy soit cognue. Et puis en la fin, si quelcun avoit quelque doute ou scrupule, il le pourra declarer, afin que le tout soit mieux declaré et approuvé, c'est assavoir, par l'Escriture saincte.

Or voicy par où il [page 3] nous faut commencer: c'est assavoir, que quand nous croyons en Iesus Christ, cela ne vient pas de nostre propre industrie, ne que nous ayons l'esprit tant haut, ne tant aigu, pour comprendre ceste sagesse celeste, laquelle est contenue en l'Evangile: mais que cela vient d'une grace de Dieu, voire d'une grace laquelle surmonte nostre nature. Il reste maintenant à voir si ceste grace est commune à tous ou non. Or l'Escriture saincte dit le contraire: c'est assavoir, que Dieu donne son sainct Esprit à qui bon luy semble, qu'il les illumine en son Fils. L'experience le monstre et en sommes convaincus. Il faut donc conclure de cela, que la foy procede d'une source et fontaine plus haute et plus cachée: c'est assavoir de l'election gratuite de Dieu, par laquelle il choisit à salut ceux que bon luy semble.

Et c'est ce que S. Paul traitte au premier chapitre des Ephesiens, quand il benit Dieu, non seulement de ce que nous croyons, ou bien de ce qu'il nous a donné Iesus Christ auquel il nous faut croire, et que nous avons [page 4] tout l'accomplissement et perfection de nostre salut en luy: mais il dit: Benit soit Dieu qui nous a appelez, et nous a illuminez, voire comme il nous avoit eleus devant la constitution du monde. (Ephes. 1, 4.) Ainsi donc, nous voyons comment la grace de Dieu sera pleinement cognue de nous, c'est assavoir, non seulement quand nous serons persuadez et resolus qu'il nous a donné la foy, mais qu'il nous l'a donnée, d'autant qu'il nous avoit choisis devant la creation du monde, par sa volonté.

Or, sainct Paul ne se contente point encores de cela, mais il adiouste, qu'il nous a eleus, selon

le propos de sa volonté, qu'il avoit deliberé en soy-mesme. (Ibid. v. 9.) Il nous faut bien poiser ces mots icy. Car quand sainct Paul parle du propos de Dieu, il l'oppose à ce qui pourroit estre en l'homme, pour dire qu'il y ait esté induit. Quand il est question de ce mot de PROPOS, qu'est-ce sinon ce conseil que Dieu a eu? Comme quand il dit, que Dieu nous a eleus d'une vocation saincte, (à Tite) voire non point selon nos œuvres, mais selon son propos [page 5] et selon sa grace, c'est à dire, selon son propos gratuit.

Nous voyons là une comparaison que fait sainct Paul de deux choses opposites: c'est assavoir, des œuvres des hommes, et de l'autre costé il met le propos de Dieu. Et ainsi, quand nous oyons ce mot de la bouche de sainct Paul, comprenons un conseil que Dieu a eu quand il nous a choisis à soy, sans neantmoins avoir regard à ce qui est en nous, pour dire qu'il ait esté attiré de là, ou esmeu à nous bien faire.

Vray est, que Dieu nous regarde bien en nous elisant, mais qu'est-ce qu'il y trouvera? Rien que toute misere et povreté, et de là il est esmu à compassion. Or cependant il trouve ceste misere là en tous hommes en general: mais il fait misericorde à qui bon luy semble. Et pour quoy? La raison ne nous est point cognue. Maintenant qu'il nous suffise de ce que nous pouvons concevoir: c'est à dire, de ce que sainct Paul nous dit et declare, que Dieu nous a eleus, selon le propos qu'il avoit deliberé en soy-mesme: que par cela il veut mettre bas toutes les replicques [page 6] qu'on pourroit amener pour dire: Et Dieu seroit iniuste par telle occasion. Il faut doncques que tout cela soit exclus. Quand il dit que Dieu a deliberé en soy-mesme ce propos, c'est à dire, qu'il n'est point sorty hors de soy, qu'il n'a point ietté les yeux çà ne là, pour dire: Ie seray esmeu à ce faire.

Or davantage, il dit qu'il nous a eleus en Iesus Christ, signifiant que nous sommes indignes en nous-mesmes: comme aussi la verité est telle et ceux qui ne le confessent, sont bien abusez d'outrecuidance, quand ils estiment avoir quelque chose en eux, pour quoy Dieu les a appelez à soy. Et voila pourquoy il a adiousté, qu'il nous a adoptez en son Fils bien-aimé. Or, ce n'est point sans cause qu'il attribue à nostre Seigneur Iesus, qu'il est le Fils bien-aimé. En nous-mesmes nous sommes hays et dignes que Dieu nous ait en abomination; mais il nous regarde en son Fils, et lors il nous aime.

Au reste, afin qu'on sache que la foy est en degré inferieur, et qu'elle depend de l'election de Dieu, sainct [page 7] Paul notamment adiouste, que c'est afin que nous fussions saincts et sans macule. (Ephes. 1, 4.) Or, il nous faut souvenir de ce que dit sainct Pierre, au 15. des Actes (v. 9), que Dieu purge les cœurs des hommes par foy. Ainsi donc quand sainct Paul dit en ce passage, que nous avons esté eleus de Dieu pour estre saincts et sans macule, il comprend la foy sous cela. Car, c'est autant comme s'il disoit, que nous sommes pleins de pollution en nous, et qu'une partie de cette pollution-là est quand nous sommes incredules; comme il dit, que les incredules ont leurs pensées corrompues et souillées devant Dieu.

Haeresim manifestam esse quod fidem ab electione pendere negat. Nam, quemadmodum docet Paulus, quos Deus praecognovit eos praedestinavit, et quos praedestinavit eos vocavit. (Rom. 8, 29.) Item 1. ad Ephes. cap. (v. 3): Benedixit nos in omni benedictione spirituali sicuti nos in Christo elegerat ante mundi creationem ut essemus sancti etc. Ubi demonstrat nos ideo ad Christum adductos quia eramus electi a patre: in quem sensum postea subiicit, praedestinasse nos secundum propositum voluntatis suae. Item, gratiam eius abundasse erga nos in omni sapientia et prudentia ut patefaceret arcanum voluntatis suae secundum beneplacitum quod constituerat etc. Christus etiam dicit: Quidquid dederit mihi pater ad me veniet. Unde colligimus donationem hanc fide superiorem esse. Nec Paulus dicit se misericordiam consequutum quia praeviderit Deus ipsum fore fidelem, sed potius ut esse inciperet. Hoc enim factum esse dicit ad eruditionem eorum qui credituri erant (1 Tim. 1, 16). Hoc autem intelligi debet, quemadmodum alibi exponit, nempe secundum propositum Dei, non hominis opera (2 Tim. 1, 9). Petrus quoque electos Dei salutat qui sanctificati sunt iuxta praecognitionem etc. (1 Pet. 1, 2). Quod autem adducit magister Hieronymus, priusquam consideretur homo electus a Deo oportere ab ipso diligi etc., excipiunt ministri hoc ex ignorantia nimis crassa manare. Atque hoc modo subverti fidei christianae fundamenta. Diserte enim scriptura pronunciat, nos prius fuisse a Deo dilectos quam ipsum dilexerimus, et scimus electos Dei interdum multis annis in errore vagari antequam eos Deus ad se colligat. Fatentur quidem non posse ab homine apprehendi quod a Deo electus sit, vel ab ipso ametur, nisi per fidem in Christum. Verum simul addunt nos iam antea apprehensos esse a Deo, sicut habetur 3. ad Philipp. cap. (v. 12). Cui sententiae altera eiusdem Pauli respondet, Deum vocare quae non sunt tanquam sint (Rom. 4, 17). Atque eodem spectat quod subiicit in eadem epistola (5, 10): Deum nos sibi reconciliasse quo tempore adhuc inimici eramus.

1) *Exemplar turicense sic habet:* Deum ex hominibus elegisse eos qui sibi placuerunt, hoc est coniunctos Christo Iesu extra quem nemo Deo gratus est . . . . nec eosdem elegisse propter merita quae in ipsis praecessissent antequam electi essent, sed tantum propter suam gratuitam beneficentiam.

2) *Exemplaria Bern. et Tur. ab Hottingero et Simlero descripta alium textum praebent in responsionibus Bolseci. Qui h. l. ita decurrit:* Fidem non pendere ab electione, sed oportere nos simul considerare fidem et electionem. Nam priusquam debeat homo considerari electus a Deo, oportet ipsum dilectum a Deo considerare: et antequam iudicemus ipsum a Deo diligi, operae pretium est illum inspicere cuius gratia a Deo diligimur, h. e. Christum Iesum. Itaque Deo, apud quem . . . . . . deinde dilectio Dei erga hominem, quae est ob fidem, postremo electio hominis fidelis, quae est per fidem in Christum. Et huic doctrinae consentiunt antiqui ss. patres et nostris temporibus tres docti viri M. B. B. et alii.

Porro ad hanc reconciliationem eum induxit inaestimabilis ille amor quo nos prosequebatur. Sic enim Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret etc. (1 Ioann. 4, 9). Quod iactat Hieronymus, se veteres ecclesiae doctores consentientes habere, nimiae improbitatis est, quum Augustinus ducentis amplius locis errorem illum clare refutet. Nempe passim in libris de Praedestinatione et gratia, de Bono perseverantiae, de Correptione et gratia, de Praedestinatione sanctorum, Epist. 59 ad Paulinum, Epist. 105 ad Sixtum, Epist. 106 ad Bonifacium, libro ad Bonifacium primo cap. 19 et 20, l. 2 cap. 5 et 7, l. 4 cap. 6 et 9; item libro contra Iulianum 4 cap. 8; item l. 5 cap. 3; libro 1 de Peccatorum meritis et remissione c. 21; libro 2 cap. 18; in Enchiridio ad Laurentium a cap. 96 usque ad 105; item de Verbis apostoli serm. 7, 11 et 20. Adducit praeterea sententias quasdam Ambrosii suae doctrinae consentaneas: Si voluisset Christus ex indevotis fecisset devotos. Sed Deus quos illi visum est vocat et quos vult pios facit. Nominatim etiam eos Prosper damnat qui fidei merito tradunt Dei gratiam obtineri. Quin etiam Augustinus ipse libro Retractationum 1 cap. 24 errorem suum agnoscit, quia non ubique gratiam electionis fide priorem commendasset. Queruntur ergo verbi ministri se iniusta calumnia gravatos, quod illis exprobraverit magister Hieronymus falso eos praetendere Augustini nomen. Quantum ad doctores attinet qui adhuc sunt superstites, de Melanchthone ita respondent, nunquam eius sensum recte a M. Hieronymo fuisse intellectum. Consilium enim Melanchthonis fuit revocare homines ab audaci et proterva curiositate, dum perrumpunt ad arcana Dei consilia, ut illic electionem quaerant. Hortatur ergo ut hoc uno contenti simus, quod adoptaverit nos Deus in Christo, cuius membra efficimur per fidem: quod in hac ecclesia quotidie summo studio inculcatur. Nec vero id magistrum Hieronymum latere potest, quum sedulo et clare, si quis alius, hunc articulum Calvinus explicet, tam in Institutione quam in Commentariis et aliis scriptis. Quod autem id Melanchthoni propositum fuerit, testes sunt literae manu eius scriptae ad Calvinum ubi dicit: Haec quae volo, scio cum tuis congruere.[1] In Brentio citando magister Hieronymus nimis perfrictae est frontis, dum illum in societatem suae haereseos trahere conatur. Sic enim loquitur cap. 5 in Ioannem: Deus ante creationem mundi quosdam elegit, alios reiiciens. Item cap. 6: Deus ad fidem quos vult illuminat quia miseretur cuius vult et quem vult indurat: quos enim ante

1) Alludit ad epistolam 11 Maii 1543 scriptam, quae quatenus cum Bolseci antagonista faciat, vide in Prolegomenis nostris ad Tom. VI. pag. XXIV.

conditum mundum elegit, eosdem vocat. Item 5. cap.: Quantum ad immutabile Dei consilium, quicunque ante creatum mundum electi sunt perire non possunt, et quos reiecit, ii salutem nequeunt consequi. Imo duram sententiam attexit: hoc esse verum, etiamsi omnia sanctorum opera facerent. In Acta quoque apostol. homil. 72: Quum omnes damnati simus, si Deus quosdam ad salutem eligit, id misericordiae indebitae, si alios exitio destinat, non crudeli iniustitiae, sed iusto iudicio imputandum est. Bullingero non levem iniuriam facit, quandoquidem 1. ad Rom. cap. clare pronunciat, Deum voluisse ostendere utrumque esse suae potestatis, vivificare et occidere, eligere et reiicere, secundum propositum suum et liberam electionem. Item 1. ad Timoth. cap. 2 sicuti superiore loco Augustini sententiae subscribit. Contra ministri verbi non unum aut alterum qui doctrinae suae suffragentur obiiciunt, sed quotquot nostro saeculo fidelem operam impenderunt Christo in evangelii instauratione.[1]

Quaesierunt ex Hieronymo:

Annon in caecitate sua maneant quos Deus non elegit, quia ab ipso reprobati sunt, ideoque eius spiritu non illuminantur in fidem?

Respondit Hieronymus:[2]

Qui ad fidem non perveniunt, non manere in sua caecitate ob naturae corruptionem, quia debita gratia Dei illuminantur, quae secundum Paulum eo abundantius datur, quo magis peccatum abundat. Qui vero dicunt ipsos in sua caecitate deseri a Deo quia ita illi videtur, Deum contumelia afficiunt ac perperam scripturam exponunt. Ex quorum numero est Calvinus.

Excipiunt ministri:

Hanc quoque esse damnatam haeresim quod reprobi ob naturae corruptionem in caecitate non maneant. Nam huiusmodi testimoniis referta est scriptura, nos omnes esse caecos et ignorantia obrutos teneri, mentem nostram in tenebris demersam.

1) restauratione *al.*

2) Alios minime remanere in caecitate ac corruptione suae naturae, imo satis illuminari per gratiam, quae, ut P. ait, hoc abundantius offertur quo abundat peccatum magis; eosque qui asserunt se derelinqui a Deo in sua caecitate, eo quod ipse ita voluerit, afficere Deum vituperio, nec satis intelligere scripturam, nam contra eandem loquuntur. E quorum numero est dictus Calvinus.

non posse nos perspicere quae Dei sunt, sed stultitiam nobis esse (1 Cor. 1 et 2. Ioann. 6. Iesa. 53 et aliis similibus). Atqui non omnibus datur spiritus illuminatio, sed peculiare donum est. Quod subiicit magister Hieronymus, debite [1]) omnes illuminari per Dei gratiam, si intelligat dari reprobis a Domino quantum illis debet, fatentur id quidem, sed quum rite ad salutem consequendam illuminari fingat, id vero scripturae prorsus adversum esse contendunt, sicuti etiam paulo ante ostensum est. Quod autem gratiam asserit abundare pro abundantia peccati, in eo vel stulte vel malitiose pervertі sensum Pauli respondent. Testatur illic Paulus gratiam superasse maledictionis iudicium. Atqui damnatio in totum genus humanum diffusa est. Sequitur ergo non illic tractari quantus hominum numerus Christi gratiae sit particeps, sed quam efficaciter exuberet in fidelibus; alioqui opus esset novo mundo ut longius se extenderet quam reatus et poena peccati. Quod Deum affici contumelia iactat, quum deseri ab ipso reprobos tradimus, haec nimis foeda est blasphemia in spiritum Dei, qui id ipsum per os Pauli diserte pronunciat, nempe quod Deus quos vult indurat, quod, quum Iacob et Esau fratres gemini in utero adhuc essent, sine operum respectu alterum elegerit altero reiecto.

Quaesierunt ministri:

Quum totum Adae genus proprio motu nunquam ad Deum aspiret, annon peculiari spiritus sui motu certos [2]) homines ad se trahat, nempe quos ante conditum mundum adoptavit?

Respondit Hieronymus: [3])

Ambiguitatem esse in verbo attrahendi. Esse enim violentam attractionem quam minime admittit; esse alteram suavem et paternam, qua Deus erga omnes creaturas rationales utitur et qua generaliter dignatur omnes, neminem destituens, nisi qui eum contemnit, et adversus eum rebellat. Tales enim, postquam Dei gratiae et suavibus monitis restiterunt, idque saepius, postea deseruntur, sed non ab initio neque ex proposito vel decreto Dei.

Excipiunt ministri:

Frivolum ac supervacuum esse cavillum quod hic violentae attractionis fit mentio, quum satis constet quotidie in hac ecclesia doceri, voluntario nos motu trahi, non vi extrinseca. Unde perspicere [1]) licet, Hieronymum improbum esse calumniatorem, qui satis tenet in scriptis Calvini subinde hoc esse expressum. Porro, quod Deum rationales omnes creaturas trahere subiicit, iam antea refutatum est, et pugnat cum Pauli sententiis, Deum vocare quos praedestinavit et misericordiam praestare quibus vult. Item cum Lucae testimonio (Act. 13, 48), quod crediderint qui ordinati erant ad vitam. Imo Pelagianum se esse prodit, dum non fatetur velle et perficere ab ipso Deo dari, quemadmodum Paulus affirmat. Nam ex verbis Pauli sequitur, reprobos nunquam tractos fuisse, quorum nunquam mutata in melius fuit voluntas.

Quaesierunt ministri:

Annon manerent increduli omnes et obstinati, nisi Dominus eorum corda mutaret, quibus propitius esse vult ac misericors?

Respondit Hieronymus: [2])

Ut fidem recipiant homines, mutari oportere corda lapidea, hoc est, praefracta et indurata ad malum, et dari illis cor carneum, hoc est, intelligentiae capax, atque hanc gratiam communiter omnibus conferri, sicuti pollicitus est per prophetas.

Excipiunt ministri:

Sententiam Ezechielis corrumpi falsa et adulterina expositione a magistro Hieronymo, dum cor carneum interpretatur intelligentiae capax. Longe enim plus exprimit propheta, Deum scilicet facturum ut obediat populus mandatis suis: non promittit certe mediam facultatem quae vulgo capacitas dicitur, sed simul operis effectum. Atque hoc sonant Pauli verba, quod Deus in nobis operatur et velle

---

1) *Sic in codd. neque opus est coniectura Simleri qui emendare vult:* debere.

2) certos *om.* V. C.

3) Amphibologiam esse in verbo attractionis. Est enim attractio violenta quam non recipit, est et attractio lenis et paterna, qua .... et generaliter omnibus eam communicat, nec aliquem deserit nisi eos qui eandem benignam attractionem spernunt et huic contradicunt. Nam tales post contumaciam et rebellionem, contra gratiam et frequentes Dei monitiones, deseruntur, sed non ab aeterno ex proposito aut decreto Dei.

1) percipere B. T.

2) Opus esse ad fidei receptionem quod Deus mutet in homine cor lapideum, h. e. obstinatum et obduratum in malo, et tribuat cor carneum, h. e. quod possit esse capax disciplinae: quam gratiam Deus omnibus largitur quemadmodum promiserat per prophetas.

et perficere. Attexit praeterea alterum errorem ac supposititium commentum magister Hieronymus, quod Deus hanc gratiam promiserit omnibus per prophetas: proprie siquidem ac nominatim veram Dei ecclesiam verumque populum compellant prophetae, sicuti facile patet ex 31. cap. Hieremiae et Esaiae 54. Quod et Christus sua interpretatione affirmat.

Quaesierunt ministri:

Annon Dominus, antequam discrimen conspiceret inter hos vel illos, aliis reiectis alios elegerit?

Respondit Hieronymus:[1])

Non esse tribuendam Deo rei unius praescientiam magis quam alterius, quia apud eum non sit praeteritum nec futurum, sed omnia praesentia. Deum ergo simul videre fidelium et impiorum discrimen cum illorum electione et horum reprobatione.

Excipiunt ministri:

Mirari se, quum magister Hieronymus garrit non esse prius aut posterius in Deo, distinctionem quam pueri in scholis discunt illi in mentem non venisse: quod prius aut posterius tempore non est, ordine tamen esse. Nam certe Deus casum hominis et totius posteritatis exitium prius ordine cognovit quam de adhibendo remedio statueret. Nihil ergo absurdi, si dicamus eum in salutem eligere quos visum est, non habito discriminis respectu. Quin etiam Paulus clare testatur, neminem ut aliis praecellat nisi a Deo discerni (1 Cor. 4, 7). Unde sequitur gratiam Dei, quae sola alios ab aliis discernit, omni discrimine superiorem esse.

Quaesierunt ministri:

Quod aliis praeteritis alii evangelium audiunt, annon id admirabili Dei consilio fiat, cuius prima causa nos latet?

Respondit Hieronymus:[2])

Se in admirabile illud et arcanum Dei consilium nolle ingredi: sufficere sibi simplex istud Dei verbum, quod quisquis crediderit in filium salvus erit, increduli autem peribunt, et quod miserit Deus filium suum in mundum ut omnes credant in eum. Altius autem quam scriptura nos ducat penetrare, nihil aliud esse quam tenebras offundere mentibus simplicium.

Excipiunt ministri:

Hieronymum hic vere tenebras offundere simplicibus et imperitis cum frivola sophistica. Quanquam neminem tam crassum ac rudem fore putant, qui non eius socordiam animadvertat. Negat verbum Dei ultra hanc sententiam progredi: Qui credit in filium, salvus erit. Contra obiiciunt ministri, fidem esse ex auditu (Rom. 10, 14) atque hanc esse credendi viam quum evangelium praedicatur. Nunc quando videmus Deum aliis evangelium suum offerre, alios privare tanto bono, nimiae impudentiae est, quasi oculis confossis prohibere ne quis rem per se conspicuam cernat. Quum Lucas (Act. 16, 6. 7) vetitum fuisse Paulum narrat ne in Asia verbum annunciaret, et a spiritu retentum esse ne pergeret in Bithyniam, hinc colligere promptum est, Deum pluere ubi illi placet, ut fidem concipiant hominum corda. Adeoque haec maligna est Satanae astutia, data opera velum opponere, ut gratia Dei, quae illustris erga eos apparet quibus evangelium praedicatur, in obscuro demersa lateat. Longe aliter Paulus, quum dicit (Act. 14, 16) passum fuisse Deum praeteritis saeculis gentes errare etc. Si respondeat magister Hieronymus, id esse factum quia praevidebat Deus inutilem fore doctrinam, reclamat Christi sententia: Vae tibi Chorozain, quia si virtutes quae in te factae sunt Sidone factae essent, pridem ad poenitentiam fuissent conversi etc. (Matth. 11, 21). In summa, nos ultra scripturae metas non egredimur, quum post Moysem et Davidem electam ex toto mundo fuisse dicimus unam gentem, cui Deus se patefaceret, quia illam gratuito amore prosequebatur (Deut. 4. 7. 9. 22. Psal. 146).

Quaesierunt ministri:

Quum evangelio praedicato alii credunt, alii manent increduli, annon id ex spiritus gratia pro-

1) Non esse affirmandum, Deum aliquid praescire ante aliud: in ipso enim non est pr. aut f. sed ipsi omnia sunt pr. Itaque dixit, Deum simul videre discrimen quod interest inter fideles atque infideles, horumque reprobationem atque illorum electionem.

2) Se nolle subrepere in consessum admirandi et occulti secreti Dei, satisque sibi esse si simpliciter adhaeserit verbo Dei dicentis: hos servandos qui crediderint in filium suum, et contra infideles perdendos; praeterea se misisse filium suum in mundum ut omnes crederent in ipsum. Itaque conclusit, scripturam non ducere nos altius, satisque fore si in hac doctrina perstiterimus nec ultra praetergrediamur, involvendo tenebris et laqueis mentes simplicium.

veniat, qui efficaciter omnes movet, qui ad salutem sunt praedestinati?

Respondit Hieronymus:[1])

Sibi non videri hos potius quam illos ad salutem praedestinatos esse. Caeterum credentes credere per gratiam efficacem. Quantum ad incredulos, gratiam Dei quae credere facit non esse illis efficacem quia eam pro dignitate non aestimant. Quod ergo non credunt, non Dei hoc fieri decreto sed eorum rebellione.

Excipiunt ministri:

Quod negat magister Hieronymus ullos ad salutem prae aliis ordinatos esse, id Pauli testimonio prorsus adversatur, quum docet misereri Deum cuius vult etc. (Rom. 9, 15), et ipsius Dei responso quod refertur a Moyse (Exod. 13, 15), item alteri Pauli sententiae, sanctos secundum Dei propositum vocatos esse (Rom. 8, 28). Quod postea attexit, credere per gratiam eos qui credunt, perplexum est et pravo cavillo involutum. Omnes enim quum natura increduli sint et malo addicti, nemo ad fidem venire potest nisi cuius cor Deus serio afficit. Quemadmodum Lucas recitat (Act. 16, 14) cor mulieris fuisse apertum ut Pauli doctrinae obediret. Item apertam fuisse mentem discipulis ut intelligerent scripturas (Luc. 24, 45). Similiter Christus pronunciat, venire ad se omnes qui a patre didicerunt (Ioann. 6, 45). Atqui palam est non omnes venire. Unde sequitur non omnes aequaliter spiritus gratia affici. Porro magistri Hieronymi consilium est, non aliam gratiae Dei efficaciam tribuere, nisi quam liberum hominis arbitrium illi dederit. Fatentur quidem, culpam penes reprobos haerere quod non credunt, et eorum contumaciae imputandam esse, non Dei decreto, idque assidue inculcant apud populum, sed hinc perperam colligitur, non destitui Dei spiritu qui increduli manent.

Quaesierunt ministri:

Annon ita operetur Deus in suis electis ut, praeterquam quod ad recipiendam gratiam idoneos reddit, simul etiam corda eorum formet ut re ipsa velint?

1) Se non capere quod Deus decreverit ex hominibus aliquos potius quam alios servare. Sed fatetur, eos qui credunt credere per gratiam efficacem, ... existimant. Itaque ex ipsorum culpa et contemptu contingit quod non credant, non ex Dei decreto.

Respondit Hieronymus:[1])

Deum esse qui cor carneum reddit et mentem dat capacem intelligendae salutis doctrinae, ipsamque illuminat et postea credere facit, et subinde progreditur dona sua et gratias augendo in electis suis, hoc est, in his qui perfecte credunt.

Excipiunt ministri:

Tergiversari Hieronymum, nec aliud quam nugas texere. Rogatus, an non electis suis Dominus, ultra facultatem, simul etiam voluntatem donet, respondet dari cor capax, quo significat, nihil ex se ipsa posse Dei gratiam, nisi quatenus libero hominum arbitrio redditur efficax, ac si Deus in aere pyrum suspensum teneret, sineret autem proprio quemque motu accurrere. Inde sequetur, gratiam Dei nil nisi merito nostro adiutam prodesse. Atqui Paulus contra testatur, non volentis esse, neque currentis, sed miserentis Dei (Rom. 9, 16).

Quaesierunt ministri:

Annon post ruinam Adae ita penitus nudati sint homines libero arbitrio, ut nihil quam malum facere possint donec reformentur?

Respondit Hieronymus:[2])

Hominem non fuisse libero arbitrio in totum spoliatum (factus enim esset brutum animal et ratione vacuum). Sed arbitrium eius mansit vulneratum et corruptum, ut saepe, et fere semper, bonum iudicaverit malum esse et malum bonum. Ideoque semper ad intelligendam et sequendam Dei legem opus habuisse Dei gratia, et ad credendum opus habuisse speciali gratia et attractione.

Excipiunt ministri:

Haec propria esse papistae verba, dum fatetur magister Hieronymus hominem Dei gratia opus

1) Ipsum Deum esse qui dat corda carnea ad intellectum capacem, ad audiendum verbum salutis: quique eundem intellectum illuminat ac docet, ac postquam docuit efficit ut credat et ita progreditur augendo sua dona et munera in electis, h. e. vere credentibus.

2) Hominem post lapsum non perdidisse omnino liberum arbitrium: nam fuisset velut brutum privatum ratione. Sed ipsius arbitrium fuit saucium et corruptum, ita ut saepe, imo vero semper, quod bonum erat iudicarit malum, et contra existimarit malum bonum: ob quam rem, ut intelligeret legem Dei, et ipsi pareret, indiguit semper gr. Dei, et ut crederet in Christum opus habuit gr. sp. et attractione.

habere, ac si per se aliqua ex parte ad bonum aspirare queat. Hoc enim modo liberum arbitrium spiritus sancti socium facit. Atqui scriptura pronunciat, figmentum omne cordis humani non nisi pravum esse (Gen. 8, 21). Item, omnes esse corruptos, alienatos a rectitudine, nec quemquam esse qui Deum requirat (Rom. 3, 11 sq.). Item, cor hominis ignorantia obtenebratum esse, ut omnes spiritualiter mortui sint: ne ad cogitandum quidem aliquid boni esse idoneos (Eph. 2, 1; 4, 18. 2 Cor. 3, 5). Item, omnes carnis cogitationes Deo esse inimicas (Rom. 8, 7). Quod hominem fore brutum animal causatur, nisi libero arbitrio sit instructus, potius cum Paulo quam nobiscum litiget. Nam ille hominem, quatenus in puris naturalibus respicitur, mancipium peccati esse affirmat (Rom. 7, 25). Litem etiam ipse [1]) Christo intentet, qui servos esse dicit quoscunque non liberaverit (Ioann. 8, 34 sq.).

Quaesierunt ministri:

Annon talis reformatio Dei sit peculiare donum, quo eos dignatur qui prius corda lapidea habebant, nihil bonae praeparationis in ipsis reperiens?

Respondit Hieronymus: [2])

Quos Deus per Christum reformavit, eos speciali gratia reformatos esse, et datum illis cor carneum, corde lapideo ablato, idque citra meritum ipsorum, sed gratuito beneficio Dei.

Excipiunt ministri:

Non sincerum nec solidum esse Hieronymi responsum, sed eum suo more latebras et subterfugia quaerere, sub quibus suum de libero arbitrio errorem occultet. Neque enim respondet, an peculiarem Deus gratiam quibusdam conferat, qua alios non dignatur, quo tempore par et aequalis in omnibus est cordis durities.

Quaesierunt ministri:

Quum scriptura docet, nos fide salutem consequi, annon fidem hanc nobis donari credat quia nos dilexit Deus, quo tempore eius inimici eramus, nihil praeter irae materiam in nobis cernens?

Respondit Hieronymus: [1])

Deum nobis fidem dedisse quia nos amabat priusquam a nobis amatus fuerit: neque enim quidquam in nobis reperiebat amore suo dignum. Sed hic amor fuit ex paterna misericordia.

Excipiunt ministri:

Hieronymum non ingenue respondere ad quaestionem propositam, quae huc spectabat, quod gratuitus Dei amor, quo nos amplexus sibi in filios adoptavit, fidei nostrae causa sit et origo. Ab hoc scopo astute declinat. Interea dissidet ipse secum: prius enim responderat, neminem diligi a Deo, nisi qui fidem in Christum habet. Nunc fatetur nos dilectos fuisse quo tempore inimici eramus. Atque hinc sequitur, quod prius negavit, in gradibus salutis nostrae et electionis ordine esse prius ac posterius in Deo. Nam priusquam nos vocaret, dilexit tanquam suas creaturas in Adam perditas et exitio addictas: postquam autem vocavit, diligit tanquam Christi membra et novas creaturas, ad imaginem suam de integro conditas. [2])

Superioribus addidit Hieronymus:

Salutis eorum qui salvi fiunt, et damnationis eorum qui pereunt, causam necessariam non esse Dei voluntatem, nec decretum immutabile. Zuinglium in l. de Providentia scripsisse, hominem a Deo non tantum adduci ad peccandum, et incitari, sed etiam cogi. Quod falsum est atque absurdum. Modestius Calvinum de ea re scripsisse et absque tam duris paradoxis, immutabili aeternoque Dei decreto necessitari hominem ad peccandum, sed hanc quoque sententiam se damnare. [3])

---

1) ipsi?

2) Eos fuisse per gratiam specialem reformatos, quos Deus per I. C. restauravit, et in ipsis posita fuisse corda carnea lapideis ablatis, dono Dei gratuito, absque praecedentibus meritis quibuscunque.

1) Deum dedisse nobis fidem ob amorem quo nos prosequebatur antequam nos ipsum diligeremus. Nam nihil in nobis dignum reperit ob quod ab ipso diligeremur et haec Dei dilectio procedebat ex sola ipsius misericordia paterna.

2) *Hic subsistit apographon V. C. Quae sequuntur exstant in caeteris codd. et spec. in Archivis Genev. l. c. Pièces détachées N. 7 quod est autographon Calvini.*

3) *Haec Bolseci declaratio in alia quoque scheda separatim exstat in Actis (Pièces détachées N. 15) paulo aliter concinnata et sine exceptione ministrorum. Quam ne quid desit h. l. subiicimus:* Praeter ea quae iam dicta sunt respondet, salutis nimirum eorum qui salvantur et damnationis eorum qui pereunt causam necessariam non esse divinam voluntatem neque decretum eius immutabile. Zwinglius in l. de Providentia divina scripsit, Deum non solum velle incitare et inducere hominem ad peccandum, verum etiam cogere ad pecca-

Excipiunt ministri:

Si in hoc tantum insistit Hieronymus, ut videri nunc vult, non esse Deum peccati autorem, nihil fuisse causae cur huic ecclesiae molestus esset, in qua hoc doctrinae caput quotidie summa fide et perspicuitate docetur. Quin etiam librum a Calvino esse compositum ubi ex professo hoc argumentum tractatur. [1])

Quod Zuinglium tam absurdi dogmatis insimulat, tametsi nunc operis perlegendi non fuit tempus, sibi tamen minime dubium esse quin fideli et cordato Christi servo indignam calumniam inurat. Nam ut cursim libellum evolvere nunc licuit, se comperisse plus decies paucis paginis diserte exprimi, nihil minus in Deum competere quam iniquitatem. Quod si coactus fuerit Hieronymus locum digito monstrare, eius malitiam et inscitiam pariter deprehensum iri. Caeterum iniquum esse ut in hac ecclesia tumultuetur, si quid ab aliis scriptum displiceat. Posse enim Tiguri, si libuerit, has controversias agitare.

Calvinum quidem iniuste gravari, quasi hominem cogi docuerit ad peccandum. Primo necessitandi verbum, quod monachale est, nusquam haberi in eius scriptis. Deinde semper abhorruisse a voce peccati, ubi de providentia Dei agitur. Sic quidem alicubi cum Augustino loquutum esse: Dei voluntatem, ut prima est rerum omnium causa, simul esse necessitatem. Verum disertis verbis accurate exprimere, tanta aequitate et iustitia Deum moderari quidquid agit, ut fateri sceleratissimus quisque cogatur, nulla eum culpae macula posse aspergi. Nec eius consilium tyrannicum esse, cui libido pro ratione sit, sed potius unicam omnis iustitiae et rectitudinis normam esse. Ad haec neminem ad bene agendum aut male cogi, sed recte agere fideles voluntario affectu, quem in eorum cordibus spiritus Dei formavit. Impios et reprobos quidem vitiosa naturae propensione, sed non minus spontaneo affectu, peccare. Ita Hieronymum modis omnibus improbum esse calumniatorem.

Caeterum magnificum Senatum admonitum volunt, ab hoc impostore latebras captari, quia interim crassos errores in medium a se productos oblivione sepelit, quod non ideo salutem consequamur quia simus electi a Deo, quod electio fidem ordine non praecedat, quod nemo ob peccati originalis reatum damnetur, quod Deus tantum cor docile et capax reddat, homines ex se ipsis eius gratiae obsequantur, quod homines libero arbitrio privati non sint, quod aequalis omnibus et par offeratur gratia, se autem discernant quotquot ex se ipsis recte affecti fuerint. Non minus etiam impudenter quam astute eum agere quum oblivione sepelit quas tam petulanter evomuit blasphemias, nos Caianorum haeresin sectari, nos impiis Iudaeis similes esse, qui suam desperationem prophetae obiectabant. [1]) Et eius farinae innumera.

---

tum. Quae sententia falsa est et eam falsam esse vincam. D. Io. Calvinus in sua Institutione modestius de ea re scripsit ac sine tantis paradoxis: voluntatem divinam et decretum illud aeternum necessario quidem, at sine vi tamen cogere homines ad peccandum. Quam doctrinam ut falsam idem Hieronymus damnat.

1) *Quem librum hic intelligat ipse declarat in literis mense Ianuario* 1552 *ad Bullingerum datis, de quibus vide Prolegg. nostra huic volumini praemissa Cap.* XXXII.

1) obtrectabant B. T.

XL.

Arrêté du Conseil d'état.

(Registre des procès-verbaux Vol. 46 Fol. 95. Séance du 16 novembre.)

Icy est parlé de celluy Hieronyme Bolset detenu et iouxte les precedens arrest de collationner ce qui est esté mys de francois en latin tant par M. Calvin que ledict Hieronime soyent collationnés et soyent appellés pour cela faire maistre Loys Beljaquet maistre Fran. Chappuys medecin et ceulx quil semblera es seigneurs sind. entendantz latin et quilz collationnent.

C'est à cette affaire de la traduction des pièces que paraît se rattacher une note évidemment incomplète que nous trouvons sur une feuille volante parmi les Pièces détachées du dossier (N. 6) et que nous plaçons ici pour ne rien omettre de ce qui est joint aux Actes.

il nestoit point besoing de mettre les articles et interrogations et responses ne toute la procedure faite devant M. le lieutenant dautant quil nest expedient denvoyer cela aux eglises afin quelles ne soyent empeschees de respondre ains quelles sachent surquoy elles doivent respondre.

Item le principal nest pas traduit par maistre Hierosme asavoir les interrogations faites par luy aux ministres et les responses desdits ministres.

Item lesdits ministres accordent ce que ledit maistre Hierosme a traduit excepté deux articles qui sont marquez dune croix bourguignotte.

XLI.

Arrêtés du Conseil d'état.

(Ibid. Fol. 96. Séance du 19 novembre.)

Icy est parlé dudict Hieronime Boset et de envoyer ses propos en conseil et est advisé que auiourduys apres disné lon se assemble et advisé de assembler M. Calvin et ledict Hieronime pour scavoir qui sera mectable en conseil.

(Même jour après diner Fol. 96 v.)

Le Conseil est esté assemblé pour laffaire de Hieronime Bolset et esté appellé M. Calvin et estant aoys est esté arresté que lon escripve tant seulement pour envoyer en conseil ce qui concerne la doctrine et non aultre commencant à la 2 page du tiers feuillet quest 3 iusques à 17 inclusivement. [1])

XLII.

Lettre du magistrat de Genève aux ministres de l'Eglise de Zurich.

(L'original existe aux Archives de Zurich. Tablette VI, Vol. 105, anciennement B. I., Fol. 491. Nous n'en avons pas trouvé de copie à Genève. Des lettres pareilles ont dû être adressées à Bâle et à Berne, mais elles ne paraissent pas avoir été conservées aux archives ecclésiastiques de ces villes.)

Spectables scavans et honnorés seigneurs, nous nous recommandons de bien bon cueur à vostre bonne grace.

1) *Nous supposons que cela veut dire* question 3 à 17 *et se rapporte au document N.* III. *ci-dessus.*

Spectables seigneurs. Ny a guere quest icy venu ung homme qui se dict de Parys quel devans nostre esglise a proposé plusieurs propos de la doctrine evangellicque sus lesquelz il ne sest volu contenter des remonstrances luy sont estees faictes par noz ministres par la saincte escripture. Dont iceulx hont desirés que fissions cela veoir pour provoistre à lobstination dudict homme: pourquoy avons redigé par escript le faict et toutesfoys sans nous deffier de noz ministres mais sachans bien que comment eulx vostre total propos et affection est de laborer quen lesglise ne demeure chose que ne soit la pure et saincte doctrine de Dieu le vous avons envoyé pour vous prier de nous en escripre vostre bon advys pour sus icelluy encore remonstrer audict homme pour le remettre en unité de doctrine ou luy remonstrer sa faulte et pour ce vous prians de cela au plusbriefz que sera possible nous donner response et lattendans nous prierons Dieu quil luy plaise en augmentation de sa saincte esglise vous conserver et garder en felicité. De Geneve le vingt et ung de novembre mille cinq cens cinquante et ung.

Les Sindicques et conseil de Geneve tous prestz à vous faire plaisir et service.

Aux spectables scavans et honnorés Seigneurs les seigneurs maistre Henry Bulingere et aultres ministres de lesglise de Zurich noz bons et singuliers amys
à Zurich.

XLIII.

Lettre du Sr. de Falais au Sénat de Berne.

(Archives de Zurich. Tablette VI, Vol. 105, anciennement B. I, Fol. 502. Copié dans Simler, Vol. 76. La pièce ne porte pas de signature. Au dos on lit: Pour M. de Phalex.)

Groszmechtigen insonders g. Herren.

Es ist kurtzlich hievor von Evangelischer warheytt vnd ruw wegen siner Conscientz ein gelerter Man vsz Franckrych kommen der hatt sich vergangner Tagen in die gmeyne versamlung der gelerten zu Jonff vnnd predicanten daselbst verfügt vnd alda mitt jnen sich in gœttlicher gschrifftt jnsonders des Artickels der fürsehung gottes

ersprachett, jnmaszen das herr Calvin vnd ander, so disen artickel im truck gehandlett vnd in iren bücheren oder sunst täglichen predigen, ettwas andrer gstaltt fürtragenn, sich syner meynung zu höher beschwärung angenommen den handel dahin brachtt das er gfäncklich ingelegt doch von einer Ersammen Oberckeitt villicht widerumb geledigett worden were, dann das sy derselbenn die sach dermaszen schwär vnd grosz inbylden das der gutt man in groszer gefaar sins läbens statt. Diewyl er dann sunst ein geleerter Christenlicher man vnd vmm den herren von Phalex vr. gn. demütigen hindersäszen gantz wol verdient, So hatt ouch gemelter von Phalex in diser siner gfarlichen nott demm guten man gern wellen danckbaren willen erzeygen vnd als er söllichs für sich selbs nitt wol vermœgen disen sinen diener harusz für vr. gd. geschickt von derselben ein früntlich schryben an ein Ersammen Rhadt der Statt Jenff zeerlangen darinn der selb gebetten werde mitt dem gfangnen jnsonders von eines hochwychtigen vnd je wälten har strittigen Artickels wägen der geschryfftt nitt zeylen, noch der widersächeren ansähen zu vil zugegeben sunders die Sach imm besten vff zeheben vnd jnne gnedigklich zebedäncken, damitt vnsere widerwertigen nitt sagen mœgind das wir selbs einanderen mitt fhür vnnd brandt in gloubens sachen durchächtind: hiemit wirt der arm gefangen dester geneigter syn Gott denn herren für vr. gd. zebitten.

XLIV.

Complainte de Bolsec.

(Ce morceau de poésie composé par Bolsec pendant sa longue captivité, probablement vers la seconde moitié de novembre, quand l'instruction fut suspendue pour attendre les consultations des ministres étrangers, est devenu l'objet d'une enquête spéciale de la part du Conseil et ne peut pas être distrait des Actes. On le trouve au dossier du procès, Cahier relié Fol. 33 et Pièces détachées N. 12. Cette dernière est la minute même de l'auteur, dont nous donnons les variantes en marge; la copie nette porte le titre: Complainte de Hierome Bolsec en prison en Geneve sur le chant du psalme: Mon Dieu me paist soubz sa puissance haulte. *C'est le Ps. 23 d'après la version de Cl. Marot. Il en existe une copie aux Archives de Berne Epp. T. VI. p. 1329, sur laquelle a été faite celle de Simler Vol. 76 et celle de Henry, imprimée dans sa Vie de Calvin T. III. App. p. 15. Voyez aussi Fazy p. 42.)*

Mon Dieu, mon roy, ma force et ma fiance
Mon seul appuy et ma seule esperance
Vers moy ton serf qui reclame ta grace
Tourne tes yeulx: et monstre moy ta face.
Charité dort et cruaulté m'assiege
Pour me tirer en ses filletz et piege.

En prison suys comme meurdrier inique
Comme meschant qui à tout mal s'applique.
Privé de biens et d'amys [1]) ie demeure.
On va criant, [2]) tolle! tolle! quil meure!
Et toutesfoys [3]) cest pour verité seule
Que contre moy ilz ont si rude gueule.

Ilz vont criant: ce seducteur machine
Getter en bas nostre saincte doctrine
Il veult troubler et conciter la ville
Il veult gaster la paix de l'evangille.
Tolle tolle que faictes vous iustice!
Crucifige faictes en sacrifice.

Cest apostat ce perilleux belitre
Veult relever le liberal arbitre
C'est ung meschant voire pire qu'un diable
Crucifige ce loup tant detestable.
Or mettez fin à vostre fureur folle
Predicateurs de la saincte parolle.

Chrestiens sont ilz devenuz tyranniques? [4])
Chrestiens ont-ilz zeles pharisaiques?
Chrestiens ont-ilz perdu [5]) leurs meurs si belles?
Brebiz de christ [6]) sont elles si cruelles?
O durs assaulx, o mortelles allarmes
Qui font mon cueur tout consumer [7]) en larmes.

En mes travaulx lentendement ie leve [8])
Considerant que ie suis en Geneve
Qui ha chassé les abuseurs papistes
Sorboniqueurs et telz aultres sophistes
Et toutesfoys pour la parolle pure
De Iesuchrist [9]) en Geneve i'endure.

1) *Minute:* Privé de tous mes amys.
2) *M.* Tous vont criantz.
3) *M.* Et neantmoins.
4) *M.* cruelz et tyranniques.
5) *M.* changé.
6) *M.* Et les brebis.
7) *M.* convertir.
8) s'esleve B. S. H.
9) *M.* Dire et tenir.

Amy C ......[1]) respons est il licite
Dire que dieu veult, induict, necessite
L'homme à pecher? comment se peult-il faire
Veü que peché luy est si fort contraire?
Et puis David les iniques menasse
Car Dieu ne veult que le peché se fasse.

Dieu tout puissant tant soit fort et robuste
Ne peult vouloir chose qui ne soit iuste.[2])
Iniquité ne peult vouloir iustice
Ne la virtu[3]) peult desirer le vice.
En Dieu ne sont deux contraires ensemble
Car Dieu tousiours à soy mesmes ressemble.

Qu'est il besoing que tant on se travaille
Pour recouvrir le forment[4]) soubz la paille.
Opinions ne sont que zizanie
Ce sont abuz: pource ie les renie
Et sil convient voire laisser ce monde
I'en suis tout prest:[5]) mais que de foy i'abonde.

Sus donc[6]) mon cueur, reprens vigueur et force
Chasse douleurs et de chanter t'efforce.
Louange à Dieu qui pour ton salut veille
Il est pour toy quelque mal qu'on te vueille;
Chasse les pleurs, gette douleur amere,
Pour louer Dieu, pour invoquer ton pere.

XLV.

Arrêté du Conseil d'état.

(Registre des procès-verbaux Vol. 46, Fol. 104 v. Séance du 30 novembre.)

Icy est esté faicte lecture de la chanson de Hieronime Bolset. Et pource quil dict en icelle et parle de cruaulté et tyrannie: Est arresté que lon luy en face des articles et quil en responde.

1) *Une main plus récente a mis ici:* restien, *et en effet toutes les autres copies portent:* Chrestien. *Mais pourquoi l'auteur aurait-il supprimé ce mot ici après l'avoir écrit plus haut? Ce C. ne peut signifier que* Calvin.
2) *M.* Vouloir ne peult sinon chose tresiuste.
3) *M.* vertu.
4) froment B. S. H.
5) *M.* Et sil fauldra habandonner le monde, Il ne men chault:
6) *M.* Or sus.

XLVI.

Interrogatoire. Le dernier de novembre 1551. — 4or. no^les^ Sindici. Vand. et Chabod pour lieutenant. Le saultier. Corna. Curtet. Iesse. Verna. Letra. Donzel. Pernet. Pensabin.

(Procès de Bolsec. Cahier relié Fol. 26. Imprimé dans Fazy p. 44.)

Hyeronyme Bolset. Estant iuré et interrogué sus la chanson à luy demonstree il a respondu l'havoir composee et plustost par affection que aultrement comment le plussovant font prisonniers.

Interrogé de quil entendt la cruaulté au premier copplet contenue. Respondt quil entendt des ministres qui tant crient contre luy et qui disent et crient que lon le tue et que lon le face morir.

Interrogé sus le second couplet de ces parolles Tolle etc. Respondt que cest une allusion quil prent comment membre de crist des motz de la passion pour ce que les ministres crient contre luy.

Interrogé sur le tiert copplet sus ce crucifige et que faicts vous iustice etc. Respondt que cest pour ce que lon luy a raporté que M. Calvin a presché que lon le debvoit faire morir.

Sus le quatriesme copplet interrogé il dict que le predicateur de messerier luy dict que M. Calvin disoit quil estoit pys que dyable.

Sus le cinquiesme copplet interrogé Respond que celluy copplet il le addresse admirativement aux crestiens.

Sus le sixiesme Respondt quil nextime pas que la seignorie saiche quil aye bonne raison et ce pendant il est detenu et tra .....[1]) pour la parolle de Dieu quil veult soubstenir.

Sus le septieme Respond quil la escript tousiours comment des aultres.

Sus le huytiesme Respondt quil la escript et les aultres.

Puys a confessé quil en avoit bien escript des aultres mais quand il a veu quil desplaisoit à la seigneurie il a tout rompu.

Et a confessé quil en a baillé un doble au seig. Phillibert Bonna ung aultre au seigneur de Fallaix.

Plus oultre nest esté interrogé mais remys au bon plaisir de la seigneurie.

1) *mot illisible.*

XLVII.

Réponse des ministres de Zurich à ceux de Genève.

(La minute autographe de la main de Bullinger se trouve aux Archives de Zurich, Tablette VI, Vol. 105, anciennement B. I., Fol. 498. Des copies se trouvent à Genève, Bibliothèque Cod. 111 a., Fol. 239, à Berne, Archives Epp. VI, p. 195, à la Bibliothèque des pasteurs à Neuchatel, dans le Registre de la Vénérable Compagnie, Vol. A, page 169, enfin dans le 76. volume de la collection de Simler. Le texte a été imprimé par Alph. Turretin, Nubes testium p. 102, Hottinger hist. eccl. VIII, 755 suiv. Mais ces éditions sont en partie incomplètes et inexactes.)

Clarissimis viris et fidelibus ecclesiae Christi apud Genevenses pastoribus doctoribus et ministris symmystis colendissimis et fratribus carissimis S.

Magno cum dolore audivimus ecclesiam, cui vos, fratres dilecti, benignus Dominus servire voluit, esse turbatam. Agnoscimus enim et praedicamus eximia illa dona quae vestrae ecclesiae ac vobis contulit munificus Dominus. Sicut enim asylum est fidelium saeva tyrannide patriis eiectorum sedibus, ita veritatis praedicatio, quae Christi est praeconium, ex ipsa in vicinos populos adeoque totam in Galliam pervenit. Dolet hoc Satanae hosti sincerae veritatis et gloriae Christi. Fremit ergo et vestram ecclesiam turbare et dissipare contendit. Imo nullo unquam tempore a restaurata evangelii doctrina saevius petiti sumus ab Antichristo et huius capite, tenebrarum principe diabolo, quam hoc ipso tempore quo experimur ipsum in nos non modo potentissimos principes per pseudoepiscopos et prophetas armare, sed falsos etiam inter nos excitare fratres, excitare rixas et altercationes, excitare denique Epicureos innumeros et furorem vulgi. Atque ea quidem huc tendunt et conspirant omnia ut ministerium nostrum elevetur tollaturque et turbentur dissipenturque ecclesiae Christi, superetque rursus mendacium, impostura et antichristianismus. Proinde si unquam tempestivum fuit vigilare, nunc maxime vigilandum et orandum esse videtur, ac nobis quidem qui destituti superna gratia et protectione aeterni Dei quovis momento [1]) facilius dissipari poterimus. Ac in praesenti causa Hieronymiana videtur adhuc vobis conandum modis omnibus si forte mutuum [1]) rectius intelligatis et reconciliatione coalescatis in Domino. Videtur vobis Hieronymus causam suam egisse immodestius. Caeterum in vobis quoque, fratres, modestiam desideramus, qui videmini in scriptis illis vestris ad nos datis admodum esse acerbi. Meminisse semper oportebat illius propheticae et evangelicae de Christo Domino nostro editae sententiae: non contendet, neque clamabit, neque audiet quisquam in plateis vocem eius: arundinem comminutam non confringet et linum fumigans non exstinguet donec eiiciat ad victoriam iudicium. Quanquam interim non diffiteamur cum incurabilibus ac pervicacibus gravius esse agendum. Quibus tamen vincula captivi hominis nobis incogniti constringere nolumus, ut qui non sumus eius iudices constituti. Quod autem genus doctrinae attinet, in quo dissidetis, nihil opus erat nostram postulare sententiam de electione et reprobis, de fide et viribus humanis: quum eam, qualis sit, ignorare non possitis, vel ex ultima consensione nostra, in qua totum hoc negotium comprehendi arbitramur. Quoniam vero alii aliter nostra interpretantur ac viri boni apud vos nostram paucis comprehensam iam nunc rursus audire sententiam desiderant: unde ipsi forte remotis vestris et nostris personis iudicare possint de consensione vel dissensione doctrinae, paucula haec expendenda piis proponimus.

Principio constituimus electionem, qua Deus ab aeterno immeritos et peccatores elegit, ac in Christo complectitur, per quem omnia vitae et salutis habemus,[2]) omnino esse gratuitam, ac omnem hominis salutem (quod fidei fundamentum est) gratuitae Dei misericordiae esse transscribendam, iuxta illud apostoli: Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Et iterum: Elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi, ut essemus sancti et irreprehensibiles coram illo per caritatem: qui praedestinavit nos ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese iuxta beneplacitum voluntatis suae, ut laudetur gloria gratiae suae, qua caros reddidit nos per dilectum.

Deinde docemus, fidem, qua Christum complectimur, nullis impetrari nostris meritis, sed mera Dei gratia per spiritum et verbum donari, eademque Dei gratia eandem fidem in nobis augeri et conservari, iuxta illud apostoli: Vobis donatum est pro Christo, non solum ut in eum credatis, verum etiam ut pro illo patiamini. Alibi enim orant apostoli: Domine, adauge nobis fidem. Unde et libenter illud Augustini de Praedestinatione sanctorum cap. 3

1) *De hac voce ambigimus. Neoc. V. C. et Gen.* 111 *a. legerunt:* ramento.

1) *Sic apographa exhibent vocem in archetypo lectu difficillimam et omnino dubiam.*

2) omnia habemus quae sunt vitae et salutis *Neoc.*

agnoscimus, fidem gratia praeveniri. Hinc nondum renatis hominum viribus nihil tribuimus nisi corruptionem, peccatum voluntarium, culpam ac poenam: at renatis spiritu Dei voluntariam et bonam operationem tribuimus, iuxta illud apostoli: Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. Item: Non idonei sumus ex nobis ipsis cogitare quidquam tanquam ex nobis ipsis: sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Idem enim alibi dicit: Deus est qui agit in vobis, et ut velitis et ut efficiatis pro bono animi proposito. Nam et in evangelio legitur: Si vos filius liberaverit vere liberi eritis. Nam ubi spiritus Domini, ibi libertas. Ubi tamen nihilominus agnoscimus carnis remanere reliquias, ut, iuxta apostoli verbum, quod non volumus faciamus: ideoque illi nosmetipsi mente serviamus legi Dei, carne vero legi peccati: ut per totam vitam etiam regenitorum gratia quod agat inveniat. Id enim David sentiens dixit: Ne intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Porro quod reprobi verbo Dei non credunt sed impie contra Deum vivunt, id quidem ipsis imputari debet, non Deo, qui quos damnat, iusto et merito damnat. Sed et peccatum non in Deo sed in homine haeret. Deus enim, immaculata via eius: et Deus iniquitatem non volens ipse est. Iustus est in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis.

Postremo non tollimus ordinem ex salutis negotio: non reiicimus aut commiscemus causas vel propinquas vel remotas. Confitemur Deum Iobo citra culpam suam intulisse manum. Confitemur illum opera usum esse Satanae et militum satanicorum, qui tamen culpa minime liberandi sunt, quum oculus ipsorum fuerit pravus. Sed et ipse Iob testimonium nobis ferens: Dominus, inquit, dedit, Dominus abstulit. Non autem: Dominus dedit, ait, diabolus abstulit.

Haec est sententia nostra paucis comprehensa his literis et in scriptis nostris exposita fusius: ex qua qui volent, sepositis personis, seposito favore aut odio, facile de consensione aut dissensione nostra iudicabunt. Amamus vos, fratres, amamus ecclesiam vestram, ac Dominum ex animo oramus, ut turbas omnes feliciter clemens et benignus consopiat. Orate pro nobis Dominum. Vivite et valete, domini et fratres in Christo colendi et dilecti. Tiguri 27 Novemb. anno 1551.

Pastores doctoresque ministri ecclesiae Tigurinae. [1])

---

1) *Nomina subscribentium in nullo exemplari nobis cognito legimus.*

XLVIII.

Réponse des ministres de Zurich au Sénat de Genève.

(Cette pièce se trouve en minute autographe de la main de Bullinger aux Archives de Zurich, à la suite de la précédente Fol. 500. Une copie authentique est insérée aux Actes du procès, Cahier relié Fol. 38 et une traduction française ibid. Fol. 49. Trois copies de l'original latin, de diverses mains, se trouvent aux Archives de Berne Epp. VI, page 163, 183 et 1333. Il y en a une autre dans le 76. volume de Simler. Le texte se lit dans les ouvrages nommés à l'occasion du document N. XLVII et plus complet dans Henry T. III App. p. 20. Fazy p. 47.)

Piissimi et clarissimi viri, domini colendissimi. Salutem et augmentum donorum Dei imprecamur vestrae pietati per Iesum Christum Dominum nostrum.

Legimus literas excellentiae vestrae, viri amplissimi, ac parati sumus fideliter ac animo lubenti inservire et ecclesiae et pietati vestrae. Intelleximus autem ante dies aliquot controverti de quibusdam articulis in ecclesia vestra, sed et sententiam super his nostram desiderari. Hanc ergo qua potuimus brevitate complexi sumus, facientes quod pro gratia nobis a Domino Deo nostro concessa potuimus. Non ignorant excellentiae vestrae, dudum conscriptam et editam esse inter vestrae ecclesiae ministros, fratres nostros carissimos, et inter nos consensionem in re sacramentaria: in qua mox ab initio tantum etiam huius negotii comprehendimus, quantum piis sufficere arbitrabamur. Neque aliter unquam in nostrae fidei commissis ecclesiis docuimus, neque hodie diversum ab iis quidquam tradimus. Constituimus enim electionem, qua Deus peccatores et nihil boni meritos in Christo elegit, omnino esse gratuitam, iuxta illud apostoli: Non est volentis neque currentis, sed miserentis Dei. Item: Elegit nos in ipso antequam iacerentur fundamenta mundi, ac praedestinavit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, iuxta beneplacitum voluntatis suae, ut laudetur gloria gratiae suae. Deinde docemus, fidem, per quam Christi efficimur participes, merum esse Dei donum, utpote quam donat ipse pater coelestis, ne quis coram Deo glorietur, sui filii dilectissimi respectu, ita ut initium et progressus, breviter omnia fidei, sint divinae gratiae munera. Caeterum viribus nondum renati hominis nihil attribuimus nisi corruptionem, culpam et poenam. Renovatis vero spiritu Dei hominibus, propter spiritum guber-

nantem, tribuimus voluntariam et bonam operationem: ita tamen, ut in reliquiis carnis nostrae, donec in hoc saeculo vivimus, semper inveniat gratia quod operetur ac diluat, iuxta illud apostoli: Idem ego mente servio quidem legi dei, carne vero legi peccati. Item: Non sumus idonei ex nobis ipsis cogitare aliquid, tanquam ex nobis ipsis, sed omnis idoneitas nostra ex Deo est. Et iterum: Deus est, qui operatur in nobis velle et perficere, pro bona sua voluntate. Porro quod reprobi verbo Dei non credunt, sed impie contra Deum et verbum eius vivunt: id quidem ipsis, non Deo, imputari debet. Deus enim, immaculata via eius, qui iniquitatem non vult, sed iustus est in omnibus viis suis, et sanctus in omnibus operibus suis. Ergo qui pereunt homines, sua culpa propria pereunt. Cuius quidem generis non disparia ante biduum scripsimus fratribus nostris, ecclesiae vestrae ministris.

Errat Hieronymus, nec recte beatae memoriae Zuinglii, doctoris ecclesiae nostrae fidelis, sensum et mentem intellexit: si putat illum docuisse, hominem necessitate adactum, adeoque a Deo compulsum, peccare. Ut enim huius aliquid fere colligi posse videatur libro eius de providentia Dei, alii tamen eius libri etiam consulendi sunt, quos ante et post illum edidit: in quibus diserte culpam peccati non derivat in Deum, sed ex humana corruptione et affectu ultroneo. Vivimus adhuc multi, qui ipsum audivimus concionantem, ac scimus illum semper religiose de hoc negotio fuisse loquutum.

Haec paucula vestrae excellentiae respondere et quid nobis videatur recolligere voluimus, obsecrantes pietatem vestram, ut hoc officium nostrum boni consulatis, ac perpetuis precibus augmentum donorum Dei a Deo patre per Christum Iesum postuletis: quo liceat nobis inculpate coram illo ambulare per gratiam eius, ac tandem promissam vitam consequi. Gratia Domini nostri Iesu Christi sit vobiscum. Tiguri prima Decembris Anno 1551.

Vestrae excellentiae dediti
Pastores et doctores ministri
ecclesiae Tigurinae.

Piissimis ac clarissimis viris
D. Coss. et amplissimo senatui
reip. Genevensis dominis suis
colendis.[1])

1) *Haec inscriptio manu Bullingeri addita est exemplari Genevensi.*

XLIX.

Lettre du Magistrat de Zurich à celui de Genève.

*(Procès de Bolsec. Pièces détachées N. 18. * Une traduction française ibid. N. 19. — Imprimé dans Fazy p. 74.)*

Den edlenn vestenn fürsichtigenn unnd wysenn Burgermeyster vnnd Rath Der Statt Genff vnnsern besunders Lieben vnnd gutenn fründen.

Vnnser früntlich willig diennst, Sampt was wir Eurenn Liebs vnnd guts vermogent, zuvor, Edle vest fürsichtig wysz Besonnders Liebenn vnnd gutenn fründ Wir habennt üwer schrybenn, belanngend den Spann vnnd widerwertigkeyt darinn sich ein person gegen vwern gelerten vnnd verwanndten der Cristenlichen Religion inlasst vnnd hinderstellig zvmachenn vermeint verstannden. Vnnd Daruf vnnsern gelerten nach vwerm begerenn, sich der hanndlung zu erinnern vnnd irer meinung zu enntschliessenn Beuolchen, welliches sy gethan, vnnd irenn Enntschluss darvber inn geschrifft gestelt, Den wir vch hienebennt vberanntwurten Lassen, vnnd des erpiettens sind vch inn semlichem, vnnd allem dem, Das zu furderung vnnd ofnung der Eer Gottes vnnd der Christenlichenn Religion diennet, zv willfarenn vnnd fürstuenndig zv sin guttwillig vnnd geneigt sin wellen. Datum Zinstags den Ersten tag Wolffmonats Anno m. d. lj.

Burgermeyster vnnd Rath Der Statt Zürich.

L.

Réponse des Ministres de Bâle à ceux de Genève.

(Procès de Bolsec. Cahier relié Fol. 37. Traduction française ibid. Fol. 47. Des copies se trouvent dans le Registre de la Vénérable Compagnie Vol. A. p. 165, dans les Archives de Berne Epp. VI p. 179, à la bibliothèque de la ville de Zurich MSS. F. 58 p. 806 et dans la Collection de Simler Vol. 76. Voyez aussi

Turretin l. c. L'auteur de cette pièce est Myconius dont on reconnait la main dans l'exemplaire de la Vén. Compagnie. — Fazy p. 45.)

Viris excellentissimis ac doctissimis servis Christi Genevensis ecclesiae pastoribus fratribus et symmystis in Domino venerandis suis.

S. Accepimus literas magistratus vestri, [1]) fratres in Domino venerandi, legimus et expendimus, pro temporis ratione satis. Doluimus autem, quod Satan in ecclesias pias zizania subinde spargit indefessus, et concordiam tentat perturbare magno cum periculo gloriae Dei: nec non et aliis ecclesiis notam inurere valde cum iniuria. Indicare videtur ea res ingeniorum sic agentium extremam pravitatem. Hic dolor suasit itaque, ut paucis ad illas [2]) responderemus: pluribus enim non opus visum est, ne verborum nimietate apud aliquos nos redderemus suspectos.

Hieronymus ille nobis est ignotus, et nos nimirum ipsi ignoti sumus. Persuasi igitur et doctrinam nostram non magis notam. Improbe ergo nos vocat in consortium erroris sui ac mendaciter. Edidimus iam olim confessionem fidei nostrae: et ea hactenus fuit inculpata.

Sicut igitur in illa omnia tractamus simplicissime: ita et de electione, ubi locus est, agimus orthodoxe. Libet ea de re vel verbo dicere sententiam nostram. Elegit Deus nos in Christo Iesu ante constitutionem mundi: Ephe. 1. Mittit verbum evangelii, quod est de Christo filio Dei vivi: qui hunc fide recipit servatur, qui non recipit condemnatur. Marc. ult. Verbum illud mittitur per mundum universum: vult enim Deus omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire: 1 Timo. 2. Communis est Deus omnium: communis est Christus servator omnium.

Caeterum non omnes credunt, qui audiunt. Non trahit omnes pater. Christus enim ait Io. 6: Nemo potest venire ad me, nisi pater qui misit me traxerit eum: scriptum est enim in prophetis: Et erunt omnes docti a Deo. Quos igitur trahit, credunt: quos non trahit, non credunt: et in his sunt qui trahuntur, ut diximus, et tamen non credunt, eo quod tractum renuunt. Faciunt quod Christus dicit Io. 3: Haec est condemnatio, quod lux venit in mundum, et dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. Voluptas in peccatis placet, ut vitam quae est secundum Deum plane contemnant. Tales itaque dum condemnantur, causa sunt propriae condemnationis: sicut qui servantur habent cur et cui gratias agant: potuissent ii non trahi. Dum igitur hi gratias agunt, quod tracti sunt efficaciter, alii videntur habere quod querulentur contra Dominum, quod non sint tracti cum effectu bono. Hic vero dicimus: patet quidem, quod fit, cur autem fiat occultam habet causam quam solus novit Deus. Nec nobis perscrutanda est. Illud vero constat: eos recusasse verbum depraedicatum, eo quod contrarium erat ipsorum studiis. Reliqua, quae videntur hic esse in dubio, Domino Deo permittimus, et a nobis sobrie inquirenda: et si quid recte voluerimus ad quietem nostram nosse, decere ut non a praescientia Dei, nec a praedestinatione et electione, nisi prout opus est, quemadmodum paucis indicavimus, sed a fide incipiamus, praesertim dum docemus simplices, nam hoc modo ne [1]) implicatur dubitationibus, a quibus posset seduci: sed precibus pro fide acquirenda innititur, [2]) et ea quidem efficaci per opera. Videtis ergo simplicitatem nostram in hac quaestione, qua maior esse in religione haud potest et magis intricata. Rogamus itaque Dominum ut in eadem simplicitate nos retineat in finem usque. Interea tamen nolumus pertinaciae accusari: si quis ex verbo nos erudire poterit melius, procul dubio obtemperabimus, et quidem prompti.

Sic responsum volumus ad literas, quae satis planae sunt. Ad disputationem quam misistis nihil reddimus, nisi ad ea quae et in literis offendimus: videntur enim haec longe explanatiora, quam quae in collatione dicuntur: hic enim non solum sophistam agit Hieronymus ille, sed et haeresim in quibusdam sapere videtur. Exempla libuit adnotare. Nihil ad nos quod Vallae dictum torquet, nescimus quo. Nos enim Deo non tribuimus, nisi misericordiam et bonitatem et quae his similia. Ingenue ergo dicimus eligi nos in Christo, sicut dictum est, fidem sequi verbum auditum et receptum. Hanc qui habent et retinent in finem usque salvos fieri, qui non habent condemnari. Ante constitutionem enim mundi si electio facta est, ita fieri necesse est. Quaerat igitur homo ille alios qui erroribus eius patrocinentur: nos sumus aliter instituti ex verbo Dei.

Adserimus igitur nos iustificari fide, qua media Christum facimus nostrum una cum omni merito passionis eius, ut convenit electis Dei: elegit enim eos in Christo. Non iustificari, quibus ea fides deest: quia et electio deest et adoptio filiorum, et quidquid ad haereditatem regni pertinet.

Habetis igitur, quae dare placuit ad literas vestras. Arbitramur autem nihil esse quod vos possit offendere: aut quod non sit catholicum. Boni

1) literas vestras V. C. B. S.
2) illas vestras *iidem.*

1) nec *V. C. Simler coniicit:* non.
2) *Sic legendum cum* V. C. *et al. Exemplar in Actis asservatum habet* inicitur *ex quo Fazy fecit* initietur.

igitur consulatis brevitatem et simplicitatem nostram, vestrum erit. Valete in Domino cum ecclesia vestra, et Deum pro nobis mutuiter orate: Basileae 28 [1]) novembr. anno 1551.

Wolfgangus Wissenburg. D.
Marcus Persius.
M. Simon Sultzerus.
Jacobus Truckenbrott.
Thomas Gyrfalconius
Valentinus Boltz.
Osvaldus Myconius. [2])
Vestri.

Fratribus ministris magistratus nomine dilectis in Christo suis. [3])

LI.

Réponse des ministres de Bâle au Sénat de Genève.

(Procès de Bolsec. Pièces détachées N. 22. Autographe de Myconius, avec traduction française ibid. N. 20. Fazy p. 73.)

Syndicis et consulibus prudentissimis civitatis Genevensis, dominis et amicis in Domino suspiciendis suis.

S. Summam literarum vestrae Excellentiae intelleximus, viri spectatissimi prudentissimique, et doluit nobis haud parum, quod Satan in ecclesiis pie institutis in tantum praevalet. Age vero: brevitas temporis fecit, ut breviter agere cogeremur. Respondimus igitur: et literas ad fratres misimus, quia vobiscum agere ista lingua destitutis non licebat. Ab illis ergo responsum accipiet prudentia vestra. Potuissemus quidem pluribus respondere, si plus temporis nobis fuisset concessum: at quae dedimus abunde satisfacere vestris petitionibus videntur. Valete in Christo, et vestros concionatores una cum ecclesia habetote, ut habetis, commendatos. Basileae 29 Novembris, anno 1551.

V. Excellentiae
Osvaldus Myconius, fratrum pastorum nomine.

1) *Nonnulla exx. inter quae V. C. habent:* 21. *Sed male ut ex sequenti documento patet.*
2) *Nomina ministrorum omnia librariorum manu scripta.*
3) *Inscriptio epistolae in Archivis genev. manu Myconii.*

LII.

Réponse des ministres de Berne au Sénat et aux ministres de Genève.

(L'original écrit de la main de Haller se trouve joint aux Actes du procès, Cahier relié Fol. 39 et y est suivi Fol. 43 d'une traduction française. Une copie faite par Musculus se trouve à la bibliothèque de Berne MSS. hist. helv. III tom. 34 Fol. 199. D'autres copies sont à la bibliothèque de Genève Cod. 109 Fol. 34, aux Archives de Berne Epp. VI p. 187 et dans la collection de Simler t. 76. Le texte est imprimé dans Henry t. III App. p. 17 et dans Fazy p. 48. Une traduction allemande écrite de la main de Musculus est insérée dans le Vol. 105 Tablette VI, anciennement B. I. Fol. 503 aux Archives de Zurich. Voyez aussi Turretin l. c.)

Gratiam et pacem a Domino etc. Condolemus ecclesiae vestrae, Domini ac fratres plurimum observandi, propter offendiculum dissidii, quod per spiritum contentionis nuper apud vos est in turbulentis alioqui et plus aequo afflictis hisce ecclesiarum Christi rebus excitatum, quo de nobis significandum, et tenuitatis nostrae sententiam ad hoc requirendam esse duxistis, ut Hieronymus ille, quem turbas altercationum insincero dogmate suo in ecclesia vestra movisse scribitis, eo facilius ad conciliationem et consensum induci possit. Qua in re studium vestrum probamus, quod dissidia doctrinae in ecclesia Christi haud ferenda esse iudicatis, et de tollendis illis non solum cum vestris, quos tamen habetis doctissimos, sed et cum aliarum ecclesiarum ministris consultatis. Quid enim minus ferendum est, quam ecclesiae Christi in causa verae religionis ac doctrinae pacatae turbatio? Rursus, quid hoc nostro saeculo, tam multarum opinionum feraci, proclivius est, quam ut subinde exoriantur peregrinorum dogmatum autores? Quare non immerito a fidis Christi ministris requiritur, ut pro grege sibi commisso vigiles servent custodias. Illud tamen etiam atque etiam videndum esse sentimus, ne quid severius statuatur in errantes, ne dum dogmatum puritatem immoderatius vindicamus, a regula spiritus Christi deficiamus, hoc est, caritatem fraternam, unde discipuli Christi censemur, ad sinistram declinantes transgrediamur. Amica Christo veritas, sed amicae quoque sunt Christo ovium ipsius animae, non modo in veritate sine offensione ambulantes, sed et per devia errantes, imo harum curam, iuxta parabolam evangelicam, impensiorem optimus pastor gerit. Scitis hoc ipsi. Non docemus ignorantes, sed ad-

monemus scientes. Sic comparati plerumque sumus, ut dum summo studio veritatem doctrinae Christi tuemur, id quod in huiusmodi dogmatum dissidiis usu venire solet, minus observemus quid spiritus caritatis ac christianae mansuetudinis requirat, sed fervore ac studio retinendae veritatis in diversum ab eo quod discipulos Christi decet abripiamur, quasi studium servandae caritatis cum zelo veritatis consistere nequeat, quum utriusque coniunctio ex ipsissimo Christi spiritu nascatur, quo ut nihil est a mendacio alienius, ita nihil est et caritati atque mansuetudini addictius. Laudamus in vobis retinendae veritatis studium, oramusque Dominum ut quemadmodum vos in veritate sua sanctificavit, ita in illa ad finem usque, quum vestro tum multorum aliorum bono, contra omnis mendacii principem illibatos conservet. Simul tamen obsecramus ut cogitetis quam sit proclive ad errandum hominis ingenium, rursus quam sit generosum ideoque facilius in ordinem mansuetudine spiritus reducatur, quam severitate[1]) trahatur. Et ut ad causam veniamus, de qua inter vos et Hieronymum orta est contentio, clam vobis non est, quam multis illa bonis viris negotium fecerit, de quibus alias non adeo male sentiri potest, qui dum legunt in scripturis eas sententias quae gratiam Dei universaliter erga quosvis depraedicant, tanto non sunt iudicio praediti, ut divinae electionis ac praedestinationis veneranda mysteria, deinde et humanae mentis caecitatem ac depravationem rite intueantur et agnoscant, sed haerent in praedicatione universalis gratiae ac bonitatis Dei, sentiuntque non posse Deo tribui, quod quemquam mortalium reprobet, induret et excaecet, nisi tum[2]) inferenda blasphemia dicturi simus, esse illum simul et caecitatis et perditionis humanae, adeoque et omnium peccatorum quae admittuntur autorem. Sic retinent hos locos: Quid tibi facere debui, quod non feci? Et: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem sed contradicentem mihi. Et: Utinam populus meus audisset et in viis meis ambulasset. Et: Quoties volui congregare filios tuos et noluisti. Et: Vos semper spiritui sancto restitistis. Et: Perditio tua ex te Israel. Et Ezech. 33: Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Et Matth. 11: Venite ad me omnes, et ego reficiam vos. Et Ioan. 3: Sic Deus dilexit mundum ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. Et Cap. 6: Haec est voluntas patris ut omnis qui videt filium et credit in eum habeat vitam aeternam. Et Rom. 3: Iustitia Dei in omnes et super omnes qui credunt. Et Cap. 10: Idem Dominus omnium dives in omnes qui invocant eum. Et: Non est acceptio personarum apud Deum. Et Cap. 11: Conclusit Deus omnia sub peccato ut omnium misereatur. Et 1 Tim. 2: Qui vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire. Et 2 Pet. 3: Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad poenitentiam reverti. Huiusmodi sententiis sic inhaerent plerique non adeo mali viri, ut interea causam praedestinationis divinae puris fidei oculis intueri nequeant, de qua non frustra monuerunt quidam, ob id cautius esse atque circumspectius dicendum, quod sit illa non lac infantium sed cibus adultorum. Et hic Hieronymus satis declarat esse se ex imbecillioribus, dum se in arcanum consilium Dei ingressurum negat. Admonemus ista non eam ob causam, quod aliena sint a vestra ipsorum conscientia, sed quoniam sententiam nostram requirere voluistis, ut tanquam fideles in domo Dei afferamus in medium quod potissimum ad pacem et aedificationem ecclesiae vestrae, deinde et ad Hieronymi illius mentem ad spiritum consensionis inducendam facere posse iudicamus. Est nobis ille prorsus ignotus. sunt tamen, qui praedicant eum non esse virum adeo malum. Optaremus et vobis et illi ut per spiritum Christi vera et sententiarum et affectuum consensione coniungeremini. Videtur in illius responsis, quae misistis, haud adeo exigui esse momenti quod primum tribuit Deo electionem ex hominibus, deinde eorum quos voluit, tertio in Christo, quarto nullius nostri boni sed merae gratiae suae respectu. Praeterea opus esse speciali gratia et attractione ad credendum. Et Deum per Christum reformare mentes hominum, et dare corda carnea, amareque nos ac fidem dare, priusquam a nobis ametur, idque ex paterna misericordia. Per haec veluti principia, si abesset studium contendendi, facilis esset ad ulteriora transitus. Sed orandus est Dominus, qui solus aperit mentes mortalium, ut et vobis animum det lucrifaciendis errantibus indesinenter deditum, et illius mentem ad id instituti reddat accommodam, quo uno corde et spiritu gloriam gratiae ipsius ad multorum aedificationem depraedicetis. Quae scripsimus boni consulite, Domini ac fratres colendi. Commendamus nos et ecclesias nostras caritatis vestrae precibus. Datae Bernae 7 Decemb.[1]) anno Domini 1551.

Ministri verbi et professores ecclesiae Bernensis in fide ac veritate Christi consortes.

Clarissimo ac prudentissimo Gebennensis

1) *in exemplari Bernensi Musculus adiecit:* carcere et vinculis, *quod postea deletum est.*

2) *Sic in ex. Halleri. Caetera habent:* cum.

1) *Exemplar Musculi Bernense habet:* 4 Dec. *et addit in margine:* Gebennam missae sunt hae literae 1551. 7 Decemb. *Germanicum exemplar refert* 5 Dec.

reipublicae Senatui simulque doctissimis ac fidelibus ecclesiae illic ministris Dominis ac fratribus in Domino servatore colendis.[1])

LIII.

Réponse du Magistrat de Berne à celui de Genève.

(La copie authentique est au dossier du Procès, Pièces détachées N. 21. La minute se trouve aux Archives de Berne, Welsch Missiv-Buch C. Fol. 345. Deux copies sont au même dépôt Epp. VI p. 166 et 1336 enfin une troisième dans Simler l. c. — Imprimé dans Fazy p. 74.)

Aux Nobles magnifficques seigneurs sindicques et conseil de Geneve noz singuliers amys treschiers et feaulx combourgeois.

Nobles Magnifficques seigneurs, singuliers amys treschiers et feaulx combourgeois. Nous avons receuz vos lettres que nous avez escriptes touchant laffayre dung appellé Hieronyme et le contenuz dicelles ensemble ce que vous avez escript à nous[2]) ministres et les articles disputés entre eulx bien entenduz, et surce ordonné à noz[3]) ministres de vous donner leurs bon advis ce quilz ont faict comme verrez en leurs lettres que à vous et à vosdits ministres envoyent. Vous priant tresaffectueusement que vueillés tout bien considerer et pour ladvancement et entretenement de la tranquilité et paix des eglises en ce present temps si trouble et dangereux cercher et user de tous bons moyens affin que plus grand scandale soit evité. Ce que comme nous semble se pourraz facillement faire, si avec ledict Hieronyme non par rigueur ains par fraternelles et chrestiennes admonitions et persuasions pour le retirer de son erreur lon procede, et en ce endroict ledict bon advis de noz ministres ensuivy, car certes si ledict Hieronyme deut souffrir à cause de son erreur punition de corps ou de vie est à craindre que non seullement en ces pays ains aussy en france et allieurs lon en prendra grand regret et occasion de plus grande malivolence contre vous et les vostres aussy contre tous ceulx de la religion Evangelicque. Vous derechieff priants voulloir considerer la consequence. Datum VII. Decembris 1551.

Ladvoyer et Conseil de Berne.

1) *Inscriptio ex Musculi exemplari desumpta.*
2) *Minute:* noz.
3) *M.* nos dicts.

LIV.

Arrêté du Conseil d'état.

(Registre des procès-verbaux Vol. 46 Fol. 114. Séance du 11 Décembre.)

Icy lon a advisé sus les responses des eglises en laffaire dudict Hieronime qui sont estés lisues à scavoir de Zurich Berne et Basle par la translation. Susquoy est arresté que lon assemble apres disné maistre Loys le medecin maistre Enoch et M. Troillet pour veoir sil est esté bien translaté et de là que le latin soit communicqué aux prescheurs et dempuys audict Hieronyme Bolset.

LV.

Arrêté du Conseil d'état.

(Ibid Fol. 115. Séance du 14. Décembre.)

Icy les ministres par lorgane de M. Calvin en presence de Me. Abel hont remercié que lon leur aye communicqué les responses des eglises sus les faictz dudict Hieronime puys hont faict plusieurs remonstrances quelles ne doibvent estre communicquees audict Hieronime pour ne desplaire aux ministres quhont donné leurs responses et plusieurs raisons quilz hont dict. Remys à veoir à demain.

LVI.

Arrêté du Conseil d'état.

(Ibid. Fol. 116 v. Séance du 15 Décembre.)

Icy est parlé du faict dudict Hieronime Bolset et de ce que estoit esté arresté de luy monstrer ce que lon a eust de conseil et response des esglises Berne Basle et Zurich et des remonstrances en sont estés faictes par les ministres. Arresté que lesdictz advis et conseil soit monstré audict Hieronyme et soit commys à trois à scavoir au Sr. sindicque Chamoys le Sr. Malagnion et l'hospitalier quilz doibgent aller apres disné.

LVII.

Arrêté du Conseil d'état.

(*Ibid. Fol. 118 v. Séance du 17 Décembre.*)

Icy est parlé dudict Hieronime et de ce que hier luy fust monstré ladvys des esglises et comment lon ne veoit pas en luy contrition ains obstination, toutesfois quil dye quil ne cerche que de estre admys des prescheurs. Est esté sus cela arresté que son faict soit mys en avant à lungdi prochain et soit vuydé.

LVIII.

Requeste de Bolsec.

(Archives de Genève. Procès de Bolsec. Pièces détachées N. 11. — Fazy p. 51. La pièce ne porte pas de date, mais elle est en tout cas postérieure au 16 où Bolsec reçut communication des lettres du dehors.)

Tres honorés seigneurs.

Humblement supplie voz magnifficences lhumble serviteur dicelles Hierome Bolsec subiect de tres puissants et redoubtez seigneurs de Berne que soit vostre plaisir avoir memoire de sa longue detention et lui administrer bonne et brefve iustice selon vostre louable coustume, attendu que vous avez la resollution des eglises ausquelles estoit remys son different. Pource il vous requiert lui donner expedition à son affaire, et il sera obligé de prier Dieu pour vostre prosperité et félicité.

LIX.

Dernier interrogatoire.

(*Extrait du procès-verbal de la Séance du Conseil du 21 Décembre. Registre Fol. 120. Rien au dossier.*)

Icy est parlé de veoir laffaire de cedict Hieronime lequel estant demandé a dict quil se tient à ce que les eglises en hont escript et toutesfois le faict est remys à demain à sept heures du matin.

LX.

Note.

(*La note suivante, sans date ni inscription, se trouve au dossier du procès, Pièces détachées N. 13. Ce doit avoir été une espèce de rapport ou de dénonciation, que nous devrons placer dans le dernier stade de la procédure. Fazy p. 52.*)

Si ie suys condamné, il me faict mal de l'inconvenient que ie veoy qui adviendra. Car iay plus d'amys qu'on ne pense. Et aussi le commun peuple s'esmouvera pour moy. Ainsi la chose ne se passera point sans grand trouble et scandale.

C'est la menasse dont maistre Hierosme usa hier parlant à monsieur de Picquegny frere de M. le Widame d'Amyens logé au Lyon Dor.

LXI.

Delibération et Jugement.

(Registre des procès-verbaux du Conseil Vol. 46 Fol. 121. Séance du 22 Décembre.)

Me. Ih. Bolhet. Ayantz veu le proceps responses et confession dudict detenu à cause des scandalles et parolles scandalleuses aussi quil az mesdict et parlé en la congregation et allieurs des ministres de ceste cité et a vollu soubtenir quilz preschoyent faulse doctrine tant par escript que aultrement Surquoy estant ouy ledict detenuz et lesdictz ministres lung devant laultre et pareillement avoir veu ladvis des esglisses de Berne Basle et Zurich, lesqueulx le condampnent et son oppinion requerant aussi avoir advis sur ledictz different acause du trouble que porroit estre faict en leglisse de nostre seigneur et le tout consideré a esté ordonné que attendu que ledict Iherome detenuz ne se veult desdire et quil persiste en sa dicte maulvaise oppinion: Quil soit bampnis perpetuellementz publicquementz à son de trompe à la mode accoustumee sur poyenne du foyet et debvoir estre condampné aux despens de ladicte prison. Le traictant gracieussement en cest endroytz attendu la requeste des seigneurs de Berne nos combourgeois et aussi à sa longue detancion. Et que demain ladicte sentence soyt proferee et prononcee devant la maison de la ville publicquement comme dessus.

LXII.

Sommaire du procès.

(Archives de Genève. Procès de Bolsec. Pièces détachées N. 5. C'est la récapitulation des charges résultant de l'ensemble de la procédure et sur lesquelles devait se baser la sentence.)

Prys detenu attainct et convaincu pour se estre presumptueusement temerairement et contre tout ordre levé en la saincte congregation accoustumee de faire en ceste cité tous les vendredy matin par les ministres dycelle et là impudicquement et effrenement avoir contredict aux sainctes propositions là par aulcungs desdits ministres mises en avant et au lieu de se debvoir contenter des raisonnables remonstrances à luy faictes par les sainctes escriptures dict quil voloit impugner la doctrine quest icy en ceste cité preschee et anuncee et arrogantement exhorta le peuple à se garder de ladite doctrine et appella icelle doctrine scandaleuse.

Item et lequel scandaleusement myst en avant opinion faulse et erronee de laquelle il est esté convaincuz par devant noz dits Seigneurs dheuement par tesmoignages de la saincte escripture.

Item et combien que il se soit submys au iugement des eglises voysines et que par leur veritable et par les sainctes escriptures faict advys luy soit esté remonstré ses propositions estre faulses et icelles condampnables il a persisté en son obstination et encores que souventeffoys il se soit en ses responces contredict iamais na volu recognoistre ny confesser sa faulte et erreur.

Item et combien quil soit esté treshumainement traicté aux prisons avec doulces remonstrances et gracieuses deffences de ne publier sa faulse opinion ny par bouche ny par escript ce neantmoings pour cela il na cessé et contre tout ordre et modestie chrestienne il sest ingeré avec temerité et audace de faire troble et scandale en leglise avançant propos seditieulx et ce tant de bouche que par escripture de balades et chansons.

Item et ce en tachant et persistant de attraire à sa faulse opinion plusieurs gens au gros scandale de leglise.

Item et lequel a chargé les ministres de leglise de ceste cité tant de bouche que par escript de faulse calumnie et a tasché de diffamer la doctrine de Dieu et la rendre odieuse contre toute raison de verité.

Item et temerairement et magistralement sest ingeré darticuller contre la doctrine desdits ministres choses calumnieuses et destructives de la saincte religion chrestienne.

Item et combien quil aye accepté et dict se voloir tenir à ce que ia il avoit veu que les ministres des eglises voysines par leur advys de la saincte escripture pris en disoient ne sest pas voulu detorner de sa dicte faulse opinion laquelle iceulx iustement condampnent mais obstinement a dict voloir demourer en icelle son opinion.

LXIII.

Sentence.

(Archives de Genève. Procès de Bolsec. Cahier relié Fol. 32.)

Ayantz veu le proces faict et formé par devant nous à linstance et poursuite de nostre lieutenant en nostre sommaire iustice es dictes causes instant contre toy Hieronyme Borset natifz de Parys par lequel et tes voluntaires responce en iceluy faictes et devant nous souventeffoys reiterees nous appert Toy Hieronyme Borset testre trop audacieusement levé en la saincte congregation de noz ministres et y avoir proposé opinion faulse et contre les sainctes escriptures et la pure religion Evangelicque et que combien que souventeffois te soit esté remonstré par les sainctes escriptures voyre et par ladvis des eglises esquelles tu te estois spontanement submys tadicte opinion estre faulse et toy estre par les sainctes escriptures convaincuz: Pour cela tu ne l'as voulu confesser mais en demeures en ton obstination cas digne de grieve punition corporelle. Nous touteffois veiullans plustost contre toy proceder gracieusement que rigoreusement seans pour Tribunal au lieu de noz maieurs: Par ces causes et aultres iustes à ce nous mouvans. Ayantz invocqué le nom de Dieu et ayantz ses sainctes escriptures devant noz ieulx disans: Au nom du pere du filz et du sainct esprit Amen: Et par ceste nostre diffinitive sentence laquelle donnons icy par escript toy Hieronyme Borset condampnons à debvoir estre perpetuellement banny et te bannyssons de ceste nostre cité et terres dycelle à debvoir icelle vuyder dedans vingt-quatres heures et ny debvoir iamais revenir à poyne destre reprys mené et fuetté par les carraphes[1]) de ceste cité façon accoustumee. Et ce pour donner exemple aux aultres qui tel cas vouldront commectre.

Et mandons à vous nostre lieutenant que ceste nostre sentence faictes mectre en execution.

Lecta et publicata per No. Iacobum des Ars sindicum 23. Decembris mill. v. c. cinquante et ung.

LXIV.

Ratification des pièces et exécution du jugement.

(Extrait du procès-verbal de la Séance du Conseil du 23 Décembre l. c.)

Hieronime Borset. Est esté veu le sommaire et la sentence escripte contre ledict Hieronime et est esté expedié le sommaire au secretaire de iustice pour le lire et la sentence livré au Sr. sindicque Des Ars pour la lire selon son tour et est está lheue.

1) carrefours.



DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE,

QUA IN SALUTEM ALIOS EX HOMINIBUS ELEGIT, ALIOS SUO EXITIO RELIQUIT:

ITEM DE PROVIDENTIA QUA RES HUMANAS GUBERNAT,

CONSENSUS PASTORUM GENEVENSIS ECCLESIAE

A IO. CALVINO EXPOSITUS.

GENEVAE,

EX OFFICINA IOANNIS CRISPINI.

M. D. LII.

CLARISSIMIS VIRIS ET MAGNIFICIS SUIS DOMINIS, SYNDICIS SENATUIQUE GENEVENSI, ECCLESIAE PASTORES, QUIBUS VERBI ADMINISTRATIO TUM IN URBE TUM IN AGRO MANDATA EST, IUSTAM SANCTAMQUE REIPUBLICAE ADMINISTRATIONEM ET FELICEM SUCCESSUM PRECANTUR.

Quae nos ad libellum hunc scribendum impulit ratio, eadem ad ipsum vobis nuncupandum hortatur, praestantissimi Domini, ut sub nomine vestro auspiciisque exeat. Electio Dei gratuita, qua sibi ex perdito damnatoque hominum genere quos visum est adoptat, hactenus non minus reverenter et sobrie, quam sincere et absque fuco hic tradita a nobis, et placide a populo recepta fuerat: donec circumforaneum erronem nuper supposuit turbarum omnium pater Satan, qui et doctrinam nostram, quae ex puro Dei verbo sumpta est, convellere, et fidem totius populi labefactare tentaret. Sed quia vel ex incenso Dei templo voluit famelicus gloriolae captator innotescere, ne [pag. 4] *sacrilegae audaciae praemium quod aucupatus est reportet, nomen eius silentio nostro sepultum maneat. Caeterum, quando molestia, quam nobis exhibere conatus est, non minus vobis communis fuit, fructum inde aliquem ad vos pervenire aequum est. Et quemadmodum vos experti sumus strenuos cordatosque piae causae vindices, ita nostrarum partium esse duximus, quam possemus gratitudinem vicissim testari. Eadem etiam opera, quale vestro patrocinio tutati sitis doctrinae genus, palam constabit. Etsi enim neque generosos Reipublicae praesides, neque Christi ministros anxie a rumoribus pendere decet: quin potius sinistrae multae obtrectationes, quae sua raucedine fractae paulatim concidunt, utrisque fortiter altoque animo spernendae sunt: magnopere tamen refert, quasi publicis tabulis consignatam sub oculis et inter manus hominum exstare rei summam, quae falsas aut stultorum, aut levium, aut improborum voces coarguat, et simul compescat frivolos vulgi susurros. Sparsus multis in locis fuit rumor, duris eum vinculis constringi, quum per medium forum quotidie volitare licuerit. Quam maligne etiam finxerint virulenti quidam homines, ad capitis supplicium a nobis eum exposci* [pag. 5], *vos nobis optimi estis testes. Tales calumnias, donec evanescant, contemptu et tranquilla animi magnitudine refutare, gravitatis et prudentiae est. Rursum tamen, ne incerti plerique fluctuentur, quorum habenda est ratio: statum causae omnibus esse expositum, non minus expedit, quam ex officio nostro est. Serpit instar gangrenae impietas, inquit Paulus, nisi obviam eatur. Ista autem, quam sub vestro nomine piis omnibus offerimus, defensio, tam erit ad curandos sanabiles, ut quidem speramus, validum efficaxque remedium, quam salubre antidotum sanis et integris. Ac digna est materia, ad quam studia sua intendant filii Dei, ne coelestis suae geniturae originem ignorent. Stulte enim quidam, quia evangelium potentia Dei vocatur in salutem omni credenti, hoc praetextu Dei electionem obliterant. Atqui venire illis in mentem debuerat, unde oriatur fides. Passim autem scriptura clamat, Deum filio suo dare qui sui erant, vocare quos elegit, et quos sibi adoptavit in filios, spiritu suo regignere: credere denique homines quos ipse intus docuit, et quibus patefactum est eius brachium. Porro quisquis fidem arram esse et pignus tenebit adoptionis gratuitae, ex aeterno divinae electionis* [pag. 6] *fonte manare fatebitur. Neque tamen ex arcano Dei consilio petenda nobis est salutis notitia. Vita in Christo proposita est, qui se in evangelio non modo patefacit, sed fruendum exhibet. In hoc speculum defixus sit fidei aspectus: nec penetrare appetat quo accessus non patet. Quando haec via est, in ea ambulent filii Dei, ne altius quam fas est evolando, in profundiorem, quam optandum sit, labyrinthum se demergant. Caeterum, ut non alia est coelestis regni ianua*

quam fides in Christum, palam oblatis evangelii promissionibus contenta, sic nimis crassi stuporis est, non agnoscere, apertos esse nobis mentis oculos a Deo: quia nondum in utero conceptos elegit, ut fideles essemus. Fuisse autem hoc impuro nebuloni propositum, ut non modo notitiam electionis deleret ex hominum animis, sed eius quoque virtutem prorsus everteret, ex eius deliriis quae in actis publicis habetis eius manu scripta diserte liquet: ubi asserit, fidem ab electione non pendere, quin potius electionem esse in fide sitam: nullos in caecitate manere ob ingenitam naturae corruptionem, quia rite omnes illuminentur a Deo: nos Deo facere iniuriam, quia deseri tradimus, quos spiritus sui illuminatione [pag. 7] *non dignatur: trahi generaliter et ex aequo omnes homines, nec discrimen nisi a contumacia incipere: quum Deus se ex lapideis cordibus carnea facturum promittit, nihil aliud intelligi, quam ut gratiae Dei simus capaces, idque promiscue ad totum genus humanum extendi, quum singulare ecclesiae privilegium esse scriptura dilucide affirmet. Quantum ad Dei providentiam, qua mundus regitur: inter pios omnes fixum hoc et confessum esse debet, non esse cur suis peccatis socium homines Deum ascribant, vel ullo modo secum involvant ad partem culpae sustinendam: sed quum scriptura doceat, reprobos quoque irae Dei esse organa, quibus partim fideles suos erudiat ad patientiam, partim hostibus poenas infligat, quales merentur, profanus nugator nihil a Deo iuste fieri contendit, nisi cuius ratio sub oculis posita iaceat. Omne enim discrimen inter causas remotas et propinquas tollens, aerumnas sancto Iob impositas Dei opus censeri non patitur, quin pariter cum diabolo, Chaldaeis et Sabaeis latronibus reus fiat. Quod autem illo praeterito, cum duobus aliis, Alberto Pighio et Georgio Siculo, congressi sumus: id duplici nomine expedire nobis* [pag. 8] *visum est. Nam quum indoctus rabula nihil proferret, nisi ex duabus istis lacunis haustum, adeoque male dicta in deterius raperet, nimis frigidum cum eo fuisset certamen. Uno exemplo contenti sint lectores. Quibus cavillis Pighius et Georgius primum ad Ephesios caput obscurent, suo loco ostensum est. Atque insulse quidem illi, sed foedior huius inscitia, qui non erubuit in curia vestra, et illo verendo consessu effutire, et quod temere effutiverat, pertinaciter tueri: Non tractari illic de communi piorum salute, sed quod Paulus et reliqui collegae in munus apostolicum electi fuerint. Ac tam futile quidem commentum extemplo,*[1]) *sicuti memoria tenetis, refellere promptum fuit: Si qui se tali magistro discipulos addicerent, nimis infaustam theologiam discere, quae nos*[2]) *omnes vitae aeternae fiducia privaret, quando soli apostoli divinae adoptionis compotes, et Deo per Christum reconciliati et benedicti, et in societatem sanctorum asciti essent. His quidem in re praesenti fuit locus, sed libro edito tam insipidum animal refellere, non ita forte congrueret. Neque vero nos latet quantopere sibi placeat: neque mirum est, in eo, qui abiecta monachi cuculla repente medici personam* [pag. 9] *induit, tantum esse audaciae, sed in eius gratiam cum multorum fastidio ineptire a modestia nostra alienum fuit. Deinde, quoniam duo illi noti sunt ac professi evangelii hostes, alter etiam Calvinum nominatim aggressus bellum nobis et huic ecclesiae indixerat, impiae doctrinae venenum publice libris excusis sparsum purgare consultius visum est, quam naenias vulgando, quae melius latent, importune fatigare hominum aures, supervacuis certaminibus iam plus satis vexatas.*

Faxit Dominus Deus, Magnifici et praestantes viri, ut quod hactenus magna cum laude fecistis, indefessi ad extremum usque puram evangelii doctrinam, quae tam infesta mundi violentia undique pulsatur, fide praesidioque vestro tueri pergatis: et pios omnes, qui se in patrocinium vestrum conferunt, hospitio excipere non desinatis: quo sit urbs vestra inter horribiles istos motus fixum Deo sanctuarium, et fidele Christi membris asylum. Ita etiam fiet, ut eum perpetuum salutis vestrae praesidem sentiatis: et quod illi sacratum erit domicilium, eius virtute tutum, nunquam labascat.

Calendis Ianuar. M. D. LII.

---

1) exemplo *Beza, Amst.* et *Niem.* (*Gallus:* sur le champ).

2) non omnes, *iidem.*

DE AETERNA DEI PRAEDESTINATIONE.

Iam elapsi sunt [1]) novem anni quum Albertus Pighius Campensis, homo phrenetica plane audacia praeditus, eodem opere et liberum hominis arbitrium statuere, et arcanum Dei consilium, quo alios eligit in salutem, alios aeterno exitio destinat, evertere conatus est. Quia vero me nominatim aggressus erat, per cuius latus piam sanamque doctrinam confoderet, sacrilegum hominis furorem compescere necesse habui. Sed quia tunc aliis negotiis districtus, utrumque argumentum brevi temporis spatio complecti non poteram: altera parte absoluta, de praedestinatione, quum daretur occasio, me postea scripturum recepi. Paulo post librum editum moritur Pighius. Ergo ne cani mortuo insultarem, ad alias lucubrationes me converti. Et ab eo tempore quod agerem nunquam defuit. Ad haec, quia hoc doctrinae caput iam et copiose a me tractatum, et clare explicatum, et solidis scripturae testimoniis comprobatum fuerat, non adeo necessarius videbatur hic labor, quin tuto omitti posset. Sed quia hodie male feriati quidam spiritus, quidquid de gratuita piorum electione et aeterno reproborum iudicio scripturis proditum [pag. 12] est, Pighii exemplo diruere moliuntur: ne longius serpat contagio, frivola eorum obiecta, quibus se et alios deludunt, colligenda et breviter refellenda censui. Inter reliquos emersit in Italia Georgius quidam Siculus, homo quidem indoctus et contemptu quam insectatione dignior: nisi quod nomen, fraude et impostura partum, magnas illi ad nocendum vires dedit. Nam quum Benedictinus esset monachus, diu in gurgustio suo latuit, donec Lucius Abbas, unus ex patribus Tridentinis, falsa ipsum commendatione in sublime extulit, sperans se quoque eius humeris in coelos usque evolaturum. Nebulo hic Christum sibi apparuisse, et totius scripturae ab illo se interpretem constitutum mentitus, quod ipse crassa pudendaque inscitia plus quam vanum esse prodebat, nullo negotio plurimis verum esse persuasit. Atque, ut fabulam ad extremum usque actum perduceret, tanta confidentia ebuccinavit deliros suos sensus, ut imperitos, qui iam praeiudicio vincti tenebantur, prorsus attonitos redderet. Et certe talibus pro-

1) *Loco eorum quae hic leguntur pag.* 11—15 *ed. principis latinae versio gallica magistratui oblata haec pauciora exhibet:*

I'ay traitté suffisamment, comme il me semble, en l'Institution ce que tous Chrestiens ont à sentir touchant cest article de foy qui est contenu en l'Escriture saincte: à savoir que d'entre les hommes Dieu choisit à salut ceux que bon luy semble, et reiette les autres, sans que nous sachions pourquoy, sinon qu'il en a la raison cachée en son conseil eternel. Mais pource que Satan ne cesse de susciter des esprits malins, pour obscurcir et troubler, voire renverser du tout ceste doctrine, à fin que ceux qui desirent de se ranger à la pure verité de Dieu ayent de quoy se contenter, i'ay bien voulu adiouster encores ce traitté à ce que i'en avoye escrit auparavant, pour plus ample confirmation de ce qui desia en est là dit. Or pource que de nostre temps il y a eu principalement deux ennemis de Dieu qui se sont attachez à cest article de nostre foy, taschans d'abolir ce que l'Escriture nous monstre de la predestination, ie me suis aussi addressé à eux pour respondre à tout ce qu'ils ameinent au contraire. Car ils ont recueilli toutes les cavillations qui sont pour esbranler ou mettre en doute les consciences debiles, et tous les blasphemes dont les meschans s'efforcent de noircir et diffamer la iustice de Dieu. L'un de ceux que i'ay dit estoit un bas Aleman, nommé Albert Pighius, homme d'un esprit impetueux et mesme forcené. Le second a esté un moine de S. Benoist, nommé George de Sicile: lequel ayant fait accroire aux fols que Iesus Christ luy estoit apparu et luy avoit donné l'intelligence de toute l'Escriture, s'est mis en grand credit pour peu de temps, en sorte qu'il a deceu et hebeté un nombre infini de gens. Or combien que tout ce qu'ils ameinent est tant frivole que c'est quasi un labeur superflu à moy de le redarguer, toutesfois, pource que nous sommes detteurs aux simples et inconsiderez, voyant la necessité, ie n'ay voulu faillir à m'acquitter de ma charge, tant pour reduire ceux qui ne sont point incurables, que pour donner comme un preservatif à ceux qui ne seroyent point assez munis contre la malice et les ruses de tels galans.

La somme de ce que nous avons à traitter est celle que i'ay touchée ci dessus, à savoir, que Dieu par sa pure bonté et gratuite choisit d'entre les hommes ceux que bon luy semble pour les appeller à salut, et que le reste demeure en sa perdition. Mais devant que passer outre, il est bon que les lecteurs soyent derechef advertis que ceste question n'est point d'une subtilité volage, pour tormenter les esprits sans fruict ne propos, mais que c'est une disputation saincte et utile . . . . *caett.*

phetis digna est hodie maior pars hominum: quorum partim cor in malitia obstinatum medelam nullam recipit, partim aures insatiabili pravarum speculationum desiderio pruriunt. Sunt alii fortasse qui libenter vel cum dedecore innotescerent. Verum [pag. 13], suppresso eorum nomine, efficiam ut intelligant lectores, quam frivola sint ac nihili omnia ipsorum obiecta.

In Pighio nunc et Georgio Siculo belluarum par non male comparatum proponere statui. Nam etsi quibusdam in rebus fuisse dispares fateor, in fingendis tamen errorum portentis, in licentia bacchandi, in scelerata adulterandae scripturae audacia, in superbo veritatis contemptu, in proiecta impudentia, in proterva loquacitate, summa inter eos reperietur similitudo et aequalitas: nisi quod Pighius, lutulentas magniloquentiae suae ampullas inflans, maiore iactantiae pompa se effert: alter ille cothurnos, quibus assurgat, ex commentitia revelatione mutuatur. Quum autem in evertenda praedestinatione consentiant ambo, postea tamen in commentis suis sunt diversi. Fingunt ambo, in libertate nostra positum esse, ut se quisque in adoptionis gratiam inserat. Neque hoc ex Dei consilio pendere, quinam electi sint vel reprobi: sed singulos sibi utramvis fortunam suo arbitrio statuere. Quod alii credunt evangelio, alii increduli manent, non ex gratuita Dei electione, vel ex arcano eius consilio, sed ex privata tantum cuiusque voluntate provenire hoc discrimen.

Caeterum Pighius sensum suum ita explicat: Deum immutabili consilio creasse indistincte [pag. 14] omnes ad salutem. Sed quum Adae praevideret defectionem, ut firma nihilominus stabilisque maneret electio, remedium adhibuisse, quod omnibus perinde commune esset. Ita in Christo stabilitam fuisse totius humani generis electionem: ut nemo pereat, nisi qui sua obstinatione ex libro vitae se delet. Rursus vero, quum Deus praevideret quosdam ad extremum in malitia gratiaeque contemptu fore pertinaces, tales praevidendo reprobasse, nisi resipiscant. Hoc reprobationis esse initium, dum se impii universali electionis beneficio praeter Dei consilium et voluntatem privant. Indigne vero sentire de Deo omnes pronunciat, et alienum iustitia et bonitate rigorem illi affingere, qui electos esse praecise et absolute quosdam tradunt, alios destinatos exitio. Et nominatim hic Augustini sententiam damnat.[1]) Praescientiam vero Dei nihil tollere de arbitrii nostri libertate ut ostendat, ad illam Nicolai Cusani argutiam confugit: Quod Deus non praeviderit, quae ab aeterno illi nota fuerunt, quasi futura, sed quasi praesenti aspectu intuitus fuerit. Et tamen ita supercilium suo more attollit impostor, ac si reconditum nescio quid, et nunquam ante auditum, ex tripode Apollinis proferret: quum tamen trita sit pueris cantilena. Quia tamen adhuc se impeditum teneri sentiebat, duplicem Dei praescientiam ingerit[1]) [pag. 15]: Quod Deus scilicet prius creandi ad vitam hominis consilium ceperit, quam eius lapsum praesciret, ideoque salutis humanae cogitatio mortis praescientiam ordine in ipso Deo praecesserit. Et quum haec lutulento verborum torrente involvit, putat se ita obruere lectorum sensus, ut nihil discernant: sed ego mea brevitate, ut spero, paulo post discutiam loquacitatis eius tenebras. Georgii commentum est, non fuisse hunc vel illum praedestinatum ad salutem: sed Deum statuisse tempus, quo totum mundum servaret. Atque huc quosdam Pauli locos detorquet: mysterium quod a saeculis et generationibus absconditum fuerat, Christi adventu et praedicatione evangelii patefactum esse (Rom. 16, 25; Ephes. 3, 9; Coloss. 1, 26). Ita secure elabitur, ac si nullo scripturae testimonio palam constaret alios, aliis praeteritis, a Deo fuisse cooptatos in salutem. Denique, in electione nihil praeter tempus novi testamenti considerat.

Quid nos sentiamus, satis locuples, ut nihil praeterea addam, testis est Institutio. In primis rogatos velim lectores, ut quod illic admoneo memoria repetant: Non esse, ut quibusdam falso videtur, argutam hanc vel spinosam speculationem, quae absque fructu ingenia fatiget: sed disputationem solidam, et ad pietatis usum maxime accommodam [pag. 16]: nempe, quae et fidem probe aedificet,[2]) et nos ad humilitatem erudiat, et in admirationem extollat immensae erga nos Dei bonitatis, et ad hanc celebrandam excitet. Nulla aedificandae fidei aptior est ratio, quam dum audimus electionem illam quam spiritus Dei cordibus nostris obsignat, in aeterno et inflexibili Dei beneplacito consistere, ut nullis mundi procellis, nullis Satanae insultibus, nulli carnis vacillationi sit obnoxia. Tunc enim demum nobis certa est nostra salus, quum in Dei pectore[3]) causam reperimus. Sic enim vitam in Christo manifestatam fide apprehendimus, ut eadem fide duce procul intueri liceat, ex quo fonte vita prodierit. In Christo fundata est salutis fiducia, et in evangelii promissiones recumbit. Sed haec non parum valida fultura est, quum nunc, ut in Christum credamus, audimus nobis divinitus esse datum: quia ante mundi originem tam ad fidem ordinati, quam ad vitae coelestis haereditatem electi eramus. Hinc

1) Capite 1 Lib. 8.

1) Capite 2 eiusd. libri.

2) *Abhinc versio gallica latinum textum presse sequitur.*

3) et en sa volonté laquelle ne flechit iamais.

illa inexpugnabilis securitas,[1]) quod pater, qui filio suo nos in peculium dedit, omnibus potentior, nos e manu eius rapi non patietur. Iam vero non vulgaris in eo humilitatis materia, dum tam dispar eorum conditio cernitur, quibus communis est natura. Quocunque oculos vertant filii Dei, occurrent prodigiosa exempla caecitatis et stuporis [pag. 17], quae horrorem incutient. Quum se in tenebris illuminatos esse noverint: qui fieri dicent, ut caecutiant alii in clara luce?[2]) Quis eos discernit: nisi quod experientia convincit, apertos illis fuisse mentis oculos, quum perinde clausi essent?[3]) Certe quid Deo sit reddere quod suum est, nondum didicerunt isti, quibus sponte nescire libet, unde ab aliis differant. Quin radix sit pietatis materque virtutum omnium humilitas, nemo ambigit. Quomodo autem humilis erit, qui nec pristinam miseriam e qua liberatus est, audire sustinet, Deique beneficentiam promiscue ad omnes extendens, quantum in se est, extenuat? Certe multum abest, quin Dei gratiam pro merito illustrent, qui eam praedicant omnibus esse communem, in se vero efficaciter residere, quia fide eam amplexi sint: fidei vero causam interea sepultam cupiunt: quod scilicet gratis in filios electi spiritu adoptionis postea donati sint. Qualis ista gratitudo, si incomparabili beneficio affectus cum eo debitorem me ex aequo profiteor, qui vix centesimam partem accepit? Quare, si ad celebrandam Dei bonitatem, quantum illi simus obstricti, praecipue tenere interest, maligni sunt in Deum et iniurii, quibus molesta est ac gravis electionis aeternae notitia: qua sepulta,[4]) dimidiam gratiae Dei partem evanescere necesse est. Obstrepant [pag. 18], qui volent:[5]) hoc tamen elogio, quam de gratuita electione tradimus doctrinam ornare semper licebit, quod nisi per eam non satis capiunt fideles, quanta in se fuerit Dei bonitas, dum ad salutem efficaciter vocati sunt. Breviter tantum ista delibo, quae iterum suo loco luculentius tractanda erunt, ne quis rem cognitu apprime necessariam refugiens grave fastidii sui damnum sero tandem sentiat. Quod si nos evangelii non pudet, quod illic aperte traditur, fateri necesse est, Deum aeterno suo beneplacito, cuius aliunde causa non pendet, quos illi visum est, destinasse ad salutem, aliis reiectis: et quos gratuita adoptione dignatus est, spiritu suo illuminare, ut vitam in Christo oblatam recipiant: alios ita sponte esse incredulos, ut fidei luce destituti in tenebris maneant.

Contra hoc Dei iudicium petulanter insurgunt[1]) multi canes. Atque inter eos nonnulli quidem Deum palam impetere non dubitant, quod futuram Adae ruinam praevidens, non melius consuluerit rebus humanis. Quibus compescendis nulla melior ratio quaerenda est, quam quae a Paulo nobis ostenditur. Hoc enim veniebat in quaestionem: quomodo iustus esset Deus, dum miseretur cuius vult, et quem vult indurat. Tantam hominum audaciam nullo responso dignatur, nisi quod ordinis ipsos sui sortisque admonet [pag. 19]: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? (Rom. 9, 20.) Quod garriunt profani homines,[2]) rationis inopia silentio absurditatem texisse: longe aliter res habet. Axioma enim sumit, quod non modo piis mentibus tenendum est, sed in communi sensu insculptum esse convenit: Altius esse magisque reconditum Dei iudicium, quam ut eo usque penetrare possint homines. Et quem, obsecro, non pudebit, velle ingenii sui modulo causas omnes operum Dei comprehendere? Atqui, in eo vertitur status quaestionis, an nulla sit Dei iustitia, nisi quae a nobis concipitur? Hoc si uno verbo proponitur, liceatne Dei virtutem sensu nostro metiri, nemo est qui non protinus respondeat, omnes hominum sensus in unum coacervatos immensae Dei potentiae longe succumbere. Interea simul ac in Dei operibus certa ratio non apparet, diem illi dicere[3]) quodammodo parati sunt. Quid ergo hac Pauli admonitione opportunius vel aptius: nimium sui esse oblitos qui se supra coelum attollant? Ut Deus ipse, iure suo cedens, se ad reddendam causam offerat, ubi ad arcana illa ventum fuerit, quae angeli cum trepidatione adorant, quis non tanto fulgore attonitus stupebit? Mira sane hominum rabies, qui Deum sibi audacius subiicere, quam paganum aliquem iudicem[4]) aequare non verentur. Tibi molestum est ac odiosum [pag. 20], Deum plus posse et facere, quam mens tua capiat: aequali autem tuo interdum concedes, ut suo iudicio fruatur. Et tu in tanto furore Dei mentionem ullam facere audes?[5]) Quid tibi sonat Dei nomen? Et tu Paulum ratione destitui iactabis,[6]) nisi Deum e coelesti solio detractum tibi excutiendum sistat? Nos vero sciamus, sanctum apostolum primo, qua decuit gravitate, compescuisse vesanam eorum lasciviam, quibus Dei iustitiam incessere nulla religio est: deinde, piis

1) *Add.* comme nostre Seigneur Iesus en parle.
2) *Add.* sinon qu'il n'y a point un mesme don faict indifferemment à tous.
3) que Dieu leur a ouvert les yeux comme ainsi soit qu'ils les eussent clos comme ceux qui demeurent incredules?
4) cela estant mis sous le pied.
5) Que les malins ou gens desprouveuz de bon iugement murmurent etc.

1) qui abbayent contre ce conseil admirable de Dieu.
2) aucuns gaudisseurs.
3) l'adiourner.
4) quelque iuge de village.
5) Cependant ils babillent de Dieu et de la religion.
6) que S. Paul estoit au bout de son rolle.

Dei cultoribus utilius moderationis consilium dedisse, quam si aquilarum pennis vestitos supra nubes extulisset. Quavis enim sapientia praestantior est sobrietas, quae Dei timore subacta intra praescriptum ab eo intelligendi modum se continet. Eam superbi homines ignorantiae nomine, si libuerit, infament: modo quod in vera sapientia[1]) praecipuum est teneat, Dei voluntatem pro summa iustitiae norma habendo, suam illi propriamque gloriam tribuere.

Pighio tamen et similibus nondum satisfactum est. Nam simulantes curae sibi esse Dei honorem, nobis oblatrant, quasi alienam illi sua natura crudelitatem affingentibus. Negat sibi cum Deo esse certamen. Quam igitur, vel cuius causam sustinet Paulus? Postquam hoc axioma posuit, Deum quem vult indurare, et cuius vult misereri: per anthypophoram subiicit:[2]) Quid ergo [pag. 21] adhuc conqueritur? Voluntati eius quis resistet? Tantae blasphemiae non aliud quam Dei potentiam opponit. Si Deo tyranni personam induunt, qui ad aeternum usque eius consilium referunt hominum indurationem: nos certe non sumus huius sententiae autores.[3]) Si Deo sunt iniurii, quibus eius voluntas omnibus causis potior est, hoc Paulus ante nos tradidit. Cum eo igitur disceptent. Neque enim aliud in praesentia disputo, quam ab eo fuisse proditum quod docemus. Quanquam de canibus istis non adeo essem sollicitus. Magis quorundam non malorum alioqui hominum anxietas me commovet, qui dum metuunt quidquam Deo eius bonitate indignum adscribere, hoc ipsum exhorrent, quod de se per os Pauli Deus testatur. Pium quidem asserendae ab omni calumnia Dei iustitiae studium amplector. Laudanda quoque modestia esset, nisi eam gigneret morositas occulto quodam fastu turgida: siquidem ex proprio sensu loquuntur.[4]) Cur enim verentur, si quid ultra mentis suae captum Dei potentiae concedant, ne periclitetur eius iustitia, nisi quia eius tribunal suae cognitioni subiicere non dubitant? Paulus intolerabilem esse superbiam ostendit, si mortalis homo sibi iudicium in fratrem sumat, quia unus sit iudex, cui stamus omnes et cadimus, et cui omne genu flecti oportet (Rom. 14, 10). Cuius ergo insaniae erit, cristas in iudicem [pag. 22] ipsum attollere, ut eius potestatem sensu nostro metiamur? Ergo qui verecundiam hanc sibi obstare causantur, ne Paulo subscribant: primum fateantur necesse est, quam Deo iustitiae laudem deferunt, se ad animi sui sensum restringere: sin vero de re ipsa nobiscum sentientes, supprimere tamen malunt hanc doctrinae partem, ne habenas laxent impiorum petulantiae, nimis praepostera est ista cautio. Quasi vero nostris mendaciis protegendus sit Dei honor. Ipse vero hoc patrocinium non modo nobis remittit,[1]) sed prorsus exosum esse testatur in libro Iob. Caveant potius, ne maiorem, quam Dominus verbo suo praescribit, prudentiam affectando duplicis insaniae se reos faciant.

Quanquam ut reprimendis impiorum blasphemiis maxime utilis sit, quam commendant, sobrietas: quod tamen homines Deo immorigeros tam facile suis dictatis fraenatum iri sibi persuadent, ridicula est eorum fiducia. Paulus ubi de arcanis Dei consiliis, quatenus opus erat, disseruit, quasi iniecta manu ultra progredi vetat. Calcitrant, proterviunt, ac desultoria levitate ultra finitam sibi metam transvolant inquieti spiritus:[2]) quomodo igitur ad unius vel alterius nutum subsistent, qui angustiores illis stadiis cancellos circumdant?[3]) ac si quis ferocem equum, qui fractis repagulis[4]) exsultat, araneae filo retinere [pag. 23] tentet. Verum, in re tam ardua et recondita nihil melius quam sobrie sapere. Quis negat? Videndum tamen simul est, quis optimus sit sobrietatis modus: ne idem nobis quod papistis contingat, qui ut discipulos habeant obsequentes,[5]) brutis pecudibus similes esse iubent. Haeccine est christiana simplicitas, eorum, quae Deus ostendit, scientiam quasi noxiam refugere? Hoc, inquiunt, absque iactura nescire fas est. Quasi non melius iudicaverit coelestis magister, quid scire et quousque expediat. Ergo ne vel in aquis fluctuemur, vel dubii et vagi circumferamur per medium aerem, vel altius pedem figendo, quam par est, in profundum mergamur: sic nos Deo praebeamus regendos et docendos, ut simplici eius verbo contenti plus scire quam illic reperiemus ne appetamus quidem, etiam si detur facultas. Haec docilitas, qua sensus omnes suos pius homo sub Dei verbo continet, vera est ac unica sapiendi regula. Nam et quousque nos porrecta manu ducit is qui via est, cuius spiritus per apostolos et prophetas loquutus est, tutum est sequi: et supra omnem humanae mentis perspicaciam longe excellit eorum ignorantia, quae in Dei schola non discuntur. Itaque non minus a suis ovibus exigit Christus, ut voci suae auscultent, quam ut alienorum vocibus aures habeant obstructas. Nec sane aliter fieri potest, quam ut in vacuam solida

1) sapientia iam *Gallas. et seqq. omnes.*
2) il demande à l'opposite, comme en la personne des mesdisans.
3) mais le sainct Esprit.
4) *Hoc ultimum comma deest in versione.*

1) il nous quitte une telle façon d'advocasser pour luy.
2) *Add.* non obstant la defense du sainct Esprit.
3) Maintenant si quelques hommes mortels retranchent de ce que S. Paul a dict et veulent tenir les entendemens plus enserrez que l'Escriture ne fait, ie vous prie, ceux qui sont ainsi volages se tiendront ils coys à leur appetit?
4) apres qu'il auroit rompu bride licol et barre.
5) lesquels ne trouvent nulle bonne simplicité.

[pag. 24] doctrina animam inanes undique errorum flatus penetrent. Porro, quam vere profitear, non nisi praeeunte Dei verbo me unquam hac de re verbum fecisse, tametsi ex prioribus meis scriptis, ac praesertim ex mea Institutione facile iudicabunt pii lectores: ex hac tamen hostium, qui se contra opponunt, refutatione, nonnihil novae lucis accedet.

Sed quia odiose nobis ingeritur veteris ecclesiae autoritas, breviter etiam praefari operae pretium est, quam iniustè hac partim falsa, partim frivola invidia prematur Christi veritas. Augustini tamen verbis [1]) potius quam meis, hoc quidquid est criminationis diluere malo. Nam et sanctum virum eodem olim probro vexabant Pelagiani, quod sibi adversos haberet alios ecclesiae scriptores. Primum ergo excusat quod ante exortam Pelagii haeresin non ita subtiliter neque exacte de praedestinatione, id quod erat, tradiderant. Quid igitur opus est, inquit, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum quaestione versari? quod procul dubio facerent, si respondere talibus cogerentur. Prudenter certe non minus quam ingenue dictum. Nisi enim eum exercuissent gratiae Dei hostes, nunquam ad excutiendam Dei electionem adeo fuisset attentus: sicuti fatetur [pag. 25]. Nam in libro cui titulum fecit De bono perseverantiae: [2]) Haec, inquit, certa est ac manifesta praedestinatio sanctorum, quam postea diligentius et operosius, quum adversus novam sectam disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas quasque haereses intulisse ecclesiae proprias quaestiones, contra quas diligentius defenderetur scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Quid autem coegit loca scripturarum, quibus praedestinatio commendata est, copiosius et enucleatius isto nostro labore defendi, nisi quod Pelagiani dicunt, Dei gratiam secundum merita nostra dari: quod nihil aliud est quam gratiae negatio? Porro, aliquanto prius [3]) negaverat, sibi de librorum suorum vetustate praeiudicium debere afferri. Nemo, inquit, tam iniustus est, ut opinor, et tam invidus, qui proficere me prohibeat. Postea tamen simul contendit, ex quibusdam veterum testimoniis posse colligi, non aliter eos, quam tunc doceret, sensisse. Ut aliis supersedeam, plus quam perspicuum est, quod ex Ambrosio citat: [4]) Christus, quem miseratur, vocat. Item: Si voluisset, ex indevotis fecisset devotos; sed Deus quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit. Quis totam huius quaestionis summam his paucis verbis comprehendi non videt? Quod non omnes ad Christum accedunt, ut [pag. 26] salutem consequantur, causam assignat: quia Deus eorum corda efficaciter non tangit. Conversionem hominis ex gratuita Dei electione manare pronunciat. Cur aliis reprobatis alios vocet, in solo eius arbitrio positum esse non dissimulat. His tribus capitibus statum quaestionis contineri et finiri, nemo mediocri iudicio praeditus nescit. Porro Augustinus ipse adeo totus noster est, ut si mihi confessio scribenda sit, ex eius scriptis contextam proferre, abunde mihi sufficiat. Sed ne in praesentia nimium sim prolixus, tribus aut quatuor locis contentus ero, ex quibus constet, ne uno quidem apice me ab ipso differre. Ex continua deinde operis serie plenius constabit, quam solide omni ex parte mihi suffragetur. Libro de praedestinatione sanctorum contra eos se disputare profitetur, [1]) qui peccato Adae obnoxium nasci genus humanum agnoscunt, ac praeveniri Dei gratia hominum voluntates, nec sibi quemquam ad ullum opus bonum vel inchoandum, vel perficiendum sufficere. Quid autem ea confessione maius desiderat, in ipso disputationis progressu ostendit. Ne diceret quispiam, inquit, [2]) Discernit me ab aliis fides mea, iustitia mea, aut aliquid simile, talibus occurrens cogitationibus rogat doctor gentium: Quid habes quod non acceperis? (1 Cor. 4, 7.) A quo autem, nisi ab illo [pag. 27] qui te discernit ab alio, cui non donavit quod donavit tibi? Deinde: [3]) Fides igitur, et inchoata, et perfecta, donum Dei est: et hoc donum quibusdam dari, quibusdam non dari, omnino non dubitet, qui non vult manifestissimis scripturae testimoniis repugnare. Cur autem non omnibus detur, fidelem movere non debet, qui credit ex uno omnes in condemnationem iustissimam venisse. Cur autem istum potius quam illum Deus hinc liberet, inscrutabilia sunt iudicia eius, et viae eius investigabiles. Item: [4]) Si discutiatur et quaeratur, unde quisque sit dignus, non desunt qui dicant: Voluntate humana. Nos autem dicimus: Gratia vel praedestinatione divina. Postea subiicit: [5]) Salvator ipse Dei filius praeclarissimum est gratiae et praedestinationis lumen. [6]) Respondeatur, quaeso: homo ille, ut a verbo patri coaeterno in unitatem personae assumptus filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruerit. [7]) Quod enim eius bonum qualecunque praecessit? Quid egit

1) Lib. de praedest. Sanct. cap. 14.
2) Cap. 20.
3) Cap. 12.
4) Eiusdem lib. cap. 19.

1) Cap. 1.
2) Cap. 5.
3) Cap. 9.
4) Cap. 10.
5) Cap. 15.
6) miroir.
7) qu'est-ce qu'avoit merité ceste nature humaine qu'il a prinse, pour estre unie en une mesme personne à la sagesse eternelle de Dieu *etc.*

ante? quid credidit? quid petivit, ut ad tantam dignitatem perveniret? Hic Deo aliquis hominum obmurmuret ac dicat: Cur non et ego? si audierit: O homo, tu quis es qui respondeas Deo? neque ita se cohibeat, sed augeat impudentiam, et dicat: Quomodo audio: Tu quis es, o homo? quum sim homo sicut ille de quo ago, cur non sum quod ille est? At enim gratia ille talis ac tantus est. Cur diversa est gratia, ubi natura communis [pag. 28] est? Certe non est acceptio personarum apud Deum. Quis, non dico christianus,[1]) sed insanus haec dicat? Appareat igitur in capite nostro fons gratiae: unde, secundum cuiusque mensuram, se per cuncta membra diffundit. Ipsa est praedestinatio sanctorum, quae in sancto sanctorum maxime claruit. Et paulo post:[2]) Sicut praedestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset: ita et multi sumus praedestinati, ut essemus eius membra. Ac ne quis fidei hoc tribueret, quod alter alteri praefertur, negat eligi eos qui crediderunt: sed potius, ut credant. Similiter ad Syxtum:[3]) Cur credat hic, non credat ille, cur hunc potius liberet Deus quam illum, scrutetur tam magnum profundum qui potest, sed caveat praecipitium. Rursus alio loco:[4]) Quis reprobos creavit, nisi Deus? Et cur, nisi quia voluit? Cur voluerit, o homo, tu quis es qui respondeas Deo? Item alibi,[5]) postquam disputavit, nullis hominum meritis Deum provocari, ut mandatis suis faciat obsequentes, sed retribuere illis bona pro malis, propter se, non propter illos, tandem subiicit: Si quis roget, cur istos homines Deus oves faciat, istos non faciat, istam esse quaestionem, quam apostolus expavescens exclamat: O altitudo, etc. (Rom. 11, 33). Quemadmodum vero electionis initium ex gratuita Dei voluntate deducens, reprobationem in mero eius arbitrio statuit: sic [pag. 29] et salutis nostrae firmitudinem non alibi fundatam esse docet. Nam ad Paulinum scribens,[6]) eos qui non perseverant, ad vocationem Dei, quae efficax est ac sine poenitentia, pertinere negat. Cur autem alii pertineant, alii non, occultam esse causam, non iniustam. Esse enim hanc altitudinem iudiciorum Dei, quae ideo vocantur iudicia, ne quid iniustum imaginemur. Fusius tamen in alio opere perseverantia donari electos contendit, qua excidere nunquam possint.[7]) Cur perseverantiam non dederit

1) un mescreant.
2) Cap. 17.
3) Ep. 105 (194). *Beza et Amst. exhibent:* Sextum. *Gallus:* Sixt. (*Sixtus ille erat presbyter romanus; postea fuit episcopus nominis sui tertius.*)
4) Ad Bonifacium epistol. 106.
5) Lib. ad Bonif. 4 cap. 6.
6) Ep. 59.
7) De correpet. et grat. ad Valent. cap. 8.

Deus, quibus christiane vivendi affectum[1]) dedit, me ignorare respondeo. Non enim arroganter, sed modulum meum agnoscens, audio dicentem Paulum: O homo tu quis es? Item quando rogavit Christus, ne deficeret fides Petri, quid aliud rogavit, nisi ut haberet in fide liberrimam, fortissimam, invictissimam, perseverantissimam voluntatem? Mox subiicit: Mirandum quidem, multumque mirandum, quod filiis suis quibusdam, quos regeneravit in Christo, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, non simul det perseverantiam, quum filiis alienis scelera tanta dimittens, suos faciat. Quis hoc non miretur? quis non vehementer stupeat? Certe hic iudicia Dei, quoniam iusta et alta sunt, nec vituperari, nec penetrari queunt. In his est et illud de perseverantia, de qua disputamus.[2]) De utrisque ergo exclamemus [pag. 30]: O altitudo! Dixerat autem prius:[3]) Firmum stat Dei fundamentum, habens signaculum hoc: Novit Dominus qui sunt sui (2 Tim. 2, 19). Horum fides quae per dilectionem operatur, profecto aut omnino non deficit, aut si qui sunt quorum deficit, reparatur antequam vita ista finiatur: et deleta, quae intercurrerat, iniquitate, usque in finem perseverantia deputatur. Qui vero perseveraturi non sunt, ac sic a fide christiana lapsuri sunt, ut tales eos vitae finis inveniat, procul dubio nec illo tempore, quo bene pieque vivunt, in isto numero computandi sunt. Non enim sunt a massa illa perditionis praescientia Dei et praedestinatione discreti: et ideo nec secundum propositum vocati. Ne quis autem perturbet,[4]) quod interdum excidunt, qui filii Dei habiti fuerant, huic quoque dubitationi occurrens: Absit ut deficiant, inquit,[5]) si de illis praedestinatis essent, et secundum propositum vocatis, qui vere sunt promissionis filii. Nam isti quum pie vivunt, dicuntur filii Dei: sed quoniam victuri sunt impie, et in eadem impietate morituri, non eos praescientia Dei sic dicit. Sunt enim filii Dei, qui nondum sunt nobis, et iam sunt Deo: sunt rursus qui propter susceptam vel temporaliter gratiam dicuntur a nobis, nec tamen sunt Deo. Item: Christo intelliguntur dari, qui ordinati sunt in vitam [pag. 31]. Isti sunt praedestinati, et secundum propositum vocati, quorum nullus perit: ac per hoc nullus ex bono in malum mutatus vitam hanc finit: quia sic est ordinatus, et ideo Christo datus, ut non pereat, sed habeat vitam aeternam. Paulo post: Quicunque Dei providentissima dispositione praesciti, praedestinati, vo-

1) quelque bonne affection *caett. om.*
2) *Hoc comma abest a gallico exemplari.*
3) Cap. 7 eiusdem libri.
4) *Sic edd. latinae omnes, verum sine dubio legendum:* perturbetur (à fin que nul ne fust troublé).
5) Cap. 9.

cati, iustificati, glorificati sunt, non dico etiam nondum renati, sed etiam nondum nati iam filii Dei sunt, et omnino perire non possunt.[1]) Rationem mox annectit: Quia talibus omnia Deus cooperatur in bonum: et quidem usqueadeo prorsus omnia, ut si qui eorum deviant et exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum: quia humiliores redeunt et doctiores. Quod si altius conscenditur, et de prima hominis creatione movetur quaestio, eam quoque sic exsequitur:[2]) Saluberrime confitemur, quod rectissime credimus, Deum Dominumque rerum omnium, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura praescivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis bene facere, quam mala esse non sinere: sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet quid posset liberum arbitrium: deinde, quid posset gratiae suae beneficium, iustitiaeque iudicium. In enchiridio vero ad Laurentium[3]) quod residuum [pag. 32] dubitationis esse posset, liberius explicat: Quum extremo die, inquit, in iudicium mundi apparuerit Christus, tunc in clarissima luce sapientiae videbitur, quod nunc piorum habet fides, antequam manifesta cognitione videatur, quam certa, immutabilis, et efficacissima sit voluntas Dei: quam multa possit, et non velit: nihil autem velit quod non possit: quamque sit verum, quod in Psalmo (115, 3) canitur: Deus noster in coelo, omnia quae voluit, fecit. Quod utique non est verum: si aliqua voluit, et non fecit. Non fit ergo aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Nec dubitandum est, Deum facere bene, sinendo fieri, quaecunque fiunt male. Non enim hoc nisi iusto iudicio sinit. Quamvis ergo quae mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen ut non solum bona, sed etiam sint et mala, bonum est. Nam nisi esset hoc bonum, ut essent et mala, nullo modo esse sinerentur ab omnipotente bono. Cui procul dubio quam facile est quod vult facere, tam facile est, quod non vult esse, non sinere. Hoc nisi credamus, periclitatur ipsum fidei nostrae initium, qua nos in Deum omnipotentem credere confitemur. Tandem clausulam addit:[4]) Haec sunt magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius: et tam sapienter exquisita, ut quum angelica et humana creatura [pag. 33] peccasset: id est, non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturae voluntatem, qua factum est quod creator noluit, impleret ipse quod voluit, bene utens et malis tanquam summe bonus ad eorum damnationem quos iuste praedestinavit ad poenam, et ad eorum salutem, quos benigne praedestinavit ad gratiam. Quantum enim ad ipsos pertinet, quod Deus noluit, fecerunt. Quantum vero ad omnipotentiam Dei, nullo modo id efficere valuerunt. Hoc quippe ipso quod contra Dei voluntatem fecerunt, de ipsis facta est Dei voluntas. Propterea namque magna opera Domini exquisita in omnes voluntates eius, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam contra eius fit voluntatem: quia non fieret, si non sineret: nec utique nolens sinit, sed volens. Haec pauca ex multis excerpere libuit, unde perspiciant lectores,[1]) quam verecunda fronte Pighius Augustinum a nobis disiungat, adeoque erroris sui suffragatorem advocet. Nam in continua disputationis serie, huius sancti viri testimoniis subinde utendum erit.

Nunc quod praecipuum est, agamus: nihil hac de re a me proditum, nisi quod Deus scripturae oraculis nobis omnibus clare dictat. Quod ex aeterna Dei electione pendeat salus fidelium, cuius nulla praeter gratuitum eius beneplacitum [pag. 34] causa reddi potest, diserta sunt Pauli verba primo ad Ephesios capite. Benedictus, inquit (v. 3 seq.), Deus, qui nos benedixit in Christo: sicuti nos in eo elegerat ante mundi creationem. Audio quid garriat Pighius:[2]) Electum esse in Christo genus humanum, ut quicunque eum fide amplexi fuerint, salutem consequantur. Sed in hoc commento duae sunt crassae hallucinationes, quas Pauli verbis refellere promptum est. Nam primo certe inter electos et reprobos mutua est relatio: ut stare electio de qua loquitur, nequeat, nisi fateamur Deum certos homines, quos illi visum est, ab aliis segregasse.[3]) Quod ipsum praedestinandi verbo, quod bis postea repetit, exprimitur. Ad haec eos dicit electos qui fide insiti sunt in Christi corpus: quod omnibus nequaquam commune esse, palam est. Solos itaque eos designat, quos vocatione sua dignatur Christus, postquam illi a patre dati sunt. Fidem vero facere electionis causam, nimis absurdum est, atque a Pauli verbis dissentaneum. Neque enim, quod prudenter animadvertit Augustinus,[4]) electos esse pronunciat, quia credituri essent, sed ut crederent: non electos dicit quos Deus praeviderat fore sanctos et immaculatos, sed ut tales fierent. Item: Non

1) *Omnia fere quae hic ex Augustino passim describit in gallico strictius et brevius dicta leguntur.*
2) Lib. de corrept. et grat. cap. 10.
3) Cap. 95 *seq.*
4) Ibid. cap. 100.

1) afin que ce fust comme un preparatif aux simples, à ce qu'ils ne reiettent point comme nouveau ce qu'ils verront avoir esté si bien exprimé par ce sainct docteur, et aussi qu'ils cognoissent comment ie m'accorde du tout avec luy (*caett. om.*).
2) et ses semblables.
3) car Dieu en choisissant a separé les siens d'avec les autres, tellement qu'il ne peut avoir esleu sans avoir quant et quant reietté.
4) Lib. de praedest. sanct. cap. 17, 18, 19.

quia credidimus, ipse nos elegit, sed ut nos credamus: ne priores videamur ipsum elegisse. Fructum divinae electionis et effectum [pag. 35] Paulus esse clamat, quod sancti esse incipimus. Ergo nimis praepostere faciunt, qui fidei electionem subiiciunt. [1]) Deinde quum unicam electionis causam statuat, Dei beneplacitum quod habuit in se ipso, alias omnes causas excludit. Ideo recte Augustinus nos illuc revocari admonet, ne placito gloriemur voluntatis nostrae. Sequitur apud Paulum (Eph. 1, 8): Gratia sua Deum in nos exundasse in omni prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis suae secundum beneplacitum quod in se ipso proposuerat. Audis illuminationis gratiam, quasi rivum esse ex fonte aeterni illius consilii fluentem, quod ante absconditum fuerat. Multum ergo abest, quin Deus in nobis eligendis aliquem fidei respectum habuerit, quae nulla esse poterat, nisi eam adoptionis suae gratia nobis destinasset. Et Paulus iterum confirmat, non aliunde inductum fuisse Deum: sed ipsum sibi fuisse autorem et causam, cur nondum creatos eligeret, quibus postea et fidem conferret. Secundum propositum eius, inquit, qui omnia efficit secundum consilium voluntatis suae (ibid. v. 11). Quis aeternum Dei propositum nostro opponi non videat? Quod etiam ab Augustino rite expensum est: qui usque adeo Deum operari omnia interpretatur, ut velle quoque nostrum, quo credimus, efficiat. Iam satis evictum esse arbitror, quos nunc Deus per evangelium in spem salutis vocat [pag. 36], quos in Christi corpus inserit, quos facit vitae aeternae haeredes, aeterno arcanoque consilio sibi in filios adoptasse: atque ut adoptaret, usque adeo non fuisse eorum fide provocatum, ut fidei causa et principium sit ipsa electio: unde ordine priorem esse constat.

Nihilo obscurius est, quod octavo ad Romanos capite habetur. Nam quum dixisset, omnia adiumento esse fidelibus qui Deum diligunt: ne felicitatis suae exordium a se ipsis peterent homines, quasi suo Deum amore ad promerendum tale beneficium praeveniant, correctionis vice mox attexit: Qui secundum propositum vocati sunt. Videmus ut priores Deo partes nominatim vindicet, qui vocatione sua efficit, ut diligere incipiant, qui nihil poterant quam odisse. Nam ut totum hominis ingenium excutias, quae ad Deum amandum illic propensio reperietur? Imo Paulus eodem capite omnes carnis sensus Deo inimicos esse pronunciat. Si omnes natura hostes et Deo adversi, sola eius vocatione discerni palam est, qui deposito odio animos ad eum amandum convertant. Porro minime dubium est, quin efficax hic vocatio notetur, qua regenerat Deus, quos sibi prius in filios adoptavit.

1) comme si l'on mettoit la racine apres le fruit.

Neque enim simpliciter dicit vocatos (quod in reprobos plerumque competit, quos Deus promiscue cum filiis suis ad poenitentiam [pag. 37] fidemque invitat) sed vocatos secundum propositum, quod stabile ipso effectu ratumque esse oportet. Nam de hominis proposito insulse hunc locum exponi, Augustinus [1]) optime coarguit: et ipse contextus omnem scrupulum eximit, ne alieno opus sit interprete. Sequitur enim: Quos praedestinaverat, vel definierat, eosdem vocavit: et quos vocavit, eos iustificavit. Hic de certo numero se loqui demonstrat quem sibi Deus in peculium destinavit. Nam quum et aliis modis, et praesertim externo hominum ministerio vocet permultos: neminem, nisi quem ad vitam ordinavit, iustificat, ut tandem glorificet. Est igitur specialis quaedam vocatio, quae aeternam Dei electionem sic obsignat et sancit, ut patefaciat quod prius fuit in Deo absconditum.

Scio quid hic nonnulli cavillentur: Quum praedestinatos Paulus dicat quos Deus praescivit, suae quemque fidei respectu eligi. Sed ego illis quod falso imaginantur, non concedo, intelligi quidquam fuisse a Deo praevisum, quod conciliaret illis gratiam: sed quia gratuito electi sint, fuisse praecognitos. Quemadmodum alibi docet idem Paulus, Deum novisse qui sint sui (2 Tim. 2, 19), quia scilicet notatos, et quasi in suo censu numeratos habeat. Neque hoc quoque ab Augustino [2]) omissum est: Praescientiae nomen [3]) pro Dei [pag. 38] consilio accipi, quo suos in salutem praedestinat. Praesciri a Deo, quinam futuri sint vitae haeredes, nemo non fatetur. Hoc modo in quaestione versatur, praevideatne quid in ipsis facturus sit, an quales a se ipsis sint futuri. Futilis autem argutia est, arrepta praescientiae voce, electionem, quam Paulus ubique in solo Dei proposito includit, hominum meritis alligare. Petrus electos salutat, secundum praecognitionem Dei (1 Pet. 1, 2). An quod praevisa in ipsis aliqua virtus Dei favorem ad eos inclinaverit? Atqui Petrus homines inter se non confert, ut alios aliis faciat digniores: sed decretum quod in se Deus statuit, supra causas omnes in sublimi locat: ac si diceret, nunc censeri inter Dei filios, quia priusquam nascerentur electi fuerint. Secundum hanc rationem eodem capite docet, Christum ante mundi creationem fuisse praecognitum, ut sacrificio suo mundi peccata ablueret. Quo procul dubio significat, expiationem ab eo completam aeterno Dei scito [4]) fuisse ordinatam. Nec aliter exponi potest quod in Petri concione apud Lucam habetur: Christum definito Dei consilio et praescien-

1) Lib. ad Bonif. 2 cap. 9 et aliis locis.
2) Lib. de Bono persever. cap. 18.
3) *Princeps male scripserat:* nomen non *etc.*
4) consilio *Beza.*

tia in mortem traditum esse (Act. 2, 23). Sic enim praescientiam consilio adiungit, ut discamus, neque fortuito, neque violento hominum impetu abreptum fuisse Christum ad mortem:[1]) sed quia Deus, optimus et sapientissimus [pag. 39] cognitor, ita consulto statuerat. Et unus Pauli locus ad dirimendam omnem controversiam apud sanos lectores sufficiet. Deum plebem suam, quam praescivit, repulisse negat (Rom. 11, 2). Mox qualis illa fuerit cognitio, declarat: quod reliquiae secundum electionem gratiae salvae factae sunt (ibid. v. 5). Item, quod Israel operibus non sit consequutus quod quaerebat: sed electio sit consequuta (ibid. v. 7). Quam priore loco praescientiam vocavit, postea electionem esse definit, et quidem gratuitam.

Puerile figmentum est, quod gratiam Pighius interpretatur, quia Dominus omnes in Adam perditos ad salutem nihilominus invitat. Clare enim Paulus Deo praecognitos a reliquis discernit, quos aspectu suo dignatus non est. Quod idem non obscure expressum est Christi verbis: Quidquid dederit mihi pater, ad me veniet: et eum qui venit ad me, non eiiciam foras (Ioann. 6, 37). Tria breviter quidem, sed tamen perspicue hic habemus: Quotquot veniunt ad Christum, prius illi a patre esse datos: deinde omnes qui dati sunt, quasi de manu in manum illi tradi, ut vere eius fiant: postremo fidum esse omnium custodem, quos in eius fidem ac praesidium pater tradidit, ut neminem perire sinat. Nunc si fidei principium quaeritur, respondet Christus: ideo credere qui credunt, quia sibi donati sunt a patre. Magnum plebi imperitae [pag. 40] obstaculum[2]) erat scribarum incredulitas, quod vulgo persuasum erat, nullam doctrinam fide dignam esse, nisi quae eorum suffragio recepta esset. Clamat ex adverso Christus, singulare esse Dei donum lucem illam, qua in salutis viam dirigimur. Si quis tergiversetur, dari Christo quos pater in eo elegit:[3]) manet tamen istud fixum, donationem non fide modo superiorem esse, sed eius causam ac originem. Sed in altero membro longe plus subest ponderis. Neque enim tantum venire ad se alios negat, nisi quibus porrecta fuerit a Deo manus: sed omnes qui sibi donati sunt, sine exceptione, credere affirmat. Quod in disputationis contextu uberius confirmat. Nemo, inquit, ad me potest venire, nisi pater meus traxerit eum (Ioann. 6, 44). Fatebitur Pighius illuminatione opus esse, ut ad Christum redeant homines, qui a Deo erant aversi: sed interea fingit, offerri peraeque omnibus

1) *Add.* comme s'il eust esté contraint de souffrir à leur appetit.
2) scandale.
3) *Add.* et que par ce moyen il luy donne ceux qui croyent.

gratiam, hominum autem arbitrio, utcunque eam recipere libuerit, efficacem demum esse. At vero Christus alium verborum suorum sensum esse testatur: Sunt quidam ex vobis qui non credunt: propterea dixi vobis, nemo potest ad me venire, nisi illi datum fuerit a patre meo (ibid. v. 64 seq.). Vides ut incredulos eorum numero excludat qui trahuntur. Nam hoc prorsus intempestive effutiret, nisi speciale donum esset fides. Sed hoc omnium [pag. 41] clarissimum, quod postquam Iesaiae vaticinium adduxit: Erunt omnes docti a Deo (Ies. 54, 13; Ioann. 6, 45), mox interpretationis loco addit: Omnis ergo qui audivit a patre meo et didicit, venit ad me. In eo docet impleri Iesaiae vaticinium, quod Deus spiritu suo intus discipulos alloquitur, ut Christo in possessionem tradat. Hunc instaurandae ecclesiae modum definit Iesaias, ut omnes eius filii divinitus edocti sint. Peculiare ergo beneficium commemorat, quo Deus non nisi ecclesiae filios dignatur. Christus efficaciter hoc doctrinae genere ad se trahi pronunciat, quorum mentes et corda Deus compellat. Sic enim interius docet eos, inquit Augustinus,[1]) qui secundum propositum vocati sunt, simul donans et quid agant, scire, et quod sciunt, agere. Qui autem novit quid fieri debeat, et non facit, nondum a Deo didicit secundum gratiam, sed secundum legem: non secundum spiritum, sed literam. Paulo post:[2]) Si, ut dicit veritas, omnis qui didicit venit, quisquis non venit, profecto nec didicit. Concludit tandem: Non est consequens, ut qui potest venire, etiam veniat, nisi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit a patre, non solum potest venire, sed etiam venit, ubi iam et possibilitatis profectus, et voluntatis affectus, et actionis effectus est. Neque Augustinum ideo in praesentia adduco testem, quod eius autoritate [pag. 42] pugnem, sed quia eius verbis aptiora non suppetunt, quibus evangelistae mentem exprimam. Quod si nondum quidam acquiescant, alibi[3]) plenius edisserit. Quid est: Omnis qui audivit a patre et didicit, venit ad me, nisi: Nullus est qui audiat et discat a patre, et non veniat ad me? Si enim omnis qui audivit a patre et didicit, venit: profecto omnis qui non venit, non audivit a patre, nec didicit. Nam si audisset et didicisset, veniret. Valde remota est a sensibus carnis haec schola, in qua pater auditur et docet, ut veniatur ad filium. Paulo post: Haec gratia quae occulte humanis cordibus tribuitur, a nullo duro corde recipitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primum auferatur. Quando itaque pater intus auditur,

1) Lib. 1 de gratia Christi contra Pelag. et Coelest. cap. 13.
2) Ib. cap. 14.
3) Lib. de praedestin. Sanctor. cap. 8.

aufert cor lapideum, et dat cor carneum. Sic quippe facit filios promissionis et vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam. Cur ergo non omnes docet ut veniant ad Christum, nisi quia omnes quos docet, misericordia docet: quos autem non docet, iudicio non docet? quoniam cuius vult miseretur, et quem vult obdurat. Quanquam breviore compendio potest huius quaestionis summa perstringi. Trahi a patre Christus dicit, non quibus flexibile cor datur, ut venire ad eum possint: sed quorum Deus spiritu suo cor intus afficit, ut re ipsa veniant. Id non omnibus promiscue dari, experientia [pag. 43] vel caecis demonstrat.

Iam quod neminem ex eorum numero se eiicere pronunciat, quin potius repositam in tuto esse omnibus vitam, donec excitet eos in novissimo die: quis non videt finalem, ut vulgo loquuntur, perseverantiam Dei electioni similiter adscribi? Fieri potest, ut a fide quidam excidant: sed qui sibi a patre donati sunt, extra ruinae periculum Christus esse asserit. Quemadmodum et alio loco (Ioann. 10, 26 seqq.), postquam dixit ex Iudaeis quosdam non credere, quia ex ovibus suis non essent, oves ipsas quasi in securo salutis portu collocat. Non peribunt, inquit, in aeternum: nec rapiet eas quisquam a manu mea. Pater qui dedit mihi, maior omnibus est. Hunc tam firmum salutis statum Pighius in fide praesenti fundare non audebit: quum eam a libero hominis arbitrio suspendat.[1]) Nec quasi de re ambigua disputandum, ubi Christus, cunctis Satanae machinationibus suam unius tutelam opponens, ideo tutos ad extremum usque nos fore pronunciat, quia servare velit. Porro ne cui dubium sit, quos fide sua protegendos suscipiat, iterum nos revocat ad patris donationem. Nec vero leviter praetereundum, quod potentiorem quibuslibet adversariis Deum facit, ne minor sit nobis salutis securitas, quam potentiae Dei reverentia. Ergo inter tam violentos [pag. 44] insultus, tam varia discrimina, tantas procellas et agitationes, in eo tamen consistit status nostri perpetuitas, quod Deus, quod de salute nostra apud se decrevit, brachii sui virtute constanter tuebitur. Si quisque nostrum se aspiciat: quid potest aliud quam trepidare? Nam circa nos omnia nutant: et nihil nobis imbecillius. Sed quia coelestis pater, quos filio donavit, perire non sinet, quantum habet hic potentiae, tam certa est nobis fiducia et gloriatio: quia ideo fortis est, ut constans et invictus appareat suae donationis assertor. Nam ut scite Augustinus[2]) dicit: Horum si quisquam perit, fallitur Deus. Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus. Horum si quisquam perit, humano vitio Deus vincitur. Sed nemo

1) *Add.* ou plustost qu'elle pende de là comme d'un filet.
2) Lib. de corrept. et grat. cap. 7.

perit, quia nulla re vincitur Deus. Electi enim sunt, ut perpetuo regnent cum Christo: non sicut Iudas ad munus temporale cui congruebat. Item:[1]) Ex istis nemo perit, quia omnes electi, et secundum propositum, non suum, sed Dei. Si quidem non tale modo illis perseverantiae donum confertur, ut postea declarat, quo possint si velint: sed quo non nisi perseverantes sint. Quod optima ratione confirmat. Nam si in tanta infirmitate vitae huius (in qua tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adiutorio Dei [pag. 45], sine quo perseverare non possent, manerent si vellent, nec Deus operaretur ut vellent: inter tot et tantas tentationes voluntas ipsa infirmitate sua succumberet, et ideo perseverare non possent: quia deficientes infirmitate, nec vellent, aut non ita vellent ut possent. Subventum ergo est infirmitati voluntatis humanae, ut divina gratia indeclinabiliter et inseparabiliter ageretur, et ideo quamvis infirma non deficeret, nec infirmitate aliqua vinceretur.

Prodeat nunc in medium memorabilis ille Pauli locus, et qui unus ad dirimendam controversiam apud sobrios et morigeros Dei filios abunde valere debebat. Etsi autem Cyclopem Pighium contemptim Pauli verba illudere mirum non est:[2]) facturum tamen me spero, ut sani omnes tam barbaram profanandae scripturae audaciam detestentur. Quia Iudaei ecclesiae titulo superbientes, hoc ipso praetextu evangelium respuebant, quod fictitiae ecclesiae consensu damnatum foret: ne tam indigno fastu obruatur evangelii maiestas, larvam, qua se venditabant, Paulus illis detrahit.[3]) Erat sane arduum infirmis obstaculum, quum doctrinam Christi ab iis fere omnibus reiici viderent, quos Deus aeterni sui foederis haeredes constituerat. Iesum esse Dei Messiam apostoli praedicabant. Reclamabat tota natio, cui promissus fuerat Messias. Et [pag. 46] quid mirum? quandoquidem hodie quamplurimos videmus obiecto hoc evanido fuco labascere, dum se papistae ecclesiam esse iactant.[4]) Hoc itaque modo cum Iudaeis congreditur Paulus, quod legitimos Abrahae filios nequaquam faciat carnale genus: sed soli filii promissionis in semine censeantur. (Rom. 9, 8.) Poterat autem ex fide aestimare: idque consentaneum erat, quum in promissione discrimen inter genuinos et spurios statueret. Idque prius fecerat (Cap. 2 et 4): sed nunc altius conscendit: esse filios promissionis, quos Deus, antequam nascerentur, elegit.

1) Ibid. cap. 12.
2) Or combien que les contempteurs de Dieu trouvent des cavillations pour obscurcir et brouiller tout: i'espere *etc.*
3) *Add.* monstrant que c'est une arrogance frivole à eux d'usurper le nom de l'Eglise de leur costé.
4) Erat sane . . . . . . iactant. ***Totum hoc comma abest a gallico.***

Citat enim quod ab angelo promissum fuit Abrahae (Gen. 18, 10): Secundum hoc tempus veniam, et erit Sarae filius: ac si diceret: antequam in utero conceptus esset Isaac, fuisse a Deo cooptatum. Non solum autem hoc, inquit: sed quando ex uno concubitu patris nostri Isaac gravida erat Rebecca, quum nondum nati essent pueri, necdum quidquam boni fecissent vel mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum est: Maior serviet minori, sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. (Rom. 9, 11 seqq.)

Unum hunc esse ex difficillimis scripturae locis Pighius [1]) causatur. Quod ut concedam, ita impium eius latratum minime ferendum esse dico, quum inextricabilem labyrinthum esse [pag. 47] iactat. Quid enim? An spiritum per os Pauli loquentem sibi dicemus excidisse, ut ultra quam utile erat nos abduceret? [2]) Promptum illi erat, ut iam dixi, veros Abrahae filios ab adulterinis [3]) sola fidei nota distinguere. Quaestionem electionis, quae longe remotior erat, data opera accersit. Certe quum sibi supra tertium coelum rapto arcana revelata fuisse commemorat, quae effari homini fas non est (2 Cor. 12, 2), satis demonstrat modum sibi notum esse, quousque progredi in publicandis Dei arcanis expediat, simul et liceat. Quum igitur quaestionem, quae populariter et brevi compendio expediri poterat, ultro huc deduxerit: quisnam piorum se attentum docilemque praebere dubitet? Nisi forte [4]) sperandum est, ut spiritum Dei ultra suas metas lascivientem furiosus Cyclops sua moderatione cohibeat. Addit: Unum esse ex locis quos indocti homines et instabiles in suam ipsorum perniciem corrumpunt. Quod ut fateri cogat, ipse nimis luculento documento extorquet: adeo licentiose torquet ac pervertit totum Pauli contextum. Quod lectores hortatur, ut in obscuris istis et ad explicandum difficilibus locis se in ecclesiae obsequio contineant, me quoque suffragatorem haberet, si modo illis Christi ovile, non foetidam porcorum haram ostenderet. Quid enim est ecclesia Pighio, nisi ille omni impietatum [pag. 48] congerie refertus et inexpletus errorum omnium gurges? Postrema admonitio est: Ne quid lectores admittant ab immensa Dei bonitate alienum, vel quo in eius odium potius quam in amorem incitentur. Atque hic plenis velis in Deum invehitur, si quos ab ipsa creatione exitio destinet. Atqui, etiam si tota haec doctrina supprimatur, nunquam tamen reprobos deficiet occasio, quin Deum et exosum habeant et sacrilegiis suis impetant. Sed quaenam illis sit obstrependi ratio, ubi mens Pauli exposita fuerit, suo loco expendetur. Nunc quid diserte et absque ullis ambagibus exprimat Paulus, mecum audire ne recusent quicunque sustinent in Dei schola doceri.

Duos nobis filios Isaac proponit, qui quum ambo in sancta domo, quasi in Dei sacrario, pariter geniti sint, tamen in dissimilem sortem Dei oraculo segregantur. Causam discriminis, quae alioqui in utriusque meritis quaesita esset, recondito [1]) Dei consilio assignat, ut propositum Dei maneret. Constitutum Deo fuisse audimus, ex duobus geminis alterum tantum eligere. Haec Pauli verba Pighius insulso cavillo, tanquam porcus rostro, evertere conatur. [2]) Gratiae electionem fuisse respondet, [3]) quia nihil tale promeritus erat Iacob. Sed quum in eo gratiam commendet Paulus, quod altero reiecto unus [pag. 49] eligitur, hic certe concidit quod fingit Pighius de universali gratia. Non simpliciter docet Paulus, ut stabilis foret Dei electio, Iacob vitae fuisse nuncupatum haeredem: sed fratre posthabito, ius primogeniturae illi delatum. Nec vero me fugit quid oblatrent quidam alii canes, quid etiam obmurmurent imperiti: Testimonia, quae citantur a Paulo, [4]) neque de vita aeterna, neque de aeterno exitio tractare. Verum si vera theologiae principia, quae trita esse decebat omnibus Christianis, isti tenerent, paulo modestius loquerentur. Responsum enim quod Rebeccae datum fuit (Gen. 25, 23), eo spectabat: Dissidii, quod in utero sentiebat, hunc fore exitum, ut penes minorem resideret Dei benedictio et vitae aeternae foedus. Quorsum enim lucta, nisi quod duo simul foederis haeredes esse non poterant, quod iam arcano Dei consilio uni erat destinatum? Excipiunt, ad terram Canaan id referri: de qua etiam sermo apud Malachiam habetur (Mal. 1, 2). [5]) In quo forte audiendi essent, si Iudaeos Deus in terra Canaan, quasi pecudes in hara, saginasset. Atqui, longe diversum est prophetae consilium. Nam et quia terram illam Deus Abrahae quasi externum potioris haereditatis symbolum [6]) promiserat, et eius posteris

1) Lib. 9, cap. 2.
2) *Add.* et nous plongeant en tenebres au lieu de nous enseigner.
3) les fardez et faussement pretenduz.
4) Nisi forte sperandum est . . . . . . in Dei schola doceri. *Haec in gallico plane aliter sonant*: Bref, si nous refusons d'ouyr ce qu'il nous monstre, cela est pleinement desdaigner de recevoir ce qui nous est monstré par l'Esprit de Dieu. Nous verrons cy apres quelle occasion les meschans ont de murmurer en ce qui semble estrange de prime face: pour le present contentons nous d'apprendre en l'escholle de Dieu, sachans qu'il est si bon maistre, que tout ce que nous tiendrons de luy nous sera profitable à salut.

1) estroit et caché.
2) *Hoc comma in gallico omissum.*
3) ils sont contraints de confesser.
4) de Moyse et du prophete Malachie (Rom. 9, 12).
5) *de Malachia hic tacet Gallus.*
6) une arre ou marreau.

ipsam dederat possidendam ut eos in populum sibi peculiarem colligeret, et sanctuarium,[1]) praesentis suae gratiae testimonium illic [pag. 50] erexerat, fines istos non immerito reputat propheta. Denique terram Canaan pro sacro Dei domicilio habet, cuius habitatione quum privatus foret Esau, odio habitum colligit: quoniam a sancta electaque familia abdicatus erat, in qua perpetuus residet Dei amor. Nobis quoque intuenda est illa terrae qualitas quam illi Deus indiderat, ut pacti spiritualis, cum Abrahae semine initi, arra quaedam esset vel pignus. Non abs re ergo Paulus gratuitam electionem in Iacob ratam fuisse commemorat (Rom. 9, 12), quia nondum natus, reiecto fratre, ad potiendam haereditatem destinatur. Sed Paulus ultra etiamnum pergit: dignitatem hanc non operibus fuisse partam, neque operum respectu collatam ipsi Iacob. Neque id modo: sed Dei providentia sic discretos fratres, antequam boni quidquam vel mali egissent. Itaque, non ex operibus, sed ex vocante profectum fuisse discrimen constituit.

Hic a Pighio nobis rancida illa distinctio obtruditur: Non venisse quidem anteacta opera in rationem, quae nulla erant, sed firmam Dei electionem fuisse in Iacob, cuius fidem et obedientiam Deus praevidebat. Et argute[2]) scilicet in nomine Israel philosophatur, quod a Deo videndo sit cognominatus: ut sciamus veros demum esse Israelitas, qui se propria malitia non excaecant, sed ad Deum, ubi illis apparet, conspiciendum aperiunt [pag. 51] oculos. Atqui, ridiculum est, quod dum alios studet facere tam perspicaces, talpa ipse caecior est. Diversa enim prorsus etymologia a Moyse exprimitur: quod cum angelo Dei congressus superior in certamine fuisset. Israel enim, Deo potentem, vel dominantem Deo sonat.

Sed quibus, obsecro, ita poterit oculos configere vel eruere, ut eius ineptias non animadvertant? Boni quidquam vel mali ipsos fecisse, quorsum negat Paulus, nisi ut omnem meriti respectum tollat? imo nisi ut praecise affirmet, Deum non aliunde suspensas habuisse rationes, quum tam diversum de gemellis fratribus iudicium tulit? Scio quam tritum fuerit effugium istud: scire tamen primum velim, si communi naturae relicti forent Esau et Iacob, quid bonorum operum in secundo magis quam in priore Deus reperisset. Peraeque sane ambo lapidei cordis duritia oblatam salutem repulissent. Ideo ambobus, inquit Pighius, flexibile cor datum est, ut gratiam possent amplecti: sed alter libero arbitrio quod poterat voluit, alter recusavit. Quasi non velle etiam dari Paulus testetur: quasi non se facturum Deus promittat, ut in praeceptis suis Israel ambulet.[1]) . At, Pighii iudicio, Ioannes (1, 12) reclamat, Deum nobis potestatem dedisse filios Dei fieri. Primum in eo hallucinatur phreneticus iste, quod potestatem accipit pro facultate aut potentia, quum [pag. 52] dignationem honoris potius significet. Plus quam crassam vero hebetudinem prodit, dum velut clausis oculis huius potestatis causam praeterit clare ab evangelista expressam. Filios Dei fieri praedicat, qui Christum recipiunt: verum eosdem mox non ex carne et sanguinibus, sed ex Deo genitos esse dicit. Dignatur ergo adoptionis honore Deus qui in filium credunt, sed quos prius spiritu suo genuerat: hoc est, quos sibi in filios formavit, suos tandem esse declarat. Nam si filios Dei nos reddit fides, unde ipsa nobis detur, considerandum est. Est enim spiritualis seminis fructus, quo nos Deus in vitae novitatem regignit. In summa, verissimum est illud Augustini, sola gratia redemptos discerni a perditis, quos ad perditionem concreverat ab origine ducta massa communis. Unde sequitur, gratiam Dei praedicari, qua eligendos facit, non invenit: quemadmodum idem saepius inculcat.[2]) Adde, quod si quid in electis suis praevidet Deus quo a reprobis ipsos discernat, inscite Paulus argueret, quia nondum tunc nati erant fratres, ex vocante, non ex operibus fuisse dictum: Maior serviet minori. Quare solutio ista de praevisis cuiusque operibus, aperte Paulo insultat. Colligit Paulus, in electione Dei non haberi operum respectum, quia Iacob Deus fratri praetulit, antequam nati essent, et quidquam egissent boni vel mali. Isti, ut a [pag. 53] Deo eligi obtineant, quos aliqua probitatis nota a reprobis discernit, praevideri obtendunt, qualis futura sit in recipienda vel respuenda gratia cuiusque dispositio. Quod si recipitur, eos qui nihildum boni egerunt, non tamen Deus ex operibus eligere desinet, quia ex operibus praevisis interea pendebit electio. Atqui, quum Paulus pro confesso sumeret quod bonis istis theologis est incredibile, omnes ex aequo esse indignos, aequam naturae in omnibus esse corruptionem, secure inde constituit, Deum gratuito suo proposito eligere quoscunque eligit: non quos obsequentes fore sibi filios praevideat. Denique qualis extra Dei electionem sit hominum natura Paulus considerat: isti Deum, quod nunquam futurum est donec ipse fecerit, praevidere in homine somniant.

Quanquam haec per se satis clara sunt: longius tamen nos Pauli contextus ducit. Sequitur enim: Quid ergo dicemus? numquid iniustitia est apud

1) le temple et l'arche de l'alliance.
2) Et argute . . . . . . Deo sonat. *Haec omnia absunt a gallico exemplari.*

1) *Add.* Il n'est point icy question d'une faculté moyenne mais d'une vertu actuelle.
2) Enchirid ad Laur. cap. 99. — Epist. 105 ad Sixtum Lib. 5 contra Iulianum cap. 3 et aliis locis.

Deum? Vel haec obiectio sine ratione ingeritur, vel nullum praevisis operibus locum dabat Pauli doctrina. Quae enim iniustitiae suspicio concipi potest, ubi Deus gratiam omnibus communiter offert, facit autem ut ea digni fruantur? Denique quum electionis vel reprobationis causam in futuris operibus constituunt, hanc ipsam quaestionem, quam sibi Paulus obiicit [pag. 54], effugere et solvere sibi videntur. Unde perspicuum est, nova ista sapientia non fuisse instructum. Esto, adversarios Paulus importune et nullo colore inducat de iustitia Dei litigantes. Obiectionem quomodo repellat, videndum. Verba sunt: Absit, nam Moysi dicit: miserebor cuius miserebor, et miserabor quem miseror. Nihil fore aptius video, quam ut Augustini verbis ad hunc locum explicandum utar. Mirum, inquit,[1]) quum his coarctantur angustiis, in quanta se abrupta praecipitent, metuentes retia veritatis. Ideo, inquiunt, nondum natorum alium oderat, alium diligebat, quia eorum futura opera praevidebat. Quis istum acutissimum sensum defuisse apostolo non miretur? Hoc quippe ille non vidit, quando sibi velut adversantis obiecta quaestione, non id potius tam breve, tam apertum, tam verum, sicut isti putant, absolutumque respondit. Quum enim rem stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, qui nihildum boni aut mali egerant, recte dici potuerit, quod unum dilexerit Deus, alium odio habuerit: Quid ergo dicemus? ait: numquid iniquitas apud Deum? Hic ergo erat locus, ut diceret quod isti sentiunt:[2]) Futura enim Deus opera praevidebat. Non autem apostolus hoc dicit, sed potius, ne quisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gratiam commendandam voluit valere quod dixerat. Moyses enim [pag. 55] dicit: Miserebor cuius misertus fuero. Ubi nunc merita? Ubi opera vel praeterita, vel futura, tanquam liberi arbitrii viribus adimpleta, vel adimplenda? Nonne apertam protulit apostolus de gratuitae gratiae commendatione sententiam? Hactenus Augustini verba recensui. Fingamus nihil tale unquam eum dixisse.[3]) Quum expedita esset solutio, Deum ex futuris operibus discernere inter homines: cur Paulus se magis intricat, et totam in Dei arbitrio causam esse sitam asserit? Primo enim Dominus apud Moysem liberum sibi ius, ubi placuerit, exserendae misericordiae vindicat: ne quis legem illi praescribere ausit: deinde ex tota populi multitudine sumpturum se, quos voluerit liberandos, pronunciat. Foedifragi pariter omnes erant. Non dicit, hunc sibi fore delectum: ut si quos reperiat venia dignos, illis sit propitius: sed praecise misericordiae se arbitrum

1) Epistol. 105 ad Sixtum.
2) ce que ceux-ci inventent.
3) *Add.* et venons au faict.

fore testatur, ut quibus voluerit parcat: quia nulla unius magis quam alterius eligendi necessitate sit adstrictus.

Tandem quod necessario ex sententia illa sequitur, Paulus infert: Non esse volentis nec currentis, sed miserentis Dei. Nam si sola Dei misericordia continetur salus hominum, Deus autem non nisi quos arcano suo beneplacito delegit servat, nihil prorsus fit hominibus residuum. Exponit Pighius, non deberi salutem conatui [pag. 56] nostro, vel ullis[1]) operibus, quia gratuito ad eam nos Deus vocet. Scilicet, ita secure ludit, ac si verbulo uno totam Pauli doctrinam abolere in promptu esset. Quia Dominus beneplacito suo, non operum discretione, eligit quos servet: inde colligit Paulus, non volentis esse neque currentis: sed totum in una Dei misericordia verti. Elapsum Pighius se putat, dum omnibus garrit, quae nemini debetur, gratiam. Caeterum, quum eius demum compotes fieri dicat, quos Dominus idoneos et sibi obsequentes reperit: eo necesse erit recidere: valere quidem et voluntatem et cursum: sed quia per se non sufficiant, Dei misericordiae palmam deferri. Quas ineptias optime refutat idem Augustinus: Si propterea, inquit,[2]) dictum est, non volentis neque currentis, sed miserentis Dei, quia ex utroque fit, id est, ex voluntate hominis et misericordia Dei, tanquam diceretur: non sufficit sola voluntas, nisi adsit misericordia Domini: neque sufficiet misericordia Dei, nisi adsit hominis voluntas. Porro, si nullus Christianus dicere audebit: Non miserentis Dei, sed volentis est hominis: restat ut propterea recte dictum intelligatur: Non volentis, neque currentis: ut totum detur Deo, qui hominis voluntatem bonam et praeparat adiuvandam, et adiuvat praeparatam. Quo magis frivola est quorundam argutia, qui misericordiae Dei et humani [pag. 57] conatus concursum inde eliciunt. Quasi vero Paulus homines currendo parum proficere intelligat, nisi Dei gratia adiutos: ac non potius alia omnia redigat in nihilum, ut locum Dei misericordiae vacuum cedant. Unde enim cursus recti principium? An quisquam, nisi duce ac directore spiritu, ipse Deo occurret? Nam ut hic quoque Augustini verbis utar:[3]) Quotidie ad Christum trahuntur eius inimici. Dicit enim Christus: Nemo potest venire ad me, nisi pater traxerit. Non ait: duxerit, quasi aliquo modo praecederet voluntas. Quis enim trahitur, si iam volebat? Trahitur ergo miris modis ab eo, qui sic novit in cordibus hominum operari, non ut homines nolentes credant, sed ut volentes ex nolentibus fiant. Videmus ergo sic Dei electionem approbari

1) illis *Gallas. Beza et Amst.*
2) Enchir. ad Laur. cap. 32.
3) Lib. 1 ad Bonifac. cap. 19.

subsequenti hominum cursu, ut sola tamen eius misericordia (quae iacentes erigit, errantes reducit in viam, imo in vitam suscitat mortuos, et vocat quae non sunt) principatum teneat.

Sequitur alterum de reprobis membrum, quorum maxime illustre exemplar in Pharaone proponitur. Porro de eo sic loquitur Deus apud Moysen: In hoc constitui te, ut tibi ostenderem potentiam meam. Pro quo fideliter Paulus tanquam verbum verbo reddidit: In hoc excitavi te. Est enim verbum HIPHIL deductum a radice [pag. 58] AMAD, quod Stare significat.[1]) Productus ergo in medium dicitur Pharao, in quo Deus memorabile suae potentiae specimen ederet. Unde porro cum Dominus accepit, ut eo loco statueret? Mavult Pighius, quod Deus morte dignum sua patientia[2]) ad tempus sustinuerit. Quod effugium ut illi permittam, perplexus tamen adhuc in eo tenetur, quod Deus Pharaonem proprio ingenio relinquens, cum exitio destinabat. Patientiam Dei si commendet Pighius, assentior: manet tamen interim istud fixum, in hunc finem sepositos Dei consilio esse reprobos, ut suam in illis potentiam demonstret. Quanquam id nimis a Pauli mente remotum esse, ex proxima illatione apparet: quod Deus quem vult, indurat. Neque enim hoc fuisset adiectum, nisi sub verbo illo Statui vel Excitavi, comprehenderet Paulus Dei consilium, quo Pharao ad redemptionem populi sua contumacia illustrandam ordinatus erat. Nam si quis dicat, in fastigium regii honoris divinitus evectum esse: est hoc quidem aliquid, sed non totum. Nam graeci interpretes eodem hic verbo usi sunt, quo solent reddere verbum HIPHIL a radice KUM deductum, quod Surgere significat.[3]) Porro excitare dicitur Deus, quod velut porrecta manu ad finem suo consilio ordinatum deducit. Maxime tamen ad initium rei de qua agitur scriptura respicit, ut illud uni Deo adscribat [pag. 59]. Ita dicitur et prophetas, et salutis ministros excitare: ne quid horum sibi vindicet hominum industria. Itaque fideliter expressus fuit sensus Moysis Excitandi verbo: modo ita accipias.[4]) Nec vero aliter accepit Paulus. Certe, quod de electis et reprobis attigerat, non minus distincte quam summatim complectitur: quum hoc iuris et potestatis Deo vindicat, ut suo arbitrio induret vel misereatur. Indurandi vel miserendi ius penes ipsum esse pronunciat: nec legem illi imponi fas esse: quia nulla lex vel regula melior vel aequior quam eius voluntas fingi possit. Sed quia olim putarunt nonnulli, induci a Paulo impios Deo obstrepentes, ad hoc asylum se confert Pighius. Quod si illi detur, ne sic quidem solutus est nodus: quia neque de nihilo quaestionem movet Paulus: atque ita respondet, ut quod obiectum ab adversariis fuerat, verum esse fateatur. Quid tamen[1]) eiusmodi tergiversatione proficit Pighius, nisi ut tergiversando malam causam se habere prodat? Verum quis illi, quod petit, concedat? quando ita violenter disiungit quae inter se cohaerent: quae autem palam disiuncta sunt, in unum fasciculum compingit. Postquam reprobos et electos incomprehensibili[2]) Dei consilio discerni Paulus docuit, uno contextu infert: Ergo cuius vult, miseretur, et quem vult indurat. Subiicit postea [pag. 60]: Dices itaque mihi: quid adhuc conqueritur? Quum loquentium personas aperte Paulus distinguat, quis non potius eius verbis, quam extraneis commentis attendet? Caeterum, prudenter hoc quoque, ut multa, Augustinus: Non magnopere referre in cuius persona accipias, quod Paulus responsione sua verum esse innuit.[3])

Si falsa erat obiectio, probabile certe non est, Paulum in causa tam bona, tam dilucida, tam plausibili fuisse taciturum. Nam si falsum est illud, Deum quos vult indurare: nodum qui humano ingenio inexplicabilis est, uno verbo solvere promptum erat. Excipit Pighius, supersedere claro et idoneo responso Paulum, quia protervos homines sermone non dignetur: ut prius humiliter sapere discerent, quam rationem operum Dei superbe exquirere: qualiter alibi legimus, Iudaeos qui Christum interrogabant, in qua potestate opera sua faceret, tantum mutua quaestione repulsos. Sed reclamant Pauli verba. Nam postea sic eorum refraenat insolentiam, qui nimis audaci curiositate in excutiendis Dei arcanis lasciviunt, ut tamen reprobos organa irae esse confirmet, in quibus suam potentiam Deus ostendit. Longe ergo melius Augustinus:[4]) Quum dictum esset, quid adhuc conqueritur? numquid responsum est a Paulo: O homo, falsum est quod dixisti? Minime: sed [pag. 61] responsum est: O homo tu quis es? Observandum autem quod alibi tractat: non ideo Paulum obiurgatione abrumpere eorum sermonem, qui sacrilega petulantia cum Deo litigant, ac si iusta defensione careret Dei iustitia, sed quod maxime expediebat, attulisse. Hoc loco quidam stulti putant apostolum in responsione defecisse, et inopia reddendae rationis repressisse contradictoris audaciam. Sed magnum habet pondus quod dictum est: O homo, tu quis es? Et in talibus quaestionibus ad suae capacitatis considerationem

1) Pro quo fideliter . . . . significat *omitt. in gallico.*
2) potentia *Beza et Amst.*
3) Nam graeci . . . . . significat *abest a gallico.*
4) Itaque fideliter . . . . accipias *om. in versione.*

1) *Pro his in gallico simpliciter legitur:* Au reste il ne faut point separer ce qui est conioint *etc.*
2) irreprehensible.
3) In Enchir. ad Lauren. cap. 99.
4) De praedest. sanctorum cap. 8.



revocat hominem: verbo quidem brevi, sed re ipsa, magna est redditio rationis. Si enim non capit hoc: Quis est qui respondeat Deo? si autem capit, minus inveniet quid respondeat, etc. [1])

Proinde, si nos talia movent, inquit idem alibi,[2]) quia homines sumus: simul audiamus dicentem: O homo, tu quis es? Paulo post: Quamvis enim peccata non fecerit Deus, naturas tamen ipsas, quae per se ipsas sine dubio bonae sunt, quibus tamen ex arbitrio voluntatis futura essent vitia peccatorum, et in multis talia quibus esset aeterna poena reddenda, quis nisi Deus creavit? Quare? nisi quia voluit. Quare autem voluerit? O homo, tu quis es qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum, etc. Ecce, ratio etiam homini reddita est, quanta debuit homini: si tamen [pag. 62] vel istam capit, qui pro sui arbitrii libertate, infirmitatis servitute contendit. Si quem autem adhuc prava obstrependi libido sollicitat: Dicat, qui talis est, inquit:[3]) et audiat quod convenit homini: O homo, tu quis es? Audiat vero et non contemnat. Quod si contempserit, etiam ut contemneret, se inveniat obduratum: si non contempserit, ut non contemneret, credat esse adiutum: sed obduratum debito, adiutum gratia. Quale porro debitum hominibus imputet, prius ostenderat his verbis: Inexcusabilis est omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriae voluntatis, sive qui novit, sive qui ignorat: sive qui iudicat, sive qui non iudicat: quia et ipsa ignorantia, in eis qui intelligere noluerunt, sine dubitatione peccatum est: in eis autem qui non potuerunt, poena peccati.[4])

Nihil nos iuvet Augustini testimonium:[5]) rem ipsam mecum expendant lectores. Paulus hominem cum Deo, ut facit, comparans, altius procul dubio in eligendis et reprobandis hominibus et magis reconditum Dei consilium esse ostendit, quam quo mens humana perveniat: ac si diceret: O homo, quisnam sis, reputa, et plus aliquid Deo concede, quam modulus tuus capiat. Nunc si locus detur Pighii philosophiae,[6]) aequalem esse omnium sortem, nisi quatenus se vita privant, qui electi cum aliis pariter fuerant: quid illic [pag. 63] impeditum vel obscurum? quid non receptum communi sensu, et carnis iudicio plausibile? Quum ergo humani ingenii captu[1]) superius esse arcanum audis, colligere inde promptum est, frivolas esse solutiones, quae ex communi iudicio sumptae etiam in foro profano valerent. Excipit Pighius, non repelli a Domino solere, nec suspensos dimitti, qui humiliter mentes suas captivant: ideoque hanc obiurgationem non nisi in praefractos et fastuosos competere. In quo illi non difficulter assentior: modo vicissim fateatur, damnari a Paulo impiae superbiae omnes qui Dei iustitiam proprio sensu metiuntur. Atqui, ut iustitiae laudem obtineat Deus, Pighio iudice, rationem cur quidque faciat, exstare necesse est. Haec autem nobis modestiae regula, ubi operum Dei ratio nos latet, ut iustum nihilominus esse credamus. Filius quidem Sirach[2]) hoc elogio Deum ornare non erubescit, quod sicuti figulus pro suo arbitrio vasa discernit: sic esse in manu Dei homines, ut illis reddat quemadmodum decrevit. Nam κρίσις hoc loco, si superiora conferas, non potest nisi de opificis beneplacito exponi. Nec vero hic alio interprete opus est: quando omnium audaciam clare Paulus compescit, qui rationem a Deo exigunt. An dicit lutum figulo: Cur me sic fecisti? Is ergo demum ad Pauli moderationem [pag. 64] se cohibet, qui Dei voluntatem, licet absconditam, summae iustitiae instar habens, liberam illi perdendi servandique potestatem facit. Quantumvis torquendis Pauli verbis se Pighius torqueat, non tamen ad praesens institutum aliter similitudo aptari potest, quam si iure suo Deus homines ad quamcunque voluerit sortem fingat et formet. Hoc si cui videtur prima specie absurdum: veniat nobis in mentem illa Augustini admonitio:[3]) Si pecudes loqui possent, ac cum opifice suo contenderent, quod non homines, ut nos, sint factae: neminem fore nostrum qui non protinus succenseat. Iam vero quid nos putamus esse? Nimium certe desipit, qui non plus saltem aliquanto praecellentiae Deo tribuit, quam sibi et generi humano supra pecudes vindicat. Imo si proprie loquendum: nos coram Deo minus sumus quam pecudes. Quid ergo restat, nisi ut se illi oves ex grege eius placide submittant? Id quidem longe praestat, quam Pighii exemplo homines substituere Dei loco figulos, ut fortunam sibi quisque propria virtute fingat. Alibi, inquit, aperte ostenditur quod hic obscurum est. Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio. Inde colligit, si iustus in fide et pietate constans fuerit, vas fore in honorem: si molliter

1) Car si nous comprenons ce que veut dire cela: Nul ne peut respondre à Dieu, ce nous doit estre assez. Si nous ne le comprenons pas, encore trouverons nous moins à enfoncer plus profond.
2) Ad Bonifac epist. 106.
3) Ad Sixtum epist. 105.
4) du peché originel.
5) Prenons le cas que S. Augustin n'ait point dict ces choses et en laissant sa personne à part, consyderons le faict quel il est.
6) Maintenant si nous tenons ceste imagination que tous sont egaux et que nul n'est privé de la vie, sinon qu'apres avoir esté eleu il se retranche à son escient: qu'y aura-il d'obscur *etc.*

1) caput *Beza et Amst.*
2) *Videtur laudare voluisse locum Sap.* 15, 7.
3) De verbis Apost. sermo 11.

cesserit, fore vas in contumeliam. At quum suo quisque arbitrio, divina [pag. 65] gratia quae omnibus communis et parata est, adiutus perseveret: demum constituit, nos invicta fortitudine vasa in honorem fieri. Non dico quam insulse duo tam diversa commisceat, fingi vas, et probari:[1]) tantum dico, quod suos variis certaminum experimentis Deus probat, minime obstare, quin ipsos aeterno suo consilio, priusquam nascerentur, in quem placuit usum, destinaverit: quin postea eos quales volebat fore, finxerit. Nec quidquam illi suffragatur Pauli dictum: Si quis se emundaverit ab eiusmodi malis, vas erit in honorem (2 Tim. 2, 21). Neque enim quomodo homines ex sordibus suis eruti vasa fiant honorifica, sed quomodo fideles, qui electi iam et vocati sunt, se accommodent in puros usus,[2]) illic disseritur. Ac vide quam bene inter eum et Paulum conveniat. Verba eius sunt: Quod alibi tacuerat Paulus, hic expressit: cur Deus quosdam vasa in honorem faciat potius quam alios. Ut enim Iacob vas foret misericordiae, anima eius emundaverat se ipsam: quo nomine et merito factus est vas in honorem. Ad hanc emundationem respiciens Deus, quem praescivit, etiam elegit. Paulus autem: dum fideles ad emundationem hortatur, ut locum sternat huic doctrinae, praefatur, Deum novisse qui sint sui (2 Tim. 2, 19): quemadmodum et alibi admonet (Ephes. 2, 10), nos esse eius figmentum, creatos ad opera bona, quae ipsa praeparavit. Hoc [pag. 66] salutis fundamentum in gratuita Dei electione ubique statuit Paulus, qui non temere se peritum architectum[3]) esse gloriatur. Pighius contra a superficie aedificium inchoat.[4]) Intempestive quoque in tractando Ieremiae loco multum verborum consumit: ubi non describitur formationis nostrae initium, in frangendis et conterendis vasis, quae iam formata politaque sunt, sua Deo potestas asseritur. Tenendum igitur Pauli consilium est: Deum hominum fictorem, ex eodem assumptos luto, ad honorem vel contumeliam suo arbitrio formare (Rom. 9, 21): quia alios ad vitam gratuito nondum natos eligit, alios exitio suo, cui natura obnoxii sunt omnes, relinquens. Nam quod electionem gratiae Pighius ad reproborum odium spectare negat: id ego verum esse ita fateor, ut gratuito amori quo electos complectitur, iusta in reprobos severitas in causa pari et communi respondeat.

1) *Add.* Or sainct Paul ne traicte pas icy comment nous sommes esprouvez mais comment nous sommes faicts.
2) s'approprient et s'adonnent à l'usage qu'ils cognoissent estre plaisant à Dieu et convenable à ceux qui sont instrumens de sa gloire.
3) bon maistre masson et expert.
4) Ceux qui imaginent que Dieu eslit un chacun selon le bien qu'il prevoit en luy commencent à bastir par les fenestres et font aller le plancher devant le fondement. Nous avons donc à noter l'intention de S. Paul (*caett. om.*).

Concludit demum Paulus: Si Deus iram suam volens ostendere, et notam facere suam potentiam, sustinuit in multa patientia vasa irae apparata in interitum, ut notas quoque divitias gratiae suae faceret erga vasa misericordiae quae praeparavit in gloriam: non esse cur litem illi quisquam intentet. Ludit Pighius, ut solent eius similes, in voce patientiae. Imo ferociter se iactat, quasi Deus non aliter reprobos quam paterna indulgentia, [pag. 67] obduret. Non aliter, inquit, vasa ad contumeliam format Deus, quam benigne tolerando qui patientia eius abutentes thesaurum irae sibi accumulant. Ubi ergo inter fratres nondum natos discrimen? Praevidebat Deus, si Pighio creditur, futuram Esau duritiem. Quomodo itaque in Iacob eminet electio gratiae, si in eodem gradu locatus fuit Esau, donec se ipse ex filiorum numero expungeret? Verum saepius in brevissima Pauli sententia refellitur haec tergiversatio, quam ut aliunde rationes contrarias accersere opus sit. Vasa aut organa quo sensu vocent Hebraei, quisquis mediocriter in scriptura exercitatus est non ignorat. Organa ubi audimus, tum Deum praesidem actionis totius et autorem, tum manum eius directricem praecedere necesse est. Cur autem vocantur vasa irae, nisi quia iustam severitatem, qua abstinuit erga alios, in istos exercuit? Et cur facti sunt vasa irae? Respondet Paulus, ut iram et potentiam in illis suam Deus ostenderet. Dicit apparata in interitum: unde aut quomodo, nisi a prima origine et natura? ut quidem vitiata est in persona Adae totius generis humani natura: non quod altius Dei consilium non praecesserit: sed quia ex hac scaturigine emergit Dei maledictio, et generis humani interitus. Praeparasse enim Deum vasa misericordiae [pag. 68] in gloriam testatur. Si hoc speciale est electis, reliquos ad interitum aptatos esse constat, quia naturae suae relicti, certo iam exitio devoti sunt. Quod enim nugantur quidam, aptari eos propria malitia, adeo insulsum est, ut referre pigeat. Verum est istud quidem, reprobos iram Dei sua pravitate accersere, et in dies accelerando tandem in caput suum congerere. Sed hic discrimen quod ex arcano Dei iudicio manat a Paulo tractari, in confesso est. Dicit etiam, divitias gratiae Dei patefieri, dum ex opposito vasa irae in exitium ruunt. Hic certe non audimus quod Pighius garrit, aequalem esse erga omnes gratiam: sed melius Dei bonitatem illustrari, dum vasa irae sustinendo ad suum finem venire patitur. Quod ad patientiam spectat, in promptu est solutio: eam cum potentia coniungi, ut non sinat tantum Deus, sed quod fit, sua virtute moderetur. Quod et Augustinus scite observat.[1])

1) Libro contra Iulianum 5 cap. 5.

Nec vero aliter stare potest inviolabile illud Dei pactum: Ego sum Deus zelotes, misericors in mille generationes, severus ultor usque in tertiam et quartam generationem (Exod. 20, 5 ss.): nisi Dominus arbitrio suo discernat, quibus gratiam largiatur, vel quos aeternae morti velit manere addictos. Gratiam suam in mille usque aetates propagat. Quaeso, an piorum filios propriis meritis [pag. 69] aestimat, quum exhibitam patribus gratiam non alia ratione continuat etiam erga ipsos, nisi quia se ita facturum promisit? Abrahae, qui nihil promeritus erat, fidem suam gratuito obstringit, se in eius gratiam fore posteris in Deum. Hinc solennis illa post eius mortem obtestatio:[1]) Recordare Domine servi tui Abrahae. Hic certe inter homines delectus habetur: neque ex cuiusque meritis, sed ex sancito cum patribus foedere. Non quod tota Abrahae posteritas, quae ex eo secundum carnem descendit, hanc praerogativam teneat: sed tamen eorum omnium qui ex Abrahae semine in vitam cooptati sunt, et fides et salus huic promissioni accepta referri debet. Eadem est vindictae ratio, quam Deus in tertiam usque et quartam generationem exsequitur. Quod enim afferunt nonnulli, puniri quicunque omnibus saeculis peccaverint, suo quemque ordine, plus quam frivolum est. Sic olim Pelagiani, quum ex scripturae testimoniis, quae omnes in Adam peccasse ostendunt, expedire se nequirent, cavillabantur, imitatione peccasse. Sed quemadmodum eos urgebant pii doctores, Adae reatu vere omnes damnatos, quo Christi gratia eos absolvit: ita in praesenti causa, ut inter se antitheta respondeant, necesse est in filiorum persona Deum ulcisci, quae in patribus peccata damnavit. Nec sane aliter exponere licet complures scripturae [pag. 70] locos, ubi se testatur reiicere maiorum peccata in sinum filiorum (Exod. 34, 7; Deut. 5, 9; Iere. 32, 18). Frustra autem obiicitur illud Ezechielis (18, 2 seqq.): Filius non portabit patris iniquitatem, sed anima quae peccaverit, ipsa morietur. Quia haec vindictae pars est, quod Dominus spiritu suo nudos et vacuos relinquit: quo fit, ut propriam quisque culpam sustineat. Luere ergo maiorum peccata dicuntur posteri, non immeriti (ut profanus ille poeta[2]) cantillat) sed hoc ipso noxii, quod ut natura sunt filii irae (Ephes. 2, 3), quemadmodum loquitur Paulus, proprio ingenio relicti, mortis aeternae iam a prima origine haeredes nihil quam suum interitum assiduo procursu augere possunt.

Hic quoque locum Iesaiae (6, 9) exponere, non intempestivum erit: quem non abs re spiritus sanctus in novo testamento voluit sexies repeti (Ioann. 12, 40; Matth. 13, 14; Marc. 4, 12; Act. 28, 25; Luc. 8, 10; Rom. 11, 8). Mittitur propheta cum prodigioso in speciem mandato. Vade, et dic populo huic: Audite audientes, et ne intelligatis: videte visionem, et ne cognoscatis. Impingua cor populi huius, et aures eius aggrava, et oculos eius claude: ne forte videat oculis suis, et auribus suis audiat, et corde intelligat, et convertatur ut sanem eum. Quod excaecationis minister vocatur propheta, accidentale esse fateor. In causa excaecationis vertitur quaestio. Fateor rursum ingrato rebellique populo quam meritus erat [pag. 71] poenam irrogari, ut lux illi in tenebras vertatur. Praecesserit sane et maligna et obstinata incredulitas, cui Deus tale praemium rependeret:[1]) sed quum postea recitet propheta, fuisse aliquem selectum numerum, cui salus ex Dei verbo affulserit: suane virtute effugerint horribile illud iudicium, an Dei manu retenti fuerint, quaeritur. Magis etiam urget altera quaestio: Qui factum sit, ut e turba illa, cuius non dispar erat incredulitas, resipuerint quidam, incurabilis aliorum fuerit morbus. Si quis humano iudicio rem aestimet: in ipsis hominibus discriminis inveniet causam. At Deus nos illic subsistere non patitur: qui servatos sua gratia pronunciat, quotquot communem defectionem non sequuntur.[2]) Resipiscentia autem quin proprium eius opus sit, in controversiam vocari non debet. Vere igitur ab Augustino[3]) dictum esse apparet, a Domino converti quos ipse conversos voluerit, qui non tantum ex nolentibus volentes facit, sed etiam ex lupis oves, ex persequutoribus martyres, gratia potentiore eos reformans. Si malitia[4]) obiicitur: potentior esset Dei gratia, qualem se erga electos ostendit, nisi verum esset illud, misereri eum cuius miseretur. Et Pauli interpretatio nihil dubitationis relinquit (Rom. 11, 7). Postquam enim dixit, fixam Dei electionem fuisse, addit, reliquos esse [pag. 72] excaecatos, ut impleatur vaticinium istud. Concedo, voluntariam esse caecitatem, et eorum culpae libenter adscribo. Sed audio quosnam excipiat Paulus: nempe quos eligere Domino visum est. Cur autem hos potius quam illos, ne identidem excipere pigeat: Non esse hominis litigare cum Deo.[5]) Sic alibi (Act. 28, 25) idem Paulus, quum Iudaeis,

1) ceste façon de prier qui estoit accoustumée entre les fideles sous l'ancien testament.
2) *Horat. Od.* III. 6, 1.

1) *Add.* si est-ce que la question n'est pas encore solue.
2) *Add.* Ie me suis, dit-il, gardé sept mille hommes qui n'ont point ployé le genouil devant l'idole de Baal.
3) Lib. 1 de praedest. sanctorum cap. 2.
4) Si on obiecte que la malice des hommes resiste à la grace de Dieu, ie dy aucontraire que la grace telle qu'il la promet à ses eleuz seroit de plus grande efficace et vertu que toute malice, pour la surmonter, n'estoit que ce qu'il dit par Moyse a lieu: I'auray pitié *etc.*
5) il ne nous faut avoir honte de reiterer mille fois à ceux qui plaident ainsi contre Dieu: O homme, qui es-tu? Comme aussi S. Augustin le remonstre (de bono persev. c. 12).

quorum virulentam malitiam expertus erat, dicit: Bene spiritus sanctus loquutus est per os Iesaiae: Auribus audietis, et non intelligetis: accusat quidem eos ut digni sunt. Sed perperam inde ac inscite colliget quispiam, obdurationis initium ab illa malitia esse, quasi non ipsius malitiae occultior esset causa, naturae corruptio: quasi etiam non ideo in corruptione demersi manerent, quia arcano Dei consilio, antequam nascerentur, reprobi, non eruuntur.[1])

Nunc Ioannem audiamus, qui minime ambiguus nobis erit interpres (Ioan. 12, 37 seqq.). Quum multa signa fecisset Iesus, inquit, non credebant: ut sermo Iesaiae (53, 1) impleretur: Domine, quis credidit auditui nostro, et brachium Domini cui revelatum est? proptorea non poterant credere, quia iterum dixit (6, 9): Excaecavit oculos illorum, etc. Hic certe non commemorat Ioannes, suo vitio impeditos esse Iudaeos, ne crederent. Quod etsi verissimum erat, altius tamen conscendit. Spectandum enim est eius consilium. Rudes et infirmos [pag. 73] non leviter turbabat, quum audirent, Christo non fuisse locum in populo Dei. Respondet, non credere, nisi quibus datum est: paucos autem esse, quibus brachium suum revelet Deus. Alterum postea vaticinium, de quo nunc vertitur quaestio, in eundem finem attexit. Et magnum habet pondus quod inserit, non potuisse ipsos credere. Nunc quantumvis se torqueant homines, discriminis tamen causa, cur brachium suum non omnibus Deus revelet, abscondita latet in aeterno eius decreto. Sane aliud voluit evangelista, quam fidem speciale esse donum, et altiorem esse Christi sapientiam, quam ut sub humanos sensus cadat, ne mundi incredulitas nos percellat, si quando vel acutissimi deficiant. Ergo[2]) nisi, quod evangelista ex professo contendit, eludere libet: quod pauci evangelium recipiunt, statuendum est inde pendere, quia frustra exterior vocis sonus aures verberat, donec intus corda Deus tetigerit.

Diversa tribus reliquis evangelistis (Matth. 13, 11; Marc. 4, 12; Luc. 8, 10) huius citandi loci occasio fuit. Discipulos suos illic secernit Christus a vulgo hominum. Datum illis esse pronunciat, nosse regni coelestis mysteria, se vero loqui apud alios in parabolis, ut audientes non audiant, et sermo Iesaiae impleatur. Quos aenigmatice alloquutus est Christus sine profectu, indignos maiori luce fuisse non nego [pag 74]: sed rogo vicissim, quo merito digniores fuerint apostoli, quos familiariter Christus admittit? Statuitur antithesis: paucis conferri gratiam, quae omnibus ex aequo negari iure poterat. An dicemus sibi apostolos comparasse, quod illis datum esse asserit Dominus? Nec leviter praetereundum est, quod mysteria appellat, quae apud ipsos eloquitur. Et certe nihil est in tota spirituali doctrina, quod non longe superet mentis nostrae captum, proculque fugiat. Quare nec ulla verborum quamlibet dilucida explicatio sufficiet, nisi spiritus nos simul doceat. Sed Christus hoc quoque tanquam rarae dignationis pignus[1]) magnifieri vult a suis discipulis, quod in externa docendi ratione, hominum vulgo eos praeferat. Quanquam gradatim ad singulare illud privilegium eos deducit, quo vero domestici ab alienis differunt: nempe ut divinitus edocti, quae altiora sunt sensu carnis, comprehendant. Clamat subinde Christus: Qui habet aures audiendi, audiat (Matth. 13, 9; Luc. 8, 8). Quibus verbis non tantum ab ignavis auditoribus attentos discernit: sed surdos esse intelligit, quibus aures non sunt a Domino perforatae (Psal. 40, 7). Quod beneficium David totius ecclesiae nomine celebrat.[2]) Non ero singulis excutiendis longior. Summa haec sit: Si Dei spiritum, qui per apostolos loquutus est, prophetae interpretem admittimus, arcanum et incomprehensibile [pag. 75] Dei iudicium, dum maiorem populi partem excaecat, ne videat videndo, adorandum esse. Cessent hic quaecunque nobis in mentem venire possunt rationes. Nam si in hominibus haeremus, primum certe hoc erit, Dominum petentibus liberaliter dare: alios tabescere in sua inopia, cuius remedium non quaerunt. Atqui, nisi succurrat quod ait Augustinus,[3]) divinae esse beneficentiae non tantum ut aperiatur pulsantibus, sed etiam ut pulsemus et petamus: nondum satis nota est nobis, qua laboramus inopia. Ad auxilium si venitur, experientia evincit, non omnibus expositam esse illam spiritus virtutem, qua fit quod fieri oportet. Nemo se vanis blanditiis fallat. Qui ad Christum accedunt, iam filii Dei erant in eius corde, quum in se hostes essent: et quia praeordinati erant ad vitam, Christo dati sunt.[4]) Quare, ut fideliter monet Augustinus,[5]) se gratiae vasa esse meminerint, non meritorum: quando gratia illis omne meritum est. Nec alia nos cognitio iuvet, quam quae admiratione claudatur. Rideant nos qui volent: modo stupori nostro Deus e coelo annuat, et angeli applaudant.

Nunc quae ex Pighii obiectis aliquid coloris

1) Vide Aug. lib. ad Bonif. 2 cap. 6.
2) Parquoy si nous ne voulons nous mocquer à nostre escient de l'Esprit de Dieu, controuvans des subterfuges pour eschapper de ce que dit l'Evangeliste *etc.*

1) privilege.
2) que David monstre estre singulier aux enfans de Dieu.
3) De bono persever. cap. 23.
4) Vide Aug. de corrept. et gratia cap. 5. Ibid. cap. 8 et 9.
5) Ibid. cap. 7.

prae se ferunt, summatim colligam, ut intelligant lectores, nihilo melioribus armis instructum pugnare, quam iustam ciendi tanti certaminis causam habuit. Statum quaestionis in eo [pag. 76] verti dicit:[1]) In quem finem conditus fuerit homo. Ac primum, pro magno absurdo habet, si quidquam ex hominis creatione ad Deum redire intelligimus: quia Deus se uno contentus, nullius indiget. Ego vero, ut Deum fateor nullo externo adminiculo habere opus, ita inscito ex eo colligi dico, nullum habuisse respectum sui, ut homines in gloriam suam crearet. Quid enim sibi vult illud Solomonis (Prov. 16, 4): Omnia propter se ipsum operatus est Dominus? Nihil ergo absurdi est, si dixerimus Deum, tametsi nullius egentem, hominum tamen genus in suam gloriam creasse. Ac merito hic potissimus finis censeri debet. Quo magis ridiculum est Pighii sophisma, qui Deum nullo gloriae suae respectu in hominis creatione motum fuisse colligit, quia sit in se perfectissimus. Sed operae pretium est audire, quomodo se ex illo Solomonis loco expediat: Deus propter se ipsum condidit omnia. Non quia gloriae suae id referret, sed propter suae bonitatis immensitatem. Ac ne pondere careat istud commentum: negat ullos interpretes mecum sentire, praeter paucos, ut ipse ait,[2]) detestabiles haereticos. Quid ergo refellendis tam futilibus nugis immorer?[3]) Hebraica vox LAMMAANEHU,[4]) qua utitur Solomo, tantundem valet, ac si quis diceret: Ad causam sui. Homo semilatina garrulitate inflatus nobis exponit [pag. 77] quid significet adverbium Propter. Quod si guttam haberet sanae mentis, contextus ipse clare demonstrat, non fuisse creatos in diem exitii impios, nisi quia Deus suam in illis gloriam illustrare voluit: quemadmodum alibi pronunciat Pharaonem hac de causa fuisse a se excitatum, ut nomen suum in gentibus patefaceret (Exod. 9, 16). Porro,[5]) ut tam insulso errori colorem inducat, testimonium Moysis adducit: Nunc, Israel, quid poscit abs te Dominus Deus tuus, nisi ut illum ames et colas? Ego vero neminem ex lectoribus fore adeo fatuum confido, qui non videat hominem mente privatum sine pudore blaterare. Quid enim? an quia nostrae potius utilitatis causa quam suae, a nobis coli vult Deus, ideo sepulta gloriae suae cura, nos tantum respicit? Et quid tot testimoniis fiet, quae salutis humanae summum et ultimum finem statuunt Dei gloriam? Ergo hoc axioma retinendum: Sic Deo fuisse curae salutem nostram, ut sui non oblitus, gloriam suam primo loco haberet, adeoque totum mundum hoc fine condidisse, ut gloriae suae theatrum foret. Non quod vel se ipso contentus non sit, vel quidquam aliunde mutuari opus habeat: sed quia hoc honore dignatus est suas creaturas, ut illis insignes gloriae suae notas imprimeret (Ephes. 1, 6).

1) Lib. 8 cap. 2.
2) Lib. 7 cap. 2.
3) Ac ne pondere . . . . . immorer, *absunt a gallico.*
4) *Sic bene Amst. Princeps et Beza* LAMAAVVIHV. *Gallasius:* JAMAAVVIHV. *Gallus:* Le mot dont use Salomon: à cause de soy, emporte un tout autre sens. Et de faict ce qui s'ensuit apres le monstre assez, c'est que les meschans *etc.* (*caett. om.*).
5) Porro . . . . respicit. *Haec omnia omissa in versione gallica.*

Postquam tam dextre exorsus est Pighius, [pag. 78] alterum finem subiicit: Quod Deus ad suae bonitatis naturam respiciens, eius capacem facere voluerit rationalem creaturam: quod sine arbitrii libertate fieri potuisse negat. Hoc confesso, ruere arbitratur quod doceo: ex aeterno Dei decreto constitutum fuisse inter electos et reprobos discrimen, quia scilicet homo, futurae suae conditionis arbiter, utramque fortunam in manu habuerit. Monendi quidem hic in primis hortandique sunt lectores, ut quo decet honore fictorem et opificem suum Deum prosequentes, ad considerandum eius consilium in creatione humani generis non protervos oculos ingerant, sed ipsum reverenter, sobrie, et puro fidei oculo suspiciant. Scio de aeterna Dei praedestinatione verbum fieri vix posse, quin mox pravae multae absurdaeque mentibus imaginationes obrepant. Itaque reperiuntur modesti quidam homines, qui suppressam eius mentionem cuperent, ne lascivis ingeniis sese efferendi materia praebeatur. Ego vero, ut libenter argutis speculationibus, quod per alios licet, supersedeo: ita ingenuam veri confessionem subterfugere, ne impiorum sannis sit exposita, fas esse non arbitror. Nec vero aut minus quam aliud quidvis pretiosa est Deo sua veritas: aut nostra dissimulatione protegi vult suam iustitiam, sicuti nec tali patrocinio[1]) indiget. Verum [pag. 79] hoc fusius paulo post. Nunc ut de re quae agitur, breviter respondeam: contendit Pighius, ita praecise ad salutem creatos esse homines, ut nullum Dei consilium de contrario eventu praecesserit. Quasi vero Dominus ante primum hominem conditum, qualis totius generis futura esset conditio, non praeviderit. Quasi etiam non statuerit, quidnam fieri vellet. Homo, ut imago Dei foret, et luce rationis et naturae rectitudine ornatus fuit ab initio. Ergo Deus, quasi caecutiens, eventum dubius suspensusque exspectavit. Tales sunt Pighii consequentiae. Audacter enim inde colligit, Deum indiscrete et indiscriminate disposuisse universos ita creandos, ut suae bonitatis ac beatitudinis essent participes.[2]) Atqui, nullo negotio utrumque simul

1) defense ou excuse.
2) Tales sunt . . . . . . participes, *abest a gallico.*

conciliant piae mentes: hominem eo statu fuisse locatum, quum primum conditus est, ut sponte cadendo sibi ipse exitii causa fuerit: et tamen admirabili Dei consilio ita fuisse ordinatum, ut voluntaria haec ruina humano generi, et omnibus Adae posteris, humilitatis materia foret. Neque enim, si Deo ita visum est expedire, ideo non propria voluntate se praecipitem dedit, qui recta natura alioqui praeditus, et ad Dei imaginem formatus erat. Iterum repeto: Non me latet, quantum absurditatis et repugnantiae haec apud profanos homines prae se ferant. Sed pro mille [pag. 80] testibus una conscientia sufficere nobis debet:[1] quam si audimus, negare certe pudebit, iure periisse hominem, qui Satanam quam Deum sponte maluit sequi.

Nunc audiendae sunt Pighii probationes, quibus ostendere conatur, indifferenter omnibus salutem fuisse constitutam. Mentiri alioqui spiritum dicit, qui pronunciat, Deum omnium esse patrem. De coniugio illic tractat Malachias (2, 14), cuius fidem plerique mariti tunc fallebant, qui polygamia inducta fraudabant primas uxores. Eos ad Deum fidei coniugalis praesidem ac vindicem revocat.[2] Videant nunc lectores, qualis in scriptura tractanda sit Pighii religio. Subiicit ex Psalmo:[3] Suavem esse Dominum universis. Unde concludit, omnes sine exceptione ad vitam aeternam destinatos. Quod si verum est, canibus etiam et asinis apertum est regnum coelorum. Neque enim Dei bonitatem quae hominibus propria sit, illic commendat propheta: sed omnia Dei opera comprehendit. Quidni tamen pro fratribus suis Pighius depugnet? Sequitur tertia probatio: Quod non sit distinctio gentilis ac Iudaei, teste Paulo (Rom. 10, 12). Ego vero hoc libenter amplector, modo addatur etiam quod idem Paulus docet: Vocatas in evangelii societatem fuisse gentes, quia aeterno Dei consilio ad id ordinatae fuerant (Rom. 16, 26). Citat et illud Ecclesiastici: [pag. 81] Nihil Deum odisse eorum quae fecit.[4] Ac si non ubique diceremus, nihil Deum in nobis odisse quod suum est, sed degenerem tantum naturam, quae merito primae creationis deformitas censetur. Caeterum, in hoc cardine minime versatur reprobationis quaestio: An aliquid suum oderit Deus. Etsi enim ante defectionem Adae, quid facturus esset Deus, occultas ob causas statuerat, nihil tamen ab eo damnari nisi peccatum in scriptura legimus. Ita restat, ut iustas habuerit causas in reprobanda hominum parte, sed nobis absconditas: nihil autem in homine oderit ac damnet, nisi a iustitia sua alienum. Attexit et illud Pauli: Deum clausisse omnia sub peccato, ut omnium misereatur (Rom. 11, 32; Gal. 3, 22). Ac si Paulus illic de hominum numero disputaret: non autem potius simplicem gratiae commendationem poneret erga eos omnes qui ad salutem perveniunt. Nihil certe illi minus propositum fuit, quam Dei misericordiam ad omnes extendere: sed tantum omnem carnis gloriationem prosternere voluit: ut sciamus neminem fore salvum, nisi quem mera gratia Deus servaverit. En quibus argumentis nullos prae aliis divinitus ad salutem fuisse electos demonstret, quin in singulis capitum titulis plus quam inepte pro Euclidis simia se venditat.[1]

Tertium finem, qui satis clare et diserte [pag. 82] illo Solomonis loco exprimitur, quod propter se Deus omnia creavit, etiam impium ad diem malum (Prov. 16, 4), hac ratione impugnat: Quod si Deum respexisse dicimus, quid cuique futurum esset, simul necesse erit fateri discretionem inter electos ac reprobos priorem fuisse hominis lapsu, in mente divina. Unde sequetur, non damnari reprobos, quia perditi fuerint in Adam, sed quia ante lapsum Adae iam exitio devoti erant. Respondeo, nihil mirum esse, si tam indiscriminate (ut eius verbis utar) omnia miscet Pighius in Dei iudiciis, quando inter causas propinquas et remotas non discernit. Postquam huc illuc circumspexerint homines, quo tamen interitus sui culpam transferant, non invenient: quia proxima in ipsis causa residet. Nam si aliunde inflictum sibi vulnus querantur, interior animi sensus constrictos tenebit, ex voluntaria primi hominis defectione exortum fuisse malum. Scio non posse carnis protervіam compesci, quin hic protinus obstrepat:[2] Si Adae casum praescivit Deus, nec remedium adhibere voluit, nos ex aeterno eius decreto perire innoxios magis, quam iustas peccati poenas dare. Verum, ut demus nihil tale fuisse a Deo praevisum, eadem nihilominus de peccato originali querimonia manebit. Obiiciet enim Deo impietas: Cur non sibi privatim, ut solus damnum sentiret, peccavit [pag. 83] Adam? Cur nos, qui nihil meriti eramus, in eiusdem cladis societatem involvit? Imo, quo iure alienae culpae poenam in nos Deus traiecit? Sed enim ubi omnia dicta fuerint, singulos interior cordis sensus urgere non desinet, qui neminem, vel se iudice, patitur absolvi. Nec vero controversiam de eo quisquam facit. Nam quum, ob unius hominis peccatum, inflictum omnibus fuerit lethale vulnus: rectum Dei iudicium omnes agnoscunt. Si nihil obstat, quominus et prima

1) quoi qu'il babille ou abbaye . . . . . Or que chacun entre en soy et qu'il escoute sa conscience parler . . . . .
2) *Add.* pour mieux monstrer l'enormité de leur peché . . . . et pourtant entendoit qu'ils usassent de meilleure foy et humanité l'un à l'autre.
3) *Numquid alludit ad Ps.* 34, 9?
4) *Extat hoc Sap.* 11, 24.

1) *Haec absunt a gallico.*
2) *Add.* comme ce blaspheme est par trop ordinaire.

interitus origo ab Adam coeperit, et proximam in se causam singuli inveniant, quid etiam impediet, quin arcanum Dei consilium, quo praeordinatus fuerat hominis lapsus, qua decet sobrietate, procul adoret fides nostra, et tamen quod propius apparet, conspiciat: totum humanum genus in Adae persona aeternae mortis reatu constrictum esse, et propterea morti esse obnoxium? Non ergo discussit Pighius, sicuti putabat, optimam et aptissimam symmetriam, qua inter se causa propinqua et remota congruunt.

Monendi autem sunt lectores, peraeque a Pighio utrumque damnari: Deum ab initio, quum adhuc integer foret hominis status, quod postea futurum esset, decrevisse: et nunc ex perdita massa eligere quos voluerit. Augustinum ridet, eiusque similes, hoc est pios omnes, qui Deum imaginantur, postquam universalem generis humani [pag. 84] ruinam [1]) in persona Adae praesciverat, alios ad vitam, alios ad interitum destinasse. Quia enim illud de omnibus in salutem creandis Dei consilium, Adae lapsu fuisse superius, pro confesso sumit, fixum adhuc manere non dubitat. Nam alioqui neque sibi constaret Deus, et immutabile eius propositum hominis vitio subversum foret. In nostra sententia illam (ut dictum est) repugnantiae speciem exagitat: quod sicut Deus ante conditum Adam apud se decreverit, quidnam illi et posteris futurum esset, iam peccato imputari reproborum interitus non debeat: quia absurdum esset, effectum facere sua causa priorem. Ego autem utrumque istorum, quae oppugnat Pighius, verum esse affirmo. Nam quod obtendit inter duas sententias dissidium, prorsus nullum est. Dicimus hominem hac conditione fuisse creatum, ut conqueri de suo opifice nequeat. Praevidit Deus Adae lapsum: nec certe nisi volens ruere passus est. Quid hic tergiversari attinet? Negat tamen Pighius: quia consilium ante de servandis omnibus conceptum stabile maneat. Quasi vero non sit in promptu solutio: non aliter omnibus destinatam fuisse salutem, quam si in prima origine perstarent. Neque enim simplex et praecisum fuisse Dei decretum, quisquam sanus concedet, ut ad salutem omnes pervenirent. Nam ad iustam hominis damnationem satis erat, in via salutis [pag. 85] quum esset collocatus, inde sponte excidisse. At fieri aliter non potuit. Quid tum? an ideo culpa liberatur, quae tota in eius voluntate residet? Si diceret Augustinus, propositum semel fuisse Deo omnes servare: ad refutandam eius opinionem aliquid valeret Pighii argutia. Sed quando tradit, Adam prima sua creatione ita constitutum fuisse vitae haeredem, ut propinqua eius abdicatio Deum minime lateret, imo in arcano eius consilio iam esset quasi inclusa: vere et merito colligit, universali reatu sic obstrictos teneri reprobos, ut in morte relicti, iustum iudicium sustineant. Idem et nos tradimus, quia in Adam sumus ad unum omnes perditi, iusto Dei iudicio perire, qui pereunt: et simul tamen fatemur, quidquid Adae accidit, divinitus fuisse ordinatum.

Nunc mihi non tam quid vel quo ordine dicat Pighius considerandum est, quam ut cum sua desperata impudentia iaceat confusus nebulo: et piis conscientiis satisfiat, quas per imperitiam turbari non raro cernimus. Itaque quidquid speciosum est in fluxa et prope immensa eius loquacitate excerpam: ut omnes intelligant, multa dicendo nihil eum dicere. [1]) Cum speciali electione congruere non videtur, quod Christus totius mundi redemptor omnibus promiscue evangelium praedicari iussit. Atqui, [pag. 86] evangelium legatio est pacis, qua reconciliatur mundus Deo, ut Paulus docet (2 Cor. 5, 18): et eodem teste annunciatur, ut qui audiunt, salvi fiant. Respondeo breviter, Christum sic toti mundo ordinatum esse in salutem, ut eos servet qui a patre illi dati sunt: eorum sit vita, quorum est caput: eos in bonorum suorum societatem recipiat, quos sibi Deus gratuito beneplacito haeredes adoptavit. Quid horum negari potest? Illud Iesaiae vaticinium apostolus in eo impletum pronunciat: Ecce ego et pueri mei, quos Dominus mihi dedit (Iesai. 8, 18; Hebr. 2, 13). Clamat ipse Christus: Omne quod mihi dedit pater, custodiam, ne quid pereat (Ioann. 6, 37). Quod vitam non nisi in membra sua diffundat, passim legimus. Inseri porro in eius corpus, speciale donum qui non fatetur, epistolam ad Ephesios nunquam attente legit. Unde et tertium illud sequitur: Christi virtutem non nisi ad Dei filios pertinere. Quanquam non melius quam ex evangelii praedicatione aestimandam esse universalem Christi gratiam, ipsa quoque pars adversa mihi concedet. Quare in eo sita est nodi solutio, si tenemus quomodo salutem omnibus offerat evangelii doctrina. Equidem omnibus sua natura salvificam esse non nego. Tantum hoc quaeritur: an Dominus aeterno suo consilio communem illic omnibus salutem destinaverit. Vocari omnes indifferenter ad poenitentiam et fidem: proponi [pag. 87] omnibus eundem mediatorem, qui patri ipsos reconciliet, satis notum est: sed aeque notum est, nihil nisi fide percipi: ut illud Pauli impleatur: Evangelium esse Dei potentiam in salutem omni credenti (Rom. 1, 16). Aliis autem quid restat, nisi ut odor sit mortis in mortem? ut idem alibi loquitur (2 Cor. 2, 16).

Porro, quum palam appareat, ex multis quos externa voce Deus compellat, vix paucos credere:

1) la ruine d'Adam.

1) Ie recueilleray donques en somme les argumens que font tels supports de Satan, et monstreray que le tout n'est que fumée.

si maiorem partem ideo incredulam manere probo, quia Deus non nisi quos vult illuminatione dignatur, simul alterum illud obtineo: communiter offerri utrisque Dei misericordiam: ut quicunque intus non doceantur, tantum reddantur inexcusabiles. Distinguunt quidam, quod potentia salutare sit omnibus evangelium, non effectu: sed nodum hoc modo minime expediunt: quia semper eo revolvimur, aequalisne omnibus conferatur credendi facultas. At vero, cur non omnes evangelio obediant, rationem affert Paulus: quia Iesaias dicit: Domine, quis credidit sermoni nostro, et brachium Domini cui revelatum est? (Rom. 10, 16; Iesa. 53, 1.) Credentium paucitate attonitus propheta exclamat: Rem indignam esse, quod Dei verbum omnium auribus personans, nulla fere corda intus afficiat. Verum, ne quem conturbet tanta mundi pravitas, mox subiicit, non omnibus hoc esse datum. In summa, effectu carere quamlibet sonorum humanae vocis [pag. 88] clamorem significat, nisi interior Dei virtus in cordibus operetur. Cuius etiam rei praeclarum documentum ante oculos ponit Lucas, qui postquam retulit habitam a Paulo concionem: Crediderunt (inquit) quotquot ordinati erant ad vitam aeternam (Act. 13, 48). Cur eadem doctrina non iisdem omnium animis excipitur? Numerum definit Lucas: Quia non omnes ad vitam erant ordinati. Cuius porro haec dispositio est, nisi Dei unius? Nam qui proprio cordis motu fuisse ordinatos ineptiunt, non magis refutatione sunt digni, quam si mundum a se ipso creatum dicerent. Est enim recondita evangelii sapientia, ad quam penetrare humani ingenii acumen nequit. Animalis homo, inquit Paulus, non capit ea quae Dei sunt (1 Cor. 2, 14). An quia non vult? Id quidem verum est, rebelles esse Deo quicunque eius spiritu mansuefacti non sunt. Sed altius conscendit Paulus: quod scilicet illi sint stultitia, nec possit intelligere: neminem fuisse Dei consiliarium, nec cognosci eius arcana nisi a solo eius spiritu. Unde constituit, solos esse vere Dei discipulos, qui non mundi huius spiritu, sed coelesti donati sunt: ut sciant quae sibi a Deo donata sunt. Quid sibi ista vult comparatio inter mundi huius et Dei spiritum: nisi quod suo modo sapiunt homines, ut in terra subsidant, filios suos pater coelestis peculiari modo illuminat? Hic, si [pag. 89] Deo placet, voluntariam cuiusque praeparationem nobis Pighius obtrudit: quasi non Corinthios alloquatur Paulus, quos paulo post et fures, et ebriosos, et maledicos, et avaros, et mollos, et prodigiosis flagitiis infectos fuisse commemorat, donec spiritus sanctificatione purgati forent (1 Cor. 6, 9). Qualis ad promerendam illuminationem eorum potuit esse occursus, quos Deus ab inferis ipsis extraxit? Et quid longo verborum circuitu opus est? Spiritus qui nobis regni coelestis arcana patefacit, est adoptionis spiritus. Adoptio autem gratuita. Ergo et gratis confertur spiritus ipse. Iam non omnibus conferri experientia docet. Ergo speciale donum est fides, quo rata fit Dei electio. Quo etiam sensu dixerat Paulus, Christum, qui Iudaeis est scandalum et gentibus stultitia, vocatis esse Dei virtutem et sapientiam (1 Cor. 1, 23). Unde autem vocatio, nisi quia Dominus, quos elegit, secundum propositum suum vocat? (Rom. 8, 30.) Nunc tenemus, evangelium, quod odor vitae in vitam natura sua esse debuerat, mortiferum iis qui pereunt odorem esse: ideo autem manere in suis tenebris incredulos, quia non revelatur illis Dei brachium. Quod autem in tanta naturae nostrae corruptela et pravitate aliqui tamen evangelio credunt, eorum bonitati adscribere, sacrilegium est: sed potius gratiae semper Deo agendae, [pag. 90] ut Paulus monet, qui eos elegit ab initio mundi in salutem, in sanctificatione spiritus et fide veritatis (2 Thess. 2, 13). Quibus certe verbis et fidem et sanctificationem ab aeterna electione, tanquam a fonte rivos, deducit. Quid enim? An quia se ipsos sanctificaturi erant, ideo electi sunt? Atqui nominatim Paulus hoc esse spiritus Dei opus asserit. Quum eadem sit fidei ratio, superest, ut in fidem illuminatos dicamus, quo rata esset Dei electio, et effectu ipso patefieret. Et sane quum audiamus, neminem ad Christum venire nisi a patre trahatur: hoc quoque Augustini [1]) tenendum est: Quis trahitur, si iam volebat? Nemo tamen venit, nisi velit. Trahitur ergo miris modis ut velit, ab illo qui novit intus in ipsis hominum cordibus operari, non ut nolentes credant, quod fieri non potest: sed ut volentes ex nolentibus fiant.

Reclamat Pighius, illam Pauli sententiam adducens (1 Tim. 2, 4): Deum omnes velle salvos fieri: et quod mortem peccatoris nolit, ipsi vel iurato credendum, ubi per prophetam sic loquitur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat (Ezech. 18, 23 et 33, 11). Quum prophetica concio ad poenitentiam hortetur, nihil mirum si Deum pronunciet velle omnes salvos fieri. Sed tales [2]) loquendi formas conditionales esse, ostendit mutua inter minas et promissiones relatio. Ninivitis [pag. 91] Deus, quemadmodum regibus Gerar et Aegypti, facturum se denunciat, quod facturus non est. [3]) Quum resipiscentia poenam, quam minatus illis fuerat, antevertunt, tunc non nisi obstinatis constitutam fuisse apparet. Et tamen praecisa fuerat denunciatio: ac si revocabile non esset decretum. Sed postquam irae suae sensu terruit ac humiliavit, qui non prorsus sunt despe-

1) Lib. 1 ad Bonif. cap. 19.
2) *Beza et Amst. vitiose:* Si tales.
3) ce qu'il a determiné de faire.

rati, eos spe veniae erigit, ut remedio sentiant locum esse. Ita rursum promissiones, quae omnes ad salutem invitant, non simpliciter nec praecise quid in arcano suo consilio statuerit Deus, sed quid omnibus ad fidem et poenitentiam adductis facere paratus sit, demonstrant. Atqui, hoc modo duplex affingitur Deo voluntas, qui adeo varius non est, ut ne minima quidem in eum cadat obumbratio. Quid hoc, inquit Pighius, aliud esset, quam hominibus illudere, si Deus, quod non vult, velle se profiteatur? Si coniunctim, ut par est, legantur haec duo: Volo ut conversus peccator vivat: nullo negotio calumnia illa diluitur. Conversionem exigit a nobis Deus: eam ubicunque invenit, promisso vitae praemio non frustratur. Vitam ergo velle dicitur Deus, qualiter et poenitentiam. Hanc autem vult, quia verbo suo omnes ad eam invitat. Caeterum, id cum arcano ipsius consilio non pugnat, quo nonnisi suos electos convertere decrevit. Neque propterea [pag. 92] varium censeri fas est, quia tanquam legislator omnes externa vitae doctrina illuminet, ad vitam omnes priore modo vocet: hoc autem altero quos vult adducat, tanquam pater regenerans spiritu filios duntaxat suos.

Certum quidem est, nec homines suopte instinctu ad Dominum converti, nec conversionis donum omnibus commune esse. Est enim hoc unum ex duobus capitibus foederis, quod Deus non nisi cum filiis suis et electo populo facturum se promittit: ut leges suas in eorum corda inscribat. Desipiet enim si quis dicat, generaliter hoc omnibus promitti: Percutiam cum ipsis foedus, non quale percussi cum patribus eorum: sed leges meas cordibus eorum inscribam (Ierem. 31, 33). Ad dignos, vel proprio motu rite praeparatos restringere, non minus crassae inscitiae foret: quum Dominus eos alloquatur, quibus corda lapidea prius erant: quemadmodum ex altero propheta liquet (Ezech. 36, 26). Communem omnium contumaciam esse dico, nec cuiusquam affectum esse ad obsequium Dei flexibilem, donec ipse dederit quod iubet. Cur enim vocamur novae creaturae, nisi quia Dei sumus factura, creati ad omne opus bonum (Ephes. 2, 10. 2. Cor. 5, 17)? Obsecro, qualis ista et quam iniqua partitio erit, si Deus mortales nos homines creet, sibi quisque ad iustitiam et coelestem vitam sit creator? Nam hoc modo sibi haberet Deus caducae [pag. 93] gratiae [1]) laudem: quod longe praestantius est, in sortem nostram cederet. Atqui, circumcidere hominum corda, opus Dei esse scriptura affirmat: (Deut. 30, 6) nec alteri regeneratio tribuitur: unde et passim quod in homine ad imaginem Dei reformatum est, spiritus nuncupatur. Hortatur quidem nos subinde Dominus ad poenitentiam: sed conversionis autor ipse asseritur (2. Tim. 2, 25). Dicitur lex eius convertere animas: (Psalm. 19, 8 ss.) et ad verbi ministros partes istae alicubi transferuntur (Luc. 1, 17): sed quia dum arando, serendo, rigando, laborant illi, unius Dei est incrementum dare (1. Cor. 3, 6): non mirum est, si hoc illi tribuitur, quod cor suis aperiat (Act. 16, 14), ut sermoni quem audiunt, intenti sint. Itaque Augustinus, [1]) postquam de electis tractavit, et eorum salutem ita in fideli Dei custodia docuit esse repositam, ut nemo pereat: Caeteri, inquit, mortales, qui ex isto numero non sunt, et tamen ex eadem massa sumpti sunt, vasa irae facti in utilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere aut fortuito creat: aut quid de illis operetur boni, ignorat: quum et hoc ipsum bonum operetur, quod in illis humanam creat naturam, et ordinem saeculi praesentis exornat. Istorum neminem adducit ad poenitentiam spiritualem, qua homo reconciliatur Deo. Quamvis ergo ex eadem massa perditionis nati, secundum cordis sui duritiem et cor impoenitens, thesaurisant [pag. 94] sibi, quantum in se est, omnes iram in die irae, Deus tamen alios inde per misericordiae bonitatem adducit ad poenitentiam, alios iusto iudicio non adducit. Hactenus ille. Ac ne quis hic divinae gratiae et nostrae industriae concursum imaginetur: semper occurrat quod alibi tradit: Laborant, inquit, [2]) homines in nostra voluntate invenire, quid boni sit nostrum, quod nobis non sit ex Deo: et quid possit inveniri, ignoro. Et paulo post: Quapropter nisi obtinemus, non solum voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est, quibus et male uti malus potest, sed etiam voluntatem bonam, quae iam in eis est bonis, quorum usus esse non potest malus, nisi ex Deo nobis esse non posse: nescio quemadmodum defendamus quod dictum est: Quid habes quod non acceperis? (1. Cor. 4, 7.) Nam si nobis libera quaedam voluntas ex Deo est, quae adhuc potest esse vel bona vel mala, bona autem voluntas ex nobis est: melius est id quod a nobis, quam quod a Deo est. Tandem concludit: Quibus donare hoc voluerit Dominus, misericordiae eius esse, non meriti illorum: quibus noluerit; veritatis esse, [3]) quia potestatem habet trahendi.

Alterius loci (1. Tim. 2, 4) expedita est solutio. Deum velle omnes salvos fieri Paulus affirmat. Nempe, quomodo vult ad veritatis suae cognitionem [pag. 95] venire. Utrumque enim copulat. Nunc quaero, eademne Deo voluntas ab initio mundi constiterit necne. Nam si omnibus notam esse vo-

1) de ceste vie corruptible et caduque.

1) Lib. contra Iulian. 5. cap. 3.
2) Lib. 2 de peccat. merit. et remiss. cap. 18.
3) de sa iustice.

luit suam veritatem: cur legem suam non publicavit et gentibus? Cur inclusam in angustiis Iudaeae tenuit vitae lucem? Quid sibi vult illud Moysis (Deut. 4, 8): Non esse gentem quae statuta et leges habeat quibus regatur, quemadmodum populus ille: nisi quod singulare privilegium generis Abrahae commendat? Cui et illud Davidis encomium respondet (Psal. 147, 20): Non ita fecit ulli populo, nec sua iudicia manifestavit illis. Nec omittenda est quae exprimitur ratio: quia dilexerit Deus patres, filios ab eo electos esse non quia praestantiores essent: sed quia eligere eos in populum peculiarem Domino visum est. (Deut. 4, 37 et 7, 8) Quid? An Paulus ipse nesciebat, se prohibitum esse a spiritu, ne in Asia verbum de Christo faceret, ac ne transiret in Bithyniam quo pergebat? (Act. 16, 6) Sed quia nimis prolixa foret huius rei tractatio, uno illo nunc ero contentus: Deum post lucem vitae solis Iudaeis accensam, passum fuisse gentes in ignorantiae tenebris per multa saecula errare (Act. 14, 16): deinde speciale hoc promitti ecclesiae donum, quod super ipsam orietur Dominus, et gloria eius conspicua illic erit. (Iesai. 60, 2.) Nunc iactet Pighius, Deum omnes velle salvos fieri, quum ne externa quidem doctrinae praedicatio, quae tamen spiritus [pag. 96] illuminatione longe inferior est, omnibus sit communis. Agitatus olim a Pelagianis fuit locus iste. Quid Augustinus pluribus locis respondeat, dicere in praesentia supersedeo: nisi quod clare et breviter uno ex loco patet, quam secure hanc obiectionem contempserit. Quum Dominus, inquit,[1]) se volente filios Ierusalem congregare, ipsam noluisse conqueritur, an superata fuit ab infirmis hominibus Dei voluntas, ut non potuerit facere potentissimus quod volebat? Et ubi erit omnipotentia, qua fecit quaecunque voluit in coelo et in terra? Quis vero tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit, in bonum non posse convertere? Sed quum facit, per misericordiam facit: quum non facit, per iudicium non facit. Nodum quidem nondum solutum esse fateor: sed hoc tamen extorsi Pighio, ne quis nisi sensu et iudicio privatus credat arcano Deo consilio statutam aequaliter omnibus salutem esse. Caeterum, sensus Pauli cuivis non contentioso satis facilis est ac dilucidus. Iubet solennes pro regibus et principibus, qui cum imperio praesunt, preces concipi. Quia vero totidem illo saeculo erant infestissimi ecclesiae hostes: ne fideles a studio precandi revocet desperatio, mature occurrit Paulus, Deum omnes salvos velle fieri dicens. [pag. 97] Quis non videt ordinum hic geri mentionem potius quam singulorum hominum? Nec vero ratione caret trita illa distinctio: Non singulos generum, sed genera singulorum notari.[1]) Quod tamen non alia sit Dei voluntas intelligenda, quam quae patefit externa evangelii praedicatione, ex contextu evincitur: ut Deum significet Paulus omnium velle salutem, quos benigne ad Christum invitat.[2])

Sed Pighius rursus de personarum respectu mihi certamen movet.[3]) Quia Deus personas non respicit,[4]) inde omnes aequaliter colligit ab eo amari. Responderam,[5]) hoc nomine signari in scriptura externas omnes accessiones, quae sunt praeter causam, favoremque aliis conciliant, alios odio gravant vel contemptu. Nihil ineptius posse dici vel fingi detonat. Atqui si agenda res esset suffragiis, multos haberem non poenitendos socios vel duces. Sed valeat una ratio. Hebraeis nomen est (PANIM) quod tantundem valet ac Facies. Quum vetantur iudices personas accipere, quum testatur Moyses nullum personae respectum esse Deo (Deut. 1, 17; 10, 17), et idem in historia Iob repetitur (Iob. 32, 21 et 34, 19): quid, obsecro, per hanc vocem intelligere possumus, quam externas omnes apparentias, ut vulgo appellant, quibus a re ipsa abducimur? Similiter quum de servis et dominis, quum de Iudaeis et gentibus [pag. 98] quum de nobilibus et obscuris loquuntur apostoli (Rom. 2, 11, Gal. 2, 6, Ephes. 6, 9, Coloss. 3, 25), *πρόσωπον*, quod alii prae aliis habent excellentiae, unde fit ut quod aequum ac rectum est, non cernatur. Ideo Christus *ὄψιν*, id est, aspectum, iusto iudicio opponit (Ioan. 7, 24): ac si diceret, ubi hominum favor vel odium regnant, fieri aliter non posse, quin totam aequitatem ac rectitudinem pervertant. Nemo[6]) igitur non videt Pighium rabiosa maledicendi petulantia

---

1) Enchirid. ad Laurent. cap. 97 et 98.

---

1) *Totum hoc comma abest a gallico.*

2) *Gallus addit:* Si quelcun replique encores au contraire, il faudra qu'il confesse que Dieu ne vient point à bout de ce qu'il veut, ou que tous seront sauvés sans exception. De dire que Dieu le veut entant qu'en luy est, cependant qu'il laisse chacun en son franc arbitre, ce n'est rien. Car ie demande derechef pourquoy donc il n'a voulu que l'Evangile se soit presché des le commencement du monde à toutes nations. Mais toutes gens paisibles se tiendront à l'exposition que i'ay donnée: c'est que Dieu veut faire les princes et magistrats participans de salut aussi bien que les autres.

3) Lib. 7. c. 2.

4) iuge sans acception de personne.

5) *Haec in gallico sic habent:* Or il est à noter que ce mot de Personne signifie en l'Escriture autant que Regard ou Face, ou pour mieux exprimer, ce que nous appellons en commun langage Apparence. Ainsi ce mot comprend tous accessoires et considerations, qui nous destournent de la verité de la cause. Et pourtant Iesus Christ oppose . . . *caett.* (*reliquis omnibus omissis*).

6) Nemo . . . contemptui subiacent. *Pro his omnibus in gallico haec pauca leguntur:* Pighius, dit que Dieu n'accepte point les personnes, d'autant qu'il se porte indifferemment vers tous et se monstre liberal comme un bon dispensateur qui a la charge de distribuer un bien publique.

abreptum, nunquam pensi habuisse quid diceret. Nunc audienda boni censoris correctio. Personarum aspectum pronunciat vitium esse, in iustitia distributiva locum habens. Inde concludit, Deum non accipere personas, quia indifferens sit omnibus: et quemadmodum aequum distributorem de publico largiri decet, praebeat se perinde liberalem ac beneficum. Perinde vero haec garrit, ac si exstincta scriptura, quidvis illi e proprio capite fingere liceret. Nam omnes scripturae loci meam sententiam confirmant: nullum profert qui eius commento suffragetur. Et quid mirum, si sua deliria tam secure proferat: quum ne ipsam quidem vocem de qua sermo illi erat, expenderit? forsan ut se probaret magnum theologum, contempta grammatica sine sensu voces effutivit. Nam Persona nihil illi aliud valet, quam hominem. Quum tamen plus quam conspicuum sit, qualitatem extrinsecam notari, qua induti [pag. 99] homines, aut favore digni habentur, aut contemptui subiacent. An autem Deus aequalis sit distributor nec ne, Christo magis credendum est quam Pighio. Christus autem Deum sub patrisfamilias persona ita loquentem inducit (Matth. 20, 15): Annon licet in rebus meis facere quod volo: an oculus tuus malus est, quod ego benignus sum? Secundum quam rationem Paulus, ut nemini obstrictum esse doceat, quin gratiam suam pro arbitrio, quibus visum est, dispenset, interrogat: Quis prior illi dederit, ut ei mutuum rependatur. (Rom. 11, 35).

Primum, si qua pietatis gutta fuisset in hoc homine, an unquam ausus foret, Deum tam contumeliose in ordinem cogere? Praescribit enim, ut omnibus aequaliter largiatur, quasi de publico.[1] Ita nihil Deo reliquum facit, in quo gratuitam beneficentiam exerceat. Iudicat, inquit, de unoquoque secundum cuiusque dignitatem et opus, non autem pro suo beneplacito. Quo igitur merito provocatus elegit genus Abrahae? Quid reperit in ea gente dignitatis, cur eam reliquis praeferret? Non aliam ipse rationem assignat, nisi quia dilexit patres eorum. Postea expressius: Ecce, quum Domini sint coeli et terra, tantummodo illi in patribus tuis complacuit ad eos amandos, et elegit semen eorum post eos (Deut. 4, 37, Deut. 10, 15). Iam alio loco merita omnia in nihilum redigit, dum idololatras [pag. 100] fuisse commemorat (Iosue 24, 2). Saltem hoc obtineo, quod Pighius negat, Dei beneplacitum a Moyse clare praedicari. Negat,[2] ex Dei pendere decreto, sed hominum affectu, quod uno reiecto alius eligitur. Quid ergo sibi vult illud: Non ex operibus, sed ex vocante dictum est: maior serviet minori (Rom. 9, 11)? Exsecranda vero quam postea evomit in Deum blasphemia est: Fingi Deum non iniustum modo, sed crudelem, si quempiam exitio devoveat. Atqui, ad eius Dei tribunal semel sistetur, quem Paulus ostendere suam potentiam in vasis irae asserit. Imo iam nunc malo suo exitio sentit, non esse humanitus fabricatum, sed aeternum totius mundi semper fuisse iudicem. Nunc experitur miser, quam vere dictum sit: Vincere Deum quum iudicatur. (Psal. 51, 6, Rom. 3, 4). Caeterum, fateor personae alicubi opponi piam et rectam vitam: ut quum Petrus dicit, non esse Deum προσωπολήπτην, quia in omni gente acceptus illi sit qui bene vivit (Act. 10, 34). Sed prompta est responsio: Quod Deus quae filiis suis contulit dona, probet, grataque habeat: in hominis autem natura nihil prorsus inveniat nisi odio dignum. Ergo ut Deus cultores suos diligat: necesse est, ut dum adhuc omni bono vacui sunt, gratuito amore praeveniat indignos, et illis donet quod postea amore prosequatur. Hanc vero primam gratiam dat quibus vult, inquit Augustinus,[1] quoniam misericors [pag. 101] est. Quod etsi non det, iustus est. Et non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriae suae in vasa misericordiae. Quod autem non sit apud eum personarum acceptio, hinc liquere in fine capitis admonet, quia praeteritis cultorum suorum filiis, natam ex reprobis sobolem ab exitio interdum liberat. Ac omnino memoria tenendum, quod tandem adducit[2]), nullum praedestinationis illustrius speculum exstare, quam sit ipse mediator, qui secundum humanam naturam id honoris nullo merito adeptus est, ut Dei unicus esset filius. Atqui,[3] gratuitum Dei beneplacitum quod in Christo ecclesiae capite spectandum ille proponit, Pighius ne in membris quidem admittere sustinet. Beatam enim Christi matrem contendit suo merito electam esse, quia ipsa canat: Respexit humilitatem ancillae suae (Luc. 1, 48). Istae sunt Pighii probationes: Fundatam in hominum meritis electionem Dei esse, non gratuitam, quia quod abiectum est ac contemptibile, eligit.[4]

Hac ratione facile diluitur Pighii obiectio: Quum Christus benedictos patris sui ad regnum possidendum vocat, non simpliciter causam dici, quia electi sint, sed quia exercuerint caritatis opera.[5] Neque ego sane ad arcanam Dei electio-

1) comme s'il estoit un receveur publique.
2) Et c'est merveilles comment les ennemis de l'election de Dieu osent ainsi mettre le fondement de salut en la bonne affection des hommes, veu que ceste sentence est tant expresse: Que ce n'est point des oeuvres mais de Dieu qui appelle.

1) Lib. de bono persever. cap. 12.
2) Eiusdem lib. cap. 24.
3) Atqui . . . . contemptibile eligit. *Pro his in gallico legitur*: Or si nous voyons au chef un tel exemple du bon plaisir de Dieu, c'est bien raison qu'il soit aussi reconnu aux membres.
4) Lib. 8 cap. 2.
5) *Add.* comme il est recité en saint Matthieu (25, 42 ss.)

nem homines ablego, ut inde salutem hiantes exspectent: sed recta ad Christum [pag. 102] pergere iubeo, in quo nobis proposita est salus: quae alioqui in Deo abscondita lateret. Nam quisquis plana fidei via non ingreditur, illi Dei electio nihil quam exitialis erit labyrinthus. Itaque, ut certa sit nobis peccatorum remissio, ut in vitae aeternae fiducia conscientiae nostrae acquiescant, ut Deum intrepide patrem invocemus, hinc minime faciendum est exordium, quid de nobis ante mundum conditum Deus statuerit: sed quid de paterno eius amore nobis in Christo sit patefactum, et quotidie per evangelium Christus ipse praedicet. Nihil altius nobis quaerendum, quam ut filii Dei simus. Atqui gratuitae, qua hoc tantum bonum consequimur, adoptionis speculum, arra et pignus est filius, qui e patris sinu ideo ad nos prodiit, ut in corpus suum inserendo regni coelestis haeredes faceret. Porro sicuti haec haereditas et Christi sanguine parta est semel, et sacris evangelii tabulis consignata: ita eius possessio non aliter quam fide adiri potest. Denique, non tantum libenter fateor, sed passim in scriptis meis inculco, et fidei alligatam esse hominum salutem, et Christum unicam esse ianuam, qua in regnum coelorum omnes ingredi oportet, nec alibi tranquillam pacem quam in evangelio inveniri: quicunque inde vel minimum deflectunt, nihil quam per flexuosas ambages errare: et quo [pag. 103] quisque in profunda illa divini consilii adyta confidentius irrumpere et penetrare conatur, eo longius a Deo recedere. Ergo quin per fidei viam ambulandum sit, non nego. Unde et alterum illud conficitur, Deum, quae electis in praesenti vita contulerit spiritus sui dona, extremo die coronaturum. Caeterum id non obstat, quominus coelestis pater quos in Christo elegit, in eius corpus fide et spiritus sanctificatione inserat: quominus ante conditum mundum praedestinatos tempore suo vocet ac iustificet. Atque utrumque Paulus optime coniungit, ubi omnia cedere in bonum diligentibus Deum praefatus, mox addit: Qui secundum propositum vocati sunt (Rom. 8, 28). Haec igitur via est, qua suos gubernat Deus: haec ratio, qua opus in illis gratiae suae absolvit. Sed cur manum eorum apprehendat, alia est superior causa: propositum scilicet illud, quo eos destinavit ad vitam. Quo magis ridicula est Pighii impudentia, dum testimonium sibi tam adversum procaciter tamen in suum usum aptare non dubitat. Notandum esse in primis admonet,[1]) non dici, cedere omnia in bonum electis vel dilectis: sed diversam potius causam notari, quod Deum diligant.[2]) Quasi vero non ideo, data opera, addita a Paulo fuerit correctio, ne quis fidelium merito tribueret, quod illis Deus omnia in bonum [pag. 104] vertit. Qualiter affectos esse deceat fideles, primum ostendit. Atque hoc vocationis est proprium.[1]) Sed ne in se ipsis haereant, salutis bonorumque omnium initium ex altiori fonte manare docet, quia prius electi fuerant. Hunc quoque nodum Pighius iocando expedit: quod Deus ad sanctitatem omnes vocet.[2]) Quasi vero non diserte Propositi nomine efficax vocatio commendetur. Quibus autem praestigiis tam densas tenebras offundet, ut sententiae huius perspicuitas obruatur? Deus quos elegit, iustificat, ut tandem glorificet (Rom. 8, 30). Quantumvis eam laceret, nunquam tamen efficiet, ut se ad omnes extendat.[3]) Hinc apparet, quam sulte ratiocinentur, qui fidei bonorumque operum praetextu electionem subvertere moliuntur: ut filia, sicut vulgo loquuntur, matrem devoret. Extremum[4]) suffugium Pighio est, Deum non nisi quos praescivit ad salutem praedestinasse: quod iam illi prius a me obstructum est, quum fieri non posse ostendi, ut quidquam aliud in homine praevideat, nisi exitio dignum: donec eum ipse spiritu suo refinxerit. Nam si nihil habet quisquam quod non acceperit: quid alius alio plus afferet in Dei conspectum, quo excellat? Praescivit ergo suos Deus, non ut ex meritis aestimaret: sed quia nemo ab aliis discernitur, nisi in quem benignos et propitios oculos coniecit, ut filiis suis quamlibet [pag. 105] indignum adnumeret: secundum illud Pauli: Quis enim te discernit (1. Cor. 4, 7)? At Pighio gratuita praecognitio, quam ipse nudam appellat, videtur nulla esse. Quibus ergo plumis hominem ornabit, ne coram Deo nudus et omni ex parte deformis prodeat? Nam scriptura quidquid in vitiata hominis natura est, exosum esse Deo clamat: solam eius imaginem, quae in Christo renovatur, placere.

Sequitur apud Pighium: Rationem cur damnentur[5]) impii quaerentibus non ingeritur vox illa tyrannica: Aeterno Dei consilio ab electis fuisse discretos, quia Deo placuerit exitio ipsos devovere: ut valeat illud: Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas:[6]) sed audient ex ore Christi: Esurivi, et

1) Lib. 8 cap. 2 in fine.
2) *Add.* et pretendant par là que S. Paul met la cause de nostre salut en nous.

1) les fruits de la vocation.
2) *Add.* Mais c'est une grande mocquerie, veu que ce mot de Propos emporte une efficace et effect de la grace du sainct Esprit, par lequel Dieu accomplit son conseil. Mais encores comment tels calomniateurs pourroyent ils esblouir les yeux d'un chacun etc.
3) *Add.* Il s'ensuit donc que S. Paul denote un certain nombre d'appellez.
4) *Quae hic sequuntur usque ad finem pericopae desunt omnia in gallico.*
5) envoyés au feu eternel.
6) *hunc versum poetae tritissimum om. versio gallica.*

non dedistis mihi cibum, etc. (Matth. 25, 42) Cui non multum dissimile est quod alio loco repetit: [1]) Non pronunciaturum illis Christum, ideo damnari, quia ex infecto Adae genere progeniti sint, quia ex eius [2]) peccato mortis aeternae reatum contraxerint: quia eius culpa perire ipsos oporteat: sed quia non dederint cibum famelicis, et alia caritatis opera non exercuerint. Si neque originalis culpa ad homines damnandos Pighio sufficit, nec quidquam loci habet arcanum Dei iudicium: quid pueris infantibus faciet, qui prius quam ullum tale specimen per aetatem edere possent, ex hac vita erepti sunt? [pag. 106] Quum eadem nascendi et moriendi conditio fuerit parvulis qui Sodomae et Ierosolymae mortui sunt, nec quidquam in eorum operibus dispar: cur aliis ad dextram suam stantibus, alios ad sinistram Christus extremo die segregabit? Quis hic admirabile Dei iudicium non adoret, quo factum est ut alii Ierosolymae nascerentur, unde ad meliorem vitam mox transirent, alios Sodoma, inferorum atrium, nascentes exciperet? Caeterum, ut electis iustitiae praemium rependet Christus, ita reprobos minime infitior impietatis et scelerum suorum poenas tunc daturos. Nec vero tale quidquam ex nostra doctrina elicere licet, quoniam aeterno suo consilio elegit ad vitam Deus quos visum est, alios exitio reliquit: vel nullas malis operibus constitutas esse poenas, vel bonis nullam esse repositam mercedem. Stabimus omnes ante tribunal Christi, ut referat quisque prout in corpore suo gessit, sive bonum sive malum. Sed unde piis iustitia et sanctitas quae tunc coronabitur, nisi quia spiritu eos suo Deus in vitae novitatem regenuit? Unde porro regenerationis donum, nisi ex adoptione gratuita? Perinde argumentatur Pighius, ac si quis diem esse neget ex luce a Domino creata, quia solis splendor diem facit. Quanquam similitudinem istam non omni ex parte convenire fateor. Lux enim initio creata Deum [pag. 107] proprie habet autorem. At damnationis nostrae culpa sic in nobis residet, ut procul alienos ad eam obliterandam colores accersere fas non sit. Sed tantum breviter ostendere libuit, quam praepostere Pighius propinquae causae obiectu, remotam tollat. Damnatum iri impios contendit, quia propriis maleficiis iram Dei in se provocarint. Ex eo colligit, a Dei decreto non provenire eorum damnationem. Ego autem, eos maleficia alia aliis cumulasse dico, quia quum pravi essent, nihil quam peccare potuerint. Etsi autem non extrinseco impulsu, sed spontaneo cordis affectu, scientes ac volentes peccarint: quin tamen fons et origo malorum omnium sit naturae

1) il passe encores plus outre et desgorge ce blaspheme.
2) d'un homme.

corruptio et vitiositas, negandum non est: nisi prima pietatis rudimenta convellere libeat. Causam si quaeras, cur vitium quod in electis suis Deus corrigit, non eodem in reprobis remedio dignetur, abscondita apud ipsum latet. Hoc modo Paulus, quum nono ad Romanos capite Deum statuit vitae et mortis arbitrum, ut salvi sint illi demum quos ab interitu eripit; et clare pronunciavit, non volentis esse neque currentis, sed miserentis Dei, qui miseretur cuius vult, et quem vult, indurat: postea conspicuas et quasi palpabiles excaecationis causas in sua gente ostendit, quod Christum plerique respuerint, quod Deum contumaciter [pag. 108] repulerint, manus ad eos tendentem. Optime igitur consentiunt inter se haec duo: quod quisque sibi propria incredulitate damnationis sit autor, et nihilominus quicunque spiritu Dei destituti sunt, caeci adversus Christum ruant. Itaque Iudaeos Paulus reos peragens, quod iustitiam suam stabilire volentes, Dei iustitiae non fuerint subiecti (Rom. 10, 3), atque ita superbiae suae vitio, abdicati ex ecclesia fuerint: simul tamen tribuendum esse Dei gratiae docet, quod residui quidam steterint: quemadmodum et oraculum continet: Reliqui mihi septem hominum millia, qui non curvaverunt genu ante Baal (1. Reg. 19, 18). Neque enim, ut circumspecte Augustinus [1]) notat, sua virtute steterunt, si eos Dominus servavit, ut reliqui manerent. Expressius etiam Paulus: Reliquias, Christi adventu, secundum gratuitam electionem servatas (Rom. 11, 5). Audis reliquias: qua voce exiguum numerum ab universa turba segregat. Servatas esse illas dicit, non propria virtute, sed Dei beneficio. Salutem ex gratuita electione deducit: quo significat, hanc solam fuisse causam, cur non in turba perierint, quia gratuito electi sint. Unde rursum conficitur, si electi essent omnes, neminem fuisse periturum.

Si velle se ac iubere pronunciet mortalis homo, ut pro ratione sit sua voluntas, tyrannicam esse vocem fateor: sed id ad Deum [pag. 109] transferre, [2]) sacrilegi est furoris. Neque enim quidquam Deo immoderatum affingere licet, ut in eo, sicut in hominibus, exsultet libido: sed merito hoc honoris defertur eius voluntati, ut pro ratione valeat: quando omnis iustitiae fons est ac regula. Nam quae in scholis trita est de duplici eius voluntate distinctio, a nobis minime admittitur. Voluntatem Dei aliam ordinatam, aliam absolutam garriunt Sorbonici sophistae. Haec blasphemia, a qua merito abhorrent piae aures, Pighio et similibus esset plausibilis. Ego autem ex adverso contendo, adeo nihil esse in Deo inordinatum, ut inde potius fluat,

1) Lib. de bono persev. cap. 18.
2) ranger Dieu à une telle mesure.

quidquid est in coelo et in terra ordinis.[1]) Quum ergo in summum gradum evehimus Dei voluntatem, ut sit omni ratione superior, absit ut eum quidquam nisi summa ratione velle imaginemur: sed simpliciter sentimus, eum iure suo tantum habere potestatis, ut solo eius nutu contentos esse nos oporteat. Nam si vere dictum est: Iudicia tua, abyssus multa (Psal. 36, 7): simul atque eo superbiae prorumpit mens hominis, ut in simplici Dei beneplacito non acquiescat, cavendum est, ne tanta illam profunditas absorbeat. Nec sane fieri aliter potest: atque haec plus quam iusta est ultio. Quare nunquam memoria excidat illud Augustini:[2]) Quis Deus sit, et quis tu sis, attende. Ille Deus est, tu homo. Si iustitiam tibi loqui videris, [pag. 110] an fons iustitiae siccatus est? Tu homo a me exspectas responsum. Et ego sum homo. Itaque ambo audiamus dicentem: O homo, tu quis es? Melior est fidelis ignorantia, quam temeraria scientia. Quaere merita, non invenies nisi poenam. O altitudo! Petrus negat, latro credit. O altitudo! Quaeris tu rationem? Ego expavescam altitudinem. Tu ratiocinare, ego miror: tu disputa, ego credam: altitudinem video, ad profundum non pervenio. Requievit Paulus, quia admirationem invenit. Vocat ille inscrutabilia Dei iudicia: et tu scrutari venisti? Ille dicit, investigabiles esse eius vias: et tu vestigas? Cui simile est quod alio loco tradit:[3]) Disputare vis mecum? Imo mirare mecum et exclama: O altitudo! Ambo in pavore simus concordes, ne in errore pereamus.

Acutus sibi Pighius videtur, quum iudicia Dei profundam abyssum fore negat, si voluntas eius summa sit ratio: quia nihil facilius sit vel magis expeditum, quam fieri omnia, quoniam sic Deo placet, ubi dominatur sola eius voluntas. Atqui sophistice garriendo, quod unum in quaestione vertitur, ridicule praeterit, quum liqueat sic fieri, quia Deo placet: cur illi potius ita placeat, quam secus. Pergit deinde ineptiendo: atque ut ostendat causam Deo esse in suis consiliis, responsum quod discipulis suis dedit Christus, [pag. 111] adducit, hominem caecum fuisse natum, ut opera Dei in illo manifestarentur (Ioann. 9, 3). More[4]) suo Pighius umbratile certamen sibi fingit. An mihi portentum hoc unquam venit in mentem, nullam Deo consilii sui rationem constare? Dum ego Deum praesidem totius mundi statuo, qui incomprehensibili et mirifico consilio gubernet modereturque omnia: an illum fortuito huc illuc raptari, vel caeca temeritate eum facere quod facit, quisquam ex verbis meis colliget? Imo paulo post verba mea citat, quibus satis, nisi fallor, dilucide refellitur: quum Deo semper in operibus quamlibet arcanis propositum esse dico,[1]) ut nominis sui gloriam illustret: nisi quod repugnantiae colorem in eo lectoribus ostentat, quod divini beneplaciti rationem quaerendam nego: et simul tamen doceo quaenam illa sit. Quam frigidae sint nugae istae, accuratius monstrare nihil attinet. Gloriae suae rationem in factis suis omnibus habet Dominus. Nempe hic universalis est finis. Excitavit, teste Paulo (Rom. 9, 17), Pharaonem, ut nomen suum in tota terra celebraret. An secum dissidet Paulus, quum deinde exclamat, inscrutabilia esse iudicia eius (Rom. 11, 33)? Dicit, vasa irae a Domino destinata ad interitum, sustineri in multa patientia, ut potentiam suam in illis ostendat (Rom. 9, 22): an huic sententiae contraria est admiratio quae mox sequitur? O altitudo! [pag. 112] Adde, quod in Causae nomine fucum Pighius facit, causam finalem pro formali in medium afferens. Etsi enim, quorsum spectet Deus, non est obscurum: non ideo tamen protinus apparet, cur ita fieri deceat. Haec autem praesentis instituti summa est. Etiamsi claris argumentis iustitiam nobis suam non probet Deus, statuendum tamen esse, quidquid ab eo fit, iuste fieri: ideo in sola eius voluntate quiescendum esse: ut quod illi placere intelligimus, cuius nos causa fugit, instar mille rationum sufficiat. Nimis ergo inepte cavillatur Pighius, dum me inconstantiae insimulat, quia rationem divinae voluntatis quaerendam esse negans, pronuncio tamen nihil eum velle, nisi quod expedire censet. Nam hoc posterius causae redditionem esse, quam nobis constare alibi nego. Atqui qualis ista est causae notitia, si Deum consulto facere quod facit audiamus, et quod ita expedire censeat: interim nos fugiat certa et specialis operis consiliique ratio? Ad haec, quid inter fidei reverentiam et inquirendi audaciam intersit, pro nihilo ducens, quod credendum esse doceo, ad vulgarem, quae humanitus concipitur, notitiam praepostere rapit. Ergo simul atque affirmaverit quispiam, optimum semper agendi finem esse Deo: secum ipse dissentiet, si postea cum Paulo exclamet, recondita esse Dei iudicia, et vias eius incomprehensibiles. [pag. 113] Quanquam[2]) in eo fallitur Pighius, quod mea ipsius verba agnoscere me iubet quae ex Augustino retuleram. Ubi quaeritur, inquit sanctus ille vir,[3]) cur ita fecerit Deus, respondendum est: Quia voluit. Quod si rogando

1) *Add.* comme ordonnant bien et deuement tout ce qui est en nature.
2) De verbis Apost. serm. 20.
3) De verbis Apost. serm. 11.
4) more suo .... constare? ***Pro his Gallus:*** Le tout revient là que Dieu ne fait rien sans raison.

1) en mon Institution.
2) Quanquam .... retuleram: C'est ce que dit S. Augustin.
3) Lib. 1 de Genes. contra Manichaeos cap. 3.

pergas, cur ita voluerit, maius aliquid quaeris et sublimius Dei voluntate: quod inveniri non potest. Compescat igitur se humana temeritas, et quod non est, ne quaerat: ne forte, quod est, non inveniat. Vere hoc Augustinus, cui subscripsi. Sed ab his verbis nihil dissentaneum continet superior illa sententia: Quod Dei voluntas optima sit et aequissima omnium quae statuit moderatio.

Eiusdem est farinae alia obiectio: Reprobos ab electis nego discerni ullo meriti proprii respectu: quia Dei gratia adoptione dignos faciat, non inveniat: ut saepe loquitur Augustinus. Alibi nego iniuriam fieri reprobis, quia digni sunt qui pereant. Hic[1]) se expansis alis tumultuose iactat Pighius, quod neque me ipsum intelligam, neque meminerim quid a me prius dictum esset. Mihi vero in defensione multum verborum facere adeo operae pretium non videtur, ut paucis quoque attingere pigeat. Ut alios Deus aliis praeferat, ut aliis praeteritis alios eligat, non ex hominum dignitate, vel indignitate, pendet discrimen. Ergo falsum est, dignos aeterno interitu reprobos esse. [pag. 114] Ac si priore membro non fieret hominum comparatio inter se, et dignitas non referretur ad vitae praemium: in secundo autem membro non aequalis omnium conditio statueretur. Adde, quod Augustinus, quum alicubi scripsisset, nemini unquam digno salutem defuisse: in suis Retractationibus[2]) ita temperat, ut opera excludens, vocationi Dei gratuitae dignitatem ferat acceptam. Sed instat adhuc Pighius, dignos fieri interitu, non inveniri, si quidem verum est quod doceo, aeterno Dei placito, cuius ratio non apparet, destinatos ad mortem esse qui pereunt. Respondeo, tria hic esse consideranda: primo aeternam Dei praedestinationem, qua de toto genere humano, et de singulis hominibus quid futurum esset statuit, antequam cecidisset Adam, fixam et decretam fuisse: deinde, Adam ipsum, pro defectionis suae merito, esse morti addictum: postremo, in eius iam perditi et desperati persona sic damnatam esse totam progeniem, ut Deus, quos inde gratuito eligit, adoptionis honore dignetur. Horum nihil vel somniavi, vel fabricavi. Neque hoc agitur in praesentia, ut singulis probandis insistam: quod supra fecisse mihi videor. Tantum diluenda est Pighii calumnia, qui de me tanquam decies victo superbe triumphat, quasi haec nullo modo conciliari inter se queant.[3]) Quum de praedestinatione sermo habetur, inde exordiendum [pag. 115] esse constanter semper docui, atque hodie doceo, iure in morte relinqui omnes reprobos, qui in Adam mortui sunt ac damnati: iure perire, qui natura sunt irae filii: ita nemini causam esse, cur de nimio Dei rigore queratur: quando reatum in se omnes inclusum gestant. Quod si ad primum hominem veniatur, illum, quum integer creatus foret, sponte cecidisse: ac inde factum esse, ut sibi et suis exitium propria culpa accersiverit. Iam etsi nonnisi sciente atque ita ordinante Deo cecidit Adam, seque et posteros perdidit:[1]) minime tamen id vel ad levandam eius culpam, vel ad Deum crimine implicandum facit. Semper enim hoc spectandum, quod rectitudine, quam a Deo acceperat, sponte se privavit, sponte se peccato et Satanae addixit in servitutem, sponte in exitium se praecipitem dedit. Una excusatio obtenditur: quod a Deo decretum erat, non potuisse effugere. Sed ad reatum satis superque voluntaria transgressio sufficit. Neque enim propria genuinaque peccati causa est arcanum Dei consilium: sed aperta hominis voluntas. Merito apud veterem poetam ridetur stulta Medeae querimonia: Utinam ne in nemore Pelio caesae securibus cecidissent abiegnae ad terram trabes. Prodiderat illa patriam, furioso advenae et ignoti hominis amore correpta. Quum sibi perfidiae et barbarae crudelitatis [pag. 116] sit conscia, quum impudicitiae flagitium eam constringat: ridicule se ad occasiones procul remotas convertit.[2]) Intus mali sui causam quum inveniat homo, quid circuire prodest, ut eam in coelo quaerat? Palam in eo apparet culpa, quod peccare voluerit. Cur in coeli adyta prorumpens, in labyrinthum se demergit? Quanquam ut per immensas ambages vagando[3]) deludere se homines conentur, nunquam ita se obstupefacient, quin sensum peccati

---

1) Hic se expansis . . . . pigeat. *Pro his omnibus Gallus simpliciter:* Pighius trouve en cela une fort grande repugnance. Mais la solution est assez facile.

2) Lib. 2 cap. 31.

3) Tantum diluenda . . . . queant. *Gallus:* Mais il suffit pour ceste heure de monstrer qu'il n'y a nulle contrarieté en toute ma doctrine.

---

1) seque et posteros perdidit *abest a gallico.*

2) *Alludit ad versus duos ex Ennii Medea superstites, et a variis autoribus, Varrone, Quintiliano, Prisciano, laudatos, saepissime vero apud Ciceronem obvios* (*de Fato* 15, *de Inventione I.* 49, *de Natura Deorum III.* 30, *Topic.* 16 *etc.*) *et sic restituendos:*

Utinam ne in nemore Pelio securibus
Caesa cecidisset abiegna ad terram trabes.

Sunt vero non Medeae sed nutricis verba. Vide Tragicorum latinorum reliquias ed. Teubner. p. 36. *Gallica versio sic decurrit:* Il introduit une paillarde fille d'un Roy laquelle, estant embrasée d'une folle amour d'un homme estranger qui estoit venu par mer au pays de son pere, luy avoit trahy le royaume: depuis se voyant deceue par luy se lamente de ce qu'on avoit coupé en la forest le bois dont la navire avoit esté bastie. Or le Poete fait cela prudemment pour monstrer combien les hommes sont ridicules en cherchant de bien loin des vaines couvertures pour cacher leurs fautes. Ceste malheureuse estoit assez convaincue en sa conscience: cependant elle demande: Pourquoy on a coupé le bois dont la navire a esté faicte: qui est chercher l'occasion de trop loin.

3) que les hommes tracassent tant qu'ils voudront.

in cordibus suis insculptum retineant. Hominem igitur, quem sua ipsius conscientia damnat, frustra absolvere tendit impietas. Quod autem Deus sciens ac volens hominem ipsum cadere passus est: occulta ratio esse potest, iniusta non potest. Hoc quidem absque controversia tenendum: semper illi peccatum odio fuisse. Nam vero elogium hoc quo ornatur a Davide (Ps. 5, 5), in eum competit: Quod Deus sit iniquitatem non volens.[1]) Quum potius in ordinando hominis lapsu finem habuit optimum et rectissimum, a quo abhorret peccati nomen. Quanquam sic ordinasse dico, ut eum proprie autorem fuisse non concedam. Ac ne longior sim, penitus quod Augustinus[2]) docet, impletum fuisse sentio: ut miro et ineffabili modo non fuerit praeter eius voluntatem factum, quod etiam contra eius voluntatem factum est: quia non fieret, si non sineret. Nec utique nolens sinit, sed [pag. 117] volens. Negari enim, quod illic principium sumit, non potest: Tam hominem quam angelos apostatas, quantum ad ipsos attinet, quod Deus noluit, fecisse: quantum vero ad Dei omnipotentiam, nullo modo efficere id valuisse. Ergo sancti viri sententiae subscribo: sic peccando fecisse quod nolebat Deus, ut per malam eorum voluntatem faceret Deus quod volebat. Si quis hoc mentis suae captu superius esse excipiat, idem et de me fateor. Sed quid mirum, si modulum nostrum immensa et incomprehensibilis Dei maiestas exsuperet? Atqui, tantum abest, ut pro carnis ratione explicandum suscipiam sublime istud reconditumque arcanum, ut quod initio praefatus sum, assidue in memoriam redire velim, desipere qui plus scire appetunt, quam Deus revelaverit. Quare nos potius docta ignorantia delectet, quam intemperans et ebria sciendi plus quam Deus permittit curiositas: sub hac tantum reverentia se omnes sensus animi contineant, nihil Deum in hominis peccato voluisse, nisi quod sua iustitia dignum erat.

Prosequitur Pighius: Si Dei opus est hominis apostasia, falsum esse quod scriptura tradit, omnia quae facit Deus, bona esse. Atqui, et sancte testari, et ingenue profiteri possum, mihi commentum istud nunquam venisse in mentem. Naturam hominis ideo rectam primo conditam fuisse [pag. 118] ubique assero, ne pravitas, quam sibi defectione contraxit, Deo possit adscribi: mortem cui se mancipavit, qui ante compos vitae erat, sic profectam esse ab eius culpa, ne Deus autor censeatur. Si unquam divini spiritus instinctu factum esse dixissem, ut se a Deo primus homo alienaret: ac non potius ubique contenderem, diaboli instigatione et proprio cordis sui motu impulsum, merito forte insultaret mihi Pighius: nunc autem quum a Deo propinquam actionis causam removens, simul omnem ab eo culpam removeam, ut solus homo reatum subeat: calumniose et improbe dictum istud in me torquet: Hominis defectionem unum esse ex Dei operibus. Quomodo autem Dei praescientia et decreto statutum fuerit, quod de homine futurum erat, neque tamen in culpae societatem trahendus sit Deus, quasi transgressionis vel autor sit vel approbator, quum longe altius humanae mentis perspicacia esse arcanum palam sit, ne ignorantiam nostram fateri pudeat. Imo, ne quem ex fidelibus nescire pigeat, quod Dominus lucis suae inaccessae fulgore absorbet. Primum nihil aliis, nisi ex animi mei sensu, praescribo. Testis enim mihi erit Dominus, cui conscientia mea subscribet, sic me stupenda haec ipsius iudicia quotidie meditari, ut nulla me plus aliquid sciendi curiositas sollicitet: nulla mihi de incomparabili eius iustitia obrepat [pag. 119] sinistra suspicio: nulla me obmurmurandi libido prorsus titillet. Denique, in hac Augustini[1]) sententia non minus tranquille quam libenter acquiesco: Deum, qui creavit omnia bona valde, et mala ex bonis exoritura praescivit, et scivit magis ad suam omnipotentissimam bonitatem pertinere, etiam de malis benefacere, quam mala esse non sinere: sic ordinasse angelorum et hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset liberum eorum arbitrium, deinde quid posset gratiae suae beneficium, iustitiaeque iudicium. Ad haec, ut de affectu meo taceam: si quibus ita pruriunt aures, ut nihil sibi ex Dei mysteriis clausum obtectumque esse velint: bis vesanus erit magister, qui talibus discipulis satisfacere tentabit.[2]) Potius trepidi audiamus, quid Davidi acciderit, quum in usitata[3]) Dei iudicia, quae in externo corporum et praesentis vitae statu apparent, plus aequo inquireret: Factus sum, inquit (Psal. 73, 22), apud te similis iumento. Non potuit tantus propheta in rebus minus obscuris et reconditis ultra fas sapere, quin brutae pecudis instar obstupesceret: nos vero praeposterae mentis nostrae lasciviae in excutiendo consilio Dei omnium profundissimo impune indulgebimus? Postquam Paulus, Deum ex perdita massa eligere et reprobare quos illi visum est, docuit: quare et quomodo id fiat adeo non expedit, ut potius [pag. 120] expavescens in clamorem illum erumpat: O altitudo! (Rom. 11, 33.) Et nos eius altitudinis reverentia non perculsi, penitus scrutari audebimus, quomodo

1) *Add.* il luy attribue un tiltre qui est inseparable de son essence et maiesté divine.
2) Enchir. ad Laur. cap. 99.

1) De correptione et gratia cap. 10.
2) sinon qu'au lieu d'estre maistre des curieux il se face prince des enragez.
3) *Sic princeps et Gallasius. Recentiores uno verbo:* inusitata. *Gallus plane omittit.*

in persona Adae totum genus humanum excidere passus fuerit? Dixi iam supra, lapsum Adae utile posteris fuisse humilitatis rudimentum: ut se ad vitam recuperandam nihil esse nec posse discant, in qua ille integer non stetit. Una tamen est rite sapiendi regula, si se mens hominis illo admirationis [1]) fraeno compescat.

Caeterum quaestionem hanc non ideo tantum parcius attingere convenit, quod abstrusa est, ac in penitiore sanctuarii Dei adyto recondita: sed quia otiosa curiositas alenda non est, cuius illa nimis alta speculatio alumna est simul ac nutrix. Quanquam interim quae Augustinus libro de Genesi ad literam undecimo disserit,[2]) quum ad Dei timorem et reverentiam omnia temperet, minime improbo. Altera autem pars, quod ex damnata Adae sobole Deus quos visum est eligit, quos vult reprobat, sicuti ad fidem exercendam longe aptior est, ita maiore fructu tractatur. In hac igitur doctrina, quae humanae naturae et corruptionem et reatum in se continet, libentius insisto: sicuti non solum ad pietatem propius conducit, sed magis mihi videtur theologica.[3]) Meminerimus tamen, in ea quoque sobrie modesteque philosophandum: ne ulterius progredi [pag. 121] tentemus, quam Dominus nos verbo suo deducit. Quam dulces sint argutiarum illecebrae, plus satis notum est: quo maior adhibenda est cautio, ut sensus omnes nostros sibi devinctos habeat fidei simplicitas. Quod Deus arcano spiritus afflatu ad se homines trahat, vel quotidianae preces nostrae testes sunt: nam quum pro persequutoribus oramus, quid petimus aliud, quam ut fiant ex nolentibus volentes, ex repugnantibus consentientes, ex oppugnantibus amantes? Atqui, palam constat, non omnibus indifferenter hoc dari, ut centies exitium meritos Deus repente vita dignetur. Quomodo hanc gratiam dispenset, inquit Augustinus,[4]) alios secundum meritum faciens vasa irae, secundum gratiam alios vasa misericordiae: quis cognovit sensum Domini? Quantumvis tamen mundi vel superbia, vel protervia calcitret:[5]) minime ferendum est, ut deterior sit Dei quam mortalis hominis conditio. Cui autem creditori non conceditur ab uno exigere, quod alteri remittit? Quae similitudo non abs re toties ab Augustino repetitur. Fieri quidem vix potest, quin primo statim momento turbetur mens hominis, quum gratiam Dei negari quantumvis indignis audit, quae perinde indignis datur. Sed meminerimus, postquam damnati sunt ex aequo omnes, minime fas vel aequum esse, Deo legem imponi, [pag. 122] quin misereatur cuius voluerit. Sed vere Augustinus [1]) contendit, humanae iustitiae modo metiendam non esse divinam. Caeterum, ubi omnia dicta fuerint: sit haec omnium disputationum clausula, ut cum Paulo ad tantam profunditatem expavescamus. Si obstrepant petulantes linguae,[2]) ne identidem exclamare cum eodem apostolo vel pudeat, vel pigeat: O homo, tu quis es qui litiges cum Deo?

Caeterum, etsi absurda, quae hinc inde congerunt huius doctrinae adversarii, ut eam calumniose infament, in mea Institutione dilucide non minus quam succincte refutasse, et simul pravis figmentis, quibus se imperiti deludunt atque implicant, obviasse mihi videor: quia tamen Pighio responsiones meas arrodere libuit, eius virulentiam iterum diluere non gravabor. Quaerunt praeposteri homines, quomodo de salute sua, quae in arcano Dei consilio latet, certi esse poterunt? Respondi quod verum erat. Quum nobis in Christo proposita sit salutis certitudo, perperam, nec sine Christi ipsius iniuria, facere, qui praeterito hoc vitae fonte, ex quo haurire promptum erat, ex reconditis Dei abyssis vitam eruere moliuntur. Tradit quidem Paulus, nos ante mundi creationem electos esse: sed in Christo (Ephes. 1, 4). Ne quis ergo aliunde electionis suae [pag. 123] fiduciam petat, nisi librum vitae, in quo scriptus est, delere velit. Non alius est adoptionis finis, quam ut censeamur inter Dei filios. Atqui scriptura, quicunque in filium Dei unigenitum credunt, Dei filios et haeredes esse pronunciat (Ioann. 1, 12; Gal. 4, 7; Rom. 8, 17). Christus ergo aeternae et absconditae Dei electionis tum luculentum nobis speculum est, tum arra quoque et pignus. Fide autem, quam Deus in hoc speculo nobis repraesentat, vitam contemplamur: fide pignus hoc arramque amplectimur. Et unde probamus, gratuito electos esse ex hominibus aliquos, nisi quia spiritu suo Deus quos vult illuminat, ut fide inserantur in Christi corpus? Fidei quidem nostrae origo et causa est divina electio: sed quia invisibilis est Deus (1 Tim. 1, 17), lucemque habitat inaccessam (1 Tim. 6, 16), et neminem consiliarium admittit (Rom. 11, 34; 1 Cor. 2, 16), praeter unigenitum, qui semper fuit in eius sinu (Ioann. 1, 18), tenere mentem Christi oportet, ac fide illuminari, ut nobis patefiat, quae in corde Dei prius latuit adoptio. Si quis malit crassius: Prior quidem fide est electio, sed ex fide discitur. Quae breviter hic delibo, fusius in mea Institutione explicata reperient lectores.[3]) Itaque Christus aeternam suorum in

---

1) *Add.* qu'il appartient des iugemens estroits de Dieu.
2) A cap. 4 usque ad 8.
3) plus convenable à la chrestienté et aussi pour plus edifier.
4) Lib. ad Bonifac. 1 cap. 20.
5) facent icy des chevaux eschappez.

---

1) De Praed. et gratia cap. 2.
2) si des fausses langues iettent leur venin contre Dieu.
3) *Hoc comma non legitur in versione gallica. Pro eo*

patris consilio electionem commendans, simul ubi tuto recumbat eorum fiducia, ostendit. Manifestavi, inquit (Ioann. 17, 6), nomen tuum hominibus quos dedisti mihi. Tui erant: et mihi eos dedisti, et sermonem [pag. 124] tuum servarunt. Videmus, ut a se ipso incipiat Deus, quum nos eligere dignatur: [1]) sed nos a Christo incipere velit, ut nos sciamus in sacro illo peculio censeri. Nam ideo nos dare filio suo dicitur, ut se quisque tunc demum coelestis regni haeredem esse sciat, dum ad Christum pertinet, extra quem undique mors et exitium nos obsident. Ideo manifestare nobis Christus patris nomen dicitur, quia electionis nostrae scientiam, evangelii sui voce testatam, spiritu quoque suo in cordibus nostris obsignat. Si Pighio [2]) creditur, in solvendo hoc nodo inexplicabili ita sudo, laboro, omnia verto, confundo et transfundo in omnia, ut clarissime pateat, propria conscientia me constringi. Atqui, ut facillimum illi fuit, suam istam loquacitatem absque sudore profundere, ita fieri potest, ut vino bene madidus, quae illi in buccam venerunt convicia, temere nulloque pudore vomuerit. Si fixa et inevitabilis salutis causa est, Dei praedestinatio: omnem excuti nobis fiduciam contendit. Ut verbum non addam: quum docet Paulus (Eph. 1, 4), nos fide participes esse factos divinae adoptionis, sicuti ante mundum conditum electi fuimus: quid, obsecro, in huius doctrinae contextu inextricabile est vel perplexum? Quum eos qui prius electi fuerunt, docet secundum propositum vocari (Rom. 8, 28), rite, nisi fallor, cum fixo divinae electionis decreto fidei nostrae certitudinem conciliat.

[pag. 125] Ratiocinatur [3]) Pighius: Si in libro vitae scripti sunt, quicunque sunt Christi membra, ebriosos ergo, adulteros, fures, periuros et homicidas regno Dei contra manifestam apostoli sententiam potituros: quando tales multi Christo per baptismum sunt inserti, eumque induerunt. Primum monendi sunt mihi lectores, ut animum paulisper ad effraenem istam, in qua lascivit Pighius, scripturae profanationem advertant: deinde ut in ea ulciscenda expendant iustum Dei iudicium, quod se palam exserit. [4]) Totam [5]) scripturam pedibus calcare, modo fucum lectoribus faciat, pro nihilo ducit Pighius. Modo se imperitis venditet, susque deque habet prima quaeque pietatis rudimenta convellere. Interea Dominus eum mente privatum pueris quoque ridendum prostituit. Sicuti literae et spiritus circumcisio a Paulo statuitur (Rom. 2, 29): ita et de baptismo sentiendum est: quosdam literale duntaxat symbolum in corpore gestare, qui re ipsa procul absunt. Nam et Petrus, ubi docuit, baptismo nos salutem consequi, mox quasi addita correctione, pronunciat, non sufficere nudam et externam carnis ablutionem, nisi et bonae conscientiae responsio accedat (1 Petr. 3, 21). Quare scriptura, quum de sacramentis disserit, bifariam loqui solet. Si quum hypocritis agit, qui inani figura gloriantes rem ipsam negligunt: ut futilem eorum [pag. 126] confidentiam prosternat, ex perverso eorum sensu veritatem a signis separat. In hunc modum Paulus (1 Cor. 10, 3 ss.), nihil profuisse veteri populo admonet, quod in maris transitu baptizatus fuerit, quod eandem nobiscum escam spiritualem comederit in deserto (eisdem scilicet donorum spiritualium symbolis nobiscum participasse intelligens). [1]) Verum, ubi apud fideles habetur sermo, usus sacramentorum ut legitimus, ita efficax describitur: qui divinae scilicet institutioni respondeat. [2]) Quo pertinent istae sententiae: Induisse Christum, insitos in eius corpus, et illi consepultos, qui in eius nomen baptizati sunt (Rom. 6, 4; Col. 2, 12; Gal. 3, 27; 1 Cor. 12, 27). Inde colligit Pighius, quicunque visibili aquae elemento aspersi fuerint, vere spiritu regenitos, et in Christi corpus coaluisse, ut Deo eiusque iustitiae vivant. Nec eum pudet, complures talibus naeniis paginas implere, quum generaliter omnia Christi membra nominem, sub eo sermone comprehendi quicunque externo baptismo tincti sunt. [3]) Paulo post tamen [4]) quasi retracta alarum expansione, subiicit, multos a Christo deficere, qui vere in eius corpus insiti fuerant: nam quos a patre sibi creditos in fidem custodiamque suam recipit, ita fingit ab eo servari, ut a libero suo arbitrio suspensam habeant suam salutem. Multis, inquit, tutelans Christi gratia non deest: sed ipsi sibi desunt. [pag. 127] Certe, ut nunquam poterit satis severe hominum socordia et ingratitudo coargui, qui se Dei auxilio subducunt: ita minime tolerabilis est in Christum contumelia, electos dicere ab eo servari, si modo se ipsi tueantur: ut ambiguum sit Christi praesidium, quod diabolo et omnibus inferorum machinis inexpugnabile fore affirmat. Daturum se vitam aeternam promittit omnibus qui

haec inseruntur: Car Dieu nous a choisiz et marquez devant que nous pensassions en luy, voire devant que nous fussions naiz, nous croyans en Iesus Christ nous commençons à comprendre son election.

1) *Add.* c'est qu'il n'en cherche point la cause d'ailleurs.
2) Si Pighio . . . . . vomuerit *om. in gallico.*
3) est effronté iusques là d'argeur.
4) qui apparait en sa bestise.
5) Totam . . . convellere. *Haec desunt in gallico.*

1) *Add.* Nous voyons icy comme il prend la figure toute vuide selon la perversité de ceux qui en abusent.
2) *Add.* et pourtant il le conioint avec la vertu du sainct Esprit.
3) *Vide an sensum attigerit Gallus:* il n'a point honte de brouiller beaucoup de feuillets d'un tel badinage que tous ceux qui ont receu le signe visible du Baptesme doyvent estre reputez membres de Christ.
4) In fine libri 7.

sibi dati sunt a patre (Ioann. 17, 2). Fidum se custodem omnium fuisse testatur, ut nemo perierit, nisi filius perditionis (Ioann. 17, 12). Alibi etiam in sua manu electos esse docet, e qua nemo eos rapere poterit (Ioann. 10, 28): quia Deus toto mundo sit potentior. Si omnibus electis certa est vita aeterna, si excidere nemo potest, si nulla violentia, nullove impetu quisquam rapitur, si invicta Dei potentia nititur eorum salus: qua fronte Pighius fixam istam certitudinem concutere audet? Quamvis non eiiciat Christus, inquit, multi tamen discedunt: et qui filii Dei fuerunt ad tempus, non permanent. Malus et perversus est interpres Pighius, qui non agnoscit Christi manu retineri, quidquid illi a patre datum est, ut salvum in finem usque maneat: nam quotquot defluunt, eos Ioannes ex grege esse negat. Qui exierunt a nobis, non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, utique mansuri erant nobiscum: sed ut manifesti fierent, quod non sint omnes ex nobis (1 Ioann. 2, 19).

Ergo frustra,[1]) inquit, apponitur conditio: [pag. 128] ut qui salvus esse cupit, in finem usque perseveret. Hic vero eum praevaricari dicas: nam quum probandum susceperit, non stare cum electione salutis fiduciam: eo nos ratiocinando deducit, ut hanc necessario in illa fundatam esse oporteat. Video me assidue fluctuari: nullum momentum praeterit, quo non obruendus videar. At, quia electos suos Deus sustinet, ne unquam mergantur, staturum me inter innumeras procellas certo confido.[2]) Unde me electum esse cognoscam, si Pighius rogat: Christus mihi pro mille testimoniis sufficit: nam ubi nos in corpore eius reperimus, in secura tranquillaque statione salus nostra, tanquam locata iam in coelis, quiescit. Si excipit, non posse ex praesenti gratia aeternam Dei electionem[3]) aestimari: non obiiciam contra, quem fideles experientiae sensum habent: quia panem quo pascuntur filii Dei, extraneis gustare datum non est. Sed[4]) quod garrire audet, nusquam id in scriptura haberi, hoc vero quam crassum sit mendacium, probatu non est difficile. Postquam enim docuit Paulus, qui electi fuerant, vocari et iustificari, donec ad beatam immortalitatem perveniant, quasi undique firmo praesidio munitus intrepide exsultat: Quis stabit adversus electos Dei? etc. (Rom. 8, 33). Ac ne quis universalem esse doctrinam[1]) cavilletur: in peculiarem cuiusque usum accommodat. [pag. 129] Certo persuasus sum, inquit, quod neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque instantia, neque futura, nos a Dei caritate separabunt, quae est in Christo. Certe salutis aeternae fiduciam, quam singulis momentis abrumpi vult Pighius, in futurum tempus, adeoque ultra praesentis vitae metam Paulus extendit, et eam non aliunde manare demonstrat, quam ex Dei electione, quam sic illi adversam fingit Pighius, ut mutuo se conflictu evertant. Quid ergo sibi vult Ezechiel (18, 24), quum iusto exitium denunciat, si a recta via se averterit?[2]) Nempe, reprobis multa interdum esse cum filiis Dei similia, non negamus: sed quocunque iustitiae splendore fulgeant, nunquam donari spiritu adoptionis certum est, ut Deum vere patrem invocent. Nullos enim spiritu illo gubernari testis est Paulus, nisi Dei filios, quos simul pronunciat vitae aeternae haeredes (Rom. 8, 14). Alioqui non staret quod alibi tradit: Nos spiritum e coelo habere, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, atque ideo nos tenere Christi mentem (1 Cor. 2, 12. 16). Frustra etiam spiritum, quo obsignati sunt fideles, arram vocaret futurae redemptionis (Eph. 1, 14). Caeterum, ut perseverantiae fidem stabiliat rite cognita Dei electio, vel una illi Christi precatio ad probationem sufficere debet, qua electos omnes patri commendat, nominatim eos a mundo separans, ut hoc pereunte salvi et intacti maneant.

[pag. 130] Sequitur alia obiectio apud Pighium: Non frustra hortatur fideles Paulus, ne in vacuum receperint Dei gratiam: nec frustra Christus vigilandum et orandum esse admonet. Atqui, si tenemus, quantum inter supinam carnis securitatem, et tranquillum, qui ex fide nascitur, mentis statum intersit, mox solutus erit nodus. Fideles de salute sua certos esse oportet. An ut sopiti iaceant? an ut se proiiciant ad socordem ignaviam? Imo potius ut quietum cum Deo silentium colentes, precibus simul invigilent. Hortatur eos Paulus, ut salutem suam operentur cum timore et tremore (Pilip. 2, 12). An ut de successu anxii trepident? Minime: sed ut sub Dei alis absconditi assidue se illi commendent, sicque toti pendeant ab ipso uno, ut eius praesidio freti, non dubitent se in finem usque fore victores. Causam enim subiicit, cur sollicitos esse deceat: Quia Deus est, qui pro suo beneplacito operatur et velle in illis et perficere

1) Noz adversaires arguent: Si ainsi est que les eleuz ne peuvent defaillir, que ceste doctrine est donc superflue: qui persistera iusques à la fin, sera sauvé. Mais c'est tout le contraire. Qu'ainsi soit, il n'y a celuy de nous qui ne se voye comme flottant en la mer etc.

2) *Add.* De là ses eleuz prenent courage d'estre constans apres s'estre recommandez à Dieu.

3) ce qui adviendra demain ou apres.

4) Mais ceux qui portent le sceau du sainct Esprit imprimé en leurs cueurs savent bien que l'asseurance de foy n'est pas pour un iour, et de cela nous en avons bonne probation etc.

1) *Add.* dont nul ne se puisse asseurer en son particulier.

2) *Add.* dont il conclud que celuy qui a esté une fois iuste peut changer et ainsi tomber de salut en damnation.

(ibid. v. 13). Porro, ne suspensi haesitarent, iam ante omnem illis dubitationem exemerat: Qui coepit in vobis opus bonum, usque in diem Christi perficiet (Philip. 1, 6). Nusquam ergo ad precandi curam et studium nos spiritus Dei hortatur, quasi dubio in statu fluctuaretur salus nostra, quae in Dei manu sita est: nusquam nobis timorem iniicit, qui fiduciam in gratuito Dei amore fundatam excutiat: sed ut talibus stimulis [pag. 131] pungendo carnis nostrae pigritiem corrigat. Atque in eum finem calumniose detorquet Pighius apostoli verba ex undecimo ad Romanos capite (v. 20 seqq.): Per incredulitatem defracti sunt nativi oleae rami: tu vero fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas: nam si Deus naturalibus ramis non pepercit; vide ne qua fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitas Dei et severitas: in eos qui ceciderunt, severitas: in te autem bonitas, si quidem permanseris in bonitate. Postquam de duplici gentis suae electione disseruit, et multorum defectione ostendit factum esse, ut qui prius legitimi et proprii erant vitae haeredes, propter sancitum cum patribus foedus, nunc abdicati sunt a Deo, et facti ab eius regno extorres: tandem ad gentes se convertit, ne superbe Iudaeis insultent, quia in eorum locum successerint. Notandum autem, quod sicuti universalis illa populi reiectio non labefactavit fixam Dei electionem, quin reliquias aliquas servaret: ita universalis gentium electio non complexa est singulos ex gentibus, ut omnes vitae consortes fierent. Duplicem in Iudaeis Dei electionem Paulus illic commemorat. Electum enim quodammodo fuerat totum Abrahae genus. Sed quum occulto Dei iudicio plerique non essent ad vitam ordinati: pereunte maiori numero, electio in reliquiis consequitur. Nunc [pag. 132] translato ad gentes vitae foedere, communis illa generis Abrahae adoptio ad nos pertinet. Caeterum, id non obstat quominus arcano Dei beneplacito pauci ad eam fruendam destinati sint. Paulus ergo, dum gentes ex opposito conferens cum Iudaeis, steriles oleastros exsectis naturalibus ramis, in sanctam radicem insitos esse dicit, neque privatim de singulis, neque simpliciter de arcana Dei electione tractat: sed quanta fuerit rerum facta conversio docet, dum reiectis filiis in eorum locum subrogati sunt extranei. Itaque tota illa Pauli exhortatio, non tam ad fideles dirigitur, qui vere et ex animo gratiam amplexi erant, quam ad gentium corpus, quod ex variis membris permixtum erat. Et tamen nihil absurdi est, si compescat Deus in filiis suis carnis insolentiam: quum hoc vitio omnes laborent. Ridicule tamen inde colligit Pighius, ab hominum perseverantia suspensam esse divinae electionis constantiam: quia in generali quoque omnium defectione necesse est ut illa nihilominus obtineat.

Quod autem impii Dei iudicium alio colore sugillant, quia frustra iustitiae et sanctitati studeant reprobi, quos tandem perire necesse est, calumnia haec ut ex crassa inscitia nascitur, brevi responso a me discussa fuerat:[1]) nullum scilicet bene agendi studium inesse hominibus, [pag. 133] quod non ex electione prodeat: reprobos vero, ut sunt vasa in contumeliam formata, provocandae in se Dei ultioni nullum finem facere, et evidentibus signis monstrare exitio se esse devotos. Pighio[2]) hic omnium absurditatum cumulus est, ut nihil in tota disputatione aeque prodigiosum reperiat. Atqui, vel uno hoc argumento abunde probat, rabiosa maledicendi libidine ita se transversum rapi, ut sine ulla occasione sua convicia ebulliat. Nullos Dei spiritu nisi electos gubernari scriptura docet. Qualis in homine absque spiritus sancti ductu rectitudo esse poterit? Manifesta, inquit Paulus, sunt opera carnis (Galat. 5, 19). Et alibi, omnes carnis cogitationes Deo inimicas esse pronunciat (Rom. 8, 7). Quid igitur absurdi, si peccato mancipatos esse dico, qui spiritu Dei non regeniti carnis suae arbitrio ferantur? Quos Deus elegit, iustificat (Rom. 8, 30). Quid mirum si reprobi, Dei iustitia vacui, nihil quam peccare noverint? Elegit Deus suos, ut sancti sint ac irreprehensibiles (Ephe. 1, 4). Si gratuitae electionis fructus est sanctitas: quis alios in profanis sordibus demersos manere neget? Vocem suam audire negat Christus, quicunque non sunt ex ovibus suis. Rursus, ex diabolo esse pronunciat, qui vocem patris in ore suo resonantem audire non sustinent (Ioann. 10, 26 et 8, 44). Ut reprobos ostendat Pighius bonis operibus studere, gratam esse Deo contumaciam ostendat, [pag. 134] necesse est. Obiicit contra Pighius, Saul multis virtutibus excelluisse: imo placuisse Deo. Virtutes, quae in reprobis fulgent, suapte natura laudabiles esse fateor: idque sibi vult scriptura, quum Saulem et alios eiusdem ordinis refert fecisse quod rectum est: sed quia cordis fontem, unde fluunt opera, Deus respicit: nihil obstat quominus opus, quod alioqui in se laudatur, ob vitium quod intus latet, sit abominationi apud Deum. Rudimentum scilicet illud pietatis ignotum fuit Pighio: nihil tam esse purum, quod non inquinet hominis immunditics. Ergo non mirum est, si ab externa larva Saulis opera aestimans, innocentiam eius probitatemque commendet. Quod semel eum Deo placuisse contendit, distinguo. Sic enim dignatus est eum honore regio, ut in scriptura domus Israel nunquam eum censuerit: quemadmodum Ezechiel loquitur (Ezech. 13, 9). An quia ad munus apostolicum electus fuit Iudas,

1) comme aussi ie l'ay fait en mon Institution.

2) Pighio .... ebulliat. Pighius et ses semblables escument leur rage contre ceste response: mais ie puis monstrer sans nulle difficulté qu'ils bataillent contre Dieu.

ideo a Deo in filiis suis habitum esse colliget? Caeterum, maligne, quod a me dictum est, calumniatur Pighius: quasi de singulis vitae actionibus seorsum loquutus sim, ac non potius de continuo vitae cursu. Porro, totam scripturam labefactari oportet, nisi quidquid esse in homine iustitiae et boni potest, a spiritu sanctificationis, qui solis filiis datur, manare concedimus.

[pag. 135] In persequendis caeteris cavillis non est quod plus operae sumam. Tritum illud est: Irritam fore doctrinam, vanas et nihili exhortationes, si ab electione Dei pendeat obsequendi vis et facultas. Item aliud non absimile: Fieri non posse quin se ignaviae dedant homines, quum in aeternum Dei consilium recumbere docentur. Responsiones a me adductas quibus solet conviciis ita Pighius exagitat, ut maneant ab ipso intactae.[1]) Caeterum, si quibus plus aequo morosis nondum satisfactum sit, et plus forte apud ipsos ponderis habeat Augustinus, idem quod iam tradidi, eius verbis et repetam, et confirmabo. Verba eius sunt in libro cui titulum fecit De bono perseverantiae:[2]) Praedestinationis doctrinam aiunt praedicationi adversam esse, ne quid prosit. Quasi vero adversata sit apostolo praedicanti. Nonne ille doctor gentium praedestinationem toties commendavit, et verbum Dei praedicare non destitit? Num quid, quia dixit: Deus est qui operatur in vobis et velle et perficere (Phil. 2, 13): ideo non et ipse ut velimus quae Deo placent, et ut operemur, hortatus est? An quia dixerat: Qui coepit in vobis opus bonum, perficiet (Phil. 1, 6): ideo ut inciperent homines et perseverarent usque in finem, non suasit? Nempe, ipse Dominus praecepit hominibus ut in se crederent. Neque tamen falsa eius sententia est, nec vana definitio, ubi ait: [pag. 136] Nemo venit ad me, hoc est, nemo credit in me, nisi cui datum fuerit a patre meo (Io. 6, 44). Neque rursus, quia vera est haec definitio, vana est illa praeceptio. Cur ergo praedicationi,[3]) exhortationi, correctioni, quae omnia tam frequenter usurpat scriptura, dicemus inutilem esse praedestinationis doctrinam, quam commendat eadem scriptura? Paulo post: Audiunt haec, et faciunt quibus datum est. Non autem faciunt, sive audiant, sive non audiant, quibus non est datum. Nec praedestinationis igitur praedicatione impedienda est praedicatio fidei perseverantis et proficientis: ut quod oportet audiant, et quibus datum est obediant. Quomodo enim audient absque praedicante? Nec rursus praedicatione fidei proficientis, et in finem usque perseverantis, impedienda est praedicatio praedestinationis: ut qui fideliter et obedienter vivit, non de ipsa obedientia tanquam de suo, sed in Domino glorietur. Item, sicut is qui donum accepit recte exhortatur et praedicat, ita exhortantem et praedicantem obedienter audit, qui accepit hoc donum. Ideo Dominus: Qui habet aures audiendi audiat. A quo autem habeant, quicunque habent, Dominus ipse ostendit: Dabo vobis cor ad cognoscendum me, et aures quae audiant. Ergo aures audiendi, ipsum est donum obediendi, quo qui praediti sunt, veniunt ad Christum. Exhortamur ergo atque praedicamus: sed qui habent aures audiendi, obedienter nos audiunt: qui [pag. 137] vero non habent, fit in eis quod scriptum est: Ut audientes non audiant (Ies. 6, 9): audientes corporis sensu, non audiant cordis assensu. Cur autem illi habeant, illi non: hoc est, cur illis datum sit a patre, ut veniant ad filium, illis non sit datum: quis cognovit sensum Domini? Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest quod occultum est?

Quam autem praepostera sit eorum cautio, qui absurditatis ullius metu doctrinam cognitu necessariam vel supprimunt, vel obscurant, deinde exsequitur.[1]) Numquid si hoc audito nonnulli in torporem segnitiemque vertantur, et a labore proclives ad libidinem post concupiscentias eant: propterea de praescientia Dei falsum putandum est, quod dictum est? Nonne si Deus illos bonos fore praescivit, boni erunt, in quantalibet nunc malitia versentur? Et si malos fore praescivit, mali erunt, in quantalibet nunc bonitate cernantur? Numquid ergo propter huiusmodi causas, quae de praescientia Dei vera dicuntur, vel neganda sunt, vel tacenda? tunc scilicet, quando, si non dicantur, in alios itur errores? Alia, inquit,[2]) ratio est verum tacendi, alia verum dicendi necessitas. Causas verum tacendi longum esset omnes quaerere: quarum tamen est haec una: Ne peiores fiant qui non intelligunt, dum volumus eos qui intelligunt [pag. 138] facere doctiores: qui nobis tale aliquid dicentibus, doctiores quidem non fiunt, sed nec redduntur peiores. Quum autem res vera ita se habet, ut fiat peior nobis eam dicentibus, qui capere non potest, nobis autem tacentibus, ille qui potest: quid putamus faciendum? Nonne potius est dicendum verum, ut qui potest capere, capiat, quam tacendum,[3]) ut non solum id ambo non capiant, verum etiam qui est intelligentior, ille sit peior: qui si audiret et caperet, per eum etiam plures discerent. Et nos dicere nolumus, quod, teste scriptura, dicere licebat. Timemus enim videlicet, ne loquentibus nobis offen-

1) Les responses que i'ay données là dessus doyvent bien contenter tous Chrestiens. Et de faict ceux qui abbayent à l'encontre n'y peuvent atteindre pour les mordre.
2) Cap. 14.
3) *Princeps mendose:* praedestinationi.

1) Eiusdem lib. cap. 15.
2) Cap. 16.
3) amortir et mettre sous le pied.

datur qui capere non potest: non autem timemus, ne tacentibus nobis, qui veritatem potest capere, falsitate capiatur. Quam sententiam brevius tandem perstringens, clarius etiam confirmat.[1]) Quamobrem, si apostoli, et qui eos sequuti sunt ecclesiae doctores, utrumque fecerunt, ut de aeterna Dei electione pie dissererent, et sub piae vitae disciplina continerent fideles: quid est quod invicta conclusi violentia veritatis,[2]) isti nostri se recte dicere existimant: Non esse populo praedicandum, etsi verum sit quod de praedestinatione dicitur? Imo, praedicandum est prorsus: ut qui habet aures audiendi, audiat. Quis autem habet, si non accepit ab eo, qui se daturum promittit? Certe qui non accipit, reiiciat: [pag. 139] dum tamen qui capit, sumat et bibat: bibat et vivat. Sicut enim praedicanda est pietas, ut rite colatur Deus: ita et praedestinatio, ut qui habet aures audiendi, de gratia Dei, in Deo, non in se glorietur.

Et tamen, ut singulare aedificationis studium sancto viro fuit, sic docendi veri rationem temperat, ut prudenter caveatur, quoad licet, offensio. Nam quae vere dicuntur, congruenter simul posse dici admonet.[3]) Si quis ita plebem compellet: Si non creditis, ideo fit, quia iam divinitus exitio destinati estis: is non modo ignaviam fovet, sed etiam indulget malitiae. Si quis in futurum quoque tempus sententiam extendat, quod non sint credituri qui audiunt, quia reprobati sunt: imprecatio erit magis quam doctrina. Tales itaque Augustinus non immerito tanquam vel insulsos doctores, vel sinistros et ominosos prophetas ab ecclesia iubet facessere. Tenendum quidem vero alibi[4]) contendit, quod tunc correctione proficit homo, quum miseretur atque adiuvat, qui facit quos voluerit, etiam sine correptione, proficere. Sed quare isti sic, illi aliter: absit, ut dicamus: Iudicium luti esse, non figuli. Item postea:[5]) Quum homines per correptionem in viam iustitiae suae veniunt, seu revertuntur: quis operatur in cordibus eorum salutem, nisi ille qui quolibet plantante et rigante [pag. 140] dat incrementum? cui volenti salvum facere, nullum hominis resistit liberum arbitrium. Non est itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in coelo et in terra quaecunque voluit fecit, et qui etiam quae futura sunt fecit, humanas voluntates non posse resistere, quominus faciat ipse quod vult, quandoquidem de ipsis hominum voluntatibus, quod vult facit. Item: Quum vult adducere homines, numquid corporalibus vinculis alligat?

1) Eiusdem lib. cap. 20.
2) pourquoi est-ce que ceux-cy, estans convaincuz par la verite, cuydent bien parler *etc.*
3) Eiusdem lib. cap. 22.
4) De Corrept. et gratia ad Valent. cap. 5.
5) Cap. 14.

Intus agit, intus corda tenet, intus corda movet: eosque voluntatibus eorum, quas in illis operatus est, trahit. Sed quod continuo subiicit,[1]) minime omitti debet: Quia nescimus quis ad praedestinatorum numerum pertineat, vel non pertineat, sic nos affici decere, ut omnes velimus salvos fieri. Ita fiet, ut quisquis nobis occurret, eum studeamus facere pacis consortem. Sed pax nostra super filios pacis requiescet. Ergo, quantum ad nos pertinet, omnibus ne pereant, vel ne alios perdant, salubris et severa instar medicinae adhibenda erit correptio: Dei autem erit illis utilem facere, quos praescivit et praedestinavit.[2]). Haec si vera sunt: quando primarium ex sanctis patribus habent testem, ne in odium Calvini[3]) ab indoctis vel male affectis respuantur. Utinam vero insipidi isti moderatores, qui in sobrietate nimis aquosa multum sibi placent, saltem reputarent, quantum Augustino [pag. 141] cedunt rerum sacrarum scientia, modestia quoque illum esse superiorem, ne morosam suam timiditatem nobis pro modestia venditarent.

Ut tandem cum Pighio transigam: de tribus summatim monendi sunt mihi lectores: quidquid absurditatum ad gravandam meam doctrinam congerit, non tam in me quam in Deum ipsum torqueri: deinde, scripturae locos qui pro me aperte faciunt, ut mihi extorqueat, tam inscite nugari, ut satis appareat, non posse sustinere causam illam, nisi corrupta eversaque scriptura: postremo, in tantum impudentiae prorumpere, ut Augustinum sibi accersere suffragatorem non dubitet. Si quos[4]) in exitium Deus condidit, indignus est qui ametur. Qui antequam nati essent, vita aeterna privati sunt, misericordia quam supplicio digniores. Si mea essent, quae labefactare conatur, mortalem hominem impeteret: nunc quum talibus probris palam insultet Deo, me cum Paulo centies repetere non pudebit: O homo tu quis es, qui cum fictore tuo litiges? Sentit iam miser et sentient olim omnes eius similes, quae ex ore impuro et sacrilego probra in Deum vibrant, suo impetu fracta concidere, antequam ad coelum pertingant: nec demum restare aliud, nisi ut recidant in eorum capita. Foedissimae in adulteranda [pag. 142] scriptura delirationis unum esto specimen, nonum ad Romanos caput, qualiter ab eo partim miscetur, partim discerpitur. Initio,[5]) ne in

1) Cap. 15.
2) Cap. 16.
3) en hayne de moy.
4) Quant au premier point, il dit que Dieu n'est pas digne qu'on l'aime *etc.*
5) Premierement quand S. Paul parle de l'election, ce bon glosateur dit: qu'Israel a bien esté eleu mais que tous ceux qui sont descenduz de sa race ne sont point Israelites. Or il se trompe lourdement quand il cuyde estre eschappé par là. Car il ne regarde pas cependant que Iacob a esté vrayement

solvendo nodo gordiano nimium laboret, uno verbo abrumpit: Electum esse a Deo Israelem, sed non omnes esse Israelitas, quia patrem suum non referunt, qui a videndo cognominatus est. Unde constituit, non esse ratam electionem, nisi in iis qui oculos aperiunt. Atqui, bonus perspicaciae magister in Israelis nomine ridicule caecutit, dum ex robore facit acumen. Interea non cogitat peculiari gratia factum esse divinitus Israelem, qui in utero matris iam electus fuerat: nec alios videndo Deo esse idoneos, nisi quorum mentes illuminat: luce autem spiritus sui dignari, quos sibi in filios, quum adhuc caeci essent, adoptavit. Postea, quasi elapsus, ultra metas vagatur et saltat: Misericordiam Dei nemini deesse, quando omnes vult salvos fieri, quando stat et pulsat ad cordis nostri ostium, cupiens ingredi. Itaque, ante mundi creationem electos, a quibus se receptum iri praevidit: neminem vero indurare, nisi tolerantia: qualiter patres nimium faciles dicuntur indulgentia sua filios perdere. Quasi vero talibus naeniis eludere promptum sit, quae Paulus tam diserte in contrariam partem affirmat: et quasi lectoribus nihil significet,[1]) ex duobus gemellis, quum adhuc in utero sunt inclusi, [pag. 143] alterum eligi, alterum reiici, nullo operum respectu, sed mero Dei vocantis beneplacito: non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, qui indurat quem vult, et misericordia quem vult prosequitur: Deum ostendere potentiam suam in vasis irae, ut in vasis misericordiae notas faciat gratiae suae divitias: secundum gratuitam electionem servari, quidquid in Israele salvum est: atque ita electionem obtinere (Rom. 11, 7), et quae fusius suo ordine supra exposuimus. Certe etiam si centuplo esset acutior, nullis tamen cavillis efficiet, quin tam sonorum Pauli clamorem vel surdastri exaudiant. Quod vero[2]) multam verborum congeriem hoc cumulo terminat, non creasse Deum quos praeviderat reprobos fore: sed reprobos scivisse quos creaverat: perinde est ac si luto illineret figuli oculos et manus, ne qua eius forma nobis appareat. Similiter quum ex primo ad Ephesios capite expedire se nititur, ita ludibundus proiicit suas ampullas, ac si inani suo strepitu Paulum obmutescere cogeret. Elegit nos Deus in Christo, quia gratiae suae, quae alioqui omnibus exposita est, praevidit locum in nobis fore. Elegit ex omnibus: quia quod in commune propositum erat omnibus, nostrum peculiariter fore praevidit: ut illi cooperantes, sancti per eam essemus. Elegit secundum propositum voluntatis suae: quod est et erat [pag. 144] eiusmodi, ut eos eligeret, de quibus praesciebat futurum quod dictum est. Elegit in laudem gratiae suae, quae nos sanctificat: ut laus est praeceptoris, virtus et doctrina discipuli. Quasi[1]) vero non istud sit Dei propositum, quod alibi (2 Tim. 1, 9) Paulus omnibus humanis operibus opponit. Quasi in nomine Beneplaciti non expressior sit hoc loco gratiae commendatio. Quasi non dicatur proposuisse Deus in se ipso beneplacitum suum, quia causam in nobis nullam reperiens sibi ipse ad nos servandos causa fuit. Quasi frustra totum salutis nostrae effectum a decreto illo et proposito et beneplacito pendere quinquies repetat. Quasi non diserte pronunciet, quia electi eramus, nos in Christo fuisse benedictos. Quasi non sanctificationem, et quidquid est bonorum operum, ex electione tanquam aquas ex fonte derivet. Quasi non eidem gratiae acceptum ferat, quod Dei figmentum sumus, ad bona opera conditi, quae praeparavit. Quasi non a reliquis nos discernat, ut gratuito solo Dei favore nos excellere sciamus. En quam[2]) apte operum praescientiam cum Paulino textu conciliet. Quanto satius fuerat, illam admirantis personam retinere, quam semel ad momentum suscipere coactus, mox ad superbas speculationes transvolans, deponit. Et haec quidem, quae uberius supra tractavi, nunc cursim tantum delibo.

[pag. 145] Augustinum postquam acriter flagellavit, ut qui in hac disputatione impetu magis quam moderata ratione feratur, qui huc illuc impingat, qui proferat quae aliena videntur Dei bonitate: eius deinde suffragio quam parum verecunde utatur, tribus verbis ostendam. Diligentiam sancti viri laudat, quod in libro ad Simplicianum Mediolanensem episcopum sedulo quaestionem hanc ventilet. An opus aliquando inspexerit, nescio: quum ex libris duobus libellum unum faciat. Mirum tamen, cur librum illum, quem se Augustinus initio sui episcopatus scripsisse commemorat, bonus iste dexterque interpres ex omnibus maxime delegerit. Nam etsi illum Pelagio autor opponit, non tamen dissimulat, quanto plenius postea et solidius de eadem re disseruerit.[3]) Haec eius verba sunt: Illic a me ostensa est praedestinatio sanctorum: quam postea diligentius et operosius, quum adversus Pelagianos

faict Israel de grace speciale: pour ce que desia il avoit esté eleu au ventre de sa mere. Sur cela, il s'esgaie disant que la misericorde de Dieu ne defaut à nul qui soit *etc.*

1) comme si par tels badinages il pouvoit bander les yeux de tout le monde tellement qu'on ne vist plus goutte en tout le texte de S. Paul. Mais ceste doctrine est par trop claire pour en divertir les lecteurs si aisément.

2) Quod vero . . . . . appareat *abest a gallico.*

1) Il babille ainsi avec une audace ie ne say quelle, comme si *etc.*

2) En quam— . . . delibo: Voyla doncques les belles solutions qu'amene Pighius pour me donner des tesmoignages de l'Escriture. *Caett. om.*

3) Libr. 1 de praedestin. sanctorum cap. 4. De bono persever. cap. 20.

disputarem, defendere necessitas compulit. Didicimus enim singulas haereses intulisse ecclesiae proprias quaestiones: contra quas diligentius defenderetur scriptura divina, quam si nulla talis necessitas cogeret. Caeterum, videamus qualis ista sit, quam ostendit, Augustini subscriptio. In eo, inquit, noster est, quod vocationis contemptum reprobationis causam affirmat. Longe vero ipse aliter. [pag. 146] Nam in libro Retractationum [1]) dicit, pro libero hominis arbitrio sic laboratum esse, ut tandem vicerit Dei gratia. Verum, ut omittam, quid illic et duobus in locis a me citatis dicat, mentem suam fidelius saltem, quam mille tui similes, exponens: quomodo in eum plus quam impudenter conferre audes, quod toto opere non minus fortiter reiicit, quam ingenue damnat? Ne longior sim: quae Pighius pro se verba adducit, apud Augustinum quidem exstant, sed eadem pagina refutantur. [2]) Si propterea dictum est, inquit, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit ut iuste recteque vivamus, nisi adiuvetur misericordia Dei: potest et hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed hominis volentis: quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostrae voluntatis addatur. At illud manifestum est: frustra nos velle, nisi Deus misereatur: illud autem nescio quomodo dicatur, frustra Deum misereri, nisi nos velimus. Si enim Deus miseretur, etiam volumus: quia ad eandem misericordiam pertinet, ut velimus, iuxta illud: Deus est qui operatur et velle et perficere. Nam si quaeramus, utrum Dei donum sit voluntas bona: mirum si quisquam negare audeat. Paulo post: Itaque verum est: non volentis neque currentis, sed miserentis Dei: quia etiam si multos vocet, [pag. 147] eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo vocari illis aptum est, ut sequantur. Falsum autem si quis dicit: Non miserentis Dei, sed volentis hominis est: quia nullius frustra Deus miseretur. Cuius enim miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat. Est quidem verissimum quod praefatus erat Pighius, ventilari ab Augustino istam, de qua nunc agitur, quaestionem. Sed ipse graviter peccat, quod quisquilias in aerem sparsas arripiens, quod deinde in vanno residuum apparet triticum negligit.

Nunc [3]) dandus Georgio quoque Siculo est locus: in quo homine adeo insipida sunt omnia, ut in eo refellendo quidquam operae locare pudeat. Nec sane congredi cum ista umbra dignarer, nisi stulta multorum consternatio me cogeret. Neque enim defuturos arbitror, qui ex puerilibus nugis facilem me captare victoriam putantes, inane studium derisui habeant. Equidem nisi noceret, quantum non sine maximo dolore audio, contemptu potius obterendum censerem, quam verbis refellendum. Sed quando eius libri per Italiam volitantes, multos passim dementant, cum deliro homine, si opus sit, paulisper ineptire malo, quam meo silentio pati, ut cum tanta ecclesiae iactura insania eius grassetur. [1]) Quum olim propheta Ezechiel anus fatidicas [pag. 148] videret fucum populo facere: muliebre bellum subire non erubuit (Ezech. 13, 17). Ergo, neque nos pigeat, si Christi servi esse volumus, qualescunque tandem sint, qui in horreum Domini suas quisquilias ingerere nituntur, eos conserta manu depellere.

Quod aeterno Dei consilio praedestinatos esse homines dicimus, vel ad salutem, vel ad exitium: tribus de causis nos ea in re hallucinari Georgius putat. Quarum primam assignat, quod Electionis nomen non observemus diverso sensu accipi in scriptura: nempe, quod ad munus temporale quosdam eligat Deus, ubi nulla fit aeternae vitae mentio, neque etiam ratio habetur. Sed quibus persuadeat stolidus nugator, nos in scriptura tam male exercitatos esse, ut nondum teneamus, Saulem, qui reprobus erat, regem tamen esse electum? (1 Sam. 9, 16.) Iudam, diabolum vocari, qui unus erat ex duodecim, quos a se Christus electos praedicat? (Ioann. 6, 70.) Cur locos non notat male et impie a nobis adductos, qui errorem patefaciant? Verum, somnia ipse sibi fabricat, quae in cerebro suo nata, tanquam aliena debellet: interea mirum, quomodo decimo circiter versu praecepti sui oblitus, Pauli testimonio nos oppugnet: Ne quum aliis praedicavero ipse reprobus efficiar (1 Cor. 9, 27). Colligit enim, vel mentiri Paulum, qui timere se iactet, ne concidat immutabilis Dei electio, vel [2]) suae electionis fuisse ignarum: nec videt miser, reprobum [pag. 149] illic probato opponi, qui certa suae pietatis experimenta dederit. Cur non tunc illi in mentem venit diversa vocis acceptio? Nam et argentum reprobum apud Ieremiam (6, 30), et in Epistola ad Hebraeos (6, 7), reproba terra, non divinitus exitio devotum argentum vel terram significat, sed vitiosum nihilique argentum et terram infrugiferam. Quod autem in verbis Pauli relatio ad homines fiat, sicuti in altera quoque epistola

1) Lib. retractat. 2 cap. 1.
2) Circa dimid. libri prioris.
3) Maintenant il est bon que le moine George viene aussi en rang et que nous oyons les beaux argumens qu'il ameine outre Pighius pour ruiner l'election de Dieu quant aux fideles. Ie ne daigneroye point m'amuser à tels fatras n'estoit que ie voy que le diable s'en sert pour troubler beaucoup de povres ignorans et infirmes et que par ce moyen il nuit beaucoup à l'Eglise *etc.*

1) *Add.* Nous voyons que S. Paul n'a point eu honte de s'attacher à un forgeron lequel se dressoit contre l'Evangile.
2) *Pro* vel *Beza et Amst. male habent:* et.

(2 Cor. 13, 6), ex contextu colligere promptum est. Et tamen sic ab aeterna electione, qua nos in vitam adoptat Deus, sic distinguitur electio ad munus temporale, ut ambas simul interdum propter affinitatem scriptura coniungat. Quum gloriatur Paulus se ab utero segregatum esse (Gal. 1, 15), de munere quidem apostolico disserit: sed altius conscendens, pariter Dei gratiam, qua vocatus fuerat in spem salutis, commendat. Christus etiam quamvis unum ex duodecim quos elegit diabolum esse pronunciet: alibi tamen cum honore apostolico adoptionis gratiam coniungit, dicens (Ioann. 15, 16): Non vos me elegistis, sed ego elegi vos, ut eatis, et fructum afferatis, et fructus vester maneat. Nam ea lege sibi datos a patre commemorat, ut neminem sinat perire, praeter eum qui iam filius erat perditionis (Ioann. 17, 12). Quod ergo passim legimus, ad certum vitae genus vel munus temporale eligi hos et illos, minime obstat, quominus Deus ad salutem elegerit quoscunque vult salvos esse.

[pag. 150] Secundam erroris causam statuit, quod non teneamus fideles omnes novi testamenti, quos vocat, electos esse in salutem: quemadmodum docet Paulus primo ad Ephesios capite. Atqui, plus satis iam monstratum est, ex electionis fonte illic deduci fidem, qua filii Dei salutis suae possessionem adeunt. Fides certe inter spirituales illas divitias, quibus donati sumus in Christo, vel praecipue censeri debet. Unde autem fluere docet Paulus, quidquid habemus benedictionum, nisi ex recondito illo gratuitae adoptionis fonte? Rursum: Ubertim nos locupletavit omni scientia et prudentia: sed quomodo? Iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in se ipso. Si divinae electionis fructus est fides, constat autem non omnes in fidem illuminari: statuendum procul dubio est, eligi a Deo, quos fide donare apud se decrevit: atque ita verum esse quod Augustinus tradit: In filios a Deo eligi, ut credant, non quia praeviderit credituros.[1]) Aliis locis citandis supersedeo: quia mox tractandi erunt. Caeterum quia unus erat locus, ubi Dei electi in finitum aliquem numerum redigi videntur: quum scilicet dicit Christus, tantas fore Antichristi fallacias, ut etiam electos, si fieri possit, decipiant (Matth. 24, 24): illic electos vocari exponit Georgius, qui in fide et iustitia perseverant. Recte id quidem, modo simul fateretur constantiam hanc ab electione [pag. 151] pendere. Atqui, ne qua specialis sit in Deo electio, sibi unumquemque hominum propriae electionis autorem facit.[2])

Tertia erroris nostri causa secundum Georgium est, quod dum excaecationis et indurationis meminit scriptura, non animadvertimus superioribus

1) De praedest. Sanctorum cap. 17 et aliis locis.
2) *Hoc ultimum comma abest a versione.*

peccatis tales poenas infligi. Nos vero, quod innumeris scripturae testimoniis passim expressum est, non negamus: Deum excaecatione et aliis modis, et gratiae suae contemptum, et superbiam, et contumaciam, et alia scelera ulcisci. Nam singulares poenae quarum passim fit mentio, ad generalem illam sententiam referri debent: coniici in sensum reprobum, et in cupiditates ignominiosas tradi, qui Deum cognitum non timuerunt, nec reveriti sunt, ut decebat. (Rom. 1, 26). Qua de re iterum postea fusius. Verum, etsi Dominus impios furore et vertigine percutiens, quam meriti sunt mercedem illis rependit: non tamen id obstat, quo minus reprobos omnes maneat caecitas et obstinata cordis durities. Quum dicitur obduratus esse Pharao, iam dignus erat quem Deus Satanae manciparet. Sed quod prius a Deo in hoc ipsum excitatus esset, simul admonet Moyses. (Exod. 10, 20). Nec vero Paulus aliam causam adducit, nisi quod unus esset e reprobis. (Rom. 9, 17). Sic demonstrat idem Paulus, quum Iudaei intelligentiae luce[1]) privati, in horribiles tenebras delapsi sunt, poenas [pag. 152] iustas impii divinae gratiae contemptus hoc modo ipsos dedisse: neque tamen excaecationem hanc reprobis omnibus constitutam fuisse dissimulat. Reliquias enim servatas fuisse docet, secundum electionem gratuitam, reliquos omnes fuisse excaecatos (Rom. 11, 5). Si reliqui omnes, in quorum salutem non regnat Dei electio, excaecantur: certe palam constat, eosdem qui sua rebellione iram Dei provocando, novam excaecationem sibi accersunt, iam ab initio caecitati fuisse devotos. Et clara sunt Pauli verba (Rom. 9, 22), vasa irae esse pridem ad interitum praeparata, quicunque spiritu adoptionis destituti propria culpa se ipsos praecipitant. Equidem cum Augustino[2]) fateri non recuso, in occultis Dei iudiciis aliquid praecedere: sed occultum. Nam inaccessibili secreto ab humana cogitatione seclusum est, quomodo et impium damnet Deus, et iustificet impium. Ergo satius nihil restat, quam cum Paulo expavescere: quia iudicia eius, abyssus multa. (Rom. 11, 33).

Pergit deinde[3]) Georgius: Nullam reperiri syllabam in tota scriptura, unde colligere liceat, excaecari qui aeterno Dei iudicio reprobati sunt: et quidquid de praedestinatione tradimus, philosophica tantum argutia niti: quod Deum nihil eorum lateat quae futura sunt: quaecunque autem praevidit, necessario eveniant. Nihil dico, nisi quod tam crassum mendacium [pag. 153] libri nostri refellunt.[4])

1) clairté de vie.
2) Lib. contra Faust. 21 cap. 2 et 3.
3) Apres que le moine a fait un si beau preambule, il dit.
4) *Hoc comma deest apud Gallum.*

Quia hoc illi inter fraterculos licentiae reverendi abbatis favor dederat, ut quidquid somniaverat oraculi instar iactare auderet: idem sibi extra monasterium permisit.[1]) Nos vero, non ex nuda Dei praescientia, ut ipse stolide mentitur, elicere, quod frustra oppugnat, inter electos et reprobos discrimen, sed manifestis solidisque scripturae locis proditum ostendere, quid pluribus nunc contester? Nos ex nuda Dei praescientia pugnare fingit. Atqui apertos scripturae locos plus viginti a me prius citatos reperient lectores[2]). Specialem electionem commentum esse nostrum iactat: quia nullos Deus certos homines elegerit. At Christus ex adverso clamat, se scire quos elegerit. (Ioann. 13, 18).

Videatis tamen, quam validis machinis aeternum illud Dei consilium labefactet, quo alii in salutem electi sunt, alii exitio destinati. Iustitiam Dei ex fide Paulus communem facit omnibus qui credunt: nec distinctionem admittit, quia omnes peccaverint et destituantur gloria Dei (Rom. 3, 22). Fateor sane Dei iustitiam super omnes per fidem diffundi. Sed unde hominibus fides, nisi ex gratuita spiritus illuminatione? Et quos in Christum credere Paulus censet, nisi quos pater coelestis traxerit (Ioann. 6, 44)? Christus certe neminem in suis reputat, nisi datus sit a patre. Sibi autem [pag. 154] datos praedicat, qui ante patris fuerant (ibid. 17, 6). Delirium suum de fide naturali obtrudet Georgius: quod refellere non est praesentis instituti. Tantum dico, in omnes et super omnes qui credunt in Christum esse Dei iustitiam: sed eodem Paulo teste excipio: ut alii prae aliis excellant, non nisi a solo Deo discerni, ne quis glorietur (1. Cor. 4, 7). Item, ut sciamus quae a Deo donata sunt nobis, arra et sigillo spiritus aeternam haereditatem in cordibus nostris obsignari (2. Cor. 1, 22). Item, nobis dari ut in Christum credamus (Philip. 1, 29). Item, illuminari mentis nostrae oculos, ut sciamus quae sit spes vocationis nostrae (Ephes. 1, 18). Item, fructum spiritus esse fidem (Galat. 5, 22). Discrimen esse negat Paulus (Rom. 3, 23), nempe Iudaei et Graeci: quia utrosque pariter Deus ad salutem invitat. Sed duae istae species, inquit Georgius, totum genus humanum comprehendunt. Esto: non tamen inde evincet, sigillatim unicuique hominum promitti iustitiam. Hoc quoque postremum ut demus, huc tamen redeundum erit, neminem boni oblati compotem, nisi fide, fieri. Restat ut monachus fidem omnibus promiscuam faciat. Quod iam satis probavi, quam sit a Pauli mente alienum. Verum sequetur,[3]) solos electos destitui gloria Dei. Unde id colliget? Quia in omnes qui peccarunt, inquit, diffunditur Christi gratia.[1]) Atqui ego sic universalem Dei gratiam esse fateor, ut in hoc tamen situm esse [pag. 155] discrimen addam: quod non omnes secundum Dei propositum vocantur.[2])

Argute se ratiocinari putat, quum dicit: Christus propitiatio est pro peccatis totius mundi. Ergo extra mundum reprobos constituant oportet qui a Christi participatione arcere eos volunt. Ne valeat in praesens communis illa solutio: Christum sufficienter pro omnibus passum esse, efficaciter tantum pro electis. Magna illa absurditas, ob quam plausum sibi inter suos gregales monachus quaesivit, apud me nihil habet momenti.[3]) Per quascunque mundi plagas dispersi sint fideles, expiationem Christi morte partam ad eos Ioannes extendit. Id certe non obstat, quominus reprobi in mundo electis permixti sint. Controversia etiam caret, Christum expiandis totius mundi peccatis venisse. Sed confestim occurrit illa solutio: Ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam. (Ioann. 3, 15). Nec vero qualis sit Christi virtus, vel quid per se valeat, nunc quaeritur: sed quibus se fruendum exhibeat. Quod si in fide consistit possessio, et fides ex spiritu adoptionis manat, restat, ut in numerum filiorum is duntaxat ascitus sit, qui futurus est Christi particeps. Nec vero aliud Christi officium commendat evangelista Ioannes, quam ut morte sua in unum congreget Dei filios (Ioann. 11, 52). Unde colligimus quamvis per ipsum offeratur [pag. 156] omnibus reconciliatio, peculiare tamen esse electis beneficium, ut in vitae societatem colligantur. Quanquam dum omnibus offerri dico, non ita accipio, quasi ad omnes legatio illa perveniat, qua mundum sibi reconciliat Deus, teste Paulo (2. Cor. 5, 18): sed ad quos pervenit, ne eorum quidem cordibus indifferenter obsignatur, ut rata sit. Quod[4]) nullam esse acceptionem personarum garrit: discat primum quid significet Personae nomen: tum nihil facesset nobis molestiae ex ea sententia.

At Paulus docet, velle Deum omnes salvos

1) remplir le monde de mensonges par livres imprimés.
2) Atqui . . . . lectores. *Haec quoque absunt a gallico exemplari.*
3) il obiecte qu'il s'ensuyvroit une grande absurdité.

1) *Add.* qu'il faut que tous soyent eleuz, ou bien qu'il n'y ait que les eleuz qui ayent peché.
2) *Add.* dont parle sainct Paul, qui emporte un mouvement certain du sainct esprit.
3) *Hoc comma om. in versione.*
4) Quod nullam esse *caett. Quae hinc sequuntur per integram fere paginam archetypi omnia absunt ab exemplari gallico, cuius textus sic decurrit:* Ce brouillon amasse beaucoup de passages ausquels il n'est ia besoin de respondre par le menu: sur tout d'autant que sans honte il tourne et ravaude tellement qu'il se confond assez de soy, sans estre redargué d'ailleurs. Et aussi i'ay satisfaict desia à une partie cy dessus. Seulement ie toucheray en brief ce qui pourroit le plus estonner les simples. Il allegue un passage d'Esaïe *etc.*

fieri (1. Tim. 2, 4). Ergo aut Deum fateatur non esse votorum suorum compotem, aut omnes sine exceptione salvos fore. Si respondeat: Velle Deum, quantum in se est: quia salus libero cuiusque arbitrio sit exposita: quaero iterum, cur non ergo omnibus indifferenter praedicari evangelium ab initio mundi voluit? Cur tot saeculis tam multas gentes in mortis tenebris errare passus est? Sequitur enim in contextu, quod velit omnes ad veritatis notitiam venire. Sed candido sanique iudicii lectori minime ambiguus est sensus, quem supra exposui. Quum pro regibus et principibus iussisset Paulus solennes et ordinarias in ecclesia preces concipi, ne quis reges et magistratus haberet pro deploratis, quod tunc omnes infesti essent fidei hostes: occupat apostolus, et Christi [pag. 157] gratiam ad illum quoque ordinem patere affirmat.

Quo audacior est nebulo hic in torquenda scriptura, non mirum est, si in pluribus locis congerendis sit copiosus: quando neque ulla est religio, neque pudor, quae eius proterviam fraenent. Sed quo ille laxius diffluit, meum erit responsiones brevius adstringere. Citat locum Iesaiae (56, 3): Ne dicat filius extraneae: reiectus sum. De reprobis non posse exponi, pro confesso sumit. Electos autem vocari filios extraneae, absurdum iudicat. Respondeo, non esse insolens, ut qui ante mundi creationem electi erant, extranei tamen censeantur, donec fide aggregentur ad Dei filios. Verba Petri sunt, quae ex propheta mutuatur: Qui eratis quondam non populus, nunc estis populus Dei. (Hos. 2, 23; 1. Petr. 2, 10). Quos alloquitur? Nempe, quos initio testatus fuerat, dilectos esse, secundum praecognitionem Dei patris. (1. Petr. 1, 2). Apertius etiamnum ad Ephesios. Postquam enim de aeterna ipsorum electione disseruerat, subiicit: Exsules fuisse a regno Dei, hospites promissionum, sine Deo et spe vitae (Ephes. 2, 12). Et miramur, si Iesaias templum Dei ex profanis lapidibus aedificans, novam consecrationem fore praedicet? Nam quum in Dei corde abscondita esset gentium vocatio, quid aliud in illis quam damnata immundities apparuit? Erant quidem. [pag. 158] Dei oves, quicunque demum in Christi corpus coaluerunt, ut ipse testatur (Ioann. 10, 16)): sed oves foris exclusae adhuc et vagae. Interea quamvis se nescirent, pastor tamen eas noverat, secundum illam praedestinationem, qua suos elegit ante constitutionem mundi: ut probe Augustinus admonet.[1])

Si verum est, inquit, prophetae dictum: Filius non portabit iniquitatem patris (Ezech. 18, 20): nulla igitur pars hominum in originali corruptione relinquitur. Cum bellua ista nihil mihi negotii esse volo. Tantum rudibus succurrere consilium est, ne talibus cavillis implicentur. Nihil certius est, quam manere in generali interitu, quicunque in Christi corpus non inseruntur. Bonus iste frater, de alieno prodigus, omnes accumulat: et quibus Deus ianuam claudit et obserat, eos facit domesticos. Caeterum sponte insanit quisquis non fatetur, eos qui naturaliter in Adam mortui sunt, non posse nisi ordinato divinitus remedio in vitam restitui. Iam inter pii hominis et increduli sobolem apertum discrimen statuit Paulus: ut haec immunda sit, illa vero sancta (1. Cor. 7, 14). Et hac ratione, priusquam gentes una cum Iudaeis, diruta maceria, cooptarentur in ecclesiam, filios Abrahae ramos esse sanctos dicit ex radice sancta (Rom. 11, 16). Quid autem longo sermone opus est? An non idem propheta Ezechiel, cuius dicto monachus abutitur, gentes [pag. 159] incircumcisas saepius tanquam profanas exitio addicit (Exech. 28, 10. 31, 18. 32 passim)? Neque enim alioqui tunc circumcisio fuisset vitae foedus.[1]) Quomodo igitur verum erit, filium paternae culpae poenam non daturum? Vicissim quaero: Quomodo innoxium se iactabit, qui ex malo ovo malus corvus nascitur? Sic enim ex Adam contrahitur originale peccatum, ut cuiusque proprium sit. Nemo itaque conqueri poterit, quasi alieni peccati, reatum sustineat a culpa immunis.[2]) Caeterum, si Deo in filiis persequi non licet maiorum peccata, quid sibi vult illud: Ultor in tertiam et quartam generationem (Exod. 20, 5; Deut. 5, 9)? Item: Reiiciens patris scelera in sinum filiorum (Exod. 34, 7 et aliis locis). Porro, haec prima ultio est, quod spiritu Dei destituti in naturae pravitate manent.

Quum dicit Ioannes (Apoc. 3, 5. 22, 18): Quisquis peccaverit, delebo eum e libro vitae: si de reprobis exponas, nunquam scripti fuerunt: si de electis, consilium Dei erit instabile.[3]) Perinde garrit monachus, ac si nunquam se ad captum nostrum Deus accommodaret. Foeda sane ingratitudo, adversus Deum ita insolescere, dum usque eo nobis indulget, ut nostra causa balbutiat. Hoc quoque modo Deum corporeum nobis conflabit, quia et aures, et oculos, et pedes, et manus illi tribuit scriptura. Atqui simplex est sensus: deleri e libro vitae, qui ad tempus inter filios Dei habiti, postea in locum suum discedunt: quemadmodum [pag. 160] de Iuda vere loquitur Petrus (Act. 1, 16). Tales autem nunquam ex nobis fuisse Ioannes testatur, quia si ex nobis fuissent, non exiissent (1. Ioann. 2, 19). Quod autem crasse Ioannes[4]) expressit, subtilius propheta Ezechiel (13, 9): In arcano, inquit,

1) Tract. in Ioann. 45.

1) un vrai signe de l'alliance de Dieu.
2) *Add.* Veu que tous sont entachez de mal qui merite condamnation.
3) *Add.* il conclut donc qu'il n'y a nulle election certaine
4) en l'Apocalypse.

populi mei non erunt, et in catalogo Israel non scribentur. Non alia solutione indiget, quod optant Moyses et Paulus, ex libro vitae deleri: (Exod. 32, 32; Rom. 9, 3) quia vehementia doloris extra se rapti, perire, si fieri posset, mallent, quam populosam Dei ecclesiam, qualis tunc erat, exstingui. Gaudere enim quum suos discipulos iubet Christus, quia nomina eorum scripta sint in coelo (Luc. 10, 20), perpetuum illud esse bonum significat, quo nunquam privandi sint. Porro non minus dilucide quam breviter utrumque conciliat Christus, quum dicit: Omnis arbor quam non plantavit pater meus, eradicabitur (Matth. 15, 13). Nam et reprobos in speciem radices agere, neque tamen Dei manu plantatos esse, significat.

Notanda, inquit, illa apud Paulum (Rom. 5, 12 sqq.) comparatio, quod sicut per unum hominem peccatum in condemnationem, ita et per unum hominem donum iustitiae in vitam. Quod si in uno mortui sint multi: multo magis gratia Dei exuberabit, ut multi regnent in vita per Christum. Si illic disputaret Paulus, ad omnes penetrare Christi gratiam, victus tacerem: sed quum simpliciter illi propositum sit ostendere, quanto [pag. 161] potentior sit in fidelibus Christi gratia, quam contracta ex Adam maledictio: quid hoc ad labefactandam eorum electionem, quos in vitam Christus restituit, aliis pereuntibus? Sed monachus [1]) verba urget. Nam Paulus totum hominum genus comprehendit, quum dicit: Peccatum unius hominis grassatum in omnes: neminem licebit a vitae participatione excludere. Si hoc modo ineptire libet, creandos esse Deo novos mundos contendam, ut quod illic habetur, praestet. Negat Christus parem fuisse maledictionem gratiae, quia haec longe exuberet. Si in rationem utrinque veniat hominum numerus: non potest Christus plures servare, quam perdiderit Adam. Ergo periclitabitur Pauli fides, nisi repente novus aliquis mundus emergat. Ego vero non alium monacho clypeum opponam, quam qui mihi ab eo porrigitur. Alterum ex Paulo locum adducit: Quod sicut in Adam moriuntur omnes, ita in Christo omnes vivificabuntur (1. Cor. 15, 22). Si hoc secundum membrum extendit ad omnes Adae filios, manum Paulus iniicit, qui diserte mox testatur, non nisi de Christi membris se intelligere. Primitiae Christus: deinde et qui sunt Christi resurgent. Nam certe illic de resurrectione disputat, quam beata immortalitas consequitur, qualem et in symbolo fidei praedicamus. [2])

1) Sed monachus ..... excludere: Vray est que S. Paul comprend là tout le genre humain, dont le moine deduit qu'il n'est loisible d'exclure personne, que tous ne iouissent de la grace qui a esté apportée par Iesus Christ.

2) *Haec ultima verba absunt ab exemplari gallico, item primum comma sequentis pericopae.*

Ne eadem subinde iterando lectoribus frustra taedium pariam, pauca ex multis obiter perstringere [pag. 162] consilium est. Qualiter mortem peccatoris nolit Deus, quum vult omnes converti et vivere, supra exposui. Nam quod ad resipiscentiam hortatur, et conversis offert veniam, id omnibus commune est: at filios suos singulari hoc privilegio dignatur, ut carnea eorum corda ex lapideis faciat. Neque tamen irritas in aerem iactari voces monacho concedo, [1]) dum et impios, malitiae suae convictos, inexcusabiles reddit Dominus: et in electis suis ita operatur, ut arcana spiritus virtute efficax sit in eorum cordibus doctrina, quae in eorum auribus personat. Nec est quod quempiam moveat vulgaris illa calumnia, illudere Deum hominibus, quos pedibus captos ad ambulandum hortatur. Nam si nihil exigit, quod illi non debeant, non facit iniuriam. Nisi vero qui solvendo non est decoctor, [2]) cum ludibrio creditoris solutum se iactabit. Porro litem hanc, quae nisi propria cuiusque conscientia dirimi nequit, ulterius non persequor. Populi sui aures prophetae voce verberari iubet Deus (Ies. 6, 9). An ut tangantur corda? Imo ut obdurentur. An ut resipiscant qui audiunt? Imo ut iam perditi bis pereant. Si excipias, superiorem fuisse causam [3]): non aliud in praesentia volo, minime absurdum esse, spargi Dei mandato doctrinam, quam profectu carituram novit. Non minus frivolum, quod constare negat posse Christi dictum, de reducta quae perierat ove, si qui praedestinati [pag. 163] forent. Ego vero quod temere in nos vibrare telum molitur, longe aptius in eum retorqueo: non alia ratione vocari ovem, qui ad tempus perditus videtur, nisi quia gratuitae electionis respectu sub Dei custodia manet.

Eiusdem farinae est istud dilemma: Si qua esset specialis electio, non quadraret exhortatio prophetae: Derelinquat impius viam suam (Ies. 55, 7). Nam si electos alloquitur, quomodo impii essent, quibus omnia in bonum cedunt? Si reprobos, quorsum ad resipiscentiam vocantur? Ego autem utrisque destinari prophetae concionem respondeo: ut priores, qui excusso iugo lascivierunt, ad sanam mentem redeant moniti: alteri vero, qui in malis suis stupent, talibus stimulis pungantur. Neque enim electos fingimus continua spiritus directione semper tenere rectum cursum: quin saepe labi, errare, impingere, et fere alienari a salutis via dicimus. Sed quia potentius est, quo teguntur, Dei praesidium, lethali eos ruina excidere impossibile

1) *Add.* Or combien que Dieu ne touche point au vif les cueurs d'un chacun, si est-ce que ie n'accorde point au moine que les promesses generales soyent frustratoires *etc.*

2) un gaudisseur qui auroit mal despendu tout son bien.

3) *Add.* et que Dieu punissoit les pechez desia commis.

est. Cavere iubentur homines, ne pereant. Atqui, electos extra periculum esse, certum est: in reprobis nulla cautio. Respondeo, nihil absurdi esse, si electi, qui assidue sunt in conflictu, necessariis armis instruuntur: et communiter acuitur omnium vigilantia, donec reprobi re ipsa se incurabiles esse demonstrent. Adhibetur enim morbis [pag. 164] medicina, donec certa desperatio appareat.

Obiicit Georgius: Abraham fidelium, non electorum vocari patrem: et salutem non electis, sed credentibus promitti. Quos igitur esse dicet, qui simul cum patre suo Abraham in regnum Dei colligendi sunt? Nam certe Christus id in electos docet competere. Christus finem horrendis cladibus impositum iri pronunciat, ut electis sit consultum (Matth. 24, 22; Marc. 13, 20). An filios Abrahae esse negabimus, qui simul cum eo domestici sunt ecclesiae? Et unde, obsecro, tanta Abrahae dignitas, ut pater fidelium censeatur, nisi quia a Domino electus est? Unde degeneres [1]) esse statuendum est, qui hac similitudine ipsum non referunt: exsecrandam vero esse nebulonis huius audaciam, qui notam, qua praecipue filios suos insignit Deus, expungere et delere, quantum in se est, conatur. Credentibus certe vitam aeternam promitti fateor: modo ne vicissim neget, electis similiter promitti: (sic enim Iesaias (65, 9): Et eam possidebunt electi mei): modo credere fateatur, quos Deus spiritu suo illuminat: modo denique electionem fateatur matrem fidei esse. Ad omnia pro electis ferenda se paratum esse, Paulus docet (2. Tim. 2, 10). Christus patrem electorum vindicem fore clamat (Luc. 18, 7). Hortatur Paulus Colossenses, ut mansuetudinem, patientiam et reliquas virtutes tanquam electi Dei induant (Col. 3, 12). Eximit Paulus a [pag. 165] reatu omnes Dei electos (Rom. 8, 30). An spoliandi bonis istis erunt fideles? ac si inter res mutuo et quidem individuo nexu coniunctas plus quam hostile dissidium foret. Imo ut firma Dei electio maneat, tum in fidem illuminantur qui caeci erant, tum fide recipiunt Christi iustitiam, tum fide in finem usque custodiuntur.

Quum perditis exitium denunciat scriptura, causam in aeternum Dei consilium minime reiicit vel transfert: sed residere in ipsis testatur. Nos vero non ideo reprobos tradimus destitui Dei spiritu, ut scelerum suorum culpam in Deum derivent. Quidquid peccant homines, sibi imputent. Quod si quis subterfugiat, conscientiae vinculis fortius constringi dico, quam ut se a iusta damnatione expediat. Causetur Adam, ut volet, se datae sibi a Deo uxoris illecebris fuisse deceptum: intus tamen mortiferum infidelitatis virus, intus pessima consultrix ambitio, intus diabolicum audaciae flabellum reperietur. Multo igitur minus excusabiles erunt, qui ex profundis Dei adytis malorum suorum causam, quae se ex vitioso eorum corde profert, eruere tentabunt. Coniici merentur in sensum reprobum (Rom. 1, 28), quicunque Deum ex coeli terraeque aspectu cognitum non glorificarunt, ut decebat. Qui maligne ac deliberata malitia Christi gratiam respuerunt, et accensam evangelii lucem [pag. 166] respuere non veriti sunt, graviorem poenam sustinent. Sua quisque peccata accuset, se ipsum damnet, suamque culpam ex animo confessus, iudicem suum suppliciter deprecetur. Si quis obstrepat, prompta est exceptio: Perditio tua Israel. Nam, ut alibi dictum est, si ridicule apud veterem poetam queritur Medea, caesas in nemore Pelio fuisse abietes, [1]) quum intestino libidinis suae igne flagrans patrem totumque regnum secum perdiderit: multo certe minus audiendi sunt, qui procul remotas causas e nubibus accersunt, ut culpae suae notitiam, quae et eorum cordibus penitus insidet, neque occulta latere potest, utcunque obscurent. Hominum ergo peccatis malorum omnium causam scriptura iure assignat. Neque id inter nos disputatur, occultone Dei iudicio citra propriam culpam pereant homines (quod non modo falsum esse concedimus, sed tanquam foedum sacrilegium detestamur) sed, an impii, qui voluntarie peccando iram Dei in se provocant, iam olim iusta quidem, sed incognita de causa, divinitus reprobati fuerint. Atqui, ut Paulus severe coarguit hominum peccata, conscientias valide urget, Deique iustitiam a sacrilegis hominum calumniis acerrime vindicat: ita qui se in exitium praecipitant, non dissimulat fuisse vasa irae ad interitum praeparata (Rom. 9, 22). Reprobos quo digni sunt reatu Christus constringit. Simul tamen arbores [pag. 167] esse dicit patris manu non plantatas (Matth. 15, 13). Denique patrem eos qui sui erant filio dare audimus, ut eos sanctificet (Ioann. 17, 6). Contra Paulus, postquam electionem Dei consequutam esse docuit, reliquos omnes subiicit esse excaecatos (Rom. 11, 7). Perperam ergo Georgius, qui defixis in manifesta peccata oculis reconditum corruptae naturae fontem non considerat.

Magna absurditate nos implicari putat Georgius, quod hominem facimus liberum ad peccandum: quum necessitate peccent reprobi. Atqui, libertas ista de qua loquimur, quum illi nimium fuerit familiaris, non fuit satis nota. Manumissos ab obsequio iustitiae et liberos Paulus vocat, qui sine metu

1) enfans bastards.

1) la complainte que faisoit la fille d'un Roy ancien de ce que les arbres avoyent esté couppez pour bastir la nef sur laquelle estoit venu un ieune homme qu'elle avoit pris en folle amour *etc.* (*cf. supra pag.* 314).

Dei intemperanter lasciviunt (Rom. 6, 20). An ideo sequitur, non esse peccato mancipatos? Calumniatur etiam, nos Dei potentiam vincire: quia si praescit atque ordinat quod futurum est, nequeat postea mutare. Abominandum vero prodigium, si Deus instar mortalis hominis varium se et flexibilem mutandis in horas consiliis non praebeat.[1]) Quid enim tantopere improbat monachus nisi Deum sibi necessario constare? Verum, in eo scilicet hallucinatur, quod fixa Dei placita a potestate distrahendo eum sibi dissidentem facit. Si stoice loquendum esset, nota est Senecae sententia: Quod Deus sibi sit ipse necessitas.[2]) Nos magis [pag. 168] reverenter et sobrie: quod semper idem vult, constantiae esse laudem: quod quidquid decrevit, effectum reddit, omnipotentiae eius esse consentaneum: quod coniuncta est cum potentia voluntas, dignam illa rerum omnium moderatrice providentia esse symmetriam.

Non moror quod diversa, et nihil commune inter se habentia scripturae testimonia coacervat. Quanquam, ut inscitiae parcamus, coercenda eius protervia est, ne simplices conturbet.[3]) Postquam ex loco uno Pauli ostendit, mittere Deum operationem erroris rebellibus, ut credant mendacio, qui noluerunt obedire veritati (2. Thess. 2, 11): locum alterum dissimilem accumulat: doctrinam evangelii obscuram esse iis qui pereunt: quorum mentes excaecavit deus huius saeculi (2. Cor. 4, 3). Fateor quidem illos vocari incredulos: verum si in illis caecitatis causa est sola incredulitas,[4]) quid sibi vult quod mox sequitur, Deum qui iussit ex tenebris lucem splendescere, illuxisse in cordibus fidelium? Ubique tenebras esse audimus: Deum vero ex tenebris fulgorem educere.[5]) Sed quod nos crudelitatis accusat, quod nobis et multis obstruimus salutis viam, quum Christus Chananaeam et oves perditas atque alienos canes tam benigne invitet: ego vero respondeo, nos fidei et poenitentiae doctrinam, quae nobis commissa [pag. 169] est, fideliter omnibus proponere, ut Christo lucrifiant omnes. Quum rogatus esset Dominus ipse ab uxore Zebedaei, ut alterum ex filiis ad dexteram suam, alterum ad sinistram locaret, stultum et intempestivum votum compescere volens, praesenti quidem vocationi suae congruere hoc negat: neque tamen subticet, decretum cuique a patre coelesti esse locum, et suo tempore patefactum iri (Matth. 20, 21; Marc. 10, 35). In hunc modum neque silentio nobis obruenda est superstitio[1]) quae palam in scriptura proditur: et tamen, quousque revelationis dies advenerit, agendum quod Dominus mandat, ut sine exceptione ad poenitentiam et fidem omnes hortemur. Communis enim omnibus est doctrina: et hac lege apud nos deposita est,[2]) donec qui reprobi sunt deplorata obstinatione viam nobis obstruant.

Caeterum, quum praedestinationem tot scripturae locis testatam admittere cogatur, novum cavillum ingerit, quo nihil stultius nec putidius fingi potest: Fideles novi testamenti electos a Deo esse, quibus mysterii a saeculis absconditi notas faceret divitias. In hunc sensum colligit testimonia omnia, quae excellentiam gratiae per Christum exhibitae commendant. Tandem concludit, quidquid primo ad Ephesios capite habetur, non alio spectare, nisi quod fideles novi testamenti Deus peculiari hoc thesauro [pag. 170] dignatus sit. Quum autem ad tempus referatur haec gratia, a Christi adventu usque ad finem mundi omnibus peraeque communem esse docet. Atqui, longe aliam Pauli mentem ostendunt verba, quorum summa est, illuminatos esse in fidem, qui secundum aeternum Dei beneplacitum ad vitam praedestinati fuerant. Quin tunc specialis fuerit quorundam vocatio, negari non potest. Ne omnibus quidem evangelium promulgatum fuit. Verum ut detur, personuisse externa voce omnium aures: altiorem vocationem illic Paulus notat, qua in animos penetrat Dei spiritus. Somnium narratur Georgio, quum interior et efficax vocatio ab externa discernitur. Sed quam non sit frivola eiusmodi distinctio, fidei experientia locuples est testis. Ad haec non alio vel sensu vel fine electionem tractat hoc loco Paulus, quam alibi, dum gratias agit Deo, quod Thessalonicenses ab initio elegerit in salutem (2. Thess. 2, 13). Atqui partem exiguam ab impia multitudine discernit. Excipiet Georgius, electis opponi praefractos gratiae contemptores. Sed hoc nihil ad rem: quia non aliud in praesentia contendo, quam specialiter quosdam prae aliis electos esse: quum Georgius contra garriat, nos tantum in hoc praedestinatos esse, ut hoc tempore nasceremur.[3]) Quid Iudas? Cui etsi Christum audire, et domestica eius consuetudine [pag. 171] frui datum est, electum tamen fuisse

1) *Add.* mais demeure ferme et constant en ce qu'il a une fois determiné. *Sequens comma omittitur.*
2) *Add.* En quoy il signifie qu'il n'est pas contraint d'ailleurs, mais qu'il s'astraint de son vouloir immuable à faire ce qu'il fait.
3) *Hoc comma omittit Gallus.*
4) la malice volontaire qu'ils ont eue de resister à l'Evangile apres l'avoir ouy.
5) *Add.* Cela se fait en ceux qui croyent: ainsi les incredules ont un aveuglement plus haut et plus caché que celuy qui procede de leur rebellion.

1) la predestination.
2) *Add.* à ceste intention là qu'elle soit presentée aux uns et aux autres.
3) *Add.* auquel Iesus Christ est apparu: dont il s'ensuyvroit qu'il n'y auroit nulle difference entre les bons et les mauvais.

Christus negat. Non de omnibus loquor, inquit, ego scio quos elegerim (Ioann. 13, 18). Quod si audiatur fanaticus iste, potior erit Herodis conditio, quam Davidis: et electionis honore sanctos prophetas impii scribae praecedent: dicet[1]) non esse ex numero fidelium. Atqui, passim clamitat, generaliter in saeculum competere electionis gratiam. Vult se fideiussore credi, nunquam aliter Paulum de praedestinatione loquutum esse. Quid?[2]) An omnes suae aetatis homines complectitur, quum iustificari dicit, quos Deus praedestinavit (Rom. 8, 29)? Annon potius a communi ordine segregat, qui secundum propositum vocati sunt? Item, quum alibi dicit: Quae stulta sunt, elegit Deus, ut sapientiam mundi confundat (1. Cor. 1, 27): an ad totam aetatem extendet, in qua manifestum discrimen statuitur?

Quoniam tamen se adhuc impeditum teneri sentit, aliud asylum captat:[3]) Quod non vocentur electi, quos Deus aliis praetulerit: sed qui in communi electione et gratia perseverant. Ac si diceret, eos demum censeri electos, qui se fidei constantia ab hominum vulgo separant. Locum Pauli adducit: Testificor coram Deo et electis angelis (1. Tim. 5, 21). Quasi vero illi concessum sit quod postulat: quia cum apostatis non desciverint, electionis gratiam esse promeritos. At si quis ex adverso asserat, quia electi erant, perstitisse, [pag. 172] quanto probabilius hoc erit? Ne sit pugna de verbo. Quum praedicit Christus, tantas fore Satanae fallacias, ut electi quoque, si fieri posset, in errorem inducantur (Matth. 24, 24): significat fieri nullo modo posse, ut electos vi sua abripiat Satan. Nunc qua virtute tutos esse dicemus? Staturos proprio robore Georgius somniat. Longe aliter Christus: Nemo rapiet e manu mea quas suscepi custodiendas oves. Pater enim, qui dedit mihi, maior omnibus est: nec poterit quisquam eas rapere e manu patris (Ioann. 10, 29). Ita Paulus fideles minime in propriam constantiam recumbere iubet, sed fidelem esse Deum admonet, qui ipsos vocavit: qui idem efficiet (1. Thess. 5, 24). Suae quemque electionis autorem et arbitrum facit Georgius: at Christus suos esse testatur, quos e mundo ipse elegit (Ioann. 15, 19). In quam sententiam clamat Paulus: Secundum propositum vocatis omnia cooperari in bonum (Rom. 8, 28). Et de infante nondum nato: Ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex vocante, dictum esse: Iacob dilexi (Rom. 9, 11). Quid restat tandem, nisi ut garriat nebulo, Iacob utero adhuc inclusum sua industria electionis honorem sibi peperisse, et sua constantia stetisse in eius possessione ad extremum?

Tantundem habet rationis,[1]) quod reiectionem, de qua disputat Paulus, non ad singulas personas, sed ad totum iudaici populi corpus [pag. 173] spectare exponit: quia gens illa Christum respuendo, vitae aeternae haereditate se privavit. Fateor equidem, hinc ortam fuisse disputandi causam. Sed inde nemo sanus colliget, quaestionem illis terminis finiri, quum et genus Abrahae ex electis pariter et reprobis mixtum esse doceat Paulus: et generaliter pronunciet, ex genere humano partim irae, partim misericordiae vasa ad illustrandam Dei gloriam proferri. Quod autem primam reprobationis originem in eo statuit, quod evangelio increduli fuerint: causam hanc a Paulo diserte exprimi non infitior, postquam scilicet prius illud membrum de abditis Dei iudiciis absolvit. Distincte enim duo ab eo tractantur: Quod nunquam ita obstrictus fuerit Deus uni populo, quin libera eius electio in singulis vel cooptandis, vel abiiciendis, regnaret: deinde quod Iudaei sua ingratitudine se abdicaverint ex Dei familia, quum proprii essent aeternae vitae haeredes. Caeterum, ne quem perturbet varietas, quasi posterior haec reiectio arcanum Dei consilium labefactet, mature occurrit Paulus, dona et vocationem Dei poenitentia carere: ac proinde reliquias secundum gratuitam electionem servari (Rom. 11, 29). Quibus verbis stabilem et fixam manere, quae in abdito Dei consilio fundata est, electionem significat. Foedior etiam nebulonis impudentia in eo se profert, quod Esau ante [pag. 174] reprobatum fuisse negat, quam primogenita sua vendidit. Verbum certe apostoli (Hebr. 12, 17) agnosco, quod quum se haereditate privasset, reprobatus est. Sed an superius illud iudicium abolet quam tunc passus est repulsa?[2]) Certe non magis quam fides et obedientia Iacob gratuitam Dei adoptionem evertit.

Quod initio praefatus sum, nunc iterum repeto: nemini improbari posse quam exposui doctrinam, nisi qui supra Dei spiritum sapere sibi videbitur. Nunc[3]) enim eo fastidii perveniet hominum morositas, ut quod e scriptura sumptum esse constat placide libenterque amplecti non sustineant, quin

---

1) dicet . . . fidelium. *Pro his in gallico legitur:* puisque l'election n'est que pour le temps.

2) Mais ie ne say qui sera si fol de luy donner tel credit.

3) Le moine ne regardant point s'il se contredit ou non use d'un autre subterfuge pour se desvelopper.

---

1) C'est une mesme impudence à luy.

2) Mais l'Apostre entend ce qu'il exprime, que sa reiection a esté lors toute patente. Ce n'est donc pas à dire que Dieu n'eust ia iugé de luy au paravant. Qu'ainsi soit, nous voyons à l'opposite que la foy et obeissance de Iacob n'a pas merité qu'il fust adopté de Dieu.

3) *Sic legitur in omnibus editionibus latinis. Gallus tamen vertit:* iamais, *quod omnino ratiocinationi autoris consentaneum est, ideoque in archetypo quoque restituendum. In ipso nostro editionis principis exemplari aliquis calamo correxit:* Nunquam.

sibi quod Dei proprium est arrogent: loquendi scilicet et tacendi legem imponere. Et tamen modestiae praetextu sepeliri quidam volunt, quod ab omnibus Dei servis proditum esse, ne ipsi quidem negare audent. Ego vero non aliam modestiae legem novi, nisi ut quod in coelestis magistri schola didici, sobrie et reverenter profitear. Neque vero me latet, ut ad fidei aedificationem attemperentur omnia, prudentiam adhibendam esse. Sed quum id quoque bona fide praestare studuerim: si nondum placantur quorundam lautitiae, defunctum me existimo: qui habet aures audiendi, audiat.

[pag. 175] De providentia [1]) Dei verba facturo, qua non modo totam mundi machinam, et singulas eius partes, sed corda etiam actionesque hominum gubernat, ingens sylva occurrit. Sed quia argumentum hoc sic me tractasse iam confido, ut satisfactum magna ex parte sit sanis et aequis lectoribus, summam eius qua potero brevitate, nunc adstringam. Nec vero sperandus est a me orationis splendor, qui illius magnitudini et praestantiae respondeat. Nudis tantum verbis quae uberius in mea Institutione exposita fuerant, nunc referam: et si qua opus testimonio habebunt, probationem ex scriptura attexam: tum sinistras malignasque Pighii et similium obtrectationes, quibus bene dicta male corrumpunt, ita diluam, ne quid pias mentes impediat vel conturbet.

Providentiam vocamus, non qua Deus e coelo otiosus speculetur quae in mundo fiunt, sed qua mundum a se conditum gubernat: ut non unius tantum momenti sit opifex, sed perpetuus moderator. Sic providentia, quam Deo tribuimus, non minus ad manus quam ad oculos pertinet. [2]) Iam dicitur providentia sua mundum regere, non modo quia positum a se naturae ordinem tuetur, sed quia peculiarem uniuscuiusque ex suis creaturis curam habet ac gerit. Est hoc quidem verum: sicuti admirabili Dei [pag. 166] (*) sapientia tam pulchre dispositum fuit mundi opificium: ita nisi quatenus praesenti eius virtute sustinetur, non posse manere in suo statu. Quod sol quotidie nobis oritur: quod in cursu tam rapido gradus habet tam apte temperatos: [3]) quod astrorum miro digesta series non turbatur: quod continuae recurrunt temporum vices: quod viscera sua quotannis ad homines alendos terra aperit: quod elementa et singulae partes officium suum facere non desinunt: quod denique naturae foecunditas nunquam deficit, quasi fatigata: id non nisi directrice eius manu, qui semel omnia condidit, fieri putandum. Et Psalmus centesimus quartus nihil aliud continet, quam universalis huius providentiae elogium. Eam similiter praedicat Paulus, quum dicit in ipso nos esse, et moveri, et vivere (Act. 17, 28). Quare sicuti Dei unius propria est essentia, ita fide consideranda est occulta quam inspirat vegetatio: qua fit ut subsistant quae alioqui mox interirent creaturae.

Sed universalis providentiae notitia per se vaga et confusa esset, nisi simul teneamus, Deum singulas creaturas cura sua complecti: quemadmodum et Christus docet, passerculum, qui dimidio asse [1]) venit, non cadere in terram sine patris voluntate (Matth. 10, 29). Nunc in ista speciali providentia, quae curandis singulis Dei operibus privatim [pag. 167] excubat, certos et distinctos gradus statuere convenit. Nam quum nobilissimum Dei opus sit homo, in cuius gratiam conditum est quidquid coelum et terra continent: scriptura praecipue nobis in gubernando genere humano Dei providentiam commendat. Paulus dum locum illum exponit: Non obligabis os bovi trituranti: boves Deo curae esse negat (1. Cor. 9, 9): quod scilicet illic non resideat cura eius, tanquam in sua meta, sed in hominem potius respiciat. Hic autem, quia Deo cum hominibus ratione praeditis negotium est, certior et magis dilucida se profert eius providentiae ratio. Mirifica enim eius iudicia, nunc in sceleribus puniendis, nunc in erudiendis ad patientiam fidelibus domandaque eorum carne, nunc in purgandis mundi vitiis, nunc in expergefaciendo multorum torpore, nunc in conterenda impiorum superbia, nunc in astu sapientum ridendo, nunc in pravis machinationibus diruendis se proferunt. Ex altera parte incomparabilis eius bonitas in iuvandis miseris, in protegenda asserendaque innocentium salute, in ferendo rebus desperatis auxilio relucet. Huius providentiae, quae homines respicit, pulchra descriptio habetur Psalmo centesimo septimo. Illic enim ostendit propheta, quae vulgo aestuariae putantur fortunae vices, adeo non volvi caeco impetu, ut dilucida [pag. 168] sint vel bonitatis, vel irae, vel iustitiae Dei specula. Quare tandem concludit: Si prudenter reputentur quae subinde in mundo fiunt rerum conversiones, piis fore laetitiae materiam: satis autem ad os iniquis obstruendum tale operum Dei specimen valere. [2]) (Psalm. 107, 42).

---

1) *In Gallico hic peculiaris exstat inscriptio:* De la Providence en general. *In archetypo latino soli columnarum quas vocant, s. paginarum tituli mutantur.*

2) *Add.* c'est à dire qu'il ne contemple pas seulement ce qui se fait, mais qu'il a les mains à l'oeuvre pour besongner comme il luy plait.

(*) *De errore hoc typographico vide prolegomena.*

3) neantmoins par certains compas mieux qu'un horloge.

1) une maille.

2) *Add.* Cependant il advertit que c'est une grande

Caeterum hic rursum digerendi sunt gradus. Quamvis enim se toti humano generi et patrem et iudicem Deus ostendat, quia tamen ecclesia sanctuarium est in quo residet, illic clarioribus documentis praesentiam suam exserit: illic officium facit patrisfamilias, et eam propiore aspectu, ut sic loquar, dignatur. Referta est eiusmodi testimoniis scriptura, quae Deum pro suis fidelibus intentiores agere excubias affirmant. Oculi Domini super iustos (Psal. 33, 18). Custodit Dominus animas sanctorum suorum (Psal. 97, 10).[1] Illi cura est de vobis (1. Petr. 5, 7). Capilli capitis vestri numerati sunt (Matth. 10, 30). Denique ecclesia propria est Dei officina, in qua suam providentiam exercet et praecipuum eiusdem providentiae theatrum. Qua ratione etiam dicitur angelos, qui sunt veluti eius manus, specialiter destinasse fidelibus suis custodes (Psal. 34, 8), ne a Christi corpore, cuius ipsi quoque sunt membra, quidquam separatum habeant. Itaque, ut pro captu rudium crasse agamus, primo loco statuenda est ante oculos generalis mundi gubernatio, qua foventur et vegetantur [pag. 169] omnia, ut stet incolumis naturae eorum status.[2] Deinde considerandae sunt in singulis partibus regendis et curandis Dei excubiae: et quidem tales, ut nihil nisi nutu arbitrioque eius eveniat. Tum peculiaris generis humani cura in mentem nobis venire debet: qua fit ut vita et mors hominum, tam publica regnorum et gentium quam privata cuiusque conditio, et quidquid fortunae adscribi solet, ab una coelesti moderatione pendeat.[3] Ultimo praesidium vere paternum, quo ecclesiam suam tuetur, cui praesentissima Dei ipsius virtus annexa est.[4])

Porro, quanta sit et quam multiplex huius doctrinae utilitas, nullis verbis pro dignitate satis exprimi potest. Verum, Dei providentiam in mundo gubernando qualis in scriptura nobis traditur, et agnoscitur fidei sensu, nemo utiliter expendet, nisi qui sibi cum fictore suo rerumque omnium opifice negotium esse reputans, ad metum et reverentiam tantae maiestatis,[5] qua decet humilitate, primum se submiserit. Nam si aequalibus quisque suis tantum honoris habere solet, ut candide modesteque de eorum factis iudicet, ubi quid obscurum est vel non satis cognitum, sensim non minus quam sedulo inquirat, et iudicium suspendere malit, quam nimis properando iniuriam facere: an non plus quam immanis, obsecro, ista est feritas, maiore [pag. 170] licentia, tum opera Dei ad calculum nostrum[1] vocare, tum de incognitis praecipitem ferre sententiam, tum arcana eius consilia excutere, tum profano more de tantis et procul adorandis mysteriis nugari[2]? Atqui, quum omnibus saeculis grassata fuerit haec petulantia, multo insolentius hodie, quam antehac unquam, se iactat. Ac multi quidem Epicurei, quia Deum nequeunt e coelo detrahere, quod gigantum exemplo libenter tentarent, ut saltem eius cultum, et quidquid est religionis, ex suis et omnium conscientiis deturbent, foedas et indignas blasphemias vomendo, impium suum furorem produnt. Sed in maiori parte hunc mali fontem esse constat, quod leves et fervidi spiritus frivolae suae curiositati primum indulgent: ut nullo fine sibi proposito totos se addicant supervacuis speculationibus. Accedit deinde effraenis audacia, quae linguas ad aequandam sua petulantia illam intemperiem stimulat. Alii laborant quidem diverso vitio, sed non minus noxio. Nam se implicantes absurdis deliriis, mentes suas obruunt voluntaria aut desperatione, aut socordia.[3] Istae scilicet diaboli sunt artes: involvere prodigiosis figmentis piam sanamque doctrinam[4], quibus non modo eius fructum nobis praeripiat, sed partim eam odiosam, partim exitialem reddat. Verum quidquid moliatur ille, facessat tamen [pag. 171] a nobis praepostera quorundam cautio: qui, ut talibus periculis occurrant, non aliud inveniunt compendium, nisi ut corrumpant vel obscurent quod simpliciter in scriptura proditum est.

Longe aptius remedium est: quomodo, et in quem finem consideranda sit Dei providentia, tenere. Prior finis est, ut nos temeraria confidentia exutos[5]) tum in Dei timore contineat, tum ad invocationem expergefaciat. Alter vero, ut sedatis tranquillisque animis[6]) in Deum recumbere, et quae nos circumstant pericula nobisque assidue centum mortes minantur, secure fortiterque con-

sagesse de venir iusques là à fin que nous soyons tant plus sogneux à y appliquer nostre estude (*ibid.* v. 43).

1) *Inserit Gallus:* Il ne permettra point que le iuste soit iamais esbranlé. *Quod fortasse Ps.* 37 *respicit.*

2) tel qu'il a esté creé pour un coup.

3) que c'est la vraye adresse de tout ce que les hommes attribuent à fortune: brief que c'est là où il faut rapporter toute la condition des hommes.

4) *Add.* selon qu'il est conioinct et uny avec les siens par le moyen de son Fils.

5) *Add.* laquelle nous doit bien faire trembler de son seul regard. Quiconque procedera en telle modestie, sentira quel profit et repos c'est d'apprehender par foy comment Dieu gouverne le monde. Au contraire l'audace et temerité ne fera que nous esblouir les yeux et nous eslourdir.

1) sus nostre bureau.

2) *Add.* et en babiller inconsiderément comme si ce n'estoyent que menuz fatras.

3) ils s'anonchallissent à leur escient, ou se mettent en un desespoir volontaire.

4) *Add.* la meslant parmy de sottes gloses et absurditez.

5) *Add.* et sachant que nous ne pouvons rien mais que tout est dans la main de Dieu, nous soyons humiliez pour craindre *etc.*

6) *Add.* en ceste fiance qu'il conduira bien noz affaires.

temnere doceat. Utrumque membrum breviter exponam. Qui fortuitum aliquid imaginantur, vel industriae suae, consiliis, opibus, humanis auxiliis quidpiam arrogant, audacius ad tentanda omnia feruntur, satagunt, versant se in omnes partes, nullum non movent lapidem, subinde novi aliquid excogitant, quasi libero spatio soluti vagantur: [1]) nulla interim Dei invocatio, nullus metus. Qui vero Dei providentia homines eorumque consilia et rerum eventus gubernari agnoscet, trepide cum Ieremia (10, 23) dicet: Scio Domino, non esse hominis viam eius, neque viri ut dirigat gressus suos: item illud Solomonis (Prov. 20, 24) reputans: A Domino sunt gressus viri, et quis hominum disponet viam suam? [pag. 172] totum se Domino tradet, atque ab eo pendebit. Ultro sequentur preces, ut Deus nobis quiescentibus inchoet ac perficiat, quidquid aggredimur operum. Similiter qui fortunae imperium comminiscetur, vel diabolo, [2]) impiis, et brutis animalibus fraena laxabit, quasi praeter Dei nutum et moderationem quidquam possint vel agant: misera anxietate semper aestuabit, vitam suam quasi de filo pendentem aspiciens torquebitur, pedem vix movere audebit quin de vita sua desperet: [3]) fideles vero, dum sibi manum Dei moderatricem proponent, curas suas non dubitabunt in eum coniicere. Dum certo statuent, diabolum et impios omnes, quantumvis tumultuentur, non tantum ligatos Dei compedibus teneri, sed etiam cogi ad praestanda illi obsequia, quieti per vias suas pergent.

Nonnihil etiam lucis addent duae aliae distinctiones: prior est, quod tam in praeteritum quam futurum tempus consideranda sit Dei providentia: altera, interdum cum suis mediis, interdum sine mediis, interdum contra omnia media, summam illi potestatem asserendam esse, ut ordinet constituatque omnia. Talis praeteriti temporis sit consideratio: Si quid prospere et ex voto successit, non sacrificet mortalis homo reti suo, quemadmodum loquitur Habacuc (1, 16): neque suam prudentiam, virtutem vel fortunam [pag. 173] efferat: neque acceptum ferat hominibus vel creaturis quod Dei proprium est: sed Deum sibi persuadeat eius boni primum esse autorem, undecunque provenerit. In rebus autem adversis, in hac consolatione acquiescat: Sicut Domino placuit, ita factum est; contra Deum tumultuando, nec quidquam proficiam, et me obstringam impiae contumaciae reatu. Tum vero anteactae vitae subeat memoria, ut ex poenis sibi inflictis peccata sua agnoscat. In tempus futurum hoc modo reputanda est piis mentibus Dei providentia, ut semper ad eius promissiones ac minas intentae sint: quia simul atque inde deflexerint, nulla restabit ad Dei timorem eruditio, nullus fidei profectus. At vero qui Dei omnipotentiam in speculo verbi eius intuebitur, tum promissionibus eius fretus supra innumera mundi pericula se fidei alis origet: tum minis subactus se coram totidem ferulis humiliabit. Quod cum suis mediis considerandam esse dixi Dei providentiam, hunc habet sensum: si quis in extremo discrimine laborantibus opem tulerit, non humana est, sed divina per manum hominis liberatio. Sol oritur quotidie, sed Deus est qui orbem terrae illustrat. Producit terra fruges, sed Deus est qui panem suppeditat, et pani inspirat vigorem ad nos alendos. In summa, quum inferiores causae, tanquam vela, Deum e conspectu nostro [pag. 174] subducere ut plurimum soleant: fidei oculo altius penetrandum est, ut Dei manum in his organis operantem cernat. Absque mediis quomodo locus dandus sit providentiae Dei exemplo suo Christus docuit, quum Satanae insultum hoc clypeo repelleret: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod egreditur ex ore Dei (Matth. 4, 4). Nam quia virtutem Dei sciebat nullius externi adminiculi indigam esse: tam sine pane suffecturam colligit, quam se benigne exserit per panem. Cavendum itaque, ne inferioribus mediis ita simus affixi, quin Dei manus omni subsidio nudata per se nobis abunde sufficiat. Contra media, quam meretur gloriam apud nos obtinet Dei providentia, quum illam obstaculis omnibus superiorem fore persuasi, [1]) cunctas formidines hac una fiducia vincimus. Atque haec vera est palaestra, in qua fidem nostram Deus exercet, quum totidem se obstacula ingerunt, ad impediendum eius consilium, quot sursum et deorsum apparent in coelo creaturae. Quid autem tunc agendum? Nempe si ad divinae potentiae altitudinem conscendat fides, omnia quae contra niti videntur agendi media, non magno negotio expugnabit.

Quisquis se intra has metas continuerit, nec tortuosis speculationibus se impediet, nec quia divinitus omnia fieri audiet inde praetextum captabit ignaviae, nec desperatione [pag. 175] concidet, nec ad frivolas nugas provolabit, et Dei maiestate indignas. Nunc tamen propius excutienda est quaestio, unde exoriuntur pugnae. Non quod Dei providentia rite, ut decebat, cognita, eas ex se gignat: sed quia in reputandis Dei operibus humana ratio, quum caecutiat, simul ad rixandum prosilit. [2]) Quanquam mirum non est, si carni parum consentanea sint Dei consilia, quae ex coelorum altitudine

1) ils s'esgaient comme un cheval sans bride en une grande et belle campagne.

2) *Beza et Amst. male:* ut diabolo.

3) *Add.* brief il sera comme transi.

1) *Add.* et quand toute creature s'esleveroit contre Dieu, qu'il en viendra bien à bout pour executer son vouloir.

2) . . . . selon qu'elle est lousche, voire demy aveugle, . . . si tost qu'elle s'y trouble, s'escarmousche quant et quant et se rue à tort et à travers.

angeli suspiciunt (1. Pet. 1, 12). Sed hoc vitium minime tolerabile, quod nos, quibus humi reptare vix datum est, nihil probamus, nisi quod tanquam oculis nostris subiectum despicere liceat. Caeterum, ut fructuosa sit doctrina, tum rudes et imperitos placare, tum improborum calumnias refellere,[1]) operae pretium est. Primo loco videndum est, quomodo Dei voluntas rerum omnium quae in mundo geruntur causa sit: neque tamen malorum autor sit Deus. Non dicam cum Augustino, quod tamen ut vere ab eo dictum libenter amplector: In peccato, sive in malo, nihil esse positivum.[2]) Est enim argutia, quae multis non satisfaceret. Sed aliud mihi principium sumo: Quae perperam et iniuste ab hominibus fiunt, eadem recta et iusta esse Dei opera. Hoc si prima specie quibusdam esse paradoxum videtur, saltem ne sint ita fastidiosi, quin paulisper mecum sustineant ex verbo Dei inquirere, quid sentiendum [pag. 176] sit. Caeterum, ne quidquam stulta pertinacia tueamur, quasi Dei proprium, quod illi temere ex sensu nostro affictum fuerit: primum audienda est scriptura, imo tota inde operum Dei petenda est definitio.[3])

Quod Deus suo consilio dirigat, quae maxime videntur fortuita, clare scriptura testatur, quum dicit: In sinum coniici sortes, iudicium vero earum exire a Domino (Prov. 16, 33).[4]) Similiter si ramus ex arbore defractus, aut securis e manu hominis praeter consilium elapsa, caput transeuntis illidat, Moyses testatur, hoc Deum consulto fecisse quia hominem occisum voluerit (Exod. 21, 13). Alia scripturae testimonia consulto nunc praetereo: quia rem tantum digito monstrare propositum est. Sed quia stoica necessitas hoc modo statui videtur, multis odiosum est dogma, etiam qui pro falso damnare non audent. Vetus ista calumnia fuit, qua se Augustinus iniuste fuisse gravatum alicubi conqueritur[5]): nunc obsoletam esse decebat. Certe hominibus probis et ingenuis, si modo iidem docti sint, valde indigna est. Qualis fuerit Stoicorum imaginatio notum est. Fatum suum texebant ex gordiano causarum complexu: in quem quum Deum ipsum involverant, fabricabant aureas catenas, ut est in fabulis, quibus Deum vincirent, ut subiectus esset inferioribus causis. Stoicos hodie imitantur [pag. 177] astrologi, quibus fatalis ex stellarum positu dependet rerum necessitas. Valeant igitur cum suo fato Stoici: nobis libera Dei voluntas omnium sit moderatrix. Sed contingentiam[1]) tolli ex mundo, videtur absurdum. Omitto quae in scholis usitatae sunt distinctiones. Quod afferam, simplex, meo iudicio, et minime coactum erit, deinde ad vitae usum accommodatum. Sic evenire necesse est quod statuit Deus, ut tamen neque praecise, neque suapte natura necessarium sit. Exemplum in Christi ossibus familiare habeo. Christum corpus induisse prorsus nostro simile, scriptura testatur. Quare fragilia illi ossa fuisse, fateri nemo sanus dubitabit. Sed alia mihi videtur ac separata quaestio, an ullum os eius frangi potuerit. Nam integra omnia et illaesa manere, quia fixo Dei decreto ita statutum erat, necessario oportuit. Nec vero quod a receptis loquendi formis de necessitate secundum quid et absoluta, item consequentis et consequentiae, abhorream, ita loquor: sed ne qua lectores argutia impediat, quin agnoscat vel rudissimus quisque verum esse quod dico. Ergo si in Christi ossibus naturam consideres, fragilia erant: sin vero illud Dei decretum, quod suo tempore manifestatum fuit, nihilo magis fracturae obnoxia erant, quam humanis aerumnis angeli. Iam vero quia divinitus positum naturae [pag. 178] ordinem intueri nos decet, contingentiam, quoad sensum nostrum, minime reiicio.

Ac memoria tenendum est, quod ante posui, ubi Deus per media et inferiores causas virtutem suam exserit, non esse ab illis separandam. Temulenta est ista cogitatio: decrevit Deus quid futurum sit, ergo curam ac studium nostrum interponere supervacuum est. Atqui, quum nobis quid agendum sit, praescribat, et virtutis suae organa nos esse velit: fas nobis esse ne putemus separare quae ille coniunxit. Initio terram sine humana arte et cultura omne herbarum et frugum genus iussit producere, nunc autem manum hominis adhibet per quam operetur: si quis otioso hiatu velle se panem excipere iactet, quia benedictio Domini foecundet terram, at non pedibus magis calcabit Dei providentiam, quam tali praedicatione efferet? Discerpit enim ac lacerat, quae sacro inter se nexu cohaerent. Ergo quantum ad futurum tempus, quia nos adhuc rerum eventus latent, perinde ad officium suum intentus esse quisque debet, ac si nihil in utramvis partem constitutum foret. Vel, ut magis proprie loquar, talem in omnibus, quae ex Dei mandato aggreditur, successum sperare debet, ut in rebus sibi incognitis contingentiam cum certa Dei providentia conciliet. Et benedictionem suam Dominus manuum [pag 179] nostrarum labori promittit. Hac voce pius vir se divinae providentiae organum constitui

1) *Add.* à ce qu'elles ne puissent obscurcir la verité.
2) le mal et le peché n'est rien de soy, mais seulement un desordre ou corruption de ce qui doit estre.
3) *Add.* et quant à moy ie proteste que ie ne veux rien attribuer à Dieu de mon cerveau, mais si faut-il que nous luy laissions ce que luy mesme s'attribue.
4) *Add.* S'il n'y avoit nul cas d'aventure ce seroit cestuy là: mais nous oyons que Dieu gouverne par dessus.
5) Lib. 2 ad Bonif. cap. 5.

1) d'oster ce qu'on appelle contingence, c'est que les choses puissent advenir d'une sorte ou d'autre.

agnoscet. Hac eadem promissione fretus, alacriter ad opus se accinget,[1] quia persuasus erit, non fortuitam se operam in aere iacere: quae in Dei verbum recumbens, arcano eius consilio in optimum finem dirigetur. Denique, sicut providentia Dei rite expensa manus nostras non ligat,[2] ita invocationem adeo non impedit, ut potius stabiliat. Si quid iam acciderit, simili in tempus praeteritum sobrietate iudicia nostra temperari convenit. Nulla ad patientiam aptior exhortatio, quam dum audimus, nihil fortuito contigisse, sed quod Domino visum est, fuisse impletum. Interea non sequitur, quin rerum adversarum culpam vel ignavia nostra, vel temeritas, vel incogitantia, vel aliud vitium merito sustineat. Quod si de causis eventuum non liqueat, ut saepe videntur quae accidunt praeter rationem accidere: tamen ne sic quidem desinent piae mentes, et sapientiae et iustitiae laudem tribuere Deo.

Verum, ubi interveniunt hominum consilia, voluntates, studia, conatus, plus in eo est difficultatis, quomodo illic quoque regnet Dei providentia: non modo ne quid geratur nisi ex eius nutu, sed etiam ne quid deliberando agitent homines, nisi quod ipse inspirat. Edit quidem [pag. 180] in eo quotidie praeclara suae providentiae documenta, quum stultis hominum consiliis fraena laxans, imo dissimulans ad eorum apparatus, eventu tandem eos frustratur. Sed in alio genere potentem eius manum et dominationem celebrat scriptura, quum impios infatuat, quum vertigine percutit, quum dementat et obstupefacit eos: similiter quum eorum corda effoeminat, et pavore replet, ut ad folii cadentis strepitum concidant. Parum ergo considerate Pighius, dum in istas angustias concludit Deum, ut tanquam vir prudens,[3] et dux rei militaris peritus, hostium suorum consilia praevidens, in contrarium tempestivis remediis vertat. Quasi vero non utrumque diserte exprimatur: Quod deprehendat sapientes in astutia sua: et auferat spiritum principum, ac eorum prudentiam evanescere faciat (Iob 5, 13; Psalm. 76, 13). Nimis crassa etiam inscitia est, dum negat Dei voluntate mori, qui consulto ab homine occiditur: quia ubi intercedit hominis voluntas, Deus agere non dicatur.[4] Quid ergo innumeris scripturae testimoniis fiet, quae gladios impiorum Dei manu regi testantur? An sine hominum consilio occisi sunt filii Heli? (1. Sam. 4, 11). Atqui, adscribitur elogium, quod voluerit Dominus occidere ipsos. Caeterum, quin perpetuo gubernet Deus hominum manus, nunc ligatas teneat, nunc flectat huc et illuc ad exsequendum [pag. 181] quod statuit, quicunque mediocriter in scriptura exercitati sunt, non vocabunt in controversiam. Imo communi fere omnium sensu receptum est, quidquid moliantur homines, eventum in manu Dei esse. Sed quia in tam densa humanae mentis caligine perquam tenuis et fere evanida est illa cognitio, scriptura altiorem nobis speculam aedificat, e qua Deum contemplemur omnia hominum opera sic moderantem, ut in finem a se destinatum applicet.

Summa autem huc redit: Quamvis homines, ut indomitae bestiae nullisque vinculis coercitae, lasciviant: arcano tamen fraeno gubernari, ut ne digitum quidem movere queant, nisi ad exsequendum Dei magis quam suum opus. Nam fideles, qui spontaneum illi obsequium impendunt, non secus atque angeli, manus eius censendi sunt. Quare eos potissimum hic commemoro, quibus nihil minus propositum est, quam habere quidquam vel consilio Dei affine, vel consentaneum eius voluntati. Ac sibi quidem, quasi votorum compotes, plaudunt impii.[1] Sed res tandem comprobat, per ipsos, licet inscios ac nolentes, quod divinitus ordinatum fuerat, esse impletum. Porro Deus ipse nunc impiis, ad punienda hominum peccata, tanquam flagellis utitur: nunc, quasi obtorto collo eos traheret, beneficentiae suae ministros [pag. 182] esse cogit. Prioris membri exempla colligere, immensi operis foret. Pauca tantum attingere praestiterit. Postquam Deus Assyrium ad bellandum incitans virgam furoris sui vocavit (Iesa. 10, 5), nec alio quam irae suae baculo armatum esse docuit: postea in eius superbiam invehitur: quod se non agnosceret veluti securim vel serram aliunde agitatam. Hac ratione et sanctificati a Deo, et conductitii eius milites dicuntur, et operam illi navare, quos ambitio alioqui sua, et crudelitas, et avaritia impellit: et Dominus vicissim sibilo vel classico se eos ad arma vocare testatur. Divinae beneficentiae viam parari hominum maleficiis, vel unus Moysis locus satis clare demonstrat. Plus quam scelerata, perfida et crudelis fuerat conspiratio fratrum Ioseph, quum eum venderent. Atqui, in Deum transscribit, sed alio respectu, venditionis huius causam: Non vos estis, sed Dominus qui me praemisit, ut vos alerem (Gen. 45, 5). Constat ergo, quum impie agerent, per eos tamen operatum esse Deum, ut vitam in morte invenirent. Quantum in ipsis erat, occiderant fratrem. Inde illis vita affulget. Idem in scelerum omnium principe et impiorum capite Satana perspicere est. Eum Deus ad decipiendum Achab cum hoc mandato di-

1) mettre les mains à la paste, comme l'on dit.
2) pour nous rendre oisifs ou paresseux.
3) *Add.* qui peut faucher l'herbe sous les pieds de son ennemi.
4) Lib. 8 cap. 3. *Beza emendavit:* iudicatur.

1) *Add.* comme s'ils avoient vaincu Dieu et qu'ils fussent maistres de tout.

mittit, ut sit spiritus mendax in ore omnium prophetarum (1. Reg. 22, 23). Ita spiritus impostor irae Dei minister est ad excaecandos [pag. 183] impios, qui veritati obtemperare noluerant. Contra vero Paulus, ne magnitudine revelationum superbiat,[1]) datum sibi carnis stimulum memorat nuncium Satanae, a quo caedatur colaphis (2. Cor. 12, 7). Hic Satanae venenum ad curandum superbiam antidotum est. Qualis, obsecro, medicus Satan, qui nihil quam perdere et occidere didicit? Verum, Deus qui semel iussit e tenebris lucem splendere (2. Cor. 4, 6), ex inferis ipsis, quum ita visum est, salutem mirabiliter educit, atque ita tenebras convertit in lucem. Caeterum quod operatur Satan, scriptura Dei opus alio respectu affirmat: quatenus scilicet ipsum Deus, suae providentiae obsequio illigatum tenens, quo visum est flectit, ut eius operam ad usus suos applicet.

Quanquam si non alium agendi modum exprimeret scriptura, nondum adeo difficilis esset ad solvendum nodus. Magis ardua est altera quaestio: agatne Deus in cordibus hominum, consilia dirigat, huc illuc flectat eorum voluntates, ne quid agant nisi quod ipse ordinavit? Non quaerimus hic, an pios sanctosque affectus in cordibus suorum operetur: quod controversia caret: sed an pravos quoque impiorum affectus in potestate sua habeat, flectat huc vel illuc, ut velint quod per ipsos perficere decrevit. Certe quum Solomon pronunciat (Prov. 21, 1), in [pag. 184] manu Dei esse cor regis, ut quocunque visum fuerit ipsum inclinet, generaliter ostendit, non minus voluntatem quam externa opera Dei arbitrio regi. Obduratum ab eo cor Pharaonis dicit Moyses (Exod. 4, 21 et 7, 3). Frustra hic ad permissionem confugitur: quasi Deus fecisse dicatur, quod fieri tantum passus est. Clare enim duritiem illam Dei opus fuisse Moyses affirmat. Nec sane alio sensu hic Dei consilio adscribitur Pharaonis saevitia, quam alibi gratiam dare populo suo dicitur in oculis Aegyptiorum (Exod. 3, 21). Quis enim non videt cicuratas fuisse Dei virtute et mansuefactas truces bestias, quum ad clementiam flexi repente sunt Aegyptii? Unde ergo factum dicemus ut tam inhumaniter Pharao saeviret, nisi quia partim ad probandam suorum tolerantiam, partim ad exercendam suam virtutem, ita Domino placuit? Eadem ratione dicitur, vertisse hostium corda in odium populi sui (Psal. 105, 25). Nec obstat, quod dicitur alibi Pharao ipse cor suum aggravasse (Exod. 8, 32): quando neque extrinseco motu impelli fingimus hominum animos, ut violenter ferantur, neque in Deum transferimus indurationis causam, ac si non sponte propriaque malitia duri et immites, se ipsos ad pervicaciam acuerent: sed quod perverse homines faciunt, non nisi Deo ordinante fieri, scriptura docet. Quemadmodum alibi dicitur, quod [pag. 185] incolae Gibeon se Israeli opposuerint a Domino fuisse, qui obstinavit cor eorum (Iosue 11, 20).

Modum quoque exprimit scriptura, quum uno in loco recitat Deum populo iratum cor Davidis incitasse, ut populum numeraret (2. Sam. 24, 1): in altero Satanam facit eiusdem instigationis autorem (1. Chron. 21, 1). Unde intelligimus, Satanam irae Dei flabellum esse, ut corda hominum quocunque voluerit Deus impellat. Quod expressius alibi habetur: Invasit Saulem spiritus Domini malus (1. Sam. 16, 14 ss.). Scelere quidem suo agitur Saulus, ut furorem intus conceptum voluntario motu egerat. Eum nihilominus impellit Satan: neque id Deo per otium speculante, sed ita volente. Alioqui improprie spiritus Domini malus diceretur, nisi ad exsequendam eius vindictam minister esset, ac carnifex. Nec vero ideo tantum irae Dei minister, quod animos ad malas cupiditates sollicitet: sed quia efficaciter trahat. In quem sensum Paulus efficaciam erroris divinitus immitti asserit, ut mendacio credant, qui noluerunt veritati obedire (2. Thess. 2, 11). Vides ut non modo Dei mandato Satan in ore prophetarum omnium spiritus sit mendax, sed eius imposturae reprobos illaqueent, ut ratione privati in errorem necessario trahantur. Sic intelligendum quod idem Paulus tradit (Rom. 1, 28), qui Deo ingrati fuerant, dari ab ipso in reprobum sensum: et tradi in cupiditates [pag. 186] foedas et ignominiosas, ut faciant quae non conveniunt, et probris afficiant sua corpora. Audimus non permissu quiescentis Dei, sed iusto eius iudicio cordis cupiditatibus fuisse addictos, qui gloriam eius indigne profanaverunt. Quomodo id factum sit, declarat locus ille, quod illis Deus mittit efficaciam erroris. Unde perspicuum fit, quod iam attigeram, non minus interiores affectus regere Dei manum, quam externis actionibus praeesse: neque Deus, quae decrevit, hominum manu perficeret, nisi in ipsorum cordibus operaretur ipsum velle, quod operis effectum praecedit. Tenenda igitur Augustini sententia:[1]) quum vult fieri Deus, quod non nisi volentibus hominibus fieri oportet, eorum simul corda inclinare, ut velint: ipsumque non tantum auxiliando in cordibus agere, sed etiam iudicando, ut impleant, quibus nihil tale propositum est, quod manus eius et consilium decrevit. Prudenter etiam in ipsis naturae seminibus considerandum proponit, a quo multi tantopere abhorrent.[2]) Tanta enim quae in hominum ingeniis

1) ne magnitudine revelationum superbiat. *Haec verba absunt ab omnibus edd. praeter principem. Habet ea Gallus.*

1) Lib. de praedest. sanctorum cap. 20.
2) Lib. 1 de peccat. meritis et remissione cap. 22.

cernitur diversitas,[1]) quum divinitus sit illis indita, arcanae illius operationis, qua corda regit ac movet, luculentum est specimen.

Hinc certe iam colligere promptum est, quam inane et fluxum sit illud divinae iustitiae patrocinium [pag. 187], quae mala sunt, non eius voluntate, sed permissu duntaxat fieri. Equidem quatenus mala sunt, quae malo animo perpetrant homines, ut statim plenius exponam, Deo minime placere fateor: sed quod otiosum ea permittere fingunt, quae scriptura non tantum eo volente sed autore fieri pronunciat, nimis frivolum est effugium. Dedit hoc interdum Augustinus receptae loquendi consuetudini: sed quum pressius insistit, et magis exacte rem examinat, nullo modo patitur, in locum actionis permissionem substitui. Non referam ad verbum omnia quae hac de re libro contra Iulianum quinto disputat. Clausulam apponere sufficiet:[2]) Facit haec miris et ineffabilibus modis, qui novit iusta iudicia sua, non solum in corporibus hominum, sed etiam in cordibus operari. Qui non facit voluntates malas, sed utitur eis ut voluerit: quum aliquid inique velle non possit. In eundem sensum alibi:[3]) Scriptura, si diligenter inspicitur, ostendit non solum bonas hominum voluntates, quas ipse facit ex malis, et bonas a se factas, in actus bonos et in aeternam dirigi vitam: verum etiam illas quae conservant saeculi creaturam, ita esse in Dei potestate, ut eas quando voluerit, et quo voluerit, faciat inclinari: vel ad beneficia quibusdam praestanda, vel ad poenas quibusdam ingerendas [pag. 188]. Tandem attexit:[4]) Quis non ad ista iudicia contremiscat, quibus agit Deus etiam in cordibus malorum quidquid vult, reddens eis tamen secundum merita eorum? Iterum scripturae testimoniis satis manifestum est, operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quocunque voluerit, sive ad bona pro sua misericordia, sive ad mala pro meritis eorum, iudicio utique suo, quandoque aperto, quandoque occulto, semper autem iusto: fixum enim in cordibus vestris esse debet, quod non sit iniquitas apud Deum. Cur autem occultum quandoque Dei iudicium esse commemoret, ex superiore loco[5]) petenda ratio est: ubi postquam saepius peccata confessus est esse poenas, quas Deus iuste prioribus peccatis rependit, tandem ad illud altius magisque reconditum arcanum conscendit: quod iustam exercendae irae suae materiam Deus in omnibus inveniat, nisi quos gratis elegit. Nam caeteri, inquit, mortales, qui ex isto numero non sunt, et ex eadem quidem massa, ex qua et isti, sed vasa irae facti sunt, in utilitatem nascuntur istorum. Non enim quemquam eorum Deus temere ac fortuito creat, aut quid de illis boni operetur ignorat: quum et hoc ipsum bonum operetur, quod in eis humanam creat naturam, et ex eis ordinem saeculi exornat. Cur formidine et pavore nunc [pag. 189] corda hominum consternet, nunc instruat audacia, cur auferat spiritum principibus, et sapientum consilia infatuet, cur spiritu temperantiae donet alios, spiritum vertiginis et furoris aliis propinet: causam aliquando notam et conspicuam assignat. Sed occultum eius iudicium dominari, ut voluntates quas visum est convertat, aeque apparet: quando communis omnibus natura est, non gratia: ut alio loco vere admonet idem sanctus vir.[1])

Haec probe et sobrie reputanti minime dubium erit, summam et praecipuam rerum omnium causam esse Dei voluntatem. Qua etiam notitia fraenari mentes nostras convenit, ne plus quam fas est quaerendo intemperanter lasciviant. Durum primo statim auditu videtur illud Augustini,[2]) quod Dei voluntas sit rerum necessitas. Item quod subiicit[3]) explicandi gratia, quod sic causas inferiores condiderit Deus ut ex illis esse illud, cuius causae sunt, possit, sed non necesse sit: altiores autem et remotas sic in se absconderit, ut ex eis esse necesse sit, quod ex illis fecit, ut esse possit: sed attentius rem consideranti asperitas illa facile mitescet. Nam quod alibi tradit,[4]) etsi verbis diversum, re tamen et sensu prorsus idem est: quod tamen nihil in se offensionis continet. Habet in se ipso [pag. 190] Deus absconditas quorundam factorum causas, quas rebus conditis non inseruit: eas implet, non illo opere providentiae, quo naturas substituit ut sint: sed quo eas administrat prout voluerit, quas prout voluit, condidit. Ibi est gratia, qua salvi fiunt[5]) qui perditi erant.[6]) Quid enim verius, quam Deum in creaturis regendis plus aliquid apud se habere reconditum, quam earum naturis indiderit? Atqui, omnium quae geruntur, prima causa ideo censetur eius voluntas, quia naturas a se conditas arbitrio suo ita regit, ut cuncta hominum consilia et actiones in finem a se praefixum destinet. Porro hac doctrina fraenum nobis iniici, quod sub modestia nos contineat, non immerito dixi: quia nimis absur-

1) *Add.* que les uns sont fols, les autres stupides, les autres aiguz, les autres advisez, les autres graves, les autres legers *etc.*
2) Cap. 3.
3) De gratia et libero arbitr. ad Valent. cap. 20.
4) Cap. 21.
5) Lib. contra Iulia 5 cap. 3.

1) De verbis apostoli serm. 11.
2) Lib. 6 de Genes. ad liter. cap. 15.
3) Cap. 18.
4) Lib. 9 eiusdem operis cap. 18.
5) *Sic sola princeps. Caeterae omnes:* sint.
6) *Inserit hic Gallus:* Ie vous prie, que trouvera-on à redire en ces mots?

dum est, Dei voluntati, quae omnibus causis superior est, non cedere, nisi manifesta eius causa appareat.

Memoria quidem repetendum est quod ante dixi: nihil nisi optima ratione facere Deum. Sed quia certissima iustitiae regula est eius voluntas, nobis praecipua, ut ita loquar, rationum omnium ratio esse debet. Nam fidei humilitas, quum ex viva divinae iustitiae reverentia nascatur, minime stupida fingenda est.[1]) Quis enim, nisi persuasionem hanc penitus animo infixam habeat, iustum esse Deum, et recta [pag. 191] eius opera, in solo eius placito acquiescet? Itaque Sorbonicum illud dogma, in quo sibi plaudunt papales theologastri, detestor: quod potentiam absolutam Deo affingit.[2]) Solis enim lucem a calore avellere, imo suum ab igne calorem, facilius erit, quam Dei potentiam separare a iustitia. Facessant ergo procul a piis mentibus monstrosae illae speculationes: plus aliquid Deum posse quam conveniat: vel eum sine modo et ratione quidquam agere. Nec vero commentum illud recipio, Deum, quia lege solutus sit, quidquid agat, reprehensione vacare. Deum enim exlegem qui facit, maxima eum gloriae suae parte spoliat, quia rectitudinem eius ac iustitiam sepelit. Non quod legi subiectus sit Deus, nisi quatenus ipse sibi lex est. Talis enim est inter potentiam eius ac iustitiam symmetria et consensus, ut nihil ab ipso nisi moderatum, legitimum et regulare prodeat. Et certe quem omnipotentem praedicant fideles, eundem simul mundi iudicem agnoscant necesse est, ut potentiam sensu suo apprehendant iustitia et aequitate temperatam.

Nondum tamen soluta est obiectio: Si Dei arbitrio geruntur omnia, nec quidquam homines nisi eo volente et ordinante designant, esse igitur malorum omnium autorem. Vera est illa [pag. 192], quae pridem in scholis obtinuit, et passim celebratur distinctio: malum poenae, non culpae a Deo proficisci, modo dextre intelligatur. Sed imperite quidam, ac si verbulo uno rem, de qua agitur, obruere liceret, hoc ipsum de quo maxime ambigitur, secure praetereunt: quomodo extra culpam sit Deus in eodem opere, quod in Satana et reprobis tam damnat ipse, quam damnandum ab hominibus pronunciat. In eodem enim opere, non diversis, malum utrumque cernitur, ut Deo iustae punitionis laudem, culpam hominibus adscribi necesse sit. Praedones sancti Iob pecora rapiunt. Crudele et indignum est facinus. Satan hoc modo eum ad desperationem sollicitat. Magis detestanda machinatio. Atqui Iob autorem alium praedicat: Dominus dedit, Dominus abstulit. Neque immerito in Deum transfert,[1]) quod non nisi latronibus tribuendum foret. Nam perinde ac si oculis spectasset,[2]) quae in coelesti consessu gesta esse historia[3]) narrat, Dominum abstulisse fatetur per manus latronum, quod nonnisi eius nutu et autoritate ablatum erat. Quod etiam explicat sequentibus verbis: Sicut Domino placuit, ita factum est. Audimus commune esse et Dei et Satanae et latronum opus. Audimus nihil accidisse, nisi quod Domino visum est. Quomodo nunc a culpa eximetur Deus, cuius Satan cum suis organis [pag. 193] reus erit? Nempe si inter hominum facta discrimen a consilio et fine sumitur: ut eius damnetur crudelitas, qui cornicum oculos configit, vel occidit ciconiam, iudicis autem laudetur virtus, qui scelesti hominis caede manus suas sanctificat. Et cur deterior erit Dei conditio, ne sua eum iustitia ab hominum maleficiis separet? Ut propius ad similitudinem accedam: laudabitur princeps, qui iusto et legitimo bello vim, rapinas et latrocinia a suis finibus repellet. Interea multos armabit milites, qui cupide ad fundendum sanguinem, ad diripienda pauperum bona, ad omne licentiae genus grassando, laudem certe non merebuntur. Si duo inter se exercitus praelio confligant: si in duce, cuius auspiciis et iussu commissum est praelium, rectum affectum perspicias, quamvis homo sit mortalis, eum absolves, militibus damnatis, qui manus ad iugulandos homines nefanda mercede locant: et Deum, quia per Satanam operatur, iustitiae suae gloria fraudabis? Ita est scilicet: ut nebulae quas terra exhalat, solis fulgorem obscurant, ne ad hominum usque oculos perveniat, sol tamen nihilominus lucidus manet: ita multa quasi vaporum impedimenta procreat hominum vanitas, quae divinae aequitatis conspectum auferant: ipsa tamen integra et illaesa manet. Quum idem sit opus, pari Deum et impios reatu involvi [pag 194] volunt isti. Verum non sic David, quem quum Semei probris et lapidibus impeteret, non in homine ipso subsistit, sed Dei praeceptum considerat: Dominus, inquit, illi praecepit, ut malediceret (2. Sam. 16, 11). Neque tamen contra Deum insurgit: sed humiliter tergum virgis subiiciens: quis audeat dicere, inquit, quare sic fecisti? Quemadmodum et in Psalmo: Obmutui, quia tu fecisti (Psal. 39, 10). Quem enim piorum non ad silentium protinus adiget Dei maiestas? et cui non laudis confessionem exprimet iustitia? ut in vocem illam erumpat: Sinite maledicere iuxta praeceptum Domini, si forte afflictionem servi sui respiciat ipse Dominus (2. Sam. l. l.).

---

1) une ignorance stupide qui nous fasse fermer les yeux à ce que l'Escriture nous monstre.
2) *Add.* qui soit comme desreiglée.

1) En parlant ainsi il ne veut pas faire tort à Dieu, ne luy imputer la coulpe qui estoit aux brigans.
2) comme un Ange.
3) le Sainct Esprit.

Ergo quum iusta de causa, licet nobis ignota, a Domino procedant quae scelerate ab hominibus maleficia perpetrantur, etiamsi rerum omnium prima causa sit eius voluntas, peccati tamen eum esse autorem nego. Nec vero oblivione tegenda est illa, quam posui, causarum diversitas: quod alia est propinqua, alia autem remota causa: ut sciamus quam longa inter aequabilem Dei providentiam, et turbulentos hominum impetus sit distantia. Turpi quidem et illiberali calumnia nos gravant, qui Deum peccati autorem fieri obtendunt, si omnium, quae aguntur, causa est eius voluntas. Nam quod homo iniuste perpetrat, vel ambitione, vel avaritia, [pag. 195] vel libidine, vel pravo quovis alio affectu incitatus, quum Deus iusto, licet occulto, iudicio, per manum eius faciat, non potest in eum quadrare peccati nomen. Peccatum in homine facit perfidia, crudelitas, superbia, intemperies, invidia, caecus sui amor, prava aliqua cupiditas. In Deo nihil reperies tale. Semei regem suum immani petulantia infestat. Peccatum apparet. Deus tali ministro ad iustam Davidis humiliationem utitur, adeoque tali ferula eum castigat. Quis eum peccati insimulet? Arabes et Sabaei ex aliena substantia praedam rapiunt. Manifestum latrocinii crimen. Deus servi sui patientiam illorum violentia exercet. Emergat potius ex re praesenti heroica illa confessio: Sit nomen Domini benedictum (Iob 1, 21), quam sacrilegae obtrectationes audiantur. Denique, talis Dei est agendi ratio in hominum peccatis, ut quum ad eum ventum est, sua puritate omnem maculam prorsus abstergat.

Atque hic utilis est Augustini [1]) admonitio: in specie consensus magnum esse interdum Deo cum hominibus dissidium: quum bene vult Deus, quod homines male volunt: et bene non vult, quod homines male nolunt: sicut rursum in specie repugnantiae non male conveniunt, quum bene volunt homines quod Deus bene non vult, et bene nolunt, quod Deus bene vult. Optabit filius mortem patris, ut in haereditatem convolet. [pag. 196] Eundem et Deus mori volet. [2]) Voluit Deus Ierosolymam excidi, templum profanari et funditus everti, extremis quibusque tormentis vexari Iudaeos: idem optabant Idumaei. [3]) Diro et truculento homini, qui nemini pepercit, ut eadem illi mensura remetiatur, nolet Deus quidquam opis afferri, quum necessitate urgebitur. Filius omne illi pietatis officium negabit: nec eum sublevare volet. Sanioribus consiliis filios Heli parcere Deus nolebat, quos statutum illi erat perdere (1 Sam. 2, 25). Patrem illi audire noluerunt. Quaedam initio consensus species hic se profert: sed quantum ad bonum vel malum, nihilo minus discordiae, quam inter aquam et ignem. Longiorem uxoris vitam optabit maritus, quam e mundo Deus evocat. Mortem horrebat et deprecabatur Christus quae suavissimi odoris sacrificium erat Deo. Utriusque tamen voluntas, quamvis in speciem diversa, extra culpam est. Non est igitur, quod Deum in societatem criminis quisquam arripiat, quoties inter arcanum eius consilium, et palam vitiosas hominum cupiditates aliqua similitudo se ostendit. Occurrat semper illud Augustini: [1]) Propterea magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius, ut miro et ineffabili modo non fiat praeter eius voluntatem, quod etiam fit contra eius voluntatem: quia non fieret, si non sineret, nec utique [pag. 197] nolens sinit, sed volens.

Atque hinc etiam refellitur eorum vel inscitia, vel improbitas, qui unam et simplicem Dei naturam fore negant, si voluntas illi alia tribuitur, quam quae ab ipso in lege patefacta est. Quaerunt etiam nonnulli per ludibrium, si qua est non revelata [2]) in lege Dei voluntas, quo nomine vocetur. Atqui mente captos esse oportet, quibus nihil significant tot scripturae testimonia, [3]) quae cum admiratione praedicant quam profunda sit iudiciorum Dei abyssus. Certe Paulus quum exclamat: O altitudo! quam inscrutabilia sunt iudicia eius (Rom. 11, 33)! aliud quoddam de Iudaeis fuisse Dei iudicium aperte docet, quam quod exprimitur Christi verbis: Ierusalem, quoties volui congregare pullos tuos? (Matth. 23, 37; Luc. 13, 34.) Et quod filios Heli patri morigeros esse noluit, voluntas illa a legis praecepto differebat, quo iubet filium parentibus obsequentem esse. Denique quoties mirifica Dei consilia et profundas cogitationes praedicat, non de praeceptis loquitur, quae ante oculos patent exposita: sed potius inaccessam illam lucem commendat, in qua reconditum est consilium, quod mentis nostrae captu altius suspicere et adorare cogimur. Dicet quispiam: Si inaccessa lux est: cur ergo accedis? Ego vero non accedo, ut quae procul latere vult Deus proterva curiositate excutiam: sed quod [pag. 198] scriptura pronunciat, certa fide amplexus reverenter suspicio. [4]) Sed quomodo conveniet, Deum perpetuo similem esse sui, ac ne minima quidem obumbratione flexibilem (Iac. 1, 17): et aliud tamen velle quam prae se ferat? Respon-

1) Enchir. ad Laur. cap. 101.
2) *Add.* Il semble bien qu'il y ait accord, où il y a grande repugnance.
3) comme il est escrit au Pseaume (137, 7).

1) Enchir. ad Laur. cap. 100.
2) si qua est non revelata . . . *Sic optime princeps seq. Gallasio et Gallo. Beza male:* Si qua est non est revelata. *Quod Amst. emendavit:* Si qua est quae non est revelata . . .
3) *Add.* et si expres.
4) *Add.* Car ce n'est point à nous d'ignorer à nostre escient ce que Dieu nous a voulu enseigner.

deo, non esse mirum, si Deus cum hominibus loquens ad eorum modulum se attemperet. Quis Deum in visionibus apparuisse dicet, qualis est? Nam is est gloriae eius fulgor, qui omnes nostros sensus nudo sui conspectu absorbeat. Se ergo manifestavit quatenus capere homines poterant. Verum, sive nobiscum balbutit Deus, sive quod nobis novit incomprehensibile esse subticet, in eius tamen sermone quidquam fictum aut simulatum esse nego. Quod habetur in Psalmo (5, 5) verissimum est: quod Deus non sit iniquitatem volens. Nec vero illic per os Davidis testatur aliud quam re ipsa quotidie probat,[1] dum poenam de hominum peccatis sumit. Neque enim puniret, nisi odisset. Ultorem vides: approbatorem non esse, statuendum est. Sed in eo falluntur multi, quod Deum iuste velle non reputant, quae homines peccando faciunt. Quomodo? inquies.[2] Adulteria incestosque coitus abominatur. Quod Absalom patris concubinas coram populo constuprat (2. Sam. 16, 21), an fit Deo nolente? Atqui, hoc se facturum ipse per servum suum Nathan praedixerat: Tollam uxores tuas in oculis tuis: et dabo proximo [pag. 209(*)] tuo, qui dormiet cum illis in conspectu solis huius. Tu fecisti occulte: ego autem coram toto populo, et coram sole facturus sum (ibid. 12, 11). Plena est talibus exemplis scriptura.[3] An ideo vel peccati culpam Deo imputabimus, vel duplicem in eo voluntatem fabricabimus, ut secum ipse dissideat? Verum, sicuti iam ostendi, idem eum velle cum sceleratis et improbis, sed diverso modo: ita nunc tenendum est, quae in speciem diversa sunt, eodem modo eum velle: ut in ista, quae mentibus nostris occurrit,[4] varietate optime temperata sit symphonia. Quatenus immanis adversus patrem impietas, perfida coniugii violatio, foeda etiam ordinis naturae profanatio est Absalomi facinus, displicere Deo certum est, cui placet honestas, pudicitia, fides, modestia, qui legitimum quem praescripsit ordinem coli et integrum servari vult inter homines. Quia tamen illi placet hoc modo adulterium Davidis ulcisci, quae diversa nobis videntur, eodem modo[1] vult. Una enim et simplex est voluntas, qua praecipit quid fieri debeat, et qua legis suae transgressiones ulciscitur.[2] Dictum alibi est peccata esse poenas quas Deus superioribus peccatis rependit. In talibus documentis annon duo nobis consideranda sunt? iustum Dei iudicium quo se peccatum, cui poenam irrogat, testatur odisse: et hominis malitia quae [pag. 210] Dei voluntati palam adversa est. Quod si tam immensus splendor mentis nostrae aciem praestringit, quid mirum? Ad ferendum solis intuitum corporei oculi non sufficiunt: an vel ingenio nostro maior perspicacia, vel Dei maiestas solis fulgore inferior? Nos ergo nimis acutos esse non convenit: modo ne interea, quod scriptura clare docet ac experientia confirmat, vel negemus verum esse, vel tanquam Deo minus consentaneum carpere[3] audeamus. Quum ultimus affulserit dies, inquit Augustinus,[4] tunc in clarissima luce sapientiae videbitur, quod nunc piorum fides habet antequam manifesta cognitione videatur: quam certa et immutabilis et efficacissima[5] sit voluntas Dei, quam multa possit et non velit, nihil autem velit quod non possit.

LAUS DEO.

1) *Add.* par experience.
2) Quomodo? inquies *om. in versione.*
(*) *De hoc numero vide prolegomena.*
3) *Comma hoc abest a gallico exemplari.*
4) qui nous trouble.

1) d'une mesme façon et d'un accord bien convenable.
2) *Add.* Ainsi Dieu ne varie point nullement en cela.
3) donner quelque coup de bec.
4) Enchirid. ad Laurent. cap. 95.
5) vertueuse.

QUATRE SERMONS

DE M. IEHAN CALVIN,

TRAICTANS DES MATIERES FORT UTILES POUR NOSTRE TEMPS,

COMME ON POURRA VEOIR PAR LA PREFACE.

AVEC BRIEFVE EXPOSITION DU PSEAUME LXXXVII.

L'OLIVIER DE ROBERT ESTIENNE.

M. D. LII.

IEHAN CALVIN A TOUS VRAIS CHRESTIENS QUI DESIRENT L'AVANCEMENT DU REGNE DE NOSTRE SEIGNEUR IESUS CHRIST.

Quand vous entendrez pourquoy et à quelle fin i'ay voulu publier ces sermons-ci, et que vous serez advertis de l'argument qu'ils contiennent, vous en sçaurez tant mieulx faire vostre proufit, et les applicquer à tel usage que ie les ay destinez. Combien que i'ay escript par ci devant deux traictez assez amples pour monstrer qu'il n'est pas licite à un Chrestien cognoissant la pure doctrine de l'Evangile, quand il vit en la Papaulté, faire semblant en façon que ce soit de consentir ou adherer aux abus, superstitions et idolatries qui y regnent: toutesfois il y a tous les iours gens qui m'en demandent conseil de nouveau, comme si iamais ie n'en avoye parlé. I'enten aussi qu'il y en a d'autres qui ne cessent d'alleguer leurs replicques et subterfuges contre ce que i'en ay escript. Ainsi pour couper broche tant à ceulx qui s'enquierent de ce qui leur doibt estre assez cogneu et notoire, qu'à ceulx qui se pensent couvrir d'un sac mouillé contre le iugement de Dieu, i'ay pensé qu'il seroit expedient de reveoir et reduire en ordre un sermon que i'avoye faict sur ceste matiere, duquel la somme avoit esté recueillie. Parquoy ce premier sermon contient une remonstrance: quelle lascheté c'est à ceulx ausquels Dieu a donné à cognoistre la verité de son Evangile, de se polluer es abominations des Papistes, lesquelles sont du tout contraires à la religion Chrestienne, veu qu'en ce faisant ils desadvouent, en tant qu'en eulx est, le Fils de Dieu qui les a rachetez.

Or pource qu'il est impossible à un homme Chrestien, habitant soubs la tyrannie de l'Antechrist, de faire droicte et pure confession de sa foy, qu'incontinent il ne soit en danger d'estre persecuté, i'ay adiousté un autre second sermon, pour exhorter tous fideles de priser plus l'honneur et service de Dieu que leur propre vie, et pour les fortifier contre toutes tentations. Et de faict, ce que beaucoup trouvent estrange qu'on ne leur permette point de se deguiser et contrefaire, n'est pas qu'ils ne soyent convaincus que le debvoir des enfans de Dieu est de l'adorer luy seul en rondeur et simplicité, se retirans de toutes pollutions et idolatries: mais c'est pource qu'ils voyent qu'ils ne peuvent faire office de Chrestiens, qu'ils n'enflambent la rage des malings contre eulx. Or ils veulent fuir la croix tant qu'ils peuvent. Moy doncques, voyant que la doctrine d'adorer Dieu purement seroit inutile, sinon que les hommes soyent disposez à mespriser ceste vie fragile et caduque pour cercher le royaume de Dieu et suyvre Iesus Christ à la croix, pour parvenir à la gloire de sa resurrection, i'ay adiousté le sermon second pour exhorter à vertu et constance ceulx qui auiourd'huy sont par trop debiles.

Le troisieme sermon est pour declarer quel thresor c'est d'avoir liberté, non seulement de servir purement à Dieu et faire confession publique de sa foy, mais aussi d'estre en Eglise bien reiglée

et policée, où la parolle de Dieu se presche, et où les sacremens s'administrent comme il appartient: attendu que ce sont les moyens par lesquels les enfans de Dieu se peuvent confermer en la foy, et [f. 3] sont incitez à vivre et mourir en l'obeissance de luy. Or il m'a semblé que cest argument estoit auiourd'huy bien necessaire, pource qu'il y a beaucoup de Chrestiens imaginatifs qui se mocquent de ceulx qui prennent peine de venir en pais estrange et loingtain pour iouir d'une telle liberté.

Mais pour ce que plusieurs sont retenus et empeschez de poursuyvre ce bien que Dieu estime tant, pour le trop grand regard qu'ils ont à leur aise et commoditez: ou bien pour la crainte et doubte qu'ils ont que rien leur defaille: et les autres sont si delicas, que si tout ne leur vient à souhait, ils se plaignent et murmurent, ou mesmes se desbauchent: i'ay adiousté un quatrieme sermon pour remonstrer aux Chrestiens qu'ils doibvent estre munis contre tous scandales, et porter patiemment toutes fascheries qui leur pourront advenir, moyennant que Dieu leur face ceste grace de les entretenir en sa maison. Ainsi la somme du quatrieme sermon est, quand nous avons le privilege d'ouir la parolle de Dieu purement preschée, d'invoquer son nom et user des sacremens, que cela est bien pour recompenser tous les ennuis, troubles et molestes que satan pourra susciter contre nous.

I'ay mis en la fin une briefve exposition du Pseaume octante septieme, laquelle me semble venir à propos; car là il est traicté de la restauration de l'Eglise de Dieu. Or nous en voyons auiourd'huy plusieurs qui se descouragent, la voyans ainsi desolée qu'elle est, comme si elle debvoit du tout perir bientost. Telles gens, et en general tous fideles, trouveront ici dequoy se consoler, voyans l'esperance que Dieu donne de remettre au dessus son Eglise apres avoir esté abbatue pour un temps, et la faire prosperer et florir, apres qu'elle aura esté miserable selon le monde. Ie prie nostre bon Dieu que ie n'aye point travaillé en vain, mais que vous soyez edifiez par mon labeur, selon que ie le desire. De Geneve, ce vingtieme de Septembre M. D. LII.

SERMON AUQUEL TOUS CHRESTIENS SONT EXHORTEZ DE FUIR L'IDOLATRIE EXTERIEURE, SUR LE TROISIEME VERSET DU PSEAULME XVI:

Ie ne communiqueray point à leurs sacrifices de sang, et leurs noms ne passeront point par ma bouche.

Nous avons yci à traicter une doctrine assez claire et facile, moyennant que la pluspart de ceulx qui se disent fideles ne cerchast point ie ne sçay quelles subtilitez pour couvrir son mal. La somme est, qu'apres avoir cogneu le Dieu vivant pour nostre pere, et Iesus Christ pour nostre redempteur, nous debvons dedier corps et ame à celuy qui par sa bonté infinie nous a adoptez pour ses enfans, et mettre peine à faire hommage à ce bon Sauveur de ce qui luy a cousté si cher. Et pourtant, que nous avons non seulement à renoncer à toute infidelité, mais aussi à nous separer de toutes superstitions qui sont contraires tant au service de Dieu qu'à l'honneur de son Fils, et lesquelles ne se peuvent accorder avec la pure doctrine de l'Evangile et la vraye confession de foy. I'ay dict que ceste doctrine est assez facile de soy, et qu'il ne resteroit qu'à la bien practiquer, n'estoit que beaucoup de gens cerchent des petites cautelles pour n'estre point veus coulpables en ce qui est tant et plus condamné par la bouche de Dieu. Cela fait que nous sommes contraincts de nous arrester d'avantage à monstrer ce qui en est, à fin que chascun cognoisse quel est son debvoir, et que nul ne s'abuse, cuidant estre eschappé par se couvrir d'un sac mouillé. Mais pource qu'aucuns pensent que ce soit un argument superflu quant à nous, qui avons, par la grace de Dieu, nos Eglises purgées des infections et idolatries de la Papaulté: devant que passer oultre, il est bon de monstrer que telles gens faillent lourdement. Car en premier lieu, quand il nous est monstré quelle offense c'est de nous polluer avec les idolatres, faisans semblant de consentir ou adherer à leurs impietez, nous sommes advertis de gemir pour nos faultes passées, et en demander pardon à Dieu avec toute humilité, et sur cela recognoistre le bien inestimable qu'il nous a faict, en nous retirant d'une telle fange où nous estions plongez. Car nous ne pouvons pas trop magnifier une telle [f. 5] grace. Et pource que nous ne sçavons pas ce qui nous peut advenir, ni à quoy Dieu nous reserve, il est bon que nous soyons premunis d'heure, à fin qu'en quelque lieu que nous venions, ou de quelques tentations que nous soyons assaillis, nous ne declinions point de la pure parolle de Dieu. Il y en peut avoir plusieurs en la compagnie qui ont à faire voyages au pais des Papistes. Ceulx-là, estans au combat, ont besoing d'estre armez. D'autre part, si Dieu nous donne auiourd'huy liberté de le servir purement, nous ne sçavons pour combien c'est. Prenons donc le temps auquel nous sommes en repos, non pas comme s'il nous debvoit tousiours durer, mais comme une treve en laquelle Dieu nous donne loisir de nous fortifier, à fin qu'estans appelez à faire confession de nostre foy, nous n'y soyons point nouveaux par faulte d'y avoir pensé en temps opportun. Cependant, nous avons aussi à penser à nos povres freres qui sont soubs la tyrannie de l'Antechrist, à fin d'avoir pitié d'eulx, et prier Dieu qu'il les fortifie en telle constance qu'il la demande par sa parolle. Puis aussi nous avons à les solliciter, à fin qu'ils ne s'endorment et ne se flatent point, mais plustost qu'ayans cogneu leur debvoir, ils s'efforcent à donner gloire à Dieu. Car ce n'est pas seulement pour nous que nous sommes enseignez, mais à fin que chascun, selon la mesure de sa foy, departisse à ses prochains de ce qui luy a esté monstré en l'eschole de Dieu. Nous voyons doncques qu'il est utile, voire necessaire tant pour nous que pour nos freres, que la memoire de ceste doctrine nous soit souvent refreschie. Et sur tout quand le texte que nous

3) *Haec in gallico sic leguntur expressa:* I'ay faict ce recit à fin que chacun cognoisse que ç'a esté plustost par modestie que par crainte que ie me suis deporté durant la vie de Servet d'inventer nulle dispute contre luy, attendu mesmes que la cause estoit assez favorable. Et de faict toutes gens menez de droicte affection en iugeront ainsi: comme à la verité il n'avoit ny savoir ny eloquence qui m'estonnast que ie craignisse de le rembarrer, veu que ie n'ay point faict difficulté iusques icy de m'opposer constamment à tous ennemis de la verité quelques habiles qu'ils fussent et qu'on les estimast. Qui plus est, pour maintenir la gloire de nostre seigneur Iesus, i'ay hardiment assailly tous ceux qui se levoyent contre la pure doctrine de l'Evangile. Plustost ce qui m'a empesché iusques icy a esté la crainte que les mesdisans ne trouvassent que n'abbayoye sinon à combatre. Car voila le salaire que i'en reçoy de beaucoup de malins quand ie soustien les assaux pour maintenir toute la Chrestienté.

me non venditavi, modestiae, non timiditati tribuent aequi et candidi iudices. Nec vero mihi adeo formidabilis fuit Serveti eloquentia, ut ego eius metu prohibitus, in ipso reprimendo obmutuerim, qui longe robustiores pro asserenda Christi causa saepius lacessere non sum veritus. Quin potius timui, ne si argumentum illud serio tractandum susciperem, malevoli forte aliqui obstreperent, me pugnandi nimis esse cupidum. Nunc vero quum mortui hominis reliquiae pestiferum foetorem spirent, quisquis malum, ne longius serpat, remedio arceri indignabitur, improbum se et crudelem ostendet. Quam praepostera, obsecro, ista est humanitas, ut silentio tegatur unius hominis dedecus, Satanae aucupiis mille animas prostitui? Utinam sepulti essent Serveti errores. Sed dum eos volitare audio, tacere sine perfidiae culpa non licet.

Quanquam non tam huius lucubrationis, quam inflictae homini poenae reddenda ratio est. Nam quidquid a Senatu nostro actum est, mihi passim adscribitur. [1]) Nec sane dissimulo, mea opera consilioque iure [pag. 8] in carcerem fuisse coniectum. Quia recepto huius civitatis iure, criminis reum peragere oportuit: [2]) causam huc usque me esse prosequutum fateor. Ex quo convictus est, me nullum de poena verbum fecisse, non solum boni omnes viri mihi testes erunt sed malis etiam concedo ut proferant si quid habent. Sed quatenus progressus sim non tanti interest, ut publico libro calumnia quam mihi aspergunt vel turbulenti homines, vel maligni, vel stolidi et ebriosi, purgetur. Alia (ut video) causa nunc agenda est:

AN CHRISTIANIS IUDICIBUS HAERETICOS PUNIRE LICEAT.*)

Atque ut hic mihi cum duobus hominum generibus negotium est, ita distincte utrosque ut merentur tractabo. Multi hodie sunt turbulenti homines, quibus si liberum foret quidquid intus conceptum habent effutire, nihil non pro effraeni sua audacia convellerent. Istis non mirum est si tantopere arridet impunitas, licentiae mater. Facile etiam subscribunt Epicurei omnes ac Lucianici, quorum [3]) voluptati hoc unum deest, quod quae inter se clanculum et aenigmatice sacrilegia obmurmurant, pleno ore crepare non audent. Denique quotquot poenae

1) *Add.* par beaucoup d'ignorans.
2) il falloit que quelqu'un se feist partie: ie confesse que l'homme qui demanda iustice contre luy le feit à mon adveu.
*) ***In gallico haec non rubrica est sed ipsius orationis pars:*** Ainsi ie croy qu'il vaudra mieux traicter en general s'il est licite aux Princes et iuges Chrestiens de punir les heretiques.
3) quum *Beza et Amst.*

metu magis quam pudore a male scribendo cohibentur, indigna tyrannide ecclesiam opprimi contendunt, nisi cuique liberum sit, quae placuerint in lucem proferre. Ex eorum numero ipse quoque Servetus fuit, qui indomitam suam proterviam ullis habenis constringi indigne ferens, negabat in causis religionis aliquem esse gladii usum. Quanquam hac in parte homo vertiginosus turpiter secum ipse dissidet. Nam ex triginta epistolis, quas velut ad me scriptas in publicum edidit, vigesima septima hanc quaestionem continet: [pag. 9] liceatne christianis principibus scelera morte punire. Sententiam dicturus ita praefatur: Optimus ille ordo est quem docet intus spiritus: qui et reluctantem carnem cohibere docet. Sed numquid occidere? Veritas Dei est, rigidum illud ad mortem iudicium per Christum esse remissum, ubi spes est correctionis. Hinc adulterae dixit: Vade, et posthac ne peccaveris. Et alibi adiecit: Ne quid deterius tibi contingat. Sicut iudex ille supremus nos corrigit, et monet antequam occidat: ita alii iudices facere debent. Illud verum est, quod correctione non exspectata Ananiam et Sapphiram occidit Petrus, ibi morituros praedicens in criminis detestationem et aliorum exemplum. Aut certe quia spiritus sanctus tunc maxime vigens, quem spreverant docebat esse incorrigibiles in malitia obstinatos. Hoc crimen est morte simpliciter dignum et apud Deum et apud homines. In aliis autem criminibus, ubi spiritus sanctus speciale quid non docet, ubi non est inveterata malitia, aut obstinatio certa non apparet, aut atrocitas magna, correctionem per alias castigationes magis sperare debemus, quam mortem inferre. Inter correctiones exsilium laudamus, Christo ita probatum, ut excommunicatio probatur in ecclesia. Schismata et haereses ita initio puniebantur, durante apostolicae traditionis vestigio. Qui extra fidei negotium sunt facinorosi, iure omnium gentium puniuntur: quod etiam ius naturale est. Hoc Christus non negavit: sicut haereditatem dividere recusans, non negavit esse qui haereditates dividerent. [1])

Primum negat, occidere ex spiritus doctrina proficisci. Deinde mortale iudicium Christi adventu remissum esse, [pag. 10] ubi spes est correctionis. Paulo post fatetur, extra fidei negotium de sceleratis capitale supplicium iuste sumi: neque magis impediri tales poenas Christi adventu, quam ius familiae herciscundae. [2]) Et me scilicet Iudaeum appellat, quia iuris rigorem intactum relinquo. Ego autem non vereor ne mihi probro vertant sani lectores, si abrogare, quod a Deo sancitum esse constat, ausus non fuerim. Quid autem ipse? Chri-

1) *Add.* Voila les propres mots de Servet.
2) que tout le reste de la police.

stus capitaliter, inquit, puniri non vult, nisi qui se desperatos ostendunt. Unde probatur? Quia adulterae dixit: Vade, et posthac ne pecces. Atqui dum vindictam de adulterio non sumit, an sequitur adulteriis impunitatem ab eo dari? Certe nihilo magis poenam lege sancitam abolet, quam haereditates negat esse dividendas, quum iudex vel arbiter esse renuit.[1]) Altera ratio: spiritus carnem cohibere docet, non occidere. Dicas non legisse tres scripturae paginas: ubi non cohibitio, sed mortificatio carnis toties praecipitur. Caeterum,[2]) quid hoc ad forenses poenas, quarum privatis hominibus exsequutio non mandatur? De carne vero mortificanda, generalis est praeceptio, et quae ad singulos pertinet. Alia ratio: Coelestis iudex imitandus est, qui poenam non infligit nisi desperatis. Iam hoc quidem nimis absurde, quod Deum nunc fingit sui dissimilem, qui paternae castigationis loco quosdam ex suis olim terrena vita privavit. Sed quoniam Manichaeis[3]) (ut alibi clare videbimus) se affinem esse non dissimulat, ex veteri testamento exempla non adducam. Paulum obiiciam (1. Cor. 11, 30): qui postquam testatus est, multos Corinthi ob sacrae coenae neglectum mortuos esse, continuo post solatium addit, fideles a Domino corripi, ne [pag. 11] cum hoc mundo damnentur. Si quis excipiat ab ultimo interitu liberari, quos Dominus a mundo tollit: hoc idem volo, iure interdum privari corporali vita, qui non prorsus reprobi sunt. Iam in morte Ananiae quam inepte cavilletur, persequi nihil opus est. Tantum duo ista inter se conferant sani et sobrii lectores: in aliis criminibus, ubi incorrigibilis malitia nondum apparet, aut atrocitas magna, et spiritus sanctus speciale quid non docet, tentandas esse magis castigationes quae ad poenitentiam adducant, quam mortem inferendam: rursus qui extra fidei negotium scelerati sunt, iure gentium puniri: cui nullum obstaculum ponit Christi doctrina. Miri vero artifices erunt Serveti discipuli, si res inter se adeo contrarias abolito naturae ordine concilient. Ad haec, unde inter fidei violationem, et alia maleficia discrimen nisi ex cerebro suo sumpsit?[4]) Si vult Christi adventu mitigatum esse contra haereses rigorem, testimonium proferat. Verum non minus secure loquutus est, quam si pepigisset cum mundo, fidem suis somniis habendam esse.

Prodit alter fanaticus ex suo antro,[1]) qui Servetum vocat optimum suum fratrem: et ideo puniendos esse negat haereticos, quia sacris oraculis sensum quisque suo arbitrio affingat: ut certa veritas quasi nubibus obvoluta lateat. Ita bonus interpres fidem ex hominum cordibus delere mavult, quam poenis subiicere qui eam labefactant. Qualis enim exstabit religio, quibus notis discernetur vera ecclesia, quid denique erit Christus ipse, si incerta sit ac suspensa pietatis doctrina? Quantum vero Dei probrum, si ita flexiloquus censetur in suis oraculis ut nobis iocose illudat?[2]) Atqui nisi certa religio prodita sit in scripturis, sequitur, nos ambagibus,[3]) imo fallaciis [pag. 12] ab ipso frustra occupari. Quid superest, nisi ut eiusmodi homines viam petulantiae suae facturi, scripturam, quae obstaculo est, penitus submoveant? Interea verum esse quod nuper dixi, apparet, tum Lucianicos et crassos Dei contemptores, tum etiam omnes tumultuosos suam causam agere, ut omnia impune perturbent, dum religionem tuendam a principibus suscipi et legum poenis vindicari nolunt.[4])

Sed iam ad bonos et simplices me converto: qui inscitia quidem labuntur, praecipue tamen tyrannicis papistarum edictis offensi e recto iudicio declinant.[5]) Vident, quum impie sub papatu foedata sit religio, et corruptelis innumeris referta, meris terroribus diabolicam illam confusionem fulciri, ut contra vel syllabam unam mussitare capitale sit.[6]) Iusta sane offensio: veritatem Dei cernere ferro et ignibus oppressam, ut nemo eam suo patrocinio iuvare audeat: errores vero legitimi iudicii praetextu violenter septos, ut coarguendi nulla sit libertas. Atque haec querimonia piis omnibus communis est. Itaque non taciti solum gemimus: sed clara voce deflemus, eo servitutis redactum esse miserum orbem, ut nec ulla disceptatio locum habeat, nec qui praesulum nomine dominantur vocem aliquam suis placitis dissonam admittant, nec denique dubitare vel inquirere permittant. Barbaries est non ferenda, ubi nulla viget cognitio, posses-

1) *Add.* Et Servet, comme on a veu, se coppe la gorge trois lignes apres en sa confession propre.

2) Or ie confesse que cela ne doit point estre entendu de la mort corporelle: mais c'est pour monstrer l'asnerie de l'homme qui tire à la iurisdiction des Magistrats ce qui est dit de l'exercice spirituel que chacun Chrestien doit avoir en sa personne privée.

3) *Add.* lesquels disoyent qu'il y a eu un autre Dieu sous la Loy que celuy qui est auiourdhuy.

4) *Add.* Car telle diversité ne se trouvera pas en l'Escriture, qu'on doive faire meilleur marché des iniures faictes à Dieu, que de celles qui attouchent les hommes.

1) *Add.* qui contrefait le philosophe.

2) *Add.* leur tenant le bec en l'eau.

3) comme s'il nous parloit de cocquecigrues.

4) *Add.* pretendans d'avoir congé de troubler tout le monde sans en estre repris, ne qu'on leur face sentir qu'ils font mal.

5) *Add.* Et de faict les ennemis de Dieu sont si exorbitans à maintenir leurs faussetez diaboliques, que cela peut troubler le iugement de ceux qui ne regardent point plus loin.

6) ils en sont tellement scandalisez que cela leur fait hayr et avoir en horreur toutes punitions, sans discerner si elles sont iustes ou non.

sionem nullo iure nec ratione munitam gladio tueri.[1]) Verum quum sanctos Dei prophetas et apostolos olim similis premeret iniquitas, non negarunt quin Dei cultum et coelestem eius doctrinam fas esset legitima potestate defendi, ut de impiis eius eversoribus [pag. 13] poena divinitus praescripta sumeretur. Severum certe, ut postea videbimus, iudicium Deus in eos constituerat qui populum tentassent a vera religione abducere. A sceleratis tyrannis Ieremias ad capitale supplicium tractus, et in foveam proiectus, ad hoc asylum minime confugit, cultum Dei non esse gladio vindicandum: sed diversa exceptione utitur, poenam daturos veritatis hostes, ubi innoxium sanguinem fuderint. Quid apostoli? an expostulant cum adversariis quod religionem ex legis mandato poenis defendant? Imo sola causae bonitate freti nullam severitatem refugiunt, si quid peccasse deprehensi fuerint. Hilarium quidem longius provehi fateor. Queritur enim ecclesiam carceribus et exsiliis terrere, atque ita cogere ad credendum, quae exsiliis et carceribus est credita: nimis propensam esse ad dignitatem faventium, quae persequentium terrore consecrata est: fugare sacerdotes, quae sacerdotibus fugatis est propagata: gloriari mundi favore, quae Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset. Sed illi Auxentii[2]) et similium ferocitas stomachum movit, ut praesentem magis indignitatem carperet (sicuti plausibile illi dabatur argumentum) quam perpetuam tuendae fidei rationem expenderet.[3]) Nam quod inopem suae virtutis Christum argui causatur, dum fidem terrena suffragia commendant: non debet in eam partem trahi, quasi evangelii certitudini quidquam deroget credentium autoritas, vel religio vilescat, regum patrocinio adiuta: sed in eos tantum querimonia dirigitur, qui Dei verbo destituti, manu armata perversos errores sustinebant. Idem hodie deflere licet, statum papalis ecclesiae nonnisi [pag. 14] vi et caedibus suffultum esse, omisso pastorum officio, tyrannicis solum edictis fulminare, qui se praesulum titulo venditant: quum vera et genuina Christi ecclesia ex persequutionibus orta sub iisdem floruerit. Verum non obstant persequutorum gladii, quominus suis sceptris pii magistratus ecclesiam, quae iniuste afflicta olim fuit, tueantur: nec martyrum cruces impediunt quominus iusto legum praesidio ad Deum tranquille colendum fideles iuventur. Prudenter enim Augustinus: Imperatores, inquit,[4]) si in errore essent, quod absit, pro errore suo contra veritatem leges darent, per quas iusti et probarentur et coronarentur, non faciendo quod illi iuberent, quia Deus prohiberet: sicut iusserat Nabuchadnesar ut aurea statua adoraretur, quod qui facere noluerunt Deo prohibenti placuerunt. Quando autem imperatores veritatem tenent, pro ipsa contra errorem iubent: quod quisquis contempserit, iudicium sibi accersit: nam et inter homines poenas luit, et coram Deo sortem non habet qui hoc facere noluit quod ipsa veritas per cor regis iussit: sicut ipse Nabuchadnesar postea miraculo commotus atque mutatus, pro veritate contra errorem edictum proposuit. Et sane quod in religione conspicimus, idem et de eius tuendae zelo sentiendum est. Qui regulam ex puro Dei verbo petunt, rite et ordine ab illis religio colitur. Si quis sibi cultum fabricat pro arbitrio, vel fortuito quod ab aliis temere commentum est arripit, quo magis sataget, eo se maiore reatu constringet: quia nihil laudis meretur superstitio. Sic verus et legitimus Dei cultor, quatenus feret eius vocatio, pro fidei suae defensione pugnabit. Incredulos caeca rabies abripiet. [pag. 15] Ita in papistis stultum et scientia vacuum zelum qui eos praecipitat merito damnamus: non minus scilicet quam insanas superstitiones, quibus fascinati superbe Dei verbum conculcant. Si praeposteri zeli vitium ex ignorantia manat: cur non laudabilis erit ille zelus qui non fortuito raptat Dei filios, sed qui ad fidem, quae illis solide testata est, asserendam inflammat? Denique sicut inter martyres et blasphemos, in poenae similitudine, culpa tamen discrimen statuit: sic pios et rectos zelotas cognitio, iniquos et perversos temeritas et caecus impulsus facit. Trahetur ad supplicium qui figmentum esse contendet quidquid sacris oraculis proditum est. Quis tale monstrum honorifico martyris titulo ausit ornare? Nempe, ut recte idem Augustinus definit,[1]) martyrem facit causa: non poena. Si non ille martyr: cur severus iudex non censebitur qui de eo poenam sumit, potius quam crudelis persequutor? Ergo hic tenenda est prudentia et moderatio, ne vel pro causa incognita tumultuose efferveant principes, vel immani saevitia ad sanguinem fundendum ruant. Veteri proverbio audax inscitia vocata est: superstitionis vero mira est tam audacia quam crudelitas. Itaque videmus nihil hypocritis, quum suae inscitiae et erroribus secure indormiant, magis esse sanguinarium. Nec vero fieri aliter potest, quin patris sui ingenium referant increduli omnes, qui et homicida fuit ab initio, et mendacii pater (Ioh. 8, 44). Veris autem Dei cultoribus ab utroque vitio cavendum: ne vel

1) *Add.* Mais quoy? Si les Papistes sont ainsi excessifs en tyrannie ce n'est pas à dire pourtant que toute severité soit à condamner.
2) *Add.* Evesque de Milan.
3) *Add.* Ainsi il s'attache plus aux personnes et à leurs excez qu'il ne regarde à ce qu'on doit suivre et ce qui est bon de soy, quand il n'y auroit nul abus.
4) Epist. 166 ad Donatistas.

1) Epist. 167 ad Festum. Idem ad Dulcitium, Epist. 61.

eius [1]) incognitae patrocinium temere arripiant, vel ad severitatem intemperanter ferantur. Nam si in terrenis causis omnium probris merito traducitur [pag. 16] iudicis socordia, qui ex aliorum opinione, ignarus ipse totius rei, sententiam fert: quanto minus ferendi sunt qui in causa pietatis inquisitionem, quae privatis etiam quibusque praecipitur, supino fastidio negligunt? [2]) Itaque detestabilis est illa quae in papatu dominatur barbaries: nec vero horribile Dei iudicium effugiet. Adsunt parati martyres ad reddendam omnium rationem, si liceat. Adeo nulla ex verbo Dei conceditur defensio, ut actionis principium sit, nullam disceptationem admittere. Itaque ansa rationibus praecisa, miseros homines non auditos excarnificant diris tormentis: postea linguis exsectis ad ignem extrudunt, non qui sua flamma eos statim absumat, sed lenta ustulatione conficiat, quo se mori sentiant, ut dicebat tyrannus ille. Exemplar sane illud est tum belluini stuporis, tum immanis saevitiae. Recteque etiam in hac parte Augustinus: Si terreantur, inquit, [3]) et non doceantur, improba quasi dominatio videbitur. Sed rursus si doceantur et non terrentur, vetustate consuetudinis obdurati ad capessendam viam salutis pigrius surgent. De convictis haereticis loquitur, [4]) qui superba tantum morositate inducti discessionem ab ecclesia fecerant. Quid ergo dicturum fuisse putamus, si pios et simplices unius Dei cultores crudeliter vidisset hac tantum causa ustulari, quia hominum figmentis clarum Dei verbum opponerent? Neque enim papae incendiariis tantopere saeviendi alia est ratio, nisi quod fictitiis suis legibus quidquam derogari non sustinent. Sed eos suppressa doctrinae luce, tam impotenter furere mirum non est, quorum dominatio in confusis verbi Dei ruinis fundata est, [pag. 17] et quibus spes victoriae nonnisi in tenebris sita. Longe aliter ecclesia Dei, quae, ut fidei suae confessionem ex ore Dei petit, ita ad eandem regulam, ne praepostere feratur, zelum suum temperat. Nobis igitur quin servanda sit exacta tum prudentia, tum mansuetudo, nulla dubitatio est: deinde quin iudicio praeire debeat placida et religiosa doctrinae cognitio. Sed hoc minime obstaculo est quin magistratus officium sit, gladio et poenis coercere, qui, quum ipsi sint apostatae a recta fide, alios ad defectionem sollicitant, et in Deum contumeliosi miseras animas illaqueant suis fallaciis, pacem conturbant ecclesiae, et pietatis consensum scindunt ac lacerant.

Quas tamen obtendant rationes imperiti sed non mali homines, quibus tanto sceleri danda videtur impunitas, breviter videndum est. Regnum suum, inquiunt, manu et armis constitui Dominus non voluit, sed spirituali evangelii gladio: et suos hortatus est, ut parati essent proprium sanguinem fundere: ut alienum funderent, nusquam praecepit: apostolos tanquam agnos in medium luporum emisit, non instruxit carnis potentia. Atqui si contra excipiam, nusquam Dominum suis mandasse ut furta, rapinas, adulteria, caedes, veneficia puniant, ideoque impune ferenda esse haec omnia, quid dicturi sunt? Concedentne laxandas esse habenas sceleratis, ac non potius dicent, non obstare, quae singulis praecipitur, tolerantiam, quominus vigeant legum sanctiones? Verum quidem esse fateor, neque vi armata erectum ab initio fuisse Christi regnum, neque armorum praesidio stare. Evangelii enim praedicatione regnare Christum oportet, ut impleatur [pag. 18] vaticinium illud: Populus quem non noveram mihi subiectus fuit, ad auditum auris obedivit mihi (Psal. 18, 45). Itaque Dominus, quo illustrior esset vocis suae efficacia, nudos et inermes misit apostolos: nec modo destitui voluit terrena potentia, sed totum fere mundum habere infestum, ut coelestem esse evangelii victoriam omnibus constaret, dum instar palmae contra tot tamque ardua obstacula emersit. Nec vero aliter hac aetate quam invito et reluctante mundo vel denuo surrexit vel adhuc floret. Sua igitur virtute, non hominum manu sustinetur religio. Nec frustra evangelii ministros patientia magis armat Christus, quam bellandi facultate: quia sic animatos esse convenit, ut quam lingua asserunt doctrinam, proprio sanguine, quoties opus fuerit, obsignare non dubitent. Primum verae sanaeque doctrinae plerumque adversantur mundi principes. Deinde multos, quibus ad breve tempus arrisit, suo rigore exasperat. Pauci sunt qui ferendo iugo cervicem libenter submittant: et quemadmodum delitias sibi ipsi faciunt, ita doctores appetunt blandos et mellitos, qui serviliter adulentur. Iam videmus quam non aequalis sit principum successio, sed bene compositum a patre ecclesiae statum filius quasi violenta procella repente subvertat.

Atqui evangelii ministros minime ad quamlibet auram flexibiles nutare decet: verum quocunque inclinent hominum animi, et quamlibet dissimilis sit temporum conditio, rectum cursum tenere, ne aeterna et immutabilis Dei veritas, quae apud eos deposita est, perfida eorum ignavia concidat. Sic veteres prophetas, licet propitiis interdum regibus usi sint, eorumque praesidio [pag. 19] adiuti, videmus tamen variis subinde tempestatibus fuisse iac-

1) *Sic libri editi. Gallus bene:* d'une cause.
2) *Add.* Qui plus est, veu que Dieu commande estroictement à chacun particulier de cercher sa verité pour estre certain et resolu de sa foy: ceux qui ont à prononcer sentence en authorité publique seront ils à excuser quand ils n'auront tenu compte destre bien resolus en ce qu'ils font?
3) ad Vincent. Epist. 48.
4) *Gallus expresse Donatistas nominat.*

tatos: ut negari non possit, omnes sub crucis Christi vexillo militasse. Hoc certe saeculis omnibus commune est, hominibus non placere quicunque fideliter Christo serviunt. Absurdum esse obiiciunt,[1]) spirituale Christi regnum carnis potentia subniti. Nempe ut fidem absurdum est in humana eloquentia fundatam esse. Nunc si quis obmutescere iubeat quicunque diserti sunt, doctos omnes et liberalibus artibus politos a suggestu prohibeat, neminem acuto et felici ingenio praeditum admittat ad docendi munus, ne fidem exinaniant eloquentia et paulo subtilior agendi dexteritas, nonne apertam Deo eiusque donis iniuriam faciet? Stultescere quidem iubet Paulus (1. Cor. 3, 18) quicunque sapere videntur, ut Christi discipuli fiant: nempe ut sapientia carnis in ordinem coacta emineat sola fides. Quod si nulla ratio impedit quo minus evangelii praedicatio arcana tantum spiritus virtute sit efficax, et pedissequas[2]) tamen habere possit humanas artes: ita nec religio, tametsi sola Dei manu continetur, et sub cruce triumphat, a legitimis tamen subsidiis,[3]) ut ita visum est Deo, non abhorret. Quae stulta sunt mundi elegit Deus ut sapientes confunderet (1. Cor. 1, 27). Verum, qui a piscatoribus exordium fecit, postea alios sibi delegit ministros, neque ita rudes,[4]) et elegantiori doctrina tinctos. Quin etiam Paulus ipse, qui se facundia destitui fatetur, non omnis doctrinae expers, ut alii eius collegae, sed a puero in lege eruditus fuerat. Ut autem de successoribus taceam,[5]) Iesaiae sermo non modo purus et nitidus, sed etiam artificio ornatus satis testatur eloquentiam fidei interdum ministram [pag. 20] esse. Et certe Christus non minus stellae radiis magos ad se deduxit, quam pastores angeli voce. Quare nec rude obscurumque vulgus, ex quo sumpsit Christus ecclesiae primitias, viam regibus praeclusit quin ipsi quoque et se et sua omnia ei[6]) offerrent, et ipsa etiam gladii potestas, qua instructi sunt, sacra esset oblatio. Nunc videmus ut ad ferendam crucem, ad odia probraque mundi subeunda paratos esse oporteat evangelii ministros, sicuti non aliis quam patientiae armis Dominus eos instruxit: et tamen iubeantur reges pietatis doctrinam suo patrocinio tueri. Adeoque in ipsis principibus utriusque officii documentum Christus interdum proponit. Illustrissimus Saxoniae Elector Iohannes,[1]) quum a carnificis manu non procul abesset, constanter et intrepide ad obeundam pro fidei suae confessione mortem paratum se ac voluntarium ostendit.[2]) Idem nunc, si quis impius apostata in eius ditione purum Dei cultum evertere conetur, non dubitabit strenuus regni Christi esse defensor.

Obiiciunt deinde, nihil minus esse consentaneum quam ut ad fidem, quae propensa obedientia constat, violenter cogantur homines. Ego, ut omittam quae vere et scite in hanc sententiam disputat Augustinus,[3]) utiliter scilicet invitos trahi, qui Deo reluctantur, ut castigatione subacti sponte accedant: respondeo in tuendo ecclesiae statu alium esse gladii usum quam ut ad fidem quis cogatur. Nam ut demus in principum manu et arbitrio non esse, edictis suis penetrare in hominum corda, ut obedienter salutis doctrinam amplexi Deo se subiiciant, hoc tamen postulat eorum vocatio, ne [pag. 21] impuris ac petulantibus linguis lacerare permittant sacrum Dei nomen, eiusque cultum pessumdari sinant. Privatus homo qui vitae et mortis potestatem non habet, si domum cui praeest sacrilegiis pollui sinat, culpa non vacabit: quanto foedior erit principis ignavia, si ad effraenem pietatis violationem conniveat? Sedebit[4]) scilicet iudex in sublimi ac magnifico solio, et Christi gloriam probrose deiici tacitus feret, et imperium sibi poenarum metu asserens, licentiam improbis dissipandae ecclesiae concedet? Ergo pietatis doctrinae vindices erunt pii magistratus, non solum ut ad fidem cogant minus voluntarios, sed ne ab ea ditione exsulet Christus in qua eius beneficio regnant: ne ludibriis impune subiaceat sacrum eius nomen, cuius splendore honorifica est eorum potestas: ne contra eius doctrinam proterviant impii, qui tranquillum eorum imperium continet: ne infirmos, quibus divinitus praefecti sunt custodes, in exitium rapi, silentes et quieti videant.

Obtendunt praeterea, Christi discipulis colendam esse mansuetudinem, quae in magistro apparuit. Neque enim armis, inquiunt, praefractos compulit in suum obsequium: sed doctrina omnes blande

1) *Add.* les bonnes gens contre lesquels ie dispute.
2) chambrieres pour l'accompagner.
3) soit aidée par les hommes, et ayt quelque support de leur authorité.
4) *Add.* et idiots.
5) Nous savons quels successeurs sont depuis survenus, à savoir gens lettrez et polis en doctrines humaines. Mais encore que nous n'en facions nulle mention *etc.*
6) au Roy souverain qui doit dominer sur les grans et sur les petis.

1) Iehan Frederic.
2) *Add.* et quand on luy apporta le message qu'il estoit condamné il ne se feignit non plus à presenter sa teste que si on l'eust convié à une chose douce et amiable. Maintenant, que Dieu par sa bonté l'a delivré, il ne fera non plus de difficulté *etc.* . . . . sachant que la perfection de l'honneur de Dieu luy est commise.
3) Ad Bonifacium Epist. 50, et aliis locis.
4) Il fera beau veoir qu'un homme mortel soit assis sur un haut throsne et magnifique, et qu'il dissimule que la maiesté de I. C. son souverain Seigneur et duquel il tient toute sa dignité, soit foullée aux pieds. Item qu'en punissant ceux qui voudroyent troubler ou amoindrir sa iurisdiction, il donne licence *etc.*

allicere tentavit, ut illud impleret Iesaiae vaticinium (42, 3): Ecce servus meus non rixabitur, neque contendet, neque in plateis audietur eius clamor: calamum quassatum non confringet, et ellychnium fumigans non exstinguet. Quasi vero nobis contraria exceptio non sit in promptu, ut doctoris officio functus est Christus, ita arreptum fuisse ab eo flagellum quo templum Dei a profana nundinatione purgaret (Matth. 21, 12). Si impetu profligavit filius Dei, qui divini cultus praetextu [pag. 22] hostias in atrio templi vendebant, cur[1]) gladium sibi divinitus commissum non exserent pii magistratus ad coercendos perfidos apostatas, qui totum Dei templum aperta contumelia profanant ac violant? Ac unum quidem huius sancti zeli specimen edidit Christus. In reliquo autem vocationis suae cursu ab externo correctionis genere abstinuit, ne spirituale regnum sibi a patre commissum terrenis imperiis misceret. Nam qui haereditatis inter fratres herciscundae arbiter esse renuit, suum tamen ius cuique servari vult a piis iudicibus. Ad haec distincte notat Iesaiae vaticinium, non ad omnes promiscue spectare quam commendat in Christo mansuetudinem. Placida Christo mitisque suavitas tribuitur, qua infirmos sustineat, non qua robustam malitiam magis obduret. Mansuetus est Christus, ut calamum quassatum non confringat: an ideo quoque ut eorum obstinationem foveat, qui debiles confringunt? Mansuetus est ut parcat ellychniis fumigantibus: an ideo ut tenebras non discutiat? Quin potius sceptro ferreo armatur, quo inimicorum capita conterat (Psal. 2, 9). Scio equidem, ut non alio quam verbi gladio utatur Christus, promptam illi esse vindictam in omnes impios: sed non dicemus alio quam eius spiritu actum fuisse Petrum, quum Ananiam et Sapphiram subita morte percussit (Act. 5, 1 seqq.): nec Paulum dicemus fuisse magistro dissimilem, quum Elymam magum caecitate ultus est (Act. 13, 11). Nec video quorsum pertineant potentiae, quas inter spiritus dona commemorat idem Paulus (1. Cor. 12, 10), nisi ut ad incutiendum contemptoribus terrorem vigeret spiritus severitas. Ergo verbi ministris licuit corporali poena coercere impios: principes, [pag. 23] quorum proprium est munus gladio tueri sanctum ordinem, in fidei dissipatione cessabunt?[2]) Porro crudelis est ista quam laudant clementia, oves exponere in praedam ut lupis parcatur. Animas ipsi pravorum dogmatum veneno interficiunt, et legitima gladii potestas ab ipsorum corporibus arcebitur? lacerabitur totum Christi corpus, ut putridi unius membri intactus maneat foetor? Equidem ut moderate agant principes, a piis doctoribus monendos hortandosque esse fateor: et medicorum instar vim ultimam non adhibeant nisi desperatis morbis: sed a dissoluta mollitie, quae nihil aliud est quam mali fomentum, multum differt lenis humanaque medendi ratio.

Adducunt etiam quaedam scripturae testimonia. In quibus unum videtur habere aliquid coloris. Sinite, inquit Christus (Matth. 13, 29), zizania cum tritico crescere, ne simul evellatur et triticum. Si praecise nobiscum agunt ex verborum formula, non tantum prohibentur magistratus ab usu gladii, sed omnem disciplinam e medio tolli oportet. Excommunicatio purgandae ecclesiae optimum est remedium: atqui locum non habebit, si zizania attingere fas non est. Adde quod non tantum de perversis dogmatibus illic Dominus agit, sed quascunque corruptelas ad vitiandum bonum semen spargit Satan in genere designat. Facessant igitur leges et iudicia,[1]) si relinqui zizania oportet usque ad messem. Atqui sanis lectoribus minime ambiguum est Christi consilium. Quemadmodum enim alibi ecclesiam areae similem facit, in qua paleae permixtum est triticum, et sagenae in quam pariter boni et mali pisces aggregantur: ita nunc agro eam comparat, qui lolium una cum bona semente ferre et alere cogitur [pag. 24]. Inde enim zeli intemperies nimis acribus ingeniis, quod indignum esse putant sordibus inquinari Dei sanctuarium: sponsam Christi, quam sanguine suo mundavit, et in qua lucere Dei gloria debet, foedis maculis esse aspersam. Atqui Dominus ut nos humiliet, ut probet nostram constantiam, ut nos ad cavendum sollicitet, ecclesiam suam multis vitiis esse obnoxiam patitur. Atque hinc fit ut malos cum gemitu ferre in suo gremio cogatur, quos fugare non potest. Est quidem illud verum, simul ac cum evangelio suo prodit Christus, ventilabro paleas a tritico discernere: sed hoc ita facere incipit, ut plena purgatio ad diem ultimum differatur, quo segregabit agnos ab hoedis. Non igitur quemlibet rigorem cessare Christus iubet, sed toleranda esse mala admonet quae sine pernicie corrigi nequeunt. Et certe quamlibet sedulo et animose quisque pro suo officio eradicandis vitiis incumbat, nunquam eousque proficiet severitas quin multae vitiorum reliquiae maneant.

Gamalielis autoritas perperam ab illis adducitur. Suadet Gamaliel (Act. 5, 34) ut quiescant scribae, quia si ex hominibus est doctrina sponte diffluet: sin ex Deo, nunquam poterit dissolvi. Nam id imperite dictum esse facile inde patet, quod non modo pessumdat omnem politicum ordinem, sed ecclesiae quoque disciplinam enervat. Et certe habenda erat personae ratio. Nam Gamaliel ambigens quid rectum sit, quasi caecus in tenebris

1) tum *Beza et Amst.*
2) seront-ilz oisifs et se tiendront-ilz les bras croisez voyans que le Diable s'efforce de ruiner par ses supposts la foy et saincte religion?

1) *Add.* et police.

neque huc neque illuc se conferre audet: sed suspendit sententiam. Interim ex veris principiis malam consequentiam elicit, nihil adhibendum esse consilii, quia Deus quod suum est tuebitur: quod autem ab hominibus est, pessum ibit. Atqui Dominus tametsi [pag. 25] unicus sit agricola, mittit tamen operarios in vineam suam: tametsi solus det incrementum, vult tamen esse qui plantent et rigent: tametsi templi sui sit architectus, ministros tamen et opifices sibi adiungit qui in hoc aedificium laborent. Denique, tametsi defensor sit operum suorum et vindex, hominibus tamen utitur ministris.

Putidius est quam ut refutatione indigeat quod quidam ex profanorum hominum dictis colligunt: Si de cultu Dei et legis doctrina habetur quaestio, non esse crimen morte aut vinculis dignum. Quis enim non videt, homines a vera luce alienos contemptim exposuisse Dei legem rixis et certaminibus ut tandem in fastidium et probrum veniret? Claudius Lysias Felici scribit (Act. 23, 26) se nullum in Paulo reperisse crimen, quia tantum cum Iudaeis de lege disceptet: non quod probet Pauli causam, sed quia legem susque deque habet: imo cuperet prorsus esse abolitam, ideoque gaudet intestinis dissidiis convelli. Tam boni scilicet patroni voce iudicii laqueos dissolvere conatus est Servetus [1]; quasi coeleste esset oraculum quod Lucas a tam malo autore profectum esse recitat.

Obiiciunt tandem, quum iussus est Petrus gladium in vaginam recondere (Matth. 26, 52), Dominum satis clare testatum esse quam sibi non placeat violenta et armata evangelii defensio. Sed quid si excipiam, ne verbis quidem coram Pilato suam innocentiam asseruisse, ut iure poterat? [2] Si decreto patris obsequi volens quasi agnus coram tonsore obmutuit, et tantisper a praedicando evangelio abstinuit, dum sacrificio mortis suae peccata expiaret: miramur si Petrum a caede [pag. 26] prohibuerit? Verum aliud est quod respondeam: Ius stringendi gladii Christus ministro suo non concedit: temere enim homo privatus eum arripuerat. Tumultuose repelli non vult milites a quibus vinciendus erat, nempe ne hanc infamiam subiret quasi aleret pro evangelii ministris sicarios. Hinc colligi nulla ratio patitur, principum manus ligari, ne ordinarium munus suum exerceant. In summa, vi [3] Petrum grassari non ideo vetat, vel ut magistratus exarmet, vel ut eos repellat a iusta evangelii propugnatione: sed quia illum ruere non vult praecipiti impetu extra vocationis suae metas, nec mortis suae, qua reconciliandi erant homines Deo, quidquam morae afferri.

Hactenus quaecunque ab adversa parte obtendi solent bona fide retuli, et me satis diluisse arbitror. Superest ut non modo liberum esse magistratibus doceam poenas sumere de coelestis doctrinae corruptoribus, sed quod illis nolunt licere imperiti, divinitus esse mandatum, ut pestiferis erroribus impunitatem dare nequeant quin desciscant ab officii sui fide. [1]) Ac primo quidem hoc dictare naturae sensum, ut in omni politia bene composita principium teneat religio, et legum praesidio integra servetur, testes sunt ipsi increduli. Legantur philosophi, quicunque hoc argumentum tractarunt. Certe incipiunt a divino cultu, et eo religionis genere quod optimum esse putabant: ut secundum eos barbarus sit et insipidus legislator, cui pietatis erga deos prima non est cura. Pudendum vero nobis erit, illos in tenebris vidisse quod nos in luce fugiat. Nec superstitioni tribui potest quod illi in legibus suis religionis custodiam complexi [pag. 27] sunt. Quid enim absurdius est, quum furta severe puniat iudex, sacrilegiis licentiam dare? quum suum cuique honorem [2]) salvum tueatur, lacerandam impiis exponere Dei gloriam? De periuriis nemo litem movere audebit quin graviter punienda sint. Cur hoc fatentur qui haereticis exhibendam esse molestiam negant, nisi quia periuriis laeditur humana societas? [3]) Ergo Dei gloria hominum commodis implicita vindicabitur: ubi autem nemo de sua iactura queretur, inulta cum ludibrio iacebit? Supervacuum foret pluribus verbis hoc persequi. Nam quum rectae politiae finis sit, legitimi inter homines ordinis conservatio, neglectus autem pietatis ordinem hunc ita dissipet, ut extra ipsam bruta sit hominum vita, mutilam esse gubernationis formam constat, in qua negligitur religio: et magistratus nonnisi dimidios [4]) esse et umbratiles, qui forensibus tantum negotiis intenti de asserendo Dei cultu non cogitant.

Huius rei illustre nobis exemplum spiritus Dei proponit in Nabuchadneser. Nam eius edictum celebrat Daniel (3, 29) quo capitalem poenam denunciat si quis in Deum Israel blasphemus fuerit. Honor profecto non vulgaris crudeli tyranno habetur, quum prophetam suum Dominus ad publicandas quas tulit leges quasi praeconem assignat, et leges ipsas in acta sua refert, sacrisque suis oraculis annumerat. Quid? an spiritus sancti et prophetae elogio laudatur Nabuchadneser, qui veri Dei

1) *Add.* Car il en feit son bouclier en une requeste qu'il presenta à noz Seigneurs.
2) *Add.* Sera-ce à dire pourtant qu'il nous faille taire et ne sonner mot devant les iuges, pour approuver la verité de Dieu.
3) ***Beza et Amst. pessime scribunt:*** ut.

1) *Add.* et soyent reprehensibles devant Dieu.
2) le droit.
3) *Add.* et qu'on feroit ouverture à toute desloyauté.
4) avortons à demi formez.

gloriam pro imperio tutandam suscepit, ut ad impiam eius profanationem conniveant sancti magistratus? ac non potius his Dominus sub profani regis persona [pag. 28] quid agere ipsos deceat praescribit? Et certe quid magis praeposterum quam in ecclesiae sinu impune foveri scelestas in Deum contumelias quae in Babylone poena capitali sancitae fuerunt? quam si tribunal in quo viget Dei cognitio, sacrum eius nomen, cuius custos et assertor fuit rex Babylonius, praesidio tutelaque sua non dignatur? Non quod hominum auxiliis ipse indigeat, sed quia nihil minus consentaneum est, quam reges et magistratus, quos sibi in terris constituit ministros, sua studia ad tuendum eius cultum non referre. Hoc tantum interest, quod si illum zeli ardorem in saevo tyranno accendit exigua scintilla, principes ecclesiae domesticos, quibus certo comperta est, et clare illuxit Dei veritas, nisi pro ea longe animosius pugnent, constat turpis ignaviae bis reos esse.

Sed iam audiamus quid iuris Dominus statuerit in sua ecclesia. Postquam enim prophetam et somniatorem, qui populum abducere tentaverit a recto pietatis cultu, iussit occidi, eandem poenam ad singulos extendit his verbis: Si incitaverit te frater tuus filius matris tuae, aut filius tuus, aut filia tua, aut uxor quae est in sinu tuo, aut proximus quem habes quasi animam tuam, secreto dicens, eamus et serviamus diis alienis, quos nec tu novisti, nec patres tui:[1]) non acquiesces ei, nec audies eum, non parcet ei oculus tuus, nec ei propitius erit ut occultes eum. Quin potius occidendo occides eum, et manus tua prima sit ut illum interficiat, deinde manus totius populi: opprimes autem eum lapidibus donec moriatur (Deut. 13, 6 seqq.). Eant nunc, et crudelitatis Deum accusent, quibus instar levis et venialis delicti est a pura fide et Dei cultu [pag. 29] defectio. Caeterum, antequam ultra progredimur, duo notare operae pretium est. Neque enim religionem, qualiscunque tandem sit, tam severe conservat, ac sancit, sed quam verbo suo instituerat. Deinde lapidationis poenam in exteros non edicit, sed qui legis doctrinam professi, perfide ab ea desciverint. Ita tollitur offensio quae multos imperitos fallit, dum metuunt ne hoc praetextu ad saeviendum armentur papae carnifices. Nam si Dominus populo suo certam pietatis regulam ante patefecit quam poenis subiiceret apostatas: quisnam mortalium sumere hoc sibi audebit, ut doctrinae genus suo vel alterius arbitrio confictum gladio et poenis sanciat? Ergo non vaga et caeca potestate instruimus magistratus, ut eorum praesidio sine delectu recepta quaevis religio in statu suo maneat: sed tenendam esse contendimus legem divinitus praefixam, ut compertae veritati succedat demum poenarum sanctio. Quare[1]) non est quod sibi blandiantur errorum patroni, qui in fundendo innoxio sanguine stulto suo zelo et ignorantiae indulgent, vel saltem inquisitionis onus in alios reiiciunt, ut sibi ex alienis responsis sanctos Christi martyres crudeliter interficere liceat. Ad haec solvitur quorundam obiectio, qui rogant an gladio adigendi sint ad Christi fidem Iudaei, Turcae et similes. Neque enim promiscue in omnes gladium stringi iubet Deus, sed apostatas, qui se impie alienaverint a vero cultu et alios ad similem defectionem trahere conati fuerint, iustae poenae subiicit. Nunc vero quisquis haereticis et blasphemis iniuste poenam infligi contendet, sciens et volens eodem se obstringet [pag. 30] blasphemiae reatu. Hic nobis non obtruditur hominum autoritas, sed Deum audimus loquentem, et quid ecclesiae suae in perpetuum mandet non obscure intelligimus. Non frustra humanos omnes affectus excutit, quibus molliri corda solent: paternum amorem, quidquid est inter fratres, propinquos et amicos benevolentiae facessere iubet: maritos revocat a thori blanditiis: denique homines propemodum natura sua exuit, ne quid obstaculi sanctum eorum zelum moretur. Cur tam implacabilis exigitur severitas, nisi ut sciamus non haberi suum Deo honorem, nisi quae illi debetur pietas humanis omnibus officiis praefertur, et quoties asserenda est eius gloria, propemodum ex memoria nostra deletur mutua inter nos humanitas? Adde quod eadem poena paulo post integras urbes constringit: Si audieris in una urbium tuarum, quas tibi Dominus ad habitandum dabit, egressos esse filios Belial e medio tui, et avertisse incolas urbis suae, dicendo: eamus, et serviamus diis alienis: quaere sollicite, et diligenter rei veritate perspecta, si inveneris veram esse famam, statim percuties incolas urbis illius in ore gladii, et delebis eam, et quaecunque in ea sunt usque ad pecora. Supellectilem eius congregabis et exures, ut anathema sit (Deut. 13, 12 ss.). Videant isti misericordes, quos tantopere impunita haereseon licentia delectat, quam male sibi conveniat cum Dei mandato. Ne ecclesiam Dei immodicus rigor infamet, vellent in unius hominis gratiam impios errores impune grassari: Deus autem ne totis quidem populis ignoscit: funditus deleri iubet urbes, et earum aboleri memoriam, trophaea denique erigi in signum exsecrationis, ne totam terram occupet contagio, ac [pag. 31] dissimulatio ipsa sceleris sit ac culpae societas. Nec

1) *Add.* C'est à savoir les dieux des peuples qui sont à l'environ de toy, soyent pres ou loin de toy, depuis un bout de la terre iusqu'à l'autre.

1) Pourtant ceux qui, sous couleur de garder le service de Dieu en son estat, sont protecteurs des superstitions, n'ont dequoy se flatter. Ils ont beau dire qu'en espandant *etc.*

mirum: ponitur enim hic crassa a lege Dei et probatis eius oraculis defectio, quae divina et humana iura violat.

Neque enim quum magistratus tuendae religioni custodes praeficimus, eorum acuimus gladios ut de quolibet errore poenas sumpturi mox ad sanguinem prosiliant. Scimus enim tres esse errorum gradus: et quibusdam fatemur dandam esse veniam, aliis modicam castigationem sufficere, ut tantum manifesta impietas capitali supplicio plectatur. Fideles saepius Paulus hortatur ut se invicem tolerent, quamvis aliqua sit inter eos dissensio: [1]) nempe si qua levis superstitio et inscitia simplicium mentes occupat, ut eam patientia corrigere potius studeant quam intemperanter ad vindictam efferveant. Secundum errorum genus etsi castigationem meretur, mediocris tamen adhibenda est severitas: [2]) tantum ne indulgentia alatur eorum improbitas et contumacia qui fidei unitatem scindere cuperent. Sed ubi a suis fundamentis convellitur religio, detestandae in Deum blasphemiae proferuntur, impiis et pestiferis dogmatibus in exitium rapiuntur animae, denique ubi palam defectio ab unico Deo puraque eius doctrina tentatur, ad extremum illud remedium descendere necesse est, ne mortale venenum longius serpat. Hanc regulam, quam ex ore Domini aliis praescripsit Moyses, fideliter ipse sequutus est. Quam mansueto fuerit ingenio, apparet ex tota vitae historia: et spiritus sanctus illustre huius virtutis testimonium ei reddit. Iudex etiam quam humaniter in aliis criminibus puniendis se gesserit, constat: in vindicando autem Dei cultu totus ardet. Consecrate, [pag. 32] inquit (Exod. 32, 27), manus vestras Domino: nemo fratri suo vel propinquo ignoscat: ut quisque obvius fuerit, sine venia occidite. An putamus subito furore correptum, ita solitae clementiae tunc oblitum fuisse ut sacros Levitas sanguine madefieri iuberet? Imo spiritus Dei quod suo ductu gestum erat et auspiciis elogio etiam suo commendat. Ergo ut in aliis omnibus peccatis laudabilis sit clementia, severe impietatem, quae Dei cultum evertit, sanctis iudicibus ulcisci necesse est, ne hominum offensas stulte mitigando Dei ipsius iram in se provocent.

Sed quidam hunc ordinem regno Christi quod spirituale est, et praesenti saeculo congruere negant: quia nusquam in evangelio iudicibus detur tale mandatum. Ergo quia disertis verbis Christus et apostoli non praecipiunt quo poenae genere digna sint adulteria et furta, [1]) ideo cessabunt a suo officio magistratus? Si quis excipiat, quia Christi adventu abolitae non sunt politiae, sumendas esse de maleficiis poenas, ut legibus sunt constitutae: nempe huic responso libenter subscribo. Nullos fuisse magistratus [2]) quibus praeciperent apostoli quid rectum esset, dicere supersedeo. Hoc uno contentus sum, Christi adventu nec mutatum esse politicum ordinem, nec de magistratuum officio quidquam detractum. Agedum, quod Paulus docet non frustra ab ipsis gladium gestari (Rom. 13, 4) an ad speciem unam restringi debet? [3]) Fatentur isti, quibuscum nunc discepto, ad alia crimina plectenda iudices divinitus esse armatos, modo a religione abstineant, ut libere ipsis tacentibus impietas lasciviat. Verum reclamat innumeris locis spiritus [pag. 33] sanctus, qui sub Christi regno sanae doctrinae et legitimi cultus patronos, ac vindices fore reges pronunciat. Quando David principes omnes ad osculandum filium hortatur (Psal. 2, 12), quid potius ab illis exigit, quam ut sanam doctrinam suo praesidio defendant? Quum toties dicit venturos esse ut Christo tributum offerant: quid aliud intelligit quam purae adorationis praesides futuros, piaeque doctrinae custodes? Quomodo etiam illud Iesaiae (49, 23) vaticinium implebitur, ecclesiae nutritios fore, nisi ad tuendum pietatis statum potentiam suam conferant? Ergo, quin piis sanctisque magistratibus ex Dei mandato regni Christi defensio incumbat, minime ambiguum est. Accedat iam Pauli suffragium, quo scrupulus omnis eximitur. Solennes in ecclesia preces concipi iubet pro regibus, et omnibus qui honore et potentia excellunt (1 Tim. 2, 1). Quorsum? Ut quietam, inquit, et tranquillam vitam agamus. An hoc duntaxat? Imo, cum omni pietate et temperantia. Si tantum modestiae vel temperantiae facta esset mentio, aliquid forte coloris praetenderent qui a principibus religionis causam attingi nolunt. Sed quum hoc nominatim illis munus assignet Paulus, ut Deum rite colendum procurent: quantae, obsecro, temeritatis est, iniuncta divinitus potestate illos exuere? Duo hic observare operae pretium est. Neque enim privatos homines instituit Paulus, ut se Deo addicant, sed de publica principum functione disserit, quatenus in solio locati sunt, et gladio instructi ad regendum humanum genus. Deinde, illorum munus non solum in tuendo cuiusque iure constituit, sed ad fovendam pietatem [4]) ordinatos [pag.

1) *Add.* Attendez, dit-il, patiemment: car si quelcun a opinion diverse, Dieu luy revelera ce qui en est avec le temps. En quoy il signifie que s'il y a quelque petite superstition *etc.*

2) Quant à la seconde espece, combien que les erreurs qui emportent nuisance à l'Eglise et procedent de quelque legereté ou ambition, meritent chastiement, toutesfois quand il n'y a point un mespris de Dieu et rebellion avec mutinerie, on y doit tenir mesure, que la severité ne soit point trop rude.

1) *Add.* empoisonnemens, faussetés et choses semblables.

2) *Add.* Chrestiens.

3) *Add.* ou bien s'il comprend tout ce qui est de leur devoir?

4) maintenir la religion.

fretus insignem hanc prophetiam tam nequiter corruperit, non aliunde esse factum, nisi quia vesanam et furialem ex fidei interitu voluptatem capiens, omnis verecundiae oblitus, summum dedecus in se suscipere maluerat, quam non omnia pervertere. Omitto quod quum Nicolai Lyrani suffragium obtenderet, producto libro mendacii convictus non erubuit. Fuit enim hoc illi solenne: scriptores, quorum nunquam libros inspexerat, audacissime citare. [pag. 61] Cuius rei iocosum et risu dignum specimen in Iustino Martyre exhibitum fuit. Nam quia magnifice iactabat, aureo eius saeculo incognitas fuisse de trinitate et personis fabulas, codicem statim afferri iussi, et digito monstravi certos locos, in quibus sanctus vir non minus aperte fidem nostram asserebat, quam si rogatu nostro scripsisset. Atqui [1]) graecum sermonem nihilo magis legere quam puer alphabetarius potuit. Tum se turpiter deprehensum videns, stomachose latinam translationem sibi dari petiit. Quid hoc rei est? dixi. Quum nulla exstet latina translatio, graece legere nescias, tamen in Iustini lectione familiariter te versatum esse fingis. Unde igitur tibi illa testimonia, quibus citandis adeo liberaliter tibi indulges? [2]) Ille, ut solebat, ferrea fronte alio transsiliens, nullum vel minimae verecundiae signum dedit. Verum ut duritiem illam omittam: quum palam fieret, praecipuum salutis nostrae caput, de expiatis Christi morte hominum peccatis, diabolica eius fraude ex Iesaiae libro esse deletum, nullo poenitentiae sensu tangi, hoc prodigiosae cuiusdam malitiae signum est. Nec vero dubito quin, sicuti mihi, ita bonis omnibus interior et deliberata diuque concocta impietas in eo se proferat, dum ex rerum omnium confusione quasi gratuita voluptas capitur.

Caeterum ne male feriati nebulones [3]) vecordi hominis pervicacia quasi martyrio glorientur: in eius morte apparuit beluina stupiditas, unde iudicium facere liceret, nihil unquam serio in religione ipsum egisse. Ex quo mors ei denunciata est, nunc attonito similis haerere, nunc alta suspiria edere, nunc instar lymphatici eiulare. [4]) Quod [pag. 62] postremum tandem sic invaluit, ut tantum hispanico more reboaret: [5]) Misericordia, Misericordia. Ubi ad locum supplicii ventum est, hortatu optimi fratris symmystaeque nostri Farelli tandem aegre extorta ei vox fuit, ut populus communes secum preces conciperet. Porro qua id conscientia sibi facere

1) Or cest habile homme de Servet qui se glorifioit par tout d'avoir le don des langues *etc.*
2) *Add.* Comme si tu avois l'autheur en ta manche.
3) les disciples de Servet ou des brouillons semblables à luy.
4) *Add.* Brief, il n'y avoit non plus de contenance qu'en un démoniaque.
5) *Add.* en frappant sa poitrine.

permiserit, non video. Scripserat enim manu sua, fidem hic diabolicam regnare, nullam esse nobis ecclesiam, nullum Deum, quia infantes baptizando Christum abnegaremus. Quomodo igitur se in precibus socium populo adiunxit, cuius fugienda erat communio? Annon profanatio est sacrae unitatis, communem Deum et fidem cum impio et profano coetu profiteri? Ac pro eo quidem ut supplicaretur, hortatus est Farellus, sed nominatim ut Dominus perditi alias hominis misertus, ab exsecrandis eum erroribus ad sanam mentem reduceret.[1]) Ipse interea, quanquam nullum resipiscentiae signum dedit, pro suorum tamen dogmatum defensione ne verbum quidem facere conatus est. Quid sibi quaeso hoc vult,[2]) quod iam sub manu carnificis positus, quum aeternum Dei filium invocare pertinaciter renueret, non breviter saltem (quod liberum erat) excusaverit? Quisnam mortem hanc martyris esse dicet, doctrinam, pro qua certandum erat, non modo omni patrocinio destitutam relinquere, sed voluntario silentio tenere suppressam? Nemo enim a loquendi ipsum libertate prohibuit. Unde quod paulo ante attigi, liquere arbitror: quamdiu impune se ludere putavit, plus satis fuisse audacem: ubi autem soluta est iusta merces, desperatione concidisse.

[pag. 63] Verum quia de homine dictum est iam plus satis, subiicienda est suo ordine, ut praefatus sum, dogmatum descriptio: unde statuant lectores, fueritne unus et alter mediocris et ferendus error, an vastum ac profundum impietatum pelagus: quae totam fidem nostram labefactant, imo etiam magna ex parte prorsus evertunt. Non quod mihi totam farraginem evolvere[3]) propositum sit. Video enim, si id facere tentavero, quam densam sylvam, ac potius quam profundum labyrinthum ingrediar. Sed idem, ut opinor, quod in ipsa causae actione sequuti sumus, compendium tenere utile erit: nempe ut lectores, genere ipso doctrinae, ut certis capitibus distinctum erit, notato, monstrum non minus detestabile quam multiforme in eius libris contineri agnoscant. Quum varie diuque verbis certatum foret, ac subinde querimoniam illam repeteret, non decere pietatis causas in carcere tractari:[1]) respondi quod verum erat et initio praefatus eram, nihil mihi fore gratius quam si in templo et toto populo audiente disceptaretur: nec vero esse causam cur lucem et conspectum eius theatri fugerem, ubi causa plausibilis non adversis auribus tuenda foret. Deinde quum ille provocaret ad alias ecclesias, libenter a me haec quoque conditio suscepta fuit. Itaque clarissimus Senatus noster finem ambagibus facere volens, decrevit ut propositiones excerperem ex Serveti ipsius libris, quae ei scriptae darentur. Eodem senatusconsulto permissum illi est ut retractaret si quid videret a se non recte scriptum: si quid vero deprehenderet male a nobis detortum, refutaret: si quid iniuste putaret damnatum, ex verbo [pag. 64] Dei defenderet. Ego,[2]) ne ultra modum prolixus forem, certa quaedam capita ad verbum transscripsi. Habuit ille quantum voluit temporis ad respondendum: nobis non plus biduo datum est.[3]) Porro quia causam suam sperabat magis fore plausibilem, si postremas haberet loquendi partes: rursus supplici libello hoc sibi dari petiit, ac impetravit. Quamvis autem minime eum lateret, de capite suo agi: quia consulebantur vicinae ecclesiae, ex quarum responso pendebat grave praeiudicium: quam secure tamen cavillatus sit, videbunt lectores. Quos, ne quid forte suspectum habeant, monitos volo, nihil a me hic positum, quod non in acta publica relatum et legitime consignatum sit.

1) *Add.* Servet de son costé prioit comme au milieu de l'eglise de Dieu: en quoy il monstroit bien que ses opinions ne luy estoyent rien.

2) *Add.* qu'ayant liberté de parler comme il eust voulu, il ne feit nulle confession ne d'un costé ne d'autre non plus qu'une souche de bois: il ne craignoit point qu'on luy coppast la langue, il n'estoit point baillonné, on ne luy avoit point defendu de dire ce que bon luy sembleroit: or estant entre les mains du bourreau *etc.*

3) de remuer toutes ses ordures ou deschiffrer par le menu un tel meslinge et si confus.

1) de traicter devant la iustice terrienne et mesmes en prison les affaires de la Chrestienté.

2) Ie fei incontinent ce qui m'estoit ordonné, et afin de ne point ennuyer les Iuges par ma longueur ie mei seulement en avant trente-huict articles.

3) il me falut repliquer en deux iours contre ce qu'il avoit respondu.

SENTENTIAE VEL PROPOSITIONES EXCERPTAE EX LIBRIS MICHAELIS SERVETI,

QUAS MINISTRI ECCLESIAE GENEVENSIS PARTIM IMPIAS AC IN DEUM BLASPHEMAS, PARTIM PROFANIS ERRORIBUS ET DELIRIIS REFERTAS ESSE ASSERUNT: OMNES VERO A VERBO DEI, ET ORTHODOXAE ECCLESIAE CONSENSU PRORSUS ALIENAS.

I. Omnes qui Trinitatem statuunt in essentia Dei esse Triteitas,[1]) veros atheos: nec Deum habere nisi tripartitum et aggregativum.[2]) Item, habere connotativum Deum, non absolutum: imaginarios habere Deos, et illusiones daemoniorum, lib. 1. de Trinitate, pag. 30. Quibus respondet quod addit pagina sequenti: Somnia ut voles, dirige oculos ad phantasmata, et tunc videbis tuam Trinitatem non esse intelligibilem sine tribus phantasmatibus. Tandem concludit omnes Trinitarios esse atheos.

[pag. 65] II. Tot autoritatibus fulciri Hebraeos ut tripartitum Deum a nostris introductum merito admirentur. Lib. 1. de Trinit. pag. 34.

III. Incorpoream deitatem realiter distinctam Mahometo causam dedisse negandi Christum. Lib. 1. de Trinit. pag. 36.

IV. Tres illas res incorporeas distinctas in Dei unitate non posse stare, et esse Triadem imaginariam. Lib. 1. de Trin. pag. 29.

V. Vt fucum impiis suis dogmatibus inducat, fatetur quidem in Deo personalem fuisse distinctionem, sed personam[3]) duntaxat externam intelligit, quae in Dei essentia non vere subsistat: sicuti lib. 3. de Trinit. pag. 92 dicit, verbum fuisse idealem rationem[4]) ab initio, quae iam hominem referebat: fuisse in Verbo apud Deum futuri hominis Iesu Christi exemplar, personam, effigiem, vultum, faciem, hominis in Deo repraesentationem. Item Dialogo 1. pag. 229, non esse inter Verbum et Spiritum realem differentiam. Item lib. 5. de Trin. pag. 189, nullam fuisse in Deo realem generationem vel spirationem[5]).

VI. Ut palam appareat confundi ab eo personas, lib. 2. de Trinit. pag. 66, sic loquitur: Ipsa sapientia olim simul erat Verbum et Spiritus,[6]) quia non erat realis distinctio: ipsamet sapientia erat Spiritus.[1]) Et lib. 5. de Trinit. pag. 164, totum Verbi et Spiritus arcanum definit fuisse fulgentem Christi gloriam.

VII. Quanquam autem negat distinctionem realem in tribus personis ante Iesu Christi incarnationem: dicit tamen tanta gloria decoratum fuisse[2]) Christum ut non solum sit ipse Deus de Deo, sed et sit Deus de quo alius Deus procedat. Lib. 5. de Trin. pag. 185.

[pag. 66] VIII. Iesum Christum[3]) esse filium Dei, quatenus genitus est a Deo in utero virginis Mariae. Idque non solum virtute Spiritus sancti, sed quia Deus ex sua substantia illum genuit. Lib. 1. de Trin. pag. 11 et 12. Item epistola ad Calvinum 1. et 2.

IX. Verbum Dei de coelo descendens esse nunc carnem Christi:[4]) ita ut caro Christi de coelo sit. Lib. 1. de Trin. pag. 17. et 18. item lib. 2. de Trin. pag. 73. Corpus ipsum Christi esse corpus deitatis, carnem eius divinam, carnem Dei, coelestem, de substantia Dei genitam. Item Dial. 1. pag. 231: Animam Christi esse Deum, carnem Christi esse Deum,[5]) et tam Christi animam quam carnem fuisse ab aeterno in propria deitatis substantia.

X. Libro 2. de Trin. pag. 77 sic loquitur: Essentia corporis et animae Christi est Verbi et Spiritus deitas. Et Christus ab initio est, tam ratione corporis quam ratione animae. Item lib. 2. pag. 87: Non solum in anima, sed et in carne Christi est substantialis deitas. Item lib. 5. de Trinit. pag. 164: Deus erat Verbum et Spiritus, Verbum et Spiritum varie dispensans in corpus et animam.

XI. Ut ostendat sibi ludibrio esse Christi divinitatem, exponit eum dici sapientiam et virtutem Dei, et splendorem gloriae ipsius, perinde ac si vocaretur excellens quaedam sapientia et virtus. Lib. 2. de Trinit. pag. 87.

XII. Iesum Christum hominem[6]) ab initio apud Deum fuisse in propria persona et substantia. Lib.

1) Triteitas. *Exemplar MS. in Actibus causae in Archivis Genev.* — *Edd.* Tritoitas. *Sic et Gallus.* *Amst.* Tritheitas.
2) amassé en plusieurs pieces.
3) une figure.
4) une idée.
5) ne generation reale, ne production de Dieu iusques à l'incarnation de Iesus Christ.
6) en la Parolle et l'Esprit.

1) *Hoc ultimum comma abest a Gallico.*
2) le Pere l'a glorifié.
3) Ipsum Christum *Edd.*
4) est la chair de I. C. en terre.
5) *Add.* comme l'esprit est Dieu.
6) en tant qu'il est homme.

2. de Trinit. pag. 90. Alibi tamen tribuit Christo duas personas. Lib. 4. de Trin. pag. 129.

XIII. Postquam confessus est Verbum Dei factum fuisse hominem, dicit hoc Verbum fuisse semen Christi. Lib. 4. de Trin. pag. 145. Item, rem esse aliam a Filio. [pag. 67] Lib. 1. de Trinit. pag. 23. Item, Verbum quo mundus est creatus, prolatum fuisse eius gratia: unde sequitur ipsum non esse illud Verbum. Lib. 2. de Trinit. pag. 85. Item, Verbum Dei fuisse rorem naturalis geniturae Christi in utero Virginis, sicut semen generationis animalium.[1]) Dial. 2. de Trin. pag. 260. Praeterea Filium Dei naturaliter genitum fuisse ex Spiritu sancto per Sermonem. Lib. 1. de Regeneratione pag. 355.

XIV. Verbum ipsum Dei fuisse semen generationis Christi. Et sicut generantia[2]) omnia prius in se ipsis semen concipiunt, quam foetum extra se mittant: ita fuisse in Deo semen Verbi, priusquam in Maria filius conciperetur. Lib. 4. de Trin. pag. 146. Item, paternum semen geniturae Christi, id ipsum in eo effecisse quod in unoquoque nostrum facit semen creatum patris.[3]) Dial. 2. de Trin. pag. 254.

XV. Per actionem[4]) Spiritus Dei exstitisse ipsum Christi corpus, quoniam Verbo divino quasi rore geniturae Christi cum elementis his creatis[5]) simul se tĕrrae miscuerit: et quatenus divinus et humanus halitus eius animae insitus[6]) fuerit et coaluerit, exstitisse hypostasin unam spiritus eius, quae est hypostasis Spiritus sancti. Lib. 5. de Trin. pag. 165. Et antea dixerat in Christo tria elementa esse[7]) de substantia Patris. Lib. 4. de Trin. pag. 159.

XVI. Ut corrumpat dictum apostoli, 2. cap. ad Hebraeos, Christum scilicet non assumpsisse naturam angelorum, sed semen Abrahae: sic exponit, nempe quod nos a morte liberaverit.[8]) Lib. 2. de Trin. pag. 90.

XVII. Deum esse patrem Spiritus sancti. Quod nihil aliud est quam personas confundere, quales etiam ipse fingit.[9]) Lib. 5. de Trin. pag. 187.

XVIII. Ut ostendat se ludere in voce personae, dicit [pag. 68] unam solam fuisse personalem[10]) imaginem seu faciem, quae erat Christi persona in

1) des hommes et des bestes.
2) animaux.
3) la semence de son pere.
4) la vertu.
5) cum elementis his creatis *om. Gallus.*
6) ont esté distillez en son ame.
7) le corps de I. C. a esté formé de trois elemens.
8) liberavit *Bez. et Amst.*
9) selon mesme qu'il les confesse.
10) personalem *om. Gallus.*

Deo, etiam angelis communicata. Lib. 3. de Trin. pag. 102.

XIX. Tria[1]) elementa esse ab utroque parente tam in Christo quam in nobis. Terream[2]) vero materiam esse a sola matre tam in Christo quam in generabilibus omnibus. Unde sequitur illum non habuisse corpus nostro simile: id quod perinde est ac redemptionem nostram delere. Dial. 2. de Trin. pag. 250.*) Quod etiam plenius exprimit lib. 5. de Trin. pag. 194, quum dicit in nobis solum esse elementa creata: in Christo[3]) esse creata et increata, et substantiam Spiritus Dei, ipsi carni substantialiter communicatam.

XX. Rorem illum coelestem virgini[4]) obumbrantem, et semini eius et sanguini sese immiscentem transformasse in Deum humanam materiam. Dial. 2. de Trin. pag. 263.[5])

XXI. Duas naturas confundens, dicit lucem creatam et increatam fuisse in Christo unam lucem: et ex Spiritu divino et anima humana constitisse in Christo unam substantialem animam. Dial. 2. de Trin. pag. 268. Adeoque substantiam carnis et substantiam Verbi esse unam substantiam, pag. sequenti. Tandem concludit carnem Christi substantiam Verbi habere corporaliter, substantialem ipsum vitalem[6]) Spiritum divinum, atque ita esse vere coelestem, et de substantia Dei, carnem Verbi, carnem Dei, quae exsistentiam[7]) habet aeternam. Dial. 2. de Trin. pag. 271.

XXII. Iesum Christum participationem Dei et hominis habentem non potuisse dici creaturam, sed participem creaturarum. Dial. 2. de Trin. pag. 272.

XXIII. Unam et eandem[8]) deitatem quae est in Patre communicatam fuisse filio Iesu Christo immediate et corporaliter. Deinde eo mediatore per ministerium [pag. 69] angelici spiritus[9]) communicatam fuisse spiritualiter apostolis. Ac Christo quidem soli a natura esse deitatem insitam corporaliter et spiritualiter: verum ab eo dari aliis sanctum et substantialem halitum. Lib. 2. de Trin. pag. 22.

XXIV. Sicuti Verbum descendit in carnem

1) Item, que tout ainsi que noz corps sont composez de quatre elemens dont les trois viennent du Pere et l'un de la mere, qu'aussi le corps de I. C. est composé de trois elemens d'en haut venans de Dieu son pere et qu'il n'en a qu'un seul de la mere. Dont il s'ensuit *etc.*
2) Terram *Ex. MS.*
*) 150 *MS.*
3) en I. C. elemens increez et substance divine tant en la chair qu'en l'ame (*caett. desunt*).
4) se meslant par infusion avec la semence de la Vierge a transformé *etc. caett. om.*
5) 163 *MS.*
6) vitalem *om. Gallus.*
7) essence.
8) Unam et eandem *om. Gallus.*
9) par le ministere des Anges.

Christi, ita Spiritum sanctum descendisse in Apostolorum animas. Dial. 2. de Trin. pag. 264.

XXV. Personas confundens sic inquit: Naturaliter et voluntarie erat λόγος idealis ratio[1]) et prolatio, relucentia Christi apud Deum,[2]) Spiritus Christi apud Deum, lux eius apud Deum: unde sequitur nullam fuisse substantiam, quum figura tantum esset illius rei quae nondum erat,[3]) et interea a Spiritu non differat. Dial. 1. de Trin. pag. 208.

XXVI. Nullam ante Christi adventum visam fuisse Spiritus hypostasin. Lib. 5. de Trin. pag. 197. Ex quo sequitur nullam tunc fuisse hypostasin nec personam, quum nulla sit persona nisi visibilis: quemadmodum in libris suis affirmat et responsis fatetur. Quibus respondet quod dicit Dialogo 1. pag. 217, Spiritum Dei umbram[4]) fuisse in creatione mundi.

XXVII. Ut intelligatur qualem aeternitatem Christo tribuat: Sicut, inquit, res omnes nunc sunt in Deo, ita eodem ordine[5]) ante creationem erant in eo, et primus omnium Christus. Item, Deus ratione sua aeterna[6]) corporalem sibi et visibilem Filium aeternaliter decernens, talis speciei substantia se ipsum visibilem praebet per Sermonem. Dial. 1. de Trin. pag. 205.

XXVIII. Christum quamdiu in carne mortali[7]) versatus est, nondum accepisse spiritum novum quem a sua resurrectione accepturus erat. Lib. 5. de Trin. pag. 185. Item, lib. 5. de Trin. pag. 195, Christum ante resurrectionem [pag. 70] nondum obtinuisse totam Dei gloriam, sed postea spiritum novum accepisse. Totam ergo nunc Verbi et Spiritus gloriam hypostatice solum Christum[8]) continere. Cui etiam respondet quod Dial. 1. de Trin. pag. 231: scribit Deum spirantem[9]) spirasse in Christum, sicut in nos, Spiritum sanctum supervenientem: atque ita totam denuo deitatem dispensatione alia spirasse, ac eius priorem spiritum in resurrectione[10]) innovasse, dato novo Spiritu, quem datus in Iordane spiritus adumbrabat.

XXIX. In Dei substantia partes esse et partitiones non eo modo quo in creaturis, sed secundum dispensationis distributionem,[11]) ita ut in spiritus partitione cuiusque[12]) portio sit Deus. Lib. 3. de Trin. pag. 121. Praeterea ubi affirmavit spiritus nostros substantialiter ab aeterno fuisse, subiungit illos esse consubstantiales et coaeternos.[1]) Dial. 1. de Trin. pag. 226. Et tamen alio loco fatetur spiritum quo illuminati sumus, exstingui posse. Lib. de Regeneratione 4. pag. 555.

XXX. Omnibus insitum[2]) esse ab initio spiritum deitatis ex Dei halitu. Dialogo 1. pag. 138.

XXXI. Si quando in lege dicitur esse in aliquo spiritus Dei, non sumi pro spiritu regenerationis sancto. Lib. 5. de Trin. pag. 192.[3])

XXXII. Angelos olim ut deos fuisse a Iudaeis adoratos: lib. 5. de Trin. pag. 184. ita ut illos ipsorum deos appellet, pag. sequenti. Cui etiam respondet quod dicit Dialogo 1. pag. 218:[4]) nunquam fuisse in lege Deum vere adoratum, sed angelos adumbrantes Christum adoratos fuisse. Item Abraham credidisse illi, qui Christum adumbrabat, pagina sequenti.

XXXIII. Etsi autem fatetur Christum vel Verbum non habuisse hypostasin realem ab initio, nihilominus affirmat angelos et electos in Deo fuisse realiter ab [pag. 71] initio. Lib. 4. de Trin.[5]) pag. 135.

XXXIV. In omnibus creaturis deitatem constituit etiam substantialem. Dialogo 1. pag. 213.

XXXV. Posteaquam vero multa deliria eaque perversa ac perniciosa de animarum substantia consarcinavit a pag. 220. usque ad pag. 225. primi Dial. tandem concludit animam esse ex Deo et ex eius substantia. Item, inspirationem creatam in illam fuisse insitam[6]) una cum deitate: et iterum nova spiratione in unam cum Deo lucem substantialiter coire per Spiritum sanctum.[7])

XXXVI. Quanquam autem anima non est Deus, eam tamen effici[8]) Deum per Spiritum, qui quidem est et ipse Deus: adeo ut dubitare sit nefas, et animam nostram, et ipsum Christi Spiritum sanctum sibi essentialiter iunctam habere eiusmodi elementarem substantiam, sicut Verbum sibi iunctam habet carnem. Atque res creatas et increatas in unam animae et Spiritus substantiam coire. Lib. 5. de Trin. pag. 181. et 182.

XXXVII. Scripsit, adeoque vulgavit horrendas blasphemias contra paedobaptismum, quemadmodum satis constat ex integris quatuor libris de Regeneratione, praesertim vero ex conclusione, pag.

---

1) une raison d'idée.
2) en Dieu (*idem bis om. postea*).
3) *Add.* en estre.
4) en ombre.
5) eodem ordine *om. Gallus.*
6) ratione sua aeterna *om. G.*
7) en terre.
8) solum Christum: il.
9) spirantem *om. G.*
10) in resurrectione *om. G.*
11) selon que Dieu distribue sa substance.
12) de chacun qui en reçoit.

1) *Add.* à Dieu.
2) infus.
3) *Locus hic in MS. et gallico ex. affertur, non in impressis latinis.*
4) *Edd. lat.* 216.
5) *Amst. male:* L. 1.
6) infuse.
7) per Sp. s. *om. G.*
8) efficit *MS.*

576. Item non committi peccatum mortale ante annos viginti.[1])

XXXVIII. Animam redditam esse mortalem per peccatum, sicut caro mortalis est: non quod in nihilum anima redeat, sicut nec caro. Sed mori, quando cum dolore[2]) vitalibus actionibus privatur, et in inferno[1]) languens detinetur, quasi non amplius victura. Lib. 4. de Regen. pag. 551. Deinde concludit, regenitos aliam habere animam quam ante,[2]) propter substantiam innovatam, et novam deitatem adiunctam, pagina sequenti.

MICHAELIS SERVETI RESPONSIO AD ARTICULOS IOANNIS CALVINI.[3])

[pag. 72] *Eam sibi iam autoritatem arrogat Calvinus, ut instar magistrorum Sorbonicorum articulos scribat, et quidvis pro sua libidine damnet, nullam penitus ex sacris*[4]) *adducens rationem. Mentem meam ipse aut plane non intelligit, aut callide alio detorquet. Unde cogor scopum meum totum hic paucis proponere, ac pro me rationes adducere, antequam singulis eius articulis respondeam.*

Scopus meus totus fuit, quod nomen hoc Filius, in sacris literis proprie tribuatur homini filio, idque semper, sicut eidem proprie semper tribuitur nomen Iesus, et nomen Christus. Ad huius probationem adduxi omnes scripturae locos, in quibus ponitur ea vox Filius, quae semper sumitur pro homine filio.[5]) *Nullum dico in evangeliis posse inveniri locum, in quo ponatur ea vox Filius, quae non accipiatur pro homine filio.*[6]) *Si igitur scriptura ita semper accipit, ita et nos semper accipere oportet.*

Secundam personam in deitate dixi olim dictam personam, eo quod esset personalis repraesentatio[7]) *hominis Iesu Christi, hypostatice iam olim in Deo subsistentis, ac in ipsa deitate visibiliter relucentis. Quia vero haec personae ratio*[8]) *est Calvino incognita, et quia inde res fere tota pendet,*[9]) *locos hic ex antiquis ecclesiae doctoribus adducam.*[10])

Ex Tertulliano.

I. Primus Tertulliani locus est lib. 2. contra Marcionem, pag. 200 et 201, ubi ait, Deum olim humanos sensus et affectus suscepisse, Deum in figura et reliquo ordine humanae conditionis versatum, Deum conformasse se ipsum humanitati. Et eum ipsum[3]) *fuisse visibilem in deitate Christum. Nam et profitemur, inquit, Christum semper egisse in Dei patris nomine, ipsum ab initio conversatum,*[4]) *ipsum congressum cum patriarchis et prophetis. Et paulo post: In haec dispositus est Christus a patre, ediscens*[5]) *iam inde a primordio hominem, quod erat futurus in fine. Et facie 201: Deum nunquam visum docens scriptura patrem invisibilem determinat, in cuius autoritate et nomine ipse erat Deus qui videbatur Dei filius.*[6]) *Sed et penes nos Christus ibi in persona Christi*[7]) *accipitur. Personam ideo dictam ait, quod esset persona Christi olim visa, atque ita personalis Filius.*

II. Secundus est locus libri adversus Iudaeos, pag. 138, ubi ait: [pag. 73] *Qui ad Mosem loquebatur, ipse erat Dei filius, qui et semper videbatur. Deum enim patrem nemo vidit unquam. Ideo constat, ipsum Dei filium Mosi esse loquutum et visum. Visibilis igitur tunc erat filius, homo Iesus Christus.*

III. Tertius locus lib. de Resurrectione carnis, pag. 41 ubi ipsam Adae carnem ait de limo formatam et figuratam ad effigiem et imaginem Dei, id est, Christi, iam tunc in Deo talem effigiem habentis. Id utique quod Deus finxit, inquit, ad imaginem Dei fecit illum, scilicet Christi.[8]) *Qui in effigie Dei constitutus, non rapinam existimavit, esse se parem Deo. Citat ibi Tertullianus dictum Pauli ad Philippenses 2, dicentis, Christum iam olim fuisse in forma et effigie Dei constitutum, eamque ipsam fuisse formam et effigiem Dei ait, ad cuius imaginem et similitudinem est caro Adae formata. Erat igitur effigies et persona Christi visibilis, in Deo iam tunc relucens.*

---

1) *Add.* Mesmes notamment a escrit une Epistre à maistre Abel Poupin, Ministre de la Parolle de Dieu en ceste Eglise, pleine de propos et iniures enormes contre la foy qu'on tient à Geneve et l'Evangile qu'on y presche, à cause qu'on ne vouloit consentir à ses erreurs.
2) cum dolore *om. Gallus.*
3) *Ex autographo Serveti in Archivis Genev. asservato. Gallus habet:* aux articles (comme il dit) de I. C.
4) de l'Escriture saincte.
5) pour l'homme.
6) à l'homme Christ.
7) une montre ou representation (*om.* personalis).
8) ce moyen de Personne.
9) dependet *Bes. Amst.*
10) *Add.* qui prouveront mon intention.

1) au sepulchre.
2) qu'ils n'avoient de nature.
3) Etenim ipsum *Edd. impr.* Et que ç'a esté Christ.
4) *Haec quatuor verba desunt in gallico.*
5) disposé . . . . d'apprendre . . . . à estre homme.
6) et au nom duquel le Fils de Dieu a esté veu.
7) Et mesmes là Chr. est prins pour la personne au regard de nous.
8) La creature . . . que Dieu a formée, ce a esté à l'image de Christ.

IV. Quartus locus lib. 5 contra Marcionem, pag. 335 et 336.[1]) *In persona Christi quis dixit: Fiat lux? In illuminatione mundi,*[2]) *quis Christo ait: Posui te in lucem gentium? Signatum est, inquit,*[3]), *super nos lumen personae tuae, seu vultus tui, Domine. Persona autem Dei Christus Dominus. Quae persona apostolo dicta est imago Dei. Igitur Christus erat persona creatoris dicentis: Fiat lux. Haec ille. Ecce quoties repetit nomen personae: et quid per personam intelligat, ipsam nempe Christi faciem in ipsa creatione iam hypostatice relucentem, ac vere loquentem. Exponit insuper dictum apostoli ad Coloss. 1 imaginem Dei vocans ipsam Christi faciem divinam quae in Deo relucebat.*

V. Quintus locus eodem lib. 5 pag. 351, in haec verba: Invisibilis Dei imaginem ait apostolus Christum. Sed nos enim invisibilem dicimus patrem Christi, scientes Filium semper retro visum in Dei nomine, ut imaginem ipsius: ne quam et hinc differentiam scindat Dei visibilis et invisibilis. Pulcherrimus est locus hic, iunctus praecedenti, docens non esse in essentia Dei realem illam distinctionem Patris et Filii, ut duarum rerum invisibilium, quas Triteitae[4]) *somniant, sed esse solam personalem distinctionem invisibilis Patris et visibilis Filii, quam et formalem dispositionem in Deo vocat, libro adversus Praxeam, pag. 418, 419, 420, 429 et apertius pag. 430 et 431.*[5])

VI. Sextus locus eodem lib. 5 pag. 353 et 354, dicens: In effigie Dei erat constitutus Christus. Alibi apostolus Christum imaginem Dei invisibilis appellat, ea ratione qua in effigie Dei eum collocat. [pag. 74] *Erat igitur vere imago Dei et hominis, in Deo relucens, et hominem referens. Aurea verba, mente perpetuo retinenda.*[6])

VII. Septimus locus lib. adversus Praxeam, pag. 422 et 423. Affirmo, inquit, substantivum[7]) *aliquid esse Sermonem, in spiritu ipso ita constructum,*[8]) *ut res et persona quaedam videri possit. Aliquid significare, seu repraesentare Sermonem ait, sed non ita ut sit res inanis. Sermo noster est structura quaedam super aere ipso facta, ideo evanescit. At Sermo Dei in ipsa deitate structus, ut ait, in sua repraesentatione permanet. Ait insuper, non esse hic* προβολὴν *prolationem rei alterius ex altera: ergo non est duarum rerum distinctio illa realis, sed in ipsa Patris deitate est prolatio, Sermonis fabricatio, ac formalis dispositio. Hinc consurgere ait oeconomiam, dispensationem seu dispositionem Trinitatis, in tot nominibus constitutam, in quot Deus voluit. Ita pag. 419.*

VIII. Octavus locus lib. de carne Christi, pag. 15 ubi ad ostendendam humanam Verbi personam, tres rationes adducit: de angelis, de Spiritu sancto, et de anima. Primam vero in haec verba: Angelos creatoris humanam effigiem gestasse, legisti tu, Marcion, et credidisti: ac tantam corporis gestasse veritatem, ut pedes eis laverit Abraham (Gen. 18), *manibus ipsorum ereptus sit a Sodomitis Lot* (Gen. 19), *colluctatus quoque homini sit angelus* (Gen. 32). *Si ergo angelis inferioribus id licuit, multo magis Verbo Dei. Id ipsum repetit pag. 89.*

IX. Nonus locus eodem lib. pag. 16 ubi ex evangelio citat, Spiritum sanctum forma corporali, specie corporali, figura corporali[1]) *in Christum descendisse: ac fuisse affirmat in ipsa Spiritus sancti substantia corporis soliditatem. Itidem igitur et in Verbo. Corpus autem, Tertulliani more, intelligi oportet substantiam ipsam vere visibilem.*

X. Decimus locus eodem lib. pag. 19 ubi de angelis dictum argumentum repetens ait: Atqui tunc quoque inter angelos ipse Dominus Iesus Christus apparuit Abrahae, dicto cap. Gen. 18. Ipse Christus iam tunc coepit[2]) *adloqui, liberare, et iudicare ediscebat, in hominis substantiali forma vera, non ficta.*

XI. Undecimus locus eodem lib. pag. 24 ubi de anima[3]) *arguit, quae substantia exsistens spiritualis, nihilominus corporis habet formam, et figuram suam servat humanam post separationem a corpore. Igitur et Verbo Dei non erat inconsona forma talis.*

XII. Duodecimus locus eodem lib. pag. 29 l. 15 ubi ait, Christum ipsum hominem a Deo ipso esse prolatum, et lin. 33 ex Patris semine esse filium [pag. 75] *Dei. Quae ambo dicta, quasi magna crimina, mihi obiicit Calvinus. Clamat, et nihil probat. Ignorantiam suam prodit, ac manifeste indicat, se Tertullianum nunquam legisse. Semen Patris ita vocat Irenaeus, lib. 4 cap. 51 pag. 262.*

XIII. Decimus tertius locus, pag. 32 et 34, eodem libro: Hominem ipsum, qui fructus uteri est,[4]) *flos et virga de radice Iesse, masculus aperiens vulvam: eum ipsum ait esse proprie filium Dei, qui et filius Mariae. Idem ait pag. 109, 245, 246.*

---

1) *Edd. impr. in numeris errant.*
2) En la creation du monde qui est-ce qui a dict en la personne de Christ: Que la clarté soit faicte pour illuminer le monde? Qui est-ce qui a dict à Christ *etc.*
3) *Add.* David.
4) *Libri variant ut supra pag.* 501. *not.* 1.
5) pag. 431 *om. edd.*
6) tenenda *edd.*
7) substantiam *Bez. et Amst.* chose substantielle *G.*
8) conioínte à l'esprit.

---

1) en forme corporelle (*caett. om.*).
2) coepit *om. edd.*
3) l'ame de Christ.
4) *Add.* de la Vierge.

XIV. Decimus quartus locus lib. de Resurrectione carnis, pag. 43 ubi ait, animam ita per corpus exercere operationes suas vitales, ut a corpore separari, sit ei veluti mori. Hoc dicto ego sum usus. Unde Calvinus mihi sycophantice imponit, quod animas dixerim esse mortales, quum ego et ibi, et sexcentis aliis locis oppositum semper docuerim.

XV. Decimus quintus locus eodem lib. pag. 71, ubi ex Paulo citat, gloriam Dei, ac verum ipsum lumen Dei, in facie Iesu Christi a nobis cognosci, de qua visione verae lucis divinae in facie Iesu Christi abunde scripsi lib. 3 de Trinitate. At Calvinus non vult Deum ita videre, caecus perpetuo manens. Hanc ipsam divinam visionem in facie Iesu Christi, ex ipsiusmet Christi dicto[1] *confirmat Tertullianus lib. adversus Praxeam, pag. 436.*

Innumeri alii in Tertulliano sunt loci de visibili persona et forma hominis Christi, in Deo semper relucentis, ut pag. 212, 213, 219, 228, 229, 327, 331, 430, 431, 432, 438. Ipse homo Christus ambulabat in paradiso, loquens ad ipsum Adam facie ad faciem. Ipse post Noe ad ultimum clausit arcam. Ipse descendit in forma hominis[2] *ad iudicandam turrim babylonicam, ad loquendum cum*[3] *Abraham, ad perdendos Sodomitas. Ipse visus ipsi Iacob, et Mosi in rubo. Ipse quartus apparuit in fornace ignis babylonici, cuius aspectus ibi dicitur similis filio Dei, Danielis 3. Haec et alia citat Tertullianus dicta pag. 431 et 432.*

XVI. Addam adhuc locum unum, ubi pulchre ostenditur identitas faciei Christi, olim et nunc. Adversus Praxeam, pag. 428 et 429 et contra Marc. p. 272[4] *citat Tertullianus locum Exodi, cap. 33, ubi Moses desideravit videre faciem Dei tunc delitescentem. Eam ideo non vidit tunc Moses, sed post Christi adventum vidit eam in monte in transfiguratione, Matth. 17, atque ita tunc eius desiderium implevit Christus, ut pulchre docet Irenaeus, lib. 4 cap. 37 pag. 243 et Tert. pag. 272.*[5] *Ea ipsa est igitur semper intelligenda facies Christi, qualis nunc in coelo relucet, qualis in transfiguratione visa est Matth. 17, qualis* [pag. 76] *a Paulo visa, Act. 9, et a Ioanne Apoc. 1; supra splendorem solis lucens, luce increata. Si possibile esset, humanitatem ab ea luce nunc separari, adhuc maneret lux Dei in forma hominis, quae homini erat iam conformata: atque ita ab aeterno in Deo ipsa relucebat. Nunquam enim est mutata forma divina. Sed iam ad Irenaeum.*

1) ex ipsius . . . dicto *om. Gallus.*
2) in forma hominis *abest a gallico.*
3) pour enseigner.
4) *Locus contra Marc. hic non laudatur in impressis.*
5) *Locum Tert. hic praetereunt edd.*

Loci ex Irenaeo, de humana Verbi persona.

I. Locus primus Irenaei est lib. 4 cap. 17 pag. 216 et 217 ubi ita ait: Iudaei excesserunt nescientes, eum qui in figura loquutus est humana ad Abraham et Aaron et Mosem, fuisse filium Dei, verbum Dei, Iesum ipsum, qui iam ad sui imaginem hominem formarat, qui et ipse erat iam figuratio Dei. Manifestissime docet Irenaeus humanam in Verbo personam, effigiem hominis, ad cuius imaginem et similitudinem est caro Adae plasmata,[1] *ut aperte docet pag. 268. Ipsumque Verbum fuisse ait figurationem divinam, quae simul erat Verbum et Spiritus, absque reali distinctione. Nam in ipsa spirituali Patris substantia erat impressa Verbi figuratio et repraesentatio, ut Tertulliani locus septimus nos iam docuit: cui simillima nunc docet Irenaeus.*

II. Secundus Irenaei locus est eodem lib. 4 cap. 15 pag. 215 ubi ait ipsum Abraham, doctum Verbi repraesentatione, novisse quod homo futurus esset Dei filius. Audis Calvine, in Verbo repraesentationem hominis? Nunquam auditum est, dici alicubi sermonem, nisi repraesentet. Proprium item sermonis est proferri seu pronunciari. Quando igitur Ioannes ait: In principio erat sermo, intelligi oportet quod erat pronunciatio in deitate repraesentans Iesum Christum.

III. Tertius locus est eodem lib. 4 cap. 8 pag. 211, ubi citat seniorem quendam apostolorum discipulum, qui dixerat, ipsum immensum Patrem in filio esse olim mensuratum: quemadmodum ait postea, ipsum invisibilem Patrem in Filio esse visum. In ipsa enim immensitate et invisibilitate lucis paternae apparuit, exstitit, prolata est visibilis forma Filii, certa quadam mensura consistens. Atque ita Pater, per se immensurabilis, in Filio est mensuratus: sicut invisibilis in se pater, in Verbo est redditus visibilis.

IV. Quartus erit locus eodem lib. 4 cap. 37 pag. 242 et 243, ubi citans dictum Esaiae cap. 6: Regem Dominum sabbaoth vidi oculis meis, ita ait, Filium Dei hominem videbant conversatum cum hominibus. Et paulo post: Verbum quidem loquebatur Moysi, apparens in conspectu,[2] *quemadmodum si quis loquatur ad amicum* [pag. 77] *suum. Docet deinceps qualiter Moyses desideravit olim videre faciem illam, quam postea vidit in monte transfiguratam. Atque fuisse semper eandem faciem Christi per quam*[3] *Deus visus est, et nunc videtur.*

1) *Sic et Gallus:* à la semblance duquel la chair d'Adam a esté formée. *Libri latini editi omnes pessime:* . . . . est caro. Adde plasmata . . . .
2) privément.
3) *Sic MS. et Gallus. Libri latini editi:* per quem.

V. Quintus est locus lib. 5, pag. 298, ubi ait, totum ipsum Adae corpus, ipsam Adae carnem plasmationem habuisse de limo terrae, ad imaginem et similitudinem Dei: eo scilicet quod esset iam Christus in effigie et forma Dei, ut Tertulliani locus tertius nos iam docuit.

VI. Sextus est locus lib. 1, cap. 2, pag. 20 ubi ait, ecclesiam accepisse ab apostolis praedicationem hanc: Unum esse Deum patrem omnipotentem, et unum Iesum Christum filium eius, qui suam habuit ex virgine generationem. Ergo si vere facta est ex virgine generatio, vere factus est ex virgine filius. Subdit postea esse filium patris invisibilis, filium visibilem semper docens.

VII. Septimus locus lib. 2, cap. 18, pag. 84, et cap. 47, pag. 117, Deum ait esse totum logon, et totum spiritum, nec esse realem distinctionem. Idem apertius docet cap. 48, pag. 118, dicens: Logos ipse est pater. Et cap. 56, pag. 126, ait patrem fecisse omnia per verbum, id est per semetipsum. Ad eundem modum lib. 1, cap. 19, pag. 41, et lib. 2, cap. 2, pag. 66, et lib. 4, cap. 52, pag. 263, ait patrem non fecisse per verbum, quasi per rem aliam, sed quia ipse dixit: Fiat, et factum est.[1] *Idque ab apostolorum discipulis se ita didicisse ait Irenaeus.*

VIII. Octavus locus lib. 2, cap. 10, pag. 76, scripturas de verbo et spiritu ait non referri ad res distinctas, sed ad dispositiones Dei. Et eodem lib. cap. 47, pag. 115, verbum et spiritum ait esse mysterium et dispositionem exsistentis Dei, subsistentis, prolati, et se ipsum ita exhibentis. Non est facta productio, quasi radii a sole: nam hoc scinderet ac divideret Deum, ut ait lib. 2, cap. 17, pag. 82.

IX. Nonus locus libro 2, cap. 6, pag. 143 et 144: Filium Dei ait olim ipsi Abrahae manifestatum, et plerisque aliis.[2] *Ab ipso Christo ait legem esse Mosi datam, lib. 4, cap. 3, pag. 208 et 259. Quomodo, inquit, esset finis legis Christus, si non initium eius esset? Hoc pag. 224. Abraham cum verbo peregrinabatur, et in eo videbat Christum, ut ait lib. 4, cap. 12, pag. 212. Verbum ipsum vidit Iacob, lib. 4, cap. 23, pag. 221. Verbum iam olim ascendebat et descendebat in forma hominis, lib. 4, cap. 26, pag. 224, et cap. 27, pag. 227. Verbum ipsum, homo Iesus, videbatur in fornace babylonica,*[3] *personalis filius Dei: idemque a Daniele visus est in nubibus coeli, lib. 4, cap. 37, pag. 244. Idem ipse in paradiso loquebatur cum ipso Adam, lib. 5, pag.* [pag. 78] *314. Erat igitur in verbo persona visibilis, ac subsistentia vera, nunquam mutata, sed semper talis permanens.*[1]

1) parce qu'il l'a dict, il a esté faict.
2) et plerisque aliis *om. Gall.*
3) babylonico *MS.*

X. Decimus est locus lib. 4, cap. 33, pag. 235. Nomen Iesu Christi ait esse proprium ipsius patris, ac imaginem eius imaginem patris. Quemadmodum, inquit, si quis rex[2] *filii sui sibi pingat imaginem, iuste illam dicet esse suam imaginem ac imaginem filii: quoniam et filii eius est, et ipse fecit illam. Ad vivum exprimit quae de Christi et Dei imagine ex Tertulliano iam docuimus: ut constet, Irenaeum cum Tertulliano in ea re maxime convenire: ac etiam Clementem, imo et Petrum ipsum, quem nunc audiemus.*

Loci ex Petro apostolo et Clemente discipulo.

I. Locus primus est ex primo libro Clementis, pag. 14 et 15, ubi ait Petrus apostolus:[3] *Igitur Abraham quum rerum causas desideraret agnoscere, apparuit ei verus propheta Iesus Christus, ac omnia ei quae desiderabat, aperuit. Omnibusque rite ac sufficienter edoctis, ad sedes rursus invisibiles secessit verus propheta Iesus. Quis hic plura testimonia desideret? Annon ille ipse qui apparuit Abrahae erat verbum Dei? personalis filius? homo Iesus Christus?*

II. Secundus locus eadem pag. 15. Quum affligerentur, inquit, Israelitae, apparuit verus propheta Iesus ipsi Mosi,[4] *et Aegyptios plagis coelestibus affecit, populumque Dei eduxit ex Aegypto.*

III. Tertius locus eodem lib. 1, pag. 21, ubi Petrus ait:[5] *Christus, qui ab initio et semper erat, per singulas quasque generationes piis, latenter licet, semper tamen aderat, iis praecipue a quibus exspectabatur, quibusque frequenter apparuit.*

IV. Quartus locus lib. 2, pag. 37, ubi de Christo vero propheta ait Petrus: Ipse verus propheta ab initio mundi, per saeculum currens, festinat ad requiem, passim apparens et corrigens.

V. Quintus locus lib. 4, pag. 78, ubi Petrus ait: Deus quum fecisset hominem ad imaginem et similitudinem suam, operi suo spiramen quoddam et odorem suae divinitatis inseruit. Imaginem corporis in Deo docet.[6] *Contra Simonem magum et eius discipulos docet Petrus, esse nobis insitam divinitatem, cuius ratione est in nobis aliqua arbitrii libertas. Tertull. lib. 2, contra Marcionem, pag. 181, ait, Deum*

1) *Sic in MS. Verba ultima:* nunquam ..... permanens, *omitt. in libris editis tam lat. quam gallicis.*
2) quelqu'un (*om.* rex).
3) *Petrum Ap. om. Gall.*
4) Que I. C. vray prophete apparut à Moyse et aux Isr. qui estoyent affligez.
5) ubi P. ait *abest a Gallico. Et sic quoque in seqq.*
6) Imaginem corporis in Deo docet. *Haec absunt ab edd. omnibus impressis.*

substantiam suam nobis communicare, per animae sensum. 1) *Et pag. 182, hominem ait habere arbitrii libertatem, eo quod sit afflatus Dei, utique liberi, et suae potestatis.* 2) *Idem multis docet pag. 185 et pag. 420. Nec secus docet Irenaeus, semper contra magos* 3) *liberum arbitrium defendens. Nemo unquam in christianismo aliter docuit, nisi Calvinus magus.* 4)

Iam ad singulos Calvini articulos respondere superest.

[pag. 79] *In ipso cumprimis titulo mirari subit hominis impudentiam, qui se orthodoxum* 5) *praedicet, quum sit Simonis magi discipulus, ut in Apologia mea iam evidenter ostendi. Quis orthodoxum* 6) *dicat ministrum ecclesiae, accusatorem criminalem et homicidam?*

I. Ad primum articulum iam saepius respondi, et ex citatis autoribus constat, in ipsa Dei essentia et unitate non esse realem trium invisibilium rerum distinctionem. Sed personalem esse invisibilis patris et visibilis filii distinctionem. Hoc secundo modo Trinitas sanctissime creditur, primo non item.

II. III. IV. Ad secundum, tertium et quartum similis est responsio. Quod de Mahometo ais, Turcae hodie confirmant id ex parte verum esse.

V. Ad quintum, et interne et externe 7) *in Deo ipso subsistentiam filii semper professus sum. Et tu tibi ipsi contradicis. Nam si idealis erat ratio, interna iam erat. Nescis plane quid dicas. Quod de reali differentia subdis, a me iam est concessum et demonstratum. Obsecro te, lege diligenter locos a me hic praescriptos, et indue cor hominis christiani, orans ut tibi veritas reveletur.*

VI. Ad sextum dico, non potuisse confundi ea quae non erant separata. Ipsammet sapientiam interpretatur Irenaeus spiritum sanctum, lib. 4, cap. 17 et 37 et Tertullianus libro de carne Christi, adversus Hermogenem et adversus Praxeam, vide ibi pag. 442. 8) *Salomon item, quum sapientiam sibi datam testatur, spiritum sanctum intelligit. Id ipsum ostendit Ecclesiasticus, Baruch, et liber Sapientiae, ut Epistola VIII ad te iam citavi. Totum verbi et spiritus arcanum dico fuisse ad Christi gloriam, quia in eo est tota verbi et spiritus plenitudo. O te miserum, si damnare pergas ea quae non intelligis.*

1) par l'estime de l'ame.
2) et suae potestatis *om. Gall.*
3) contre les Manicheens.
4) nisi Calvinus magus. *Haec in solo MS. leguntur.*
5) catholique.
6) vray.
7) *Edd.* et externe et interne.
8) *Haec citatio abest ab impressis.*

VII. Alium a Christo 1) *Deum dixi, alium deitatis modum. Hoc insuper ibi adieci: Quod si hic loquendi modus te offendat, dicas aliam deitatis personam. Quid opus fuit, te in calumniam vertere id quod eodem loco ego iam castigaram? Candidus ubique se ostendit animus tuus.* 2)

VIII. Annon quis dicitur filius eius, a quo genitus est? Ita dico, Deum de sua substantia ab aeterno protulisse filium hunc. Unde dicitur ille ex Deo naturaliter esse.

IX. Verbum est nunc caro Christi unione hypostatica. Ita plane dico, carnem Christi de coelo esse, secundum essentiam deitatis, ipsamque carnem dici manna de coelo datum. Reliqua item concedo, in sensu a me ibi exposito: qualia hic miser emendicas, et primam veritatem omittis, nesciens fidem in qua debeas iustificari. 3)

X. Essentia dicitur, a qua quis sustentatur. Non te pudet, tanta hic referre, et nullam improbationis 4) *rationem adducere? Solo tuo* [pag. 80] *canino latratu putas iudicum aures esse obtundendas?*

XI. Inique in omnibus agis, et falso locum citas. Non ita ego loquutus sum ut mihi tu imponis.

XII. Prima pars verissima est, quam tu utinam bene intelligeres. Christus in se una persona est, sed in eo est vere spiritus sanctus, qui etiam persona est.

XIII. Semen dico, ut Tertulliani locus duodecimus indicat, Irenaeus item ibi citatus, et Philo in primo Dialogo, pag. 201 5) *ubi omnis tua calumnia apertissime tollitur. In loco illo quem citas pag. 23, sermo accipitur pro voce de coelo dicente hunc esse filium Dei. Locum illum nec legisti, nec intellexisti, ideo nihil ad rem facit quod citas. Quod verbi deitas re ipsa aliud sit quam homo filius, quis non videt? Reliqua quae subdis, concedo vera esse.*

XIV. Totum concedo quia deitas egit vice seminis, ut explicui Dialogo primo, pag. 201.

XV. Id item concedo, si ultimum de paternis elementis intelligas, dictum ob idealem eorum in Deo rationem. 6)

XVI. Nihil ego corrumpo, sed utramque inter-

1) A Christo, *non habent edd.*
2) ton courage equitable.
3) *Haec ultima verba:* nesciens . . . . iustificari, *absunt ab edd.*
4) improbationis *om. Gall.*
5) Et selon qu'il en est traicté au Dialogue premier *etc. Philonis nomen om. Gallus et Dialogum suum ipsius de Trinitate laudat Servetus.*
6) à cause de l'idée qui estoit en Dieu.

pretationem recipio, et tu ibi falso omnia citas, et doces.

XVII. Confusus est tibi animus, ut intelligere verum nequeas: metaphoram dico.

XVIII. Autores mecum de persona loquentes iam citavi, nihil omnino ludens, sed proprie dictionibus utens, quibus tu perfide abuteris.

XIX. Corpus Christi est nostro simile, excepta peccati ratione, excepto item, quod ipsum est particeps deitatis.

XX. Transformatio est ibi glorificatio et illustratio.

XXI. Qui adhaeret Deo, unus cum eo spiritus est. An est confusio, quum duo in unum uniuntur? An confunduntur anima et caro, quum unum hominem faciunt? Ignoras miser ipsa rerum principia.

XXII. Quid tum postea? [1])

XXIII. Verum est.

XXIV. Quodammodo, fere, similitudo quaedam est, ut ibidem ostendo.

XXV. Tu te ipsum confundis, non intelligens quae loqueris, quasi id quod in Deo hypostatice subsistit, non sit vera substantia.

XXVI. Persona in Verbo dicitur hypostasis visibilis, in spiritu est hypostasis perceptibilis.

XXVII. Bene habent omnia, nisi esset tibi animus perversus.

XXVIII. Vera sunt omnia, si tu candide intelligas.

XXIX. Vera fere[2]) *sunt omnia, eo excepto, quod spiritus Dei in se non dicitur* [pag. 81] *exstingui. Sed quodammodo exstinguitur in nobis: quia quum nos exstinguimur, ipse recedit.*

XXX. Maxime verum est: et tu miser a Simone mago illusus, id ignoras, ut servum arbitrium statuens, nos facias truncos et saxa. Vide locum ultimum ex Clemente et Petro [1]) *citatum.*

XXXI. Ut plurimum ita solet accipi, in iis qui non erant prophetae. [2])

XXXII. Ita fere omnia in figura contingebant illis.

XXXIII. Mendacium est quod commisces. Nulla creatura erat realiter, nisi ab instanti suae creationis.

XXXIV. In omnibus est Deus, per essentiam, praesentiam et potentiam, et omnia ipse sustentat.

XXXV. Tolle verbum ex eius[3]) *substantia, et reliqua invenies esse vera, teque solum cum Simone mago delirare.*

XXXVI. Verum est, multa in unum ita coire, ut ossa, caro, nervi, anima, forma, spiritus in unam hominis substantiam coeunt.

XXXVII. Scripsi, fateor. Quum tu me aliter docueris, non solum recipiam, sed et vestigia tua exosculabor.

XXXVIII. Locus ipse, quem contra me citas, docet te perfide agere. Nam ibi dico, animam velut mori, et in inferno languentem detineri. Ergo si languet, adhuc vivit. Vide quid de anima superstite ego scribam, pag. 76, 229 et 718. Alia quodammodo dicitur in regenitis anima: sicut propter accidentia nova, dicitur res nova.

---

1) Et puis quel mal y a il?
2) fere *om. edd.*

1) et Petro *om. Gall.*
2) in iis . . . . prophetae *absunt ab edd.*
3) de Dieu.

BREVIS REFUTATIO

ERRORUM ET IMPIETATUM MICHAELIS SERVETI A MINISTRIS ECCLESIAE GENEVENSIS MAGNIFICO SENATUI [1] SICUTI IUSSI FUERANT OBLATA. a)

Cum novis ipsius Serveti conviciis, quibus clarae luci tenebras obducere conatus est. b)

1 Tu te primus accusator offers: deinde curas ut iubearis, dissimulator.

Quum initio dogma illud, vel potius convicium Serveti agitari coepisset, trinitarios omnes esse atheos, ipse pro defensione obtendit nomen trinitatis ab Athanasio, et patribus [1] Niceni concilii fuisse inventum. Huius mendacii ac impudentiae Iustini martyris, Origenis et similium c) testimoniis convictus, non destitit extra causam vagari. Magnificus ergo Senatus noster, ut modum disputationi statueret, [2] nudas propositiones a nobis describi voluit, quae nostro iudicio impiae d) essent, et a recta fide dissiderent: ut si quid excusationis haberet Servetus ipse, in medium proferret, et quibuscunque posset rationibus probaret sua dicta. Deinde, nos ex verbo Domini ostenderemus nihil temere a nobis fuisse damnatum. Hoc praesente Serveto, nec recusante, actum est. Paruimus. Quia omnes errores e) recensere nimis longum erat, quosdam [3] bona fide ad verbum excerptos obtulimus, ut inde iudicium de toto libro fieri posset. Nunc apparet an sibi tyrannidem sorbonicam arroget Calvinus, temere et sine ratione damnando: f) an vero petulanter suo more Servetus, et sine ullo pudore in calumniam torqueat quod simpliciter, ut causae ratio dictabat, et mandatum erat a Senatu, praecipua capita, de quibus [pag. 83] erat quaestio, exposuimus.

1 Trinitas realis est tunc publicata. Antea enim erat dispositio trinitatis, ut ex Irenaeo et Tertulliano docui, nec secus docet Iustinus, ut Origenem in medio relinquam. 2 Tu tibi ita fingis. a) *3 Cainiana homicidiali.* b)

Quod scopum sibi fuisse dicit ut filii nomen probaret ubique Christo homini tribui, facile ex singulis libri eius paginis constat [1] quam frivola sit haec cavillatio. Scopum hunc habuit, ut Dei sermonem, qui carnem nostram induit, [2] negaret quidquam fuisse: [3] negaret a patre genitum ante saecula: et plus quam atrocibus conviciis proscinderet omnes pios, qui [4] fatentur aeternum [5] fuisse Dei filium. Nos quoque asserimus sermonem Dei carne indutum, et Deum in carne manifestatum, proprie, c) et [6] vere esse filium Dei. Et verba Calvini sunt in quinto d) Institutionis capite, Christum etiam [7] quatenus homo est, [8] vere esse Dei filium, licet non humanae naturae ratione. Quare improbe Servetus filium [9] a nobis connotativum fieri mentitur. Interea Christum somniat [10] ideo filium Dei esse, quoniam [11] coelestis sit eius caro ac divina, ex tribus increatis elementis composita. Quod nusquam inveniri in evangeliis filii nomen contendit, nisi de Christo homine acceptum, [12] de ea re nullum est certamen. Itaque tumultuandi causam non habuit: sed [13] ecclesiam scelerate turbavit monstra sibi fingendo, de quibus e) pugnaret. Non mirum sane est si apostoli [14] sermonem Dei in carne exhibitum, filium appellent: sed interea videndum est, an sermo ille non fuerit ante saecula ex patre [15] genitus. Nihil de tam abdito mysterio clarius dici potest, quam quod habetur primo Iohannis capite: nempe quod Deus [16] sermo [pag. 84] apud Deum erat. Nam et maiestas aeterna, et essentiae unitas, et [17] personae distinctio illic diserte exprimitur. Ludit in [18] voce personae Servetus, ideam aut [19] relucentiam esse fingens. Atqui Iohannis verba tale cavillum [20] non ferunt. Et decimo septimo capite, quum dicit [21] Christus gloriam se ab initio habuisse apud patrem, his verbis significat non se gloriam duntaxat vel [22] ideam fuisse, ut Servetus imagina-

---

a) *Hoc documentum describimus ad fidem exemplaris authentici, scribae Calvini manu exarati, cum subscriptione authentica ministrorum, quod asservatur in Arch. Genevensibus. Cui additae leguntur passim Serveti annotationes autographae, quas postea Calvinus libro suo inseruit appositis numeris et minoribus typis ab ipso textu distinctas. Numeri illi semper ad sequentia verba pertinent. Servetus longiores margini adscripserat, breviores inter lineas; nos omnes eo loco apponimus ubi exhibent editiones latinae, hinc inde a gallicis hac in parte discrepantes.*

b) *Hoc Calvini additamentum est, solis latinis editionibus proprium, et a documento manu scripto alienum.*

c) et ceux qui ont precedé le concile de Nice.

d) fausses.

e) *Add.* dont ses livres sont farcis.

f) *Add.* ce qu'il a voulu.

a) Tu le fais acroire ainsi.

b) *Sic in impressis. Autographon habet:* Cain. homic.

c) et Deum . . . . . proprie et *om. in gallico.*

d) *Imo septimo, nunc l. II. cap. XIV.* 4.

e) contre lesquels.

tur: sed potius fuisse [23] sapientiam, quae ex patre [24] genita, et apud ipsum [25] residens, eiusdem esset gloriae particeps. Realis etiam distinctio primo ad Hebraeos capite notatur, ubi apostolus [26] filium appellat expressam [27] imaginem hypostaseos Dei patris. Nisi enim patri sua esset propria hypostasis, non staret illud apostoli, filium esse eius characterem. a) Denique quisquis Deum aeternum patrem agnoscet, sicuti eum scriptura praedicat: aeternum quoque [28] filium non negabit. Quisquis mundum a Deo patre per verbum fuisse creatum fatebitur, [29] realem b) distinctionem concedat necesse est. Et tamen si de verbo nobis rixari libeat, nomen filii Dei Proverb. 30. cap. (v. 4) habetur extra [30] humanae naturae respectum. Caeterum, quoniam hac de re [31] quaedam adhuc suis locis dicenda erunt, nunc pluribus supersedemus.

1 Vide quid initio libri ego proponam pag. 5 et lib. 3, pag. 92 et in Epistola tua prima pag. 577 et in primo principio ad Melancthonem, pag. 689. Quum haec legeris, te ita mentiri pudebit. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Et ego c) *id fateor pag. 182 et 733. 5 Personalem. Non hominem ipsum. 6 Ego hominem ipsum semper dico filium, quemadmodum et scriptura.* d) *7. Et filius quatenus Deus, ergo duo filii. 8 Variae nugae sunt involutae. 9 Ita certe ob gratiam unionis ais hominem dici filium* e), *non naturaliter. 10 Non ob id solum. 11 Ut coelestis manna, Ioann. 6 et secundus homo de coelo coelestis, 1. Cor. 15. Vide quid de ea dicat Origenes a me citatus pag. 270.* f) *— Exemplar eorum in archetypo verbi fuisse dixi, pag. 120, 164 et 193. Sed tu omnia impudenter in malam partem vertis. 12 Imo maximum: nam tu perfide, hominem* [pag. 85] *esse proprie et semper filium non agnoscis. 13 Tu sceleratus eam turbas tuo Simonis magi dogmate. 14 Imo ipsissimum hominem, qui est verbum homo, et Iesus Christus.* g) *15 Personaliter. 16 Nescis quid proprie sit sermo. 17 Verum est. 18 Personam ego propriissime accipio, et tu abuteris. 19 Substantialem. 20 Tibi non intelligenti. 21 Homo. 22 Hypostasin dico veram. 23 Eam ipsam personam Christi. 24 Personaliter. 25 Vere. 26 Hominem Christum. 27 Ut explicui lib. 3, pag. 116 et Tertullianus pag. 41, 336, 353 et 354. 28 Vere. 29 Contra docet Irenaeus, ut loco eius septimo citavi, ac etiam Tertullianus. 30 Mentiris, imo est prophetia de Christo, et ad hominem Christum ita refert. Ignatius ad Philippenses, pag. 31 et Tertullianus pag. 257. Quam sis veritatis inops qui nullum alium de filio locum habeas, quis hoc non videt? 31 Nihil aliud ex sacris adducet: iudicate iam,* a) *et illi triumphos decernite.*

---

a) la vive forme.
b) *Sic MS. princeps et Gallus. Caeteri exhibent:* talem.
c) *Edd.* Et ego ipse.
d) *Notae 4, 5, 6 in impressis falsis locis appositae habentur, non vero in gallico.*
e) Voire, tu dis qu'à cause de l'union il est fils de Dieu, non pas naturellement. *Edd. lat. exhibent:* hominem Dei filium.
f) *Haec annotatio tota ab edd. latinis abest. Quae sub eodem numero sequuntur pertinent ad proxima verba de tribus elementis.*
g) Mais plustost l'homme, voire cest homme qui est I. C.

Quod b) nonnullis veterum testimoniis [1] abutitur, quam indigne depravet eorum verba, vel futiliter, ac de nihilo obtendat, digito monstrare [2] promptum est.

1 Tu abusor futilis et impudens. 2 Scilicet.

Ex Tertulliano.

Primus locus quem adducit, nihil aliud continet quam filium Dei olim patribus apparuisse in [1] forma hominis, ut hoc futurae incarnationis praeludium esset. Quod uno consensu vetusti [2] omnes ecclesiae doctores, adeoque [3] Sorbonici ipsi tradunt. Sed hoc nihil ad Serveti causam.

1 In ipsa deitate subsistente, quam ob id ille vocat Christi personam in Deo: sed tu surdus c) *audire ibi non vis nomen Personae. 2 Nugaris. 3 Nugaris.*

Secundo loco docet Tertullianus semper [1] visum fuisse Dei filium. Hinc colligit Servetus, semper aliquam substantiam visibilem exstitisse, unde conflatum fuerit Christi corpus. Atqui sentit Tertullianus Christum dispensatione, [2] non sua natura, sub typo d) quodam fuisse visum. Deinde in Servetum retorquemus e) haec [pag. 86] ipsa verba. Nam si visus est semper filius, [3] necesse est semper fuisse [4] filium.

1 Nec aliter differre a patre quam per visibilis et invisibilis distinctionem, ut pag. 429, 430 et 431. 2 Sermonis natura est repraesentare: corpus item verbo ob id tribuit Tertullianus. 3 Verum est. 4 Personalem. f)

---

a) iam *deest in edd. lat.*
b) *Hoc comma cum suis annotationibus duabus abest a gallico exemplari.*
c) seul.
d) sous figure et umbrage.
e) nous reiettons ces mots contre la teste de Servet.
f) *Duae postremae annotationes absunt a gallico.*

Tertius locus quum nihil aliud affirmet quam [1] imaginem Dei, ad quam creatus est homo, fuisse filium, nulla indiget refutatione: quia nos semper idem [2] professi sumus.

1 Formam et effigiem carnis in verbo subsistentem tu confessus es? O impudentem tergiversatorem. 2 Mentiris palam contra mentem Tertulliani.

Ex quarto loco nihil probat nisi Christum esse [1] personam Dei: sed vicissim elici poterit ex contextu [2] personam Christi fuisse in patre. Caeterum simplex est [3] scriptoris sensus, refulsisse [4] in filio patris hypostasin, quum eadem esset essentia.

1 Faciem ipsam hominis ait ille a) *personam et imaginem veram in Deo: sed Satan tibi oculos clausit. 2 Utinam hoc tu crederes. 3 Tibi plane ignotus. 4 Quibus Chimaeris.*

Quinti loci summa est, Deum patrem, qui per se est invisibilis, semper fuisse visum in filio. Quod nos [1] libenter amplectimur: non quod filii [2] essentia visibilis fuerit: sed quia per sapientiae suae [3] lucem Deus hominibus affulsit. Et quia verbum Dei vinculum communicationis fuit inter Deum et homines. Quam [4] flagitiose Servetus realem distinctionem evertere conetur, nobis tacentibus cuivis conspicuum est. Quo sensu vocetur [5] formalis dispositio, [6] alibi dicemus.

1 Per Chimaeras. 2 Imo maxime id ibi contendit Tertullianus: Filii substantiam visibilem et corporalem. 3 Tibi caecam. 4 O nebulonem excaecatissimum. 5 Haec est tota nostra quaestio non hic dissimulanda. 6 Ubi? subdole fugit victus. b)

In sexto loco [1] falsarius deprehendetur: c) quia corpus [pag. 87] Christi imaginarium fuisse probare volens Marcion, Pauli dictum arripiebat, quod Christus figura repertus fuerit ut homo: opponit Tertullianus, simul dici fuisse in forma Dei. Atque hinc colligit formam [2] cum veritate non pugnare. Verba sunt: Numquid ergo et hic, qua et in effigie eum Dei collocat, aeque non erit Deus Christus vere, si nec homo vere fuit in effigie hominis constitutus? Utrobique enim veritas necesse habebit excludi, si effigies, et similitudo, et figura phantasmati vindicabitur. Quod si in effigie et in imagine, qua filius patris vere Dei praeiudicatus est, etiam in effigie et imagine hominis, qua filius hominis, vere hominem inventum. a) Servetus autem callide, vel potius [3] nequiter de suo supponit: b) Erat igitur [4] vere imago Dei et hominis in Deo c) relucens, et hominem referens. Deinde, fallaciae suae applaudens exclamat: Aurea verba mente perpetuo retinenda.

1 Tu solus falso niteris corrumpere sensum Tertulliani, qui de imagine, forma et effigie visibili semper loquitur. 2 Sed fuisse formam et effigiem in ipsa substantia Dei, sicuti in substantia carnis: et utrinque figura ipsa, et effigies substantiae accedat. Haec ille. 3 Simon magus semper nequam et perversus. 4 Excluso utrinque phantasmate.

Septimus locus adeo nihil illi suffragatur, ut eius [1] delirium acriter potius oppugnet. d) Quanquam enim non vere, nec ingenue citantur [2] verba: rem tamen videri posse dicit. e) Sed multo [3] clariora sunt quae apud Tertullianum sequuntur eodem loco. Filium enim, vel sermonem substantia carere [4] negat, qui de tanta substantia processit, et tantas substantias fecit. Quaerit deinde an vacua et inanis res sit sermo Dei, qui filius dictus est, f) et ipse Deus cognominatus est. Item, in qua Dei forma fuit? Utique in alia, non tamen in nulla. Item: Quaecunque substantia sermonis fuit, illam dico [5] [pag. 88] personam, et illi nomen filii vindico: et dum filium agnosco, [6] secundum a patre defendo. Totus in hoc est, ut [7] realem distinctionem asserat. Quo maior est Serveti [8] impudentia, et minus tolerabilis, dum in tam clara luce fumos spargere non dubitat. Quod προβολὴν se g) inducere negat, eo consilio facit ut invidiam a se depellat, quam maligne et calumniose struebant haeretici. Interea clare testatur duo h) se dicere, [9] Deum et sermonem eius, patrem et filium eius: sicuti radix et frutex duae res sunt, sed coniunctae; fons et flumen duae species sunt, sed indivisae; sol et radius duae formae sunt, sed cohaerentes. Omne enim quod prodit ex aliquo, necesse est sit eius secundum de quo prodit, non ideo tamen separatum. Ubi autem est secundus, [10] duo sunt: et tertius ubi est, [11] tres sunt. Tertius enim est spiritus a patre et filio. Tandem conclu-

a) *Edd.* illic.
b) *Edd. lat.* Ubi subdole fingit victus.
c) surprins et convaincu.

a) *Quae quid sibi velint fortasse ex gallico elicies:* Or si Christ a esté iugé au paravant Fils de Dieu, entant qu'il estoit en la forme de Dieu, concluons qu'il est vrayement Fils d'homme, entant qu'il est trouvé en effigie d'homme.
b) *Add.* ce qui n'est point en l'Autheur.
c) en luy.
d) il abat toute sa resverie.
e) Tertullien dit qu'on peut estimer la Parolle estre une chose.
f) veu qu'elle est le Fils de Dieu.
g) un iect d'une chose à l'autre.
h) deux choses distinctes.

dit: Ita trinitas per consertos et connexos gradus a patre decurrens, et monarchiae nihil obstrepit, et oeconomiae statum protegit. a) Si qua verecundiae gutta esset in Serveto, an hoc loco ad negandam [12] realem distinctionem abuti ausus foret?

1 Dic, nebulo, quare Tertullianus pag. 422, lin. 4, et 423, lin. 1, sermonem ait esse structum, et constructum spiritu et sophia? Quae fabricatio fuit illa? Visibilis, corporalis, ut ait. 2 Vide lin. 4, 5 et 6. b) *3 Digreditur ne respondeat. 4 Vere. 5 Visibilem. 6 Dispositione. 7 Mentiris. Nihil est tale apud Tertullianum unquam auditum, sed dispositionem tantum. 8 Imo tua.* c) *9 Ut invisibile, a quo quid exsistit visibile, ita ipsemet declarat.* d) *10 Dispositione, ut ait. 11 Dispositione.* e) *12 Nisi Simon magus tibi oculos evertisset, videres ibi nunquam dici realem distinctionem, sed formalem dispositionem. Inter Sermonem et Spiritum distinctionem tollit, et apertissime negat, pag. 442.*

Octavus locus quum nihil doceat nisi filium Dei [1] vere humana carne potuisse indui, quum angeli vere [pag. 89] humanis corporibus circumdati fuerint, aperte pro nobis facit, et Servetum [2] iugulat.

1 Imo vere olim humanam formam habuisse. 2 Iugulatus est Simon magus.

Nonus locus non alio spectat, nisi ut [1] sciamus filium Dei in vera carnis substantia apparuisse. Id Servetus furiose ad suum [2] delirium trahit, quod semper fuerit in Deo visibilis hominis substantia.

1 Imo ut sciamus veram in deitate fuisse olim formam visibilem. 2 Non te pudet in re tam aperta oculos claudere?

Ex decimo loco nihilo plus quam ex aliis elicere licebit, Christum inter angelos patribus [1] apparuisse. Quod nemo unquam negavit. Atque hic quoque scelesta hominis falsitas manifeste tenetur. Verba Tertulliani sunt: Iam tunc sermo Dei et alloqui et liberare et iudicare humanum genus ediscebat in carnis habitu, non natae adhuc, quia nondum moriturae, nisi prius et nativitas eius et mortalitas annunciarentur. Servetus autem adulterinam sententiam illi affingit his verbis: Iam tunc alloqui et liberare et iudicare ediscebat in hominis [2] substantiali forma vera, non ficta.

1 In vera deitatis substantia. 2 Annon ille verus corporalis habitus erat vera substantialis forma?

In undecimo loco citando pudendum in modum delirat. Disputat illic Tertullianus contra haereticos qui [1] carnem Christi a) fingebant in corpus mutatam esse, et contendit diversas esse substantias ac naturas. Servetus vero in contrariam partem rapitur, somnians in spirituali Christi substantia corpoream formam. Quod nihil est [2] aliud quam haereticis subscribere, quibuscum Tertullianus depugnat.

1 Mentiris, imo carnem Christi illi negabant. 2 Deliras. b)

[pag. 90] Duodecimum locum non minus impudenter quam perfide corrumpit. Quasi doceat Tertullianus, Christum hominem, ut ipse imaginatur, ex Deo [1] esse prolatum, et ex patris semine esse [2] filium Dei. Fatemur quidem illic haberi aliquid simile: sed longe diverso sensu. In vulvam, inquit, virginis, verbum suum detulit Deus. Atque ut simplicius respondeamus, non competebat ex semine humano Dei filium nasci. Nisi totus esset filius hominis, non esset et Dei filius. Ergo iam [3] Dei filius ex patris Dei semine, id est spiritu, ut esset hominis filius caro ea sola, quae erat ex hominis carne sumenda sine viri semine. Vacabat enim semen viri apud habentem c) Dei semen. Itaque sicut nondum natus ex virgine patrem Deum habere potuit sine homine, aeque quum de virgine nasceretur potuit matrem habere sine patre homine. Tandem concludit carnem Christi ex carne esse factam, in qua natus est: nempe a matre sola habere substantiam sine semine virili. Atqui tanta est Serveti improbitas, ut hoc colore fucare velit execrandum suum errorem, quod [4] caro Christi conflata sit ex coelesti Dei substantia.

1 Vere prolatum. 2 Vere filium Dei. 3 Memineris Tertulliano idem esse verbum et spiritum, ut ipse testatur pag. 442. Idem etiam est ei sapientia et spiritus sanctus, pag. 369 et 422, quia realem ipse nunquam agnovit distinctionem. 4 Caro Christi ut erat in sepulcro, erat vere particeps divinitatis.

Decimum tertium locum sine controversia am-

a) se maintient en estat de son ordre.
b) *Haec desunt in edd. lat.*
c) *Item.*
d) comme ie le declaire.
e) *Haec annotatio abest a gallico.*

a) qui carnem Christi fingebant *Sic in MS. Gallus habet:* qui imaginent que la Divinité de I. C. estoit changée *etc. Edd. lat.* qui Christi animam fingebant.
b) *Hoc abest ab edd. lat.*
c) puisque la Vierge avoit.

plectimur, modo hoc simul fixum maneat, sermonem Dei, qui carne nostra circumdatus [1] proprie filius Dei et Christus vocatur, merito censeri aeternum Dei filium, qui ante saecula [2] ex patre genitus sit sermo.

[pag. 91] *1 Christum tu ais esse proprie nomen hominis, et filium nomen deitatis. Et nunc sophismate quodam ambo confundis. 2 Genitus ibi Christus Iesus, genitus homo corporaliter.*

Decimo quarto loco frustra impium ac profanum suum errorem tegere conatur. Illic dicit Tertullianus, animam per carnem fulciri omni sensuum instrumento. Hinc minime sequitur [1] animam instar carnis mortalem esse factam.

1 Et tu mihi hoc impudentissime imponis.

Locum decimum quintum calumniose detorquet, [1] quasi spiritualis Christi substantia ab initio fuerit visibilis, quum nihil tale velit Tertullianus, et aliud sonent eius verba, visum scilicet fuisse patrem in filio: quia se per sermonem suum quo placuit modo patefecit. Quod receptum est omnium aetatum consensu.

1 Tam impudens es quam si negares nivem esse albam.

Restat ut pro innumeris aliis testimoniis, quae [1] ventosus nebulo se habere simulat, paucos locos citemus: sed [2] dilucidos et certos, unde genuinum scriptoris sensum intelligere liceat.

1 O Simonem magum, fascinatum hominem. 2 Ridiculus mus. a)

Libro adversus Praxeam, pagina 421, perfectam nativitatem sermonis statuit in mundi [1] creatione, et pag. sequenti, [2] generatum b) esse dicit, quum prodiit ex Deo.

1 Contra te. 2 In creatione. Sed hanc generationem tu penitus ignoras. c)

Eodem libro ratiocinatur filium [1] semper fuisse, quia pater fuit: et [2] distinctos esse, quia relative inter se habeant.

1 In propria persona et substantia. 2 Personali dispositione. d)

a) *Hoc Gallus om.*
b) *Add.* icelle Parolle.
c) Sed hanc *etc. omitt. edd. lat.*
d) *Edd. lat.* distinctione.

Eodem libro, pag. 425: Probamus ex scripturis Deum patrem [1] filium sibi fecisse sermonem suum. Si filium nominat, filius autem non alius est quam qui ex ipso prodiit: sermo autem [2] prodiit ex ipso. Hic ergo [pag. 92] erit filius, non ipse, de quo prodiit. Non enim ipse prodiit ex semetipso. Porro, a) qui eundem patrem dicis et filium, eundem et protulisse ex se ipso facis, et prodiisse quod Deus est. b) Quid apertius quaeri potest ad realem distinctionem [3] probandam?

1 Personalem. 2 Visibilis ex invisibili. 3 Scilicet. c)

Eodem libro, pag. 426, personas sic realiter distinguit. Nam Psalmum 110 citans: Spiritus, inquit, est qui pronunciat, pater ad quem pronunciat, et [1] filius de quo pronunciat. Sic et caetera, quae nunc ad patrem de filio, nunc ad filium de patre, nunc ad spiritum pronunciantur, unamquamque personam in sua proprietate constituunt. Idem argumentum usque ad paginam 428 prosequitur.

1 Filius ibi cum patre confertur, id est, Christus cum Deo, ut ibi exponit lin. 9. Sunt enim prophetiae de Christo homine.

Eodem lib. pag. 429, quomodo idem Christus visibilis sit et invisibilis, disserit. Visibilis, inquit, et invisibilis idem: [1] et quia idem utrumque, ideo et ipse pater invisibilis, quia et filius visibilis. Quibus verbis significat invisibilem fuisse sermonem in sua essentia, dispensatione tamen fuisse imaginem Dei.

1 Praxeas hoc dicebat quod improbat Tertullianus. Sed tu nihil intelligis. Quod verbum etiam fuerit olim invisibile, d) *docui ego facie 96 et 731.*

Eodem libro, pag. 435, [1] realis distinctio non obscure asseritur his verbis: Indubitanter alius ostenditur e) qui fuerit a principio alius apud quem fuerit. Alius Dei sermo, alius Dominus, licet et Deus sermo: sed quatenus Dei filius, non qua pater. [2] Alius per quem omnia, alius a quo omnia.

1 Imo dispositionem ibi vocat lin. 2. 2 Alium ait dispositione, lin. 28.

a) Toi heretique.
b) *Haec ultima verba absunt a gallico.*
c) C'est bien à propos.
d) *Edd. lat.* visibile.
e) S. Iehan nous monstre *etc.*

[pag. 93] Eadem pagina a) uno verbo fulminat contra totam Serveti doctrinam, quum tolerabilius esse dicit [1] duos praedicare divisos, quam unum Deum versipellem.

1 Quasi inconveniens id deducitur quum utrumque negatur.

Quod personae nomine [1] interior hypostasis notetur, patet ex pagina 441, ubi dicit patrem fieri visibilem in filio ex [2] virtutibus, non ex personae [3] repraesentatione. Et paulo post subiicit hoc modo apparere personae utriusque [4] proprietatem. Et se ipsum exponit, [5] quod non visu sed sensu in filio videbatur pater.

1 Et externam et internam ego hypostasin dixi, pag. 705 libri mei. 2 Virtutibus ipsius. b) *3 Scilicet separata: qualem ibi petebat Philippus, ut ait lin. 13. 4 Et actionis proprietate distingui personas, ego aperte docui pag. 273, libri mei. 5 Per opera et miracula, ut ibi ait.*

Nec aliter stabit quod habetur pagina 443, non in unum: nam neque semel, sed ter ad singula nomina tingimur in singulas personas, [1] nisi constet realis distinctio.

1 Quis negat a Deo Patre realiter distingui hominem filium? c)

Eadem pagina ostendit quam procul abhorreat a Serveti delirio, carnem Christi [1] esse ex Dei substantia, quum dicit: Caro Deus non est, ut de ea dictum sit: [2] Vocabitur d) sanctum filius Dei: sed ille qui in ea natus est Deus. Et paulo post, initio pag. sequentis: Igitur sermo in carne, utrumne quasi transfiguratus in carnem, an indutus carnem? [3] Imo quia indutus. e) Deum enim immutabilem et informabilem credi necesse est, ut et aeternum. Transfiguratio autem interemptio est pristini. Omne enim quod transfiguratur in aliud, desinit esse quod fuerat, et incipit esse quod non fuerat. Quare consequens est ut sic caro factus intelligatur, [pag. 94] dum fit in carne, et manifestatur, et videtur, f) et contrectatur per carnem. Si enim sermo ex transfiguratione, et demutatione substantiae caro factus est, una iam erat substantia, ex carne et spiritu mixtura quaedam, ut electrum a) ex auro et argento, et incipit nec aurum esse, nec argentum, dum tertium quid efficitur: ex utroque neutrum est. Atqui invenimus illum usquequaque filium Dei, et filium hominis, Deum et hominem, sine dubio secundum utramque substantiam in sua proprietate distantem: quia nec sermo aliud quam Deus, nec caro aliud quam homo. Tandem concludit: Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in una persona Deum et hominem Iesum. Quod si tertium quid esset ex utroque confusum, ut electrum, non tam distincta documenta paterent utriusque substantiae: aut sermo esset mortuus, aut caro mortua non esset, si sermo esset conversus in carnem.

1 Vere participem. 2 Non ratione carnis, sed ratione spiritus convenit sanctitas: ob idque et ipsum spiritum sanctum ait ibi natum, b) *linea ult. 3 Haec omnia ubique doceo,* c) *et nihil ad rem faciunt. 4 Omisisti xvii. Tertulliani locum de divinae illius faciei Christi visione olim et nunc, et qualiter impletum sit tantum Mosis desiderium quod habuit eam faciem videndi. Pulcherrimus est locus si conferas Irenaeum, pag. 243, cum Tertulliano, pag. 272 et 429.*

Non putamus maiore [1] congerie opus esse: quia satis manifeste et solide his d) convicta est hominis vanitas.

1 Non pluribus opus est, ut ita praeter rem divageris.

Ex Irenaeo. e)

Quum primus locus tantum doceat Iesum fuisse, qui in figura hominis patribus loquutus est, perperam f) Servetus inde [1] aeternum hominis spectrum [pag. 95] elicit. Quod ex pagina 298, citat, prorsus [2] commentitium est.

1 O impudentem. Et quando videbatur, tu spectrum solum fuisse putas? Si non mutabatur Deus, persistebat forma illa divina. 2 Haec sunt ibi verba Irenaei, lin. 23: Mixtionem animae et spiritus divini factam in Adami carne, quae est plasmata secundum imaginem Dei. Erat igitur ibi imago talis qualis in

---

a) Au mesme livre.
b) *Hoc abest a gallico.*
c) *Edd. lat. om.* hominem.
d) *Add.* ce qui sera nay de toy.
e) Imo quia indutus, *om. Gallus.*
f) et videtur, *om. idem.*

a) le metif.
b) *Add.* de la Vierge.
c) il enseigne.
d) *Sic in MS. Princeps et Beza:* hic; *Amst.* hinc; *Gallus om.*
e) *Rubricam om. Gallus.*
f) brutallement.

carne. Spiritum item ait homini insitum, quod magus iste negat.

Locus secundus nihil ad praesentem causam,a) quod Abraham repraesentatione doctus fuerit inter homines futurum Dei filium. Nam ex eo Servetus [1] insulse colligit non esse sermonem, nisi repraesentet.

1 Si vel tuam grammaticam, vel tuam linguam intelligeres, scires sermonis proprium esse repraesentare. Eiusdem significationis ratione proprie apud Gallos dicitur Parolle. *Sed te ita Satanas in omnibus evertit, ut omnibus semper abutaris.*

Tertio loco similem impudentiam prodit. Irenaeus hominis ignoti sententiam recitat, quod immensus pater fuerit in filio mensuratus. Servetus unum ex discipulis apostolorum fuisse [1] divinat. Sed illud leve. In hoc vero sita est improbitas, quod mensurae vocem, quae [2] de mundi creatione illic accipitur, ad Christi substantiam transfert. Se ipsum enim exponit Irenaeus, dicens: Omnia in mensura et ordine facit Deus, et nihil non mensum apud eum, quia nec incompositum. Postea subiicit: Mensura patris filius, quia et capit eum. Quae vero assuit Servetus, propria sunt eius [3] commenta.

1 Ita passim illum citat Irenaeus, et ubique laudat. 2 Mentiris, sed ab alio ad aliud ibi transit Irenaeus. 3 Imo Irenaei et Tertulliani dicta.

Quartus locus inepte adducitur, ubi palam [1] docet Irenaeus, patres spiritu prophetico passibilem vidisse filium Dei, qui tunc impassibilis erat. Hoc vero totum non minus fidei nostrae consentaneum est, [pag. 96] quam figmentis Serveti adversum.

1 Impudentissime, nonne vides ibi agi de visione rei tunc praesentis, et ibi in conspectu positae?

Quinti loci solutio iam ante posita est, [1] ubi tertium locum Tertulliani exposuimus. Nemo enim nostrum sic desipit, ut Christum fuisse neget aeternam Dei [2] imaginem. Imo asserimus [3] imaginem quae in Deo latebat in homine refulsisse. Serveto autem nulla est [4] imago nisi visibilis.

1 Iudicet cordatus lector, et autoris mentem bene notet. 2 Chimaeram invisibilem. 3 Quam? 4 Proprie.

Sextum locum suo more sine pudore depravat. Illic dicit Irenaeus rectam fidem esse in Deum patrem, in unum Dei filium pro nostra salute incarnatum, et in spiritum sanctum, qui per prophetas eam, quae ex virgine est, Christi generationem, mortem, et resurrectionem praedixit. Quam [1] nequiter verba mutet iste corruptor, lectoribus iudicandum relinquimus. Adeo autem frivola est eius illatio, ut nobis verius ratiocinari liceat, [2] Irenaeum duplicem innuere Christi generationem, dum eam, quae est ex virgine, a spiritu fuisse praedictam diserte testatur.

1 Mentiris. Id ipsum quod tu, et ego dico: ut quid tam nequiter insurgis? 2 Quis hoc neget?

Septimo loco mentitur negari [1] realem distinctionem: quia nihil illic docet Irenaeus, nisi totam plenitudinem deitatis esse in filio et spiritu, ut consistat essentiae unitas. Cui consentaneum est quod habetur cap. 48 lib. 2. Lib. 1. cap. 19 nihil aliud habetur nisi quod pater omnia creaverit [2] per verbum. Hic autem falsarius supponit, non fecisse quasi per rem aliam. Consentiunt et alii loci. Nec vero alia est nostra confessio [pag. 97] quam quae illic traditur.

1 Si λόγος ipse est pater, non realiter differt, pag. 118. 2 Id est, per se ipsum, ut ait pag. 126.

Similis in octavo loco citando corruptela est. Negat Irenaeus, ubi scriptura plurali numero Dei meminit, diversos notari deos, [1] sed dispositiones quae in Deo sunt. Servetus pro deorum varietate supponit res distinctas. Emissiones vero, quales Valentinus et alii fanatici homines fingebant, nemo est sanae mentis qui non repudiet.

1 Quales ibi verbum et spiritus.

In nono [1] loco nihil est difficultatis. Imo videtur praevaricari Servetus, qui tam fortiter insistit in probanda Christi aeternitate. Agnoscimus quidem eius cavillum, quod Christi caro aeterna fuerit in idea relucente: sed quod nullo negotio diluitur. Neque enim aliud spectavit Irenaeus, quam Christum, qui in carne tandem manifestatus est, fuisse aeternum a) Dei [2] sermonem, et Deum. b)

1 Imaginem veram ille ait visibilem, c) *tu Chimaeram invisibilem. Nulla hic Calvino difficultas. 2 Hypostasi visibili subsistentem.*

---

a) *Amst. et Gall. add.* facit.

a) tousiours.
b) et vray Dieu.
c) il parle de l'image visible de Dieu.

Decimus locus crassam [1] Serveti inscitiam coarguit. In hoc tantum incumbit Irenaeus, ut ostendat communem adeoque unam esse patris et filii gloriam. Hic bonus interpres hoc praetextu [2] personas miscet, a) ut nulla maneat distinctio.

1 Imo impudentissimum tuum refugium. Locus est apertissimus. 2 Mentiris. b)

Caeterum, ut cuivis pateat quantam iniuriam faciat Irenaeo c) Servetus, dum suis erroribus affinem esse fingit, paucos locos notare operae pretium est.

[pag. 98] Libro tertio, pag. 192: Si non accepit ab homine [1] substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis. Et si non est factus quod nos eramus, non magnum fecit quod passus est et suscitavit. Quoniam autem corpus sumus de terra acceptum, et [2] anima accipiens a Deo spiritum, quicunque confitetur quod hoc factum est verbum Dei, suum plasma in se ipsum recapitulans. d) [3] Sed quia mutilus est locus ille, sumamus quod dicit lib. 4, pag. 214: [4] Venit ad nos unigenitus filius suum plasma in se ipsum recapitulans.

1 Nihil ad rem: contra magos loquitur, qui carnem Christi negabant. 2 Hanc animae deitatem et tu cum Simone mago negas. 3 Alio te confer, tu hic nihil agis. 4 Quis hoc neget? Christus ipse ad nos ita a Deo ipso venit.

Eodem libro, pag. 216, insulsum illud commentum de aeternitate visibilis substantiae [1] refellitur, et asseritur [2] aeterna filii hypostasis. Verba sunt: Omnes qui ab initio prophetarunt, revelationem habuerunt a filio ipso, qui novissimis temporibus [3] visibilis et passibilis factus. Quo etiam pertinet quod dicit eodem lib. 4, circa finem paginae 239: [4] Adest enim Deo semper verbum et sapientia, filius, et spiritus, e) per quos et in quibus libere omnia fecit.

1 Mentiris. 2 Vere. f) *3 Quia antea delitescebat, et demum palam apparuit. 4 Quis hoc negarit? sed audi quid ibi dicat: Substantiam creaturarum* g) *fuisse in ipso Deo, quam nostram deitatem tu excaecatus semper negas cum tuo Simone mago.*

a) personas miscet *om. Gallus.*
b) *Hoc abest ab edd. omnibus.*
c) au sainct homme Irenée.
d) doit recapituler.
e) la Parolle et Sagesse de Dieu qui est le Fils assiste tousiours à Dieu, et semblablement son Esprit.
f) *Hoc abest ab edd.*
g) *Sic MS. cum ed. principe et Gallo. Beza et Amst.:* creaturam.

Loci ex fictitio Petro et larvato Clemente.a)

Quanquam nemini obscurum est librum illum, qui Clementis nomine excusus est, rhapsodias esse ab indocto aliquo monacho male consarcinatas: b) [pag. 99] nihil tamen inde profert Servetus quod non libenter illi demus. Sed ubi omnia obtinuerit, nihil proficiet. Fatemur Dei filium semper inter angelos fuisse principem, summi prophetae officio functum, et per omnes aetates latenter [1] sanctis patribus adfuisse. Iacet nihilominus Serveti causa, c) ut palam appareat hominem communi sensu destitui, dum ita frigide nugatur.

1 Visibili vera forma.

Sed quum sibi tantopere in illis rhapsodiis placeat, qua fronte [1] dissimulat Xisti d) epistolam, quae illic inserta est pag. 76, de aeterna patris et filii et spiritus unitate? Sequitur etiam paulo post epistola Hyginii, pag. 60, qua aeterna filii generatio asseritur, quam probris quibuscunque potest Servetus [2] exagitat. Additur epistola Soteri, pag. 63: Quod Christus secundum carnem factus sit filius, e) secundum divinitatem a patre sit genitus. Quo evertitur impius Serveti error [3] de confusa Christi genitura. In epistola Eutychiani, pag. 78 et 79, asseritur communicatio idiomatum, cui adeo infensus est Servetus, ut dicat mali daemonis afflatu de charactere [4] bestiae sumptam esse, epistola nona ad Calvinum, pag. 602.

1 Ego Petri dicta ibi observo, non aliorum: quanquam et illa recipere possim. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Ego in Apologia, pag. 703, inter verbum et hominem idiomata communicari dico, sine vestris illusionibus.

Miramur etiam quo consilio nunc Ignatium sepeliat, quem hactenus tam superciliose [1] patronum ascivit. f) At ille, quisquis sit, Epistola ad Magnesianos, [pag. 100] pag. 22, [2] Christum a patre ante saecula genitum fuisse [3] praedicat. Idem ad Philipp. pag. 31, docet ad Christum referri debere

a) *Rubrica abest a gallico.*
b) Sur les passages alleguez du livre faussement intitulé à Clement qui a esté basti de quelque sot moine et badin, combien que S. se monstre effronté s'armant de telles fripperies si mal rapetassées, toutesfois *etc.*
c) il ne laisse point de tomber tout plat.
d) sous le nom de Xiste disciple des apostres.
e) *Edd. omnes:* hominis filius.
f) *Add.* se tenant . . . . asseuré de luy.

illud Solomonis, quatenus est Deus sermo: a) Quod est nomen eius, [4] vel nomen filii eius? (Prov. 30, 4.) Idem ad Smyrnenses, pag. 51, testatur [5] unigenitum filium esse verbum Deum: b) ex genere autem David secundum carnem esse filium virginis. Idem ad Ephesios, pag. 74: Habemus medicum Iesum Christum, qui ante saecula [6] filius unigenitus, et in principio verbum: postea vero et homo ex Maria virgine, incorporalis in corpore, impassibilis in corpore passibili, immortalis in corpore mortali. Apertior certe distinctio inter duas Christi naturas exprimi non potuit: quas sic [7] confuse miscet Servetus, ut carnem faciat [8] Deum, et verbum neget [9] hypostasin habuisse a patre distinctam.

1 Ex ipso iam plurima citavi et in Apologia, et alibi. 2 Hominem. 3 Et ego. 4 Scilicet homo Christus, ut ait. Nisi esses caecus, contra te id facere videres. 5 Christum ait. 6 Homo in forma Dei. 7 Mentiris. Formam divinam in Christo nec confusam, nec alteratam, nec mutatam apertissime doceo, pag. 201, et in Epistola tua 6, pag. 590. 8 Dei participem. 9 Mentiris. c)

Brevis cavillationum refutatio, quibus Servetus errores sibi a nobis obiectos diluere d) tentavit. e)

Timuit forte ne iudices nescirent quam facundus esset, ac protervus conviciator, nisi Calvinum initio vocaret [1] homicidam, et multa subinde probra in eum evomeret. Nos autem de rebus ipsis simpliciter agemus.

1 Vere, et Simonis magi sectatorem. Nega te homicidam, et actis probabo. Simonem magum te negare non audes. Quis [pag. 101] *tibi igitur fidem adhibeat, et te bonam arborem credat? In causa tam iusta sum constans, et mortem nihil formido.*

I. Praecise a Serveto [1] reiectum semper fuisse nomen trinitatis quasi sacrilegum et detestabile, ex omnibus eius libris [2] constat. Nunc autem in personali distinctione fucum facit. Nam, ut postea videbimus, persona illi nihil aliud est quam [3] Dei transfiguratio. Omne vero [4] discrimen verbi et spiritus palam abolet, eundem affirmans esse spiritum cum verbo. Nihil ergo excusationis admittit, nec quidquam veniae [5] meretur prodigiosum illud blasphemiarum chaos: quod lectores in locis a nobis citatis reperient.

1 Mentiris. Trinitatem ego voco, et doceo, pag. 22, verissimam trinitatem, pag. 24 et pag. 273 et 704, 705 et seq. 2 Mentiris. 3 Imo hypostatica forma. 4 Reale discrimen tollo, non personale. 5 Detur ergo venia Simoni mago.

II. III. IV. Quia silentio praeterit quae nos gravi reprehensione digna censemus, iudicium ex lectione ipsa fiat. Nec est quod excuset, hodie quoque iactare Turcas obstaculo sibi esse trinitatem: quia non protinus sequitur Mahometo [1] iustam fuisse apostasiae causam. Quod vero in una Dei essentia invisibiles et arcanas hypostases tam superbe [2] repudiat, iam breviter [3] ostendimus cum tota pietatis doctrina pugnare. Nisi enim fuisset realis inter Deum patrem et verbum distinctio, non potuit [4] verbum in carnem descendere quin simul [5] pater homo fieret. Quisquis ergo realem distinctionem patris et filii [6] confundit, patrem e coelesti solio detractum ad crucem rapit. Et Paulus non dicit Christum fuisse Dei formam, quod Serveti figmento congrueret, sed in [7] forma Dei fuisse. [pag. 102] Si ante susceptam carnem erat [8] in forma Dei, realem hypostasin illi eripere fas non est, quae formam hanc in se sustineret: alioqui [9] evanida esset forma a) sine subiecto. Et absurda esset triplex nominis invocatio in baptismo, nisi realiter differrent [10] pater, [11] filius et spiritus. Proprium et separatum singulis tribuitur nomen. [12] Nisi rem agnoscimus in filio et spiritu, sequetur baptismum inani nullius rei nomine quoad patrem et filium lusorie consecrari. Nec moramur [13] Serveti effugium, quod realiter in carne distincta sit a patre filii persona. Nam hinc illa [14] nascitur distinctio, quod Christi caro Deus est. Atqui [15] longe alia deitas, nempe aeterna, nobis intelligenda est. Deinde in [16] spiritus persona constrictus semper tenetur, quod quum invisibilis sit eius substantia, nomen tamen distinctum propriae virtutis ratione habeat.

1 Iustam tu solus fingis impostor. 2 Realem in Deo distinctionem ego repudio. 3 Mentiris. 4 Ignoras miser tanti arcani dispensationem. 5 Persona verbi est homo. 6 Tu solus confusus: sophisticis solis rationibus agis absque scripturis, et ex falsis funda-

---

a) il est Dieu et parolle divine.
b) la Parolle de Dieu est son fils unique.
c) *Notas* 1. 4. 7. 8 *ex MS. correximus.*
d) desguiser ou couvrir.
e) *In autographo singuli articuli suis numeris distincti sunt supra praefixis respondentibus, quos in libris editis omissos nos restituimus.*

a) apparence.

mentis. 7 Idem est. 8 Si erat in forma Dei, formalis erat distinctio: contra te ipsum loqueris. 9 Fabulae: quasi in Deo sint talia accidentia et subiecta. 10 Deus. 11 Homo. 12 Furiis agitatur. 13 Filium proprie de homine dici contendo, ut Christum, ut Iesum. 14 Mentiris. 15 Blasphemia tuis haec est. 16 Spiritus persona perceptibiliter subsistit, ut verbi persona visibiliter. Ita docui pag. 163. 164. 704. 705 etc.

V. Si [1] interne filii in Deo subsistentiam professus semper foret, non turbasset ecclesiam de reali distinctione. Nam vel inane spectrum est [2] substantia, vel res aliqua. Si interne fatetur substitisse in Deo filium, [pag. 103] [3] realiter hunc ab illo distinguet. In verbis nostris [4] nihil est repugnantiae: sed prius coelum terrae miscebit, quam conciliet quae simul coacervat figmenta: nullam scilicet personam esse nisi visibilem, et [5] interne fuisse in Deo filii personam: fuisse ab initio hypostasin filii, et non fuisse nisi figurativum filium: fuisse substantiam Christi futuri in nube, et columna ignis, et ex elementis increatis fuisse in matris utero conflatum. Quare merito conquerimur ipsum dogmatum suorum impietatem fucose tegere, dum personae nomen opponit, [6] non intelligens hypostasin aliquam quae apud Deum intus resideat: sed effigiem, vultum, et repraesentationem.

1 Internam ego hypostasin dico, pag. 704. 705. 734 et alibi passim. 2 Subsistentia vera interne in ipso Deo formata. 3 Non sequitur. 4 Monstrum horrendum. 5 Eadem quae intus erat, est externe exhibita visibilis. 6 Tu te ipsum non intelligis, et clamas ut caecus per deserta: quum sit tibi in corde tam ardens vindictae spiritus, in malevolam tuam animam non intrat sapientia.

VI. In sua responsione palam omnem [1] distinctionem filii et spiritus evertit, ac plenis buccis [2] Sabellium spirat. Unde apparet quidquid prius de trinitate et personis confessus est, mera simulatione fuisse implicitum. Nam si ex animo tres esse in Deo personas concessit, [3] forma saltem et dispensatione oportuit verbum a spiritu distingui. Atqui contendit ipsammet [4] sapientiam esse spiritum, a) ac si diceret, ipsummet [5] spiritum fuisse crucifixum, et resurrexisse a mortuis. Atqui longe aliter Paulus, qui praedicat Christum [6] excitatum esse ex morte a spiritu Dei, Romanorum 8. Et alibi docet [7] Christum fuisse declaratum filium Dei in potentia per spiritum sanctificationis, Romanorum 1. Ad hunc errorem tutandum testimoniis, quae citat [8] inscite vel maligne abutitur. Irenaeus et Tertullianus interdum spiritum cum verbo [9] improprie miscent, quia spiritus in uterum virginis delapsus virilis seminis vicem [pag. 104] supplevit. Iam sapientiae nomen non semper hypostatice sumi fatemur: sed pro speciali spiritus dono. Sicuti quum sermonis fit mentio, saepius intelligitur sermo praedicatus, quam interior ille qui semper apud Deum fuit. Atqui Servetus verbum polysemon eodem sensu [10] ubique arripiens, hallucinationis suae poenam Deo infligere non dubitat.

a) or il debat que c'est tout un, comme s'il disoit *etc.*

1 Realiter. 2 Mentiris. 3 Hoc millies a me dictum. 4 Hoc priori non contradicit: et ita Tertullianus docet, pag. 369. 422. 442. 5 Deliras, homo est vere crucifixus. 6 Nihil contra nos. 7 Hominem. 8 Tu abuteris, nihil intelligens. 9 Solus Calvinus proprie loquitur ut Simon magus. 10 Mentiris.

VII. Mira certe hominis arrogantia, quod quum sibi permittat [1] alium Deum dicere a) pro alio deitatis modo, sic in omnes pios truculente invehitur, qui ausi sunt in Deo uno tres reales personas dicere. Sed quid sibi vult hic novus deitatis modus? b) Ipse aliam deitatis personam interpretatur eodem loco. Unde colligitur [2] nullam fuisse spiritus personam, donec repente a Christi resurrectione emersit. Quare [3] duplex error est, quod spiritui sancto [4] initium personae ab illo tempore assignat, et personae respectu alterum [5] Deum statuit.

1 A Christo. Et tu nebulo aliam deitatem dicere non erubescis. Sed tibi omnia impune licent. Adde castigationem quam loco eodem adieci. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Nihil tale.

VIII. Tametsi invidiam fugitans, c) aliqua ex parte suos [pag. 105] errores hic [1] retractat: haec tamen expositio nullo modo est tolerabilis. Nam si ex Deo [2] naturaliter est homo Christus, et ex Dei substantia genitus quatenus homo est, [3] sequetur non esse illi nobiscum humanae naturae societatem. Atqui haec blasphemia, in qua sibi tam benigne indulget Servetus, totam spem redemptionis funditus [4] evertit. Dogmatis falsitas claro apostoli testimonio refellitur, quum affirmat excepto peccato nobis per omnia fuisse [5] similem. Sed totam redemptionem a radice evelli d) dico, nisi vera humanae naturae similitudo nobis cum filio Dei

a) baptiser.
b) *Add.* sur laquelle il s'excuse.
c) Combien que pour decliner de ce qu'il savoit estre insupportable . . . .
d) est du tout raclée.

[6] constet. Quomodo enim staret illud Pauli: Per obedientiam hominis unius iustos constitui multos (Rom. 5, 19), nisi [7] in eadem natura a) expiatum esset peccatum? Ubi sympathia quam in mediatore necessariam esse apostolus docet (Hebr. 4, 15), si [8] tollatur naturae similitudo? Ubi [9] fraternitas, si carnis originem Christus e coelo traxerit, quae nobis ex terra manat? Ubi spes resurrectionis, nisi Christus mortale et caducum corpus, ac nostro simile semel induisset? Videmus ergo quam [10] exitiale sit hoc commentum, quod vinculum nostrae cum Christo unitatis, quoad humanae naturae communionem, scindens ac lacerans, nos ab eius vita separat. Caeterum, longe aliter eum scripsisse, quam nunc [11] simulet, ex locis citatis patet, ac paulo post ex aliis [12] patebit. Nam passim debacchatur in eos omnes qui sermonem ab aeterno genitum fuisse [13] credunt, quum genitura secundum ipsum nonnisi a carne [14] principium habuerit. Videantur loci.

1 Mentiris, id ipsum eisdem verbis dixeram, pag. 56. 207 et in primis epistolis. 2 Naturali generatione. 3 Fabulae: quasi [pag. 106] *deitatis participatio tollat* b) *humanae naturae societatem. Indigna haec quae coram doctis proponantur. 4 Mentiris. 5 Accepisse omnia nobis similia. 6 Constat vere. 7 Quid? Deitatis expertae? 8 Nugaris.* c) *9 Deitatis positio nihil horum tollit: obsecro te ne te tam frivole torqueas. 10 Exitiali spiritu tu cum Simone mago in carnem Christi stomacharis, quasi non suam illa in sepulcro habuerit divinitatem. 11 Mentiris. 12 Scilicet. 13 Mentiris. 14 Mentiris, imo ab aeterno.*

IX. Scitur quibus olim strophis involvere sua dicta [1] haeretici soliti fuerint: partim ut apertam veritatis confessionem effugerent, partim ut colore aliquo praetexerent quod perverse dixerant. Inexcusabilis est Serveti error, quod [2] anima Christi sit Deus, et caro Christi sit Deus, sicut ipse Christus est Deus: carnem Christi esse de coelo, et de substantia Dei. Duas enim naturas [3] confundit. Imo veram humanitatem [4] redigit in nihilum. Adde quod deitatem quandam [5] passibilem fabricat. Denique omnia [6] permiscet. Tot monstra uno verbo excusat, quod verbum sit caro unione hypostatica. Atqui non est hypostatica unio, quum [7] ipsa humanitas e coelo dicitur venisse. Et expositio ad quam nos ablegat, istas tergiversationes praecidit. Sic enim ipse loquitur, pag. 232: Quod anima Christi in propria divinitatis essentia totam mundi animationem ab aeterno spiret: caro autem de substantia Dei genita habeat essentiam deitatis. Interim nos vocat miseros, et mendicos, qui reprehensionum ansas ex ignorantia primae veritatis captemus. [8] Prima autem veritas illi est, inter [9] duas Christi naturas non distinguere.

[pag. 107] *1 Haereticus hic Simon magus semper in carnem Christi spirat odia. 2 Annon in anima Christi separata erat hypostatica verbi unio eam deificans? Lege quod scripsi pag. 270. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Mentiris. 6 Mentiris. 7 Ipsa caro divina. Si ipse sanguis dicitur sanguis Dei, Act. 20, et caro dicetur caro Dei. Panis Dei dicitur, Ioann. 6 et de coelo. 8 Prima veritas et fides iustificans, est certo credere hunc hominem esse natura filium Dei. Sed tu in cognitione Simonis magi iustificatum te putas. 9 Mentiris.* a)

X. Eadem arrogantia nobis caninum latratum hic exprobrat: quum tamen ne verbulum quidem de nostro protulerimus. Quaerit an nos non pudeat tanta hic referre, et nihil improbare. Nos [1] vero Senatus mandato defuncti sumus. Nec vero, si quid modestiae haberet, debuit illi molesta esse defensionis libertas quae dabatur. Quum dixerit essentiam corporis et animae Christi esse verbi et spiritus deitatem: et Christum [2] ratione corporis et animae esse ab initio, an erat tam foedi erroris improbatio difficilis? Nisi enim reperiatur in carne et anima Christi vera humanitas, et [3] nostrae similis, excepta corruptione, mediator esse desinet: [4] quia homo non erit. Nihilo plus negotii erit in refellendo illo delirio, quod Deus erat verbum et spiritus, verbum et spiritum in corpus et animam varie dispensans. Neque enim obscure [5] transmutationem deitatis in humanam Christi naturam [6] asserit. Quod est Christum prorsus a nobis divellere. Ubi enim fraterna coniunctio, [7] si eiusdem naturae non sumus consortes, sed arcana infusione ex verbo et spiritu ab initio confectus fuit homo ille qui futurus erat [8] redemptor? Deinde quod [9] corpus crucifixum fuit, [pag. 108] et quae anima extremae tristitiae et mortis doloribus subiecta? quum utriusque essentia nihil aliud sit, teste Serveto, nisi verbi et spiritus dispensatio, vel infusio in novam formam? Sed quemadmodum Paulus dicit, [10] haereticum hominem, qui monitus non resipiscit, a se ipso esse reprobum b) (Tit. 3, 11): ita errores isti sine longa disputatione c) se ipsos conficiunt.

---

a) en leur nature mesme.
b) *Edd. gallicae:* estoit *pro:* ostoit.
c) *Nota* 8 *abest ab edd. lat. recc.*

a) *Notae* 6 *et* 9 *absunt ab edd. lat.*
b) reprouvé et condamné.
c) *Edd. lat. Bez. et Amst. om. longa.*

*1 Ita fingis.*a) *Senatus permisit tibi accusatori avido, ut contra scriberes. 2 Ratione deitatis quae in corpore est simul et anima. 3 Et similis est, et deitatem habens. 4 Rem invisibilem ais esse hominem, et ipsum hominem non esse hominem. 5 Communicationem vocas tu transmutationem.*b) *6 Mentiris. 7 Iam pudet toties respondere bestialitati hominis. 8 Utriusque naturae. 9 Verum corpus in quo Deus habitabat, ut ait Ignatius, pag. 12. 10 Qualis est Simon magus.*

XI. Clamat inique secum agi: quando quidem non ita loquutus est. Atqui postquam quaestionem movit: An homo Christus dicatur sapientia, et virtusc) Dei: subiicit de abstractis nominibus magnam esse Scotistis difficultatem, sed Hebraeis nullam: quia tritum sit apud eos vocari Dei [1] quidquid est excellens. Nunc expendant lectores an illa vulgaris loquutio Christi elogio d) conveniat. Qualis enim Christi deitas,e) si tantum [2] excellentia censetur?

1 Ita a minori ad maius viam parabam. 2 Annon et ibi sublimiora de Christi deitate sequuntur?

XII. [1] De prima parte aliquid iam supra attigimus, hominis Christi personam in Deo sumi pro [2] figuratione:f) substantiam [3] pro conflatura illa quae ab eo vocatur Dei in carnem dispensatio. Tales praestigias quum solo nutug) probare nobis velit, cur irascitur si [4] Deo potius credimus? Secundum membrum modis omnibus absurdum est. Exponit quomodo Christus [pag. 109] duas habeat personas, [5] quia in eo vere est spiritus, qui etiam persona est. Atqui excipere licebit: Quia in eo est vere pater, sicuti ipse pronunciat, [6] tres habere personas. Ita elabi non potest quin omnia [7] pietatis principia corruperit.

1 Ioannes dicit se vidisse id quod ab initio est. Quid illud est? 2 Figurationem vocat Irenaeus 217 pag. 3 Novas voces tuo mendacio mihi imponis: tuae igitur sunt praestigiae. 4 Nihil ex Deo tu citas. 5 Negas tu Christum esse vere spiritu sancto unctum? 6 In Christo dico esse Deum, qui est tres personae. 7 Sophismata ab hominibus conficta vocas pietatis principia.

a) Fais l'acroire.
b) *Edd.* transformationem.
c) verité.
d) pour exprimer la maiesté de Christ. *Verba:* Christi elogio *om. Amst.*
e) maiesté.
f) pour une remembrance et substance pour ceste fonderie ou distillation qu'il nomme *etc.*
g) en scilliant l'oeil ou baissant le menton.

XIII. Quum nihil ad rem in sua responsione afferat, tantum ad consideranda eius dicta oculos aperiant lectores. Nam si [1] verbum fuit semen Christi, et res alia a filio, concidit illud, verbum carnem esse factum. Nunc [2] causatur uno in loco se verbum [3] posuisse pro voce patris. Atqui futile est cavillum. Toto enim contextu probandum sumit, quod sermo aliud sit quam [4] filius. Et hoc satis aperte declarat, quum dicit in mundi creatione prolatum fuisse sermonem Christi gratia. Et alibi [5] rorem fuisse naturalis geniturae. Item, Christum fuisse genitum per sermonem. Quum haec omnia contumaciter vera esse defendat, palam est ab eo [6] labefactari redemptionis nostrae mysterium: quia [7] evanescet illud Ioannis: [8] Verbum caro factum est.

*1 Isaiae 45, 55, et Psalmo 71, dicitur verbum ros, nubes, pluvia germinare faciens Christum. Semen exposui, quia deitas agens vice seminis*a) *pag. 201. 2 Mentiris. 3 Non ego, sed Ioannes ipse, ibi citatus, 1. Ioannis 5. 4 Homo. 5 Ita David et Esaias. 6 Mentiris: tua figmenta ego labefacto. 7 Mentiris. 8 Vide pag. 266.*

XIV. Fatemur quidem in formanda Christi carne [1] spiritus [pag. 110] virtutem fuisse loco seminis. Sed hoc nihil ad phantasma Serveti, quod verbum fuerit semen generationis.b)

*1 Eam ipsam ait Irenaeus verbi virtutem, et verbum fuisse semen*c) *commixtum suo plasmati, pag. 263, lin. 1. Ita Tertullianus semen vocat verbum, simul et spiritum pag. 29 et 442.*

XV. Hinc perspicitur quam caeca sit eius obstinatio. Tota scriptura clamat Christum [1] esse semen Abrahae et filium Davidis. Servetus carnem eius ex quatuor elementis conflat, [2] quorum tria fingit increata, ut paulo post videbimus. Ita [3] alienus erit Christus Serveti ab eo, qui olim in lege et prophetis [4] promissus est. Iam in eius dictis implicita est deformis utriusque naturae [5] confusio. Nam hypostasin unam vult commixtam esse ex Deo et homine: quia in unam essentiam [6] coaluerint.

1 Et semen Dei, Malachiae 2, et germen Dei, Esa. 4. 2 Elementa creata quatuor in eo dico sicut in nobis: sed ei addo verbi substantiam, quam exemplarem fuisse dico, vim in eo exprimentem trium superiorum ut roris coelestis, vide pag. 120 et 256. Mysteria magna sunt haec Simoni mago incognita.

a) *Sic in MS. In impressis om.* quia.
b) la Parolle eust esté au lieu de semence.
c) semen *om. edd. lat.*

3 Nihil tale. 4 Talis erat promissus, qui ex verbi rore coelesti germinaret, ut pag. 120 et 256. 5 Mentiris. 6 Ut anima et caro sine confusione. Si substantialis fuit unio, una inde substantia resultat. a)

XVI. Nihil [1] falso a nobis citatum est, sicuti pro solita sua improbitate b) nos insimulat. Contendit enim sic locum apostoli exponi debere, quod Christus a morte liberaturus humanum genus, c) quasi in suum gremium [2] assumpserit. Et huc [3] perperam detorquet octo vel novem scripturae testimonia, ne [4] fateri cogatur Christum esse ex semine Abrahae.

1 Emendatus fuit postea numerus. 2 Et quotidie assumat: nam verbum est praesentis temporis. 3 Mentiris. 4 Nebulo pessime, an id ego unquam negavi?

[pag. 111] XVII. Si [1] metaphora Servetum hic excuset, nihil erit in religione quod non eludere liceat: fatetur personam filii, postquam homo factus est, realiter a patre esse distinctam. Illum scriptura unicum praedicat, [2] Servetus spiritum illi adiungit, quasi secundo genitum. Quid salvum amplius nobis manebit in scriptura? Mutua enim relatio postulat, si Christus unigenitus est Dei filius, ne alterius cuiuspiam Deus sit [3] naturalis pater. Adde quod nominatim illic verbum et sapientiam cum spiritu comparat. Eadem, inquit, figura vocatur [4] pater verbi. d)

1 Qua e) *Christus ait ex spiritu nasci spiritum, Ioannis 3, spiritum sanctum nasci ex Deo docuit Athanasius, ut citavi pag. 41. Id ipsum docet Tertullianus, pag. 443, linea ultima. 2 Mentiris, quia non pari ratione. 3 Vere. 4 Si sine hominis persona verbum intelligas. Nebulo iste sententias meas truncat, ut per fas et nefas mihi imponat.*

XVIII. Quando iam liquido [1] ostendimus ipsum nunquam intellexisse quid veteres sentirent, vel [2] perfide ipsorum testimonio abuti, restat ut illusionem eius observent lectores. Prius confessus est trinitatem sancte credi, modo ne invisibiles [3] personae credantur, articulo primo. Nunc quum [4] unam tantum personam relinquat, neget se versipellem f) esse, si potest.

a) *Not.* 3 *et* 5 *om. edd. lat.*
b) impudence.
c) *Add.* A prins la semence d'Abraham, pource qu'il a receu les hommes à soy. Et pour gaigner sa cause il tire par les cheveux huit ou neuf passages *etc.*
d) Par une mesme forme Dieu est appellé Pere de l'Esprit comme de la Parolle.
e) *Edd.* Quia, pource que.
f) un trompeur qui deguise tout.

1 Mentiris. 2 Tu solus perfide ipsis abusus es. 3 Tres res seu personae realiter distinctae. 4 Mentiris nebulo, sed in hominis creatione unam dixi personalem imaginem, et visibilem faciem, ad cuius imaginem est caro Adae formata. Hoc non tollit spiritum sanctum suo modo dici personam, ac etiam patrem. Itane semper eris sycophanta?

XIX. Quum responsio Serveti cum hac exceptione a) dicat corpus Christi simile esse nostro, ut sciamus b) ipsum esse divinitatis particeps, incogitantiae damnandus [pag. 112] erit apostolus, cui tantum in mentem venit peccatum excipere. Per omnia testatur [1] Christum nobis fuisse similem in natura humana, excepto peccato. Ingerit se ex opposito Servetus, et discrimen longe maius obtrudit, quod Christi corpus ex tribus elementis increatis compositum fuerit, [2] a matre nonnisi quartam habeat portionem, quae etiam ipsa in deitatem [3] conversa est. Atqui longe etiam aliter Paulus, qui secundum carnem affirmat Christum esse filium Davidis, et ex patribus descendisse, 1. et 9. ad Romanos capite. Non particulam carnis illic nominat, sed [4] carnem in solidum, cuius respectu Christus sit Davidis filius. Ubi etiam deitatem palam [5] a carne discernit, docetque Christum esse Dei filium, quod aliquid [6] maius carne habeat.

1 Quod ad hominis proprietates attinet. Tam futilis est obiectio ut si micam frontis haberet Calvinus, puderet eum toties repetere. Dic nebulo, an erat Christus nobis similis in deitate? Detur humanitas Christi ut tu vis, pura creatura: adhuc est illa nobis dissimilis in hoc quod a praesente sibi ipsa deitate illustratur. 2 Mentiris, sycophanta imperitissime: nam quatuor omnia elementa creata ei a matre tribuo: lege quae ad 15. articulum nunc scripsi. Hic ipse articulus 19 a te scriptus te falsarium ostendit. 3 Mentiris. 4 Tota caro, quidquid a deitate secernitur, est ex semine Davidis. Rumpitur magus iste quod deitatis participem faciam Christi carnem, quae de Spiritu sancto genita est. 5 A creatura carnis. 6 Vere. c)

XX. In poetarum fabulis nulla metamorphosis [1] tam ridicula quam ista in verbis Serveti, quod humanam materiam in Deum transformaverit spiritus sanctus: quia [2] glorificata fuerit Christi humanitas. Atqui longe distat [3] qualitas a materia.

1 Ridicule magus agit cum carne Christi. 2 Glorificatio dicitur transformatio, Matth. 17, et Philipp. 3,

a) adiousto une seconde exception au dire de l'Apostre.
b) excepté qu'il estoit.
c) ***Notae*** **5** ***et*** **6** ***absunt ab edd. lat.***

vide Dialogum 2, pag. 270 et 271. [pag. 113] *3 Qualitatem nebulo ais Christi gloriam? Imo substantialis est lux divina.*

XXI. Iudicent lectores numquid excusationis admittant sententiae quas [1] damnavimus. Et tamen [2] elementa rerum nos nescire clamat Servetus, quia non concedimus ex spiritu sancto et anima humana exstitisse Christi animam. Fatemur uniri corpori animam, ut simul hominem efficiant, modo singulis maneat sua proprietas: [3] sed longe aliud est unio, quam substantialis unitas.

1 Sicut damnasti astrologiam, quam nec a limine unquam salutasti. Haec est impudentia tua iudicare quae nescias. 2 Vere, sed solam grammaticam. 3 Ubicunque est substantialis unio, ibi et) unitas: sicut anima rationalis et caro unus est homo, ita Deus et homo unus est Christus.*

XXII. Superbe ridet quod nobis absurdum videatur, Christum non debere censeri creaturam, [1] quatenus homo est. Sed hinc eius securitas, a) quod humanam naturam Christo [2] non tribuit, sed fabricat sibi [3] inane phantasma, ut eum a nobis divellat, ne sit os ex ossibus nostris, et caro ex carne nostra, [4] nosque vicissim caro eius simus.

1 Hoc de tuo adiicis, impostor. 2 Mentiris. 3 Mentiris. 4 Imo vere participes carnis et ossium eius, Ephes. 5.

XXIII. Quando sine difficultate transsilit Servetus quod [1] primis scripturae elementis palam repugnat, eo turpius suum stuporem prodit. Si immediate et corporaliter communicata fuit Christo patris deitas, [2] sequitur ipsum non prius fuisse Deum, quam homo exstiterit. Nam adverbium Immediate b) ideo posuit, ut aeternam verbi hypostasin [3] tolleret. Ad haec reputent lectores qualis sit Christi deitas, si eam nobiscum habeat [4] communem.

[pag. 114] *1 Quae tu omnia ignoras. 2 Ab angulo ad parietem. O dialecticum versutum.* c) *3 Mentiris. 4 Ipsa natura Deus nobis ex gratia suam gloriam communicat, Ioann. 17.*

XXIV. Quidquid praetexat Servetus, absurda est et [1] minime ferenda comparatio. Quid enim affine habet verbi descensus in carnem cum spiritus sancti descensu in animas, nisi quod Servetus [2] mutuatitiam solum deitatem Christo tribuit, ut nos pariter cum ipso faciat deos? Atque illic se ipsum exponit, quod scilicet elementaris sit et [3] divina spiritus substantia quae in nos diffunditur: sicut elementaris et divina fuit corporis Christi substantia. [4] Expendant diligenter lectores, et clare agnoscent sub Christi nomine Servetum imaginari phantasma.

1 Sunt ibi analogiae variae etiam stirpium et vermium. 2 Imo naturalem. 3 Elementari spiritui Christi communicata. 4 Expendant te magum, phantasma absque veritate aliqua.

XXV. Utinam [1] intelligeret Servetus quid sit hypostasis. Quum tamen inscite balbutiat de rebus ignotis, ratione et iudicio privat quicunque eius deliriis non subscribunt. Primo, [2] ideam nobis ponit pro Dei sermone, qui Deus erat apud Deum. a) Deinde, sermonem facit relucentiam, ut sit visibile spectrum, b) [3] non res intus c) subsistens. Tertio, [4] λόγον dicit spiritum Christi. Unde sequetur spiritum carnem esse factum. Ita Christus non erit sermo Dei manifestatus in carne: sed spiritus sanctus homo factus. Quarto, sermonem dicit [5] fuisse lucem sermonis, qua definitione [6] tollitur substantia.

1 Utinam et tu. 2 Et Augustinus, et Clemens Alexandrinus, et alii ita vocant, ut citavi pag. 140 et 141. 3 Mentiris. 4 λόγον ibi dico, et spiritum ibi dico, sed non omnino idem, quum duae semper fuerint hypostases. 5 Lucem Christi dixi, et tu hic sermonem mentiris. 6 Annon d) *lux Dei est substantia?*

[pag. 115] XXVI. Perceptibilem facit hypostasin spiritus, licet visibilis non sit: [1] dicat quo sensu fuerit percepta. e) Et tamen meminisse debuit quam violenter flagellet [2] pios omnes, qui ab intuitu, et figura [3] personam separant. Secum ergo manifeste [4] dissidet, ut iam prius visum est. Ac secundus locus impudentiam eius clarius convincit, ubi dicit [5] umbram spiritus in mundi creatione fuisse: nisi fateri velit [6] hypostasin nihil aliud esse quam umbram. f)

1 Id iam exposui pagina 198: lege si velis. 2 Pietas est errorem docere, sed non criminaliter accusare. 3 Contra vim vocabuli. 4 In quo? 5 Quia

*) *Edd.* est.
a) nonchalance.
b) incontinent ou d'un mesme instant
c) *Hoc ultimum comma om. edd. lat.*

a) laquelle a tousiours esté Dieu.
b) apparence.
c) dedans l'essence de Dieu.
d) *Edd.* an.
e) perceue ou comprinse.
f) il signifie pour tout potage un nombre (?) simple.

non ita lucide tunc illustrabat. Lege paginam 191, 192, 196 et 265. Me omnia explicuisse nosti, et contra conscientiam agis. 6 Nugaris.

XXVII. Ergo victoria Serveti in conviciis erit. Quaeritur enim quomodo Christum intelligat aeternum esse Deum. Haec est eius definitio: Aeternum fuisse Christum, sicuti res alias omnes: [1] quamvis ordine primum esse Christum dicat. Ad tam sacrilegam vocem quum omnes piae mentes exhorreant, uno verbo dicit Servetus a) omnia bene habere. Hic animadvertant lectores quid ei significet persona, idea et hypostasis: nempe [2] imaginariam quandam aeternitatem quae [3] Christo et lapidibus sit communis. Nec vero expositione indiget quod subiicit, Deus aeterna sua ratione b) filium sibi visibilem decernens, hoc modo [4] visibilem se exhibuit. Haec igitur erit Christi deitas, quod aeterno Dei decreto [5] filius est ordinatus.

1 Qui solus erat figura substantiae Dei, splendorque visibilis gloriae: haec verba ibi sunt adiecta, quae tu perfide omisisti, ut sententia mea videretur magis exosa. 2 Imo substantiam vere formalem. 3 Nihil tale. 4 Qualem antea hypostatice praeformavit. 5 Substantialiter formatus et exhibitus.

[pag. 116] XXVIII. Antequam mortuus esset Christus, clamabat Ioannes Baptista: [1] De plenitudine eius accepimus omnes, et gratiam pro gratia. (Ioann. 1, 16.) Item: Non enim dat pater spiritum ad mensuram (ibid. 3, 34). Servetus Christum spiritu suo [2] nudatum proponit. Nec tantum hic agitur de mensura donorum: sed Christum prorsus spiritu [3] novo privat. c) Iam si verum est quod subiicit, quum mortuus est Christus, totam verbi et spiritus gloriam hypostatice in se non continebat. Ergo [4] perdiderat gloriam quam ipse testatur sibi initio fuisse apud patrem, antequam mundus crearetur. Iam quid hoc sibi vult, quod Deus spiritum supervenientem in Christum, veluti in nos spirando, totam deitatem iterum [5] quadam dispensatione spiraverit. Qualis fuit Christi deitas quum mortuus est, [6] si totam deitatem postea in eum spiravit pater? Saltem si diceret humanae Christi naturae infusam esse [7] novam gratiam, plus haberet coloris. Quanquam nullo praetextu excusari hoc potest, quod spiritum [8] novum Christus nonnisi a resurrectione acceperit. Nunc in eo cardine vertitur quaestio, ubinam consistat Christi deitas. Servetus [9] totam deitatem illi spiratam esse dicens postquam a morte resurrexit, [10] semideum fuisse docet, quamdiu versatus est in mundo. Atqui Ioannes affirmat tunc spectatam fuisse eius gloriam quae unigenito Dei filio congrueret.

1 Plenitudinem spiritus semper habuit Christus, sed ante resurrectionem non erat glorificatus, Ioann. 7. Ita dicitur novus spiritus ob novam gloriam. Imo totus ipse Christus est factus homo novus, nova omnia. 2 Mentiris. 3 Deliras. 4 In carne et anima omnia servabantur. 5 Nova gloria. 6 Eandem dispensationem novam. 7 Quid tu gratiam vocas qualitatem [pag. 117] *creatam? Nulla talis est in Christo qualitas: sed ipsissima deitas. Magorum* a) *sunt tuae illae qualitates infusae. Nos participes vere sumus divinae naturae, 2. Petr. 1. Templum Dei nos vere inhabitantis, 1. Cor. 3 et 2. Cor. 6, Ioann. 14, Act. 2. 8. Gloriae. 9 Eandem. 10. Mentiris.* b)

XXIX. Si haec vera sunt, quid iam falsum dicere licebit? Si in Dei substantia [1] partes sunt, et partitiones: si unaquaeque portio Deus est, [2] quid iam non licebit de maiestate Dei comminisci et garrire? Certe non aliter versutum nobis Deum fabricat, ac Protheum quempiam. c) Sed non nova est haec licentia, quum [3] accidentia sibi in Deo fingere permittat, Epistola 7. ad Calvinum. Magis etiam exsecrabile est quod sequitur, [4] spiritus regenitorum coaeternos esse et consubstantiales Deo. Et [5] tamen spiritus ipsos alibi dicit [6] exstingui, non tantum quum morimur, sed quum excidimus a Dei gratia. Plus quam [7] ingeniosus erit artifex, si haec inter se conciliet, substantiam Deo coaeternam [8] exstingui, et Deum esse immutabilem, nec obnoxium obumbrationi.

1 Quadam deitatis dispensatione. 2 Cum Simone mago tu Deum in angulo recludis: ego eum dico esse omnia in omnibus. 3 Entia omnia dico in Deo sustineri. 4 Regeniti sunt vere participes divinae naturae, singuli suis modis, singulisque dispensationibus semper aeternae: in eis est substantia spiritus aeterni, lux aeterna, sedes eorum ab aeterno in ipso Deo sunt praeparatae: regnum eis ita ab aeterno paratum, et eorum nomina ab aeterno in coelis conscripta: Oculus non vidit, nec auris audivit, quae sint haec aeterna in Deo nobis ita parata. Si Calvinus his animum intenderet, non esset in accusando tam exsecrabilis. 5 Vide nebulo primam responsionem. 6 Vide in quo sensu Paulus vetat d) *spiritum exstin-*

a) *Add.* comme se gabant.
b) conseil.
c) *Add.* qui est pour regenerer.

a) illusions de magiciens.
b) *Tres ultimae notae absunt ab edd. lat.*
c) il nous forge un Dieu qui se desguise et transfigure à tous propos.
d) *Edd.* vocat.

qui, 1. Thess. 5. 7 Tu plus quam pessimus. 8 Mentiris.

XXX. En hominis captivi modestia, [1] rabiose clamare Simonis magi esse discipulos, qui substantialem deitatem non constituunt in hominis anima. Atqui [2] nemo [pag. 118] unquam ex prophetis, nemo ex apostolis vel martyribus de hoc spiritu [3] deitatis meminit. Scimus quidem ornatam fuisse hominis animam [4] coelestibus donis, quae gloriam et imaginem Dei referrent: et quidem divinas esse eas dotes libenter fatemur: sed [5] fictitia ista deitas quam halitu Dei Servetus afflatam dicit, nihil infusis Dei gratiis affine habet.

1 Rabies est tua qua usque ad mortem persequeris. 2 Doctores nunc taces, qui omnes in christianismo ita semper docuerunt. 3 Imo Genesis 2 et 6, Iob 33 et 34, Psal. 103, Eccles. 12, Esaiae 42 et 57, Ioann. 1, Act. 17, et plerisque aliis locis. Ita etiam ex Petro, Clemente, Irenaeo, Tertulliano, et aliis omnibus iam citavi. 4 Magicis qualitatibus. a) *5 O blasphemiam horrendam.*

XXXI. Praecise et generaliter [1] negavit, patribus sub lege datum fuisse spiritum sanctum: quum tota scriptura clamet non alio nunc spiritu fideles donari, quam quo praediti olim fuerunt patres, ac nota sit Davidis deprecatio: spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Quum denique nulla potuerit nisi ex spiritu sancto esse fides vel pietas, uno verbulo secure se absolvit. b)

1 Mentiris. Vide paginam 192. Aliter ibi in prophetis, aliter in vulgo accipitur spiritus. Iudaeorum nomine dixi intelligendum vulgum ipsum: in prophetis aliam fuisse rationem: ita pag. 557 et 650.

XXXII. Nos quoque fatemur sub figuris ostensa fuisse patribus quae palam nobis in Christo fuerunt exhibita. Sed hinc sacrilega sua commenta perperam infert Servetus, [1] adoratos fuisse angelos a sanctis, ut deos. Nam de pura unius Dei adoratione non minus recte edoctus erat Abraham, quam quivis nostrum. Nimis ergo indigna est contumelia, [2] angelos fuisse ipsorum deos, et in lege Deum nunquam [pag. 119] fuisse [3] vere adoratum. Quasi nemo tunc ex sanctis [4] intellexerit quid hoc sibi vellet: Deum tuum adorabis. Si Abraham non proprie Christo, sed angelo ipsum adumbranti credidit, [5] ubi illa hypostasis et visio quam magnifice prius extulit Servetus? En quam bene sibi consentiat.

1 In angelo Deus adorabatur, et angelus ipse adorabatur, Iosue 5, et Iudicum 6 etc. 2 Dii ita vocantur, Gene. 20 et 35 etc. 3 Collatione ad nos facta, erat ibi umbra, quum nondum patefacta esset lux veritatis ut nunc. 4 Nugaris. a) *5 Sub velamine delitescebat, ob* b) *Adae peccatum. Sexcentis locis ita explicui.*

XXXIII. Inspiciatur locus, ubi dicit, non modo spiritus iustorum, sed omnium hominum, et omnium rerum lucidas [1] formas fuisse ab aeterno in Deo. Deinde subiicit: In Deo quoque [2] realiter ab initio erant angeli. Iam nos mendacii accusat dum ad verbum falsa eius deliria referimus. Putat impietatem suam tectam fore, si nunc dicat, nihil creatum realiter fuisse, nisi ab instanti suae creationis. Atqui illic disputat quomodo semper in Deo fuerint res creatae. Adverbium autem [3] realiter illic expressum est.

1 Angeli erant realiter postquam creati sunt, nos exemplariter c) *ab aeterno. 2 Nisi esses tu sycophanta, nulla hic esset ambiguitas. 3 De angelis ab initio creatis: secus de nobis, ut tu impudenti mendacio mihi imponis.*

XXXIV. De eo nihil est controversiae, an sit Deus in omnibus per essentiam, praesentiam et potentiam, et an omnia sustentet. Sed [1] hinc non sequitur in omnibus creaturis [2] substantialem esse deitatem. Multo minus, quod ipse coram iudicibus confessus est, pavimentum, quod pedibus [3] calcamus, deitatis esse particeps, et [4] in diabolis omnia deorum esse plena.

1 Idem est. 2 Ex Irenaeo, et aliis id iam audivisti. Substantia [pag. 120] *est a qua sustentamur. 3 Pedem movens, dicebas te in Deo non moveri. Ergo in Satana movebaris: nos in Deo, in quo vivimus, movemur et sumus. 4 Etiam si sis tu cacodaemon, adhuc tamen a Deo sustineris.*

XXXV. Mira hominis ferocia, quod cum Simone mago delirare exprobrat quicunque nolunt esse cum eo Manichaei. [1] Scripsit animam esse [2] ex Dei substantia. Nos enim errorem annotavimus. d) Tollatur, inquit, nomen substantiae, et omnia vera erunt. Cur non ipse sustulit? Imo cur data opera loquutionem affectavit, quam sciebat

a) *Edd. lat. om.*
b) Servet ayant dict du contraire s'absout en un petit mot: qu'il se prend ainsi le plus souvent.

a) *Edd. om.*
b) *Edd. ut.*
c) en patron.
d) *Add.* comme il le meritoit.

esse [3] piis omnibus exosam? Nempe animas ex Dei traduce prodiisse. a) Palam se [4] Manichaeum gloriatur, et se reprehendi non sustinet.

1 Mentiris. 2 Ego creatam animam aperte doceo, pag. 178, 225, 260, et aliis locis. Similitudinem angelos et animas habere dixi, cum substantia spiritus de qua emanarunt. 3 Tibi mago est deitas exosa. 4 Mentiris. b)

XXXVI. Quum protulerit horribilem blasphemiam, ludibundus eam eludit. Convenit inter omnes multa in unum coire. Sed nimis absurda est consequentia, [1] animam effici Deum, ut res creatae et increatae in unam animae substantiam c) coeant, ut anima coniunctum habeat sibi elementarem spiritum, sicuti verbo unita est Christi caro. Quibus deliriis palam est [2] omnia redemptionis mysteria profanari.

1 Nos sumus facti dii, annon ob animae dona? 2 Unde sequitur? dic pessime.

XXXVII. Atqui hominem [1] mansueti spiritus, ac docilem, nihil minus decuit, quam furiosus ille debacchandi impetus, quum dicit [2] paedobaptismum detestandam esse abominationem, spiritus sancti exstinctionem, ecclesiae Dei desolationem, totius professionis christianae confusionem, innovationis per Christum factae abolitionem, ac totius [pag. 121] regni eius conculcationem. Nec uno tantum in loco effutivit haec probra: sed quibuscunque potest maledictis incessit, ac flagellat sacram paedobaptismi administrationem, cuius Deum esse autorem solidis rationibus probavimus. Adolescentes vero donec annum vicesimum superent, a peccato mortali absolvere quam diabolicae superbiae fuit?

1 Talem te erga me esse decebat, etiam si essem ego a malo spiritu illusus, ut tibi apostolus praecipit, 2. Tim. 2. 2 Iam confessus sum me id scripsisse: rationes quibus oppositum doceas non vidi.

XXXVIII. Attendant lectores ad perfidiam, cuius falsa infamia nos gravat. Eius verba nos [1] bona fide recitavimus, ne syllabam quidem, quae ad levandum eius crimen faceret, omittentes. Nunc causatur se ibi dixisse animam velut emori. Hoc quidem verum est d): sed eius impietatem magis

a) sont tirées comme un bourgeon de la substance de Dieu.
b) *Edd. lat. hoc om.*
c) substance de l'ame.
d) vray est qu'il dit que l'ame separée du corps est comme morte.

exaggerat. a) Quum enim illa similitudinis nota extenuari videret mortem animae, subiecit: [2] Insigniore alia ratione per peccatum b) anima reddita est mortalis, sicut et caro, etc. Librum [3] certe excudere non debuit, nisi in tam manifestis calumniis deprehensus teneri vellet. Alibi quidem non negat animas a morte esse superstites: sed naturali privatione imbecilles factas, ut quasi leves umbrae a geniis c) agantur, ex se ipsis vix quidquam valentes, pag. 229. Cui et alterum hoc addatur ex pag. 233: Animae ipsius elementa diximus corruptibilia et ob id eam in ambientem difflari, substantia sua quasi d) nudatam: ac deinde cacodaemoni quodammodo subditam ob Adae peccatum in inferna trahi, quasi nunquam amplius corpori restituendam. Quid certo statui vult de suis dictis, quibus nunc in aerem difflantur elementa e) [pag. 122] animae, nunc substantia sua quasi nudantur, nunc dicuntur quasi mori, nunc insigniori ratione in mortem cum carne traduntur.

1 In priore accusatione aliter mentitus es. 2 Spiritualis mors, seu peccati mors dicitur insignior. Quid hoc ad Calvini rabiem? 3 Utinam tota magia tua esset adhuc in ventre matris tuae.

Quia ex immenso [1] errorum labyrintho, f) si singulos essemus persequuti, vix unquam emergere licuisset: satius fore duximus, specimen tantum edere. g) In ipsis autem responsionibus danda est brevitati nostrae venia, propter temporis angustias. Fuit enim bidui tantum lucubratio. Quanquam excusatione hoc non indiget, quum abunde sufficiat eiusmodi portenta ante oculos posuisse. Monendi tamen sunt lectores, hunc infaustum hominem nullum doctrinae caput intactum a suis corruptelis reliquisse. In libero arbitrio [2] Pelagianus est. Perfectionem iustitiae statuit, ut [3] Cathari, Novatus, et similes. Legem Dei sic [4] abolet, ut cuique suus afflatus sit vivendi regula. Fidem a promissionibus discerpit. Gratuitam fidei [5] iustificationem labefactat. Patres, qui sub lege mortui sunt, omni gratia spirituali [6] privat, quasi instar porcorum saginati in terra fuerint. Sua phantastica regeneratione simplices in diaboli laqueos praecipitat, planeque hac in parte Libertinus est. Latius etiam impietatis suae venenum sparsit. Nam ante annos duodecim excusa sunt Biblia Lugduni, quorum margines multis perniciosis commentis inqui-

a) aggregat. *Amst.*
b) per peccatum *om. Gall.*
c) les diables.
d) presque.
e) elementa *om. edd. tam lat. quam gall.*
f) *Add.* que contiennent les livres de Servet.
g) *Add.* dont on peut iuger que c'est de tout le reste.

navit.a) Norunt fideles nusquam melius in veteri testamento virtutem mortis Christi testatam esse, quam Iesaiae 53. Quae de reconciliatione nobis parta, de scelerum [pag. 123] expiatione, de maledictione sublata asserit propheta, ad Cyrum hic corruptor detorquet, quod in eius morte Iudaei iustas scelerum suorum poenas dederint. Quisquis ergo vere et prudenter reputabit, hunc illi scopum fuisse agnoscet, ut luce sanae doctrinae exstincta totam religionem everteret.

1 Utinam mihi liberum esset errorum tuorum facere catalogum. 2 Quicunque non est Simon magus, est Calvino Pelagianus. Omnes igitur quotquot fuerint in christianismo, sunt a Calvino damnati: etiam apostoli, etiam apostolorum discipuli, etiam veteris ecclesiae doctores, ac reliqui omnes. Nemo enim unquam liberum arbitrium penitus sustulit nisi Simon iste magus. 3 Mentiris. 4 Mentiris. 5 Mentiris. 6 Mentiris nebulo pessime.

Ioannes Calvinus b)
Abelus Poupinus
Nicolaus Gallasius
Iacobus Bernardus
Franciscus Bourgoinus
M. Malisianus
Reimondus Calvetus
Ioannes Pyrerius
Michael Copus
Ioannes Baldinus
I. a Sancto Andrea
Ioannes Faber
Ioannes Macarius
Nicolaus Colladonus.

a) Il a aussi espanché son venin plus loin comme nous avons monstré des Bibles imprimées à Lion où il renverse et aneantit tout le principal de nostre salut. *Sequentia:* Norunt . . . . . dederint *om. versio* gallica.

b) *Hae subscriptiones autographae exstant quidem in documento manu scripto, item in apographo Commentariis Ministerii inserto, non vero in editionibus impressis. In ipsis his commentariis (Reg. de la Vénérable Compagnie T. II. p.* 15) *additur in fine clausula Serveti haec:* Hactenus est satis conclamatum et magna subscribentium hic turba. Sed quos locos isti adducunt ad statuendum invisibilem illum et realiter distinctum filium quem asserunt? Nullos sane adducunt nec adducent unquam. Hoc decebat tantos eloquii divini ministros qui et ubique iactant se nihil velle docere quod non sit solidis scripturae locis demonstratum. At nulli tales loci nunc inveniuntur. Improbata est igitur doctrina mea solis clamoribus, ratione vero nulla, autoritate nulla. *Eadem exstat in exemplari authentico propria Serveti manu scripta.*

Michael Servetus subscribit solus hic quidem sed qui Christum habet protectorem certissimum.

Postquam sua convicia a) ad satietatem usque evomuit Servetus, clarissimus Senatus noster, quo certius ferret iudicium, et minus obnoxium calumniis, ad quatuor Helveticas ecclesias misit: Tigurinam, Bernensem, Basiliensem et Schafusianam, deque tota causa earum consuluit pastores. b) Ne conqueri posset Servetus se multiplici concertatione a nobis obrui, ultimas eius calumnias relinquere intactas maluimus, quam nobis sumere quod iure nostro licebat. c) Quin etiam agnoscent lectores, ita nos brevitati studuisse, ut non tantum ab omni fuco procul abfuerimus, sed parcius, quam res ferebat, nos continuerimus intra iustae expositionis metas. Nempe quo simplex et perspicua veritas in conspectum iudicum veniret, breviter tantum delibavimus summa capita: ut facile appareat nos usque esse progressos, quo officii necessitas cogebat. d) Venerandi autem fratres nostri, quos fuisse consultos diximus, quum pro singulari [pag. 124] sua pietate, et eximio in ecclesiam Christi studio, strenuam legendis omnibus operam navassent (quod ferebat eorum fides) cordate responderunt, totum librum detestabile esse monstrum ex innumeris erroribus conflatum. Denique uno omnes consensu, et quasi uno ore pronunciarunt, non minus sincere quam iuste reprehensos a nobis fuisse errores, quorum causa clamabat Servetus sibi plus quam atrocem fieri iniuriam. Itaque supervacuum fore putavi singula responsa ordine recensere. Tantum ut sciretur nihil amplificandi causa a me hic fuisse dictum, Tigurinae ecclesiae epistolam tanquam specimen proponere libuit, quae adeo nihil ab aliis diversum continet, ut inspecta liquidam omnium fidem factura sit. Nec vereor ut reliqui in malam partem accipiant, suas esse suppressas, quasi par honor non fuerit illis habitus. Nihil enim minus illis propositum fuit quam se mundo venditare: et hoc sancti consensus testimonium longe pluris ipsis fore scio, quam si quid singuli privatum et singulare haberent. Magis a fratribus nostris Tigurinis petenda erit venia, quod passim legenda profero quae paucis scripserant. Sed quia sic postulat publica ecclesiae utilitas, quae apud illos praeponderat, meae fiduciae, ut spero, facile ignoscent.

a) *Add.* que i'ay bien voulu icy reciter.

b) *Add.* leur communiquant le tout, afin qu'ils se peussent mieux resoudre pour en donner leur bon advis.

c) nous fusmes contens de luy laisser le dernier mot. Ainsi nous ne touchasmes point à ses belles repliques et soufrismes en nous taisant d'avoir esté ainsi denigrez comme on voit.

d) qu'il y a eu plustost moins que trop de nostre costé.

CLARISSIMIS SYNDICIS, ET AMPLISSIMO SENATUI GENEVENSIS REIPUBLICAE, DOMINIS NOSTRIS COLENDISSIMIS. a)

[pag. 125] S. P. Accepimus per hunc tabellionem literas Amplitudinis vestrae una cum libro Serveti et articulis ex ipso consignatis, cum collatione scripta per Amplitudinis b) vestrae concionatores, fratres nostros venerabiles et caros, et Michaelem Servetum. Ac quoniam illa omnia a nobis inspici, diligenter expendere, c) et nostrum de his iudicium adiicere pietas vestra postulavit, Amplitudini vestrae morem gerentes, quid de toto hoc negotio unitatis et trinitatis Dei, denique de filii Dei mysterio sentiamus et doceamus, ac quid de controversia et scriptis ministrorum ecclesiae vestrae et Serveti iudicemus, quanta possumus brevitate et perspicuitate, Amplitudini vestrae, Deo iuvante, explicabimus. Mysterium adorandum unitatis et trinitatis Dei benedicti in saecula, nihil dubitamus ab exordio mundi ab omnibus sanctis et creditum esse firmiter, et posteris credendum fideliter traditum, sed et in scripturas manifeste relatum, a spiritu sancto inspiratis veracibus prophetis. Hoc ergo theologiae verae principium et caput ita est comprobatum Dei oraculis, ita confirmatum evidentibus signis, unanimique consensione receptum a catholica et orthodoxa, d) tam veteris quam novi testamenti ecclesia, ut ipsum vel in quaestionem vocare nefas semper fuerit iudicatum. Fatemur itaque cum sancta et universali Dei ecclesia, unam esse Dei essentiam, tres personas distinctas, non confusas. Pater enim de coelis testificans [pag. 126] de filio suo: Hic est filius meus dilectus, inquit, in quo placatus sum. Filius is est cui tulit pater testimonium: spiritus sanctus vero in specie apparuit columbae, tres quidem distinctae in una essentia divinae personae. Emerserunt quidem ante concilium Nicenum Praxeas, Noethus et Sabellius, veteribus nuncupati Patripassiani, e) qui distinctionem personarum propter unitatem Dei conservandam confundebant. Sed docte et irrefragabiliter a vigilibus ecclesiae praesidibus sunt confutati, scripturisque propugnatum, et in ecclesia conservatum adorandum trinae unitatis Dei mysterium. Unde certum est in concilio Niceno ecclesiae praesides non aliud nobis symbolo condito tradidisse, quam quod a temporibus apostolorum, imo et prophetarum, a) catholica et orthodoxa retinuerat ecclesia. Quod ergo Servetus Hispanus trinitatem coaeternam Dei triceps monstrum, ac Cerberum quendam tripartitum, denique deos imaginarios, illusiones, ac tres spiritus daemoniorum appellitat, aeternam Dei maiestatem nefande et horribiliter blasphemat. Quod Athanasium, Augustinum, et alios Dei servos eximios, illustriaque ecclesiae lumina, trinitarios atque adeo atheos nuncupat (ita enim omnes trinitatem agnoscentes appellat) b) non illos tantum, sed totum chorum sanctorum, adeoque totam Christi ecclesiam infandis c) et non ferendis conviciis indignissime proscindit. Abominandum vero illud esse videtur in homine infelici, quod Iudaeorum quoque blasphemias in christianam religionem effusas excusat, et foeda haec Mahumetis verba, tres in trinitate personas, vel, ut ipse ait, tres deos patribus [pag. 127] fuisse incognitos, d) et esse filios Beelzebub, approbat et extollit. Quid vero potuisset ab hoc homine magis impium in Deum, et indignius in intemeratam fidem christianam exspui? Quae, obsecro, aures christianae ista patienter audiant?

De filio Dei concorditer credidit et docuit ecclesia Dei, ab initio subsistere illum ab aeterno in propria hypostasi. Hoc enim docta fuerat ex verbo Dei, Domino ipso apertissime in evangelio dicente: Antequam Abraham esset, ego sum: (Ioann. 8, 58) utique substantia non carnis quidem, sed divinitatis. Iuxta quam apostolus (Hebr. 1, 3) illum dixit e) esse expressam imaginem substantiae paternae: ubi simul illud ex veteri scriptura citat testimonium: Filius meus es tu, ego hodie genui te (ibid. v. 5. Psal. 2, 7). Hic filius qui est ab aeterno Dei filius, Deus verus, in tempore factus est hominis filius, homo verus: natus non ex substantia Dei patris, sed ex substantia Mariae virginis matris, quam Deus spiritu suo foecundam reddidit, f) unde filius ille, et semen benedictum mulieris, et germen Davidis, et filius hominis appellatur. Manet autem in una indivisa persona, retinens tamen naturas duas impermixtas, aut inconfusas, divinam et humanam. g) Id quod adeo perspicuis et evidentibus

a) *Collatum cum autographo in Arch. genev. asservato.*
b) per vestros concionatores *edd.*
c) expendi *edd.*
d) et orthodoxa *om. Gall. hic et infra.*
e) *Add.* d'autant que selon leur phantasie le Pere avoit souffert comme le Fils.

a) imo et prophetarum *om. Gallus.*
b) *Parenthesim hanc om. Gallus.*
c) nefandis *edd.*
d) ignotos *edd.*
e) *Edd.* dicit.
f) a rendu fertile pour concevoir.
g) divinam et humanam *om. Gall.*

scripturae testimoniis comprobatum iam olim et nunc esse constat, ut qui addubitet cum ratione insaniat. Nos ideo simpliciter et concorditer, ita ut iam exposuimus, firmiter credimus, et in ecclesia fidei nostrae concredita praedicamus.

Rursus ergo blasphemus in Dei filium deprehenditur Servetus, qui illam ab aeterno filii hypostasin exsistentem et patri coessentialem et coaequalem,a) diabolicam ideam, et fabulosam quandam Chimaeram conviciari [pag. 128] non veretur. Insuper asserere audet, corporalis filii patrem alium non esse ullum quam ipsum Deum patrem, ex cuius substantia caro filii natab) sit. Longe aliter docuit doctor gentiumc) Paulus, (Rom. 1, 3) qui dixit filium Dei genitum fuisse ex semine David secundum carnem, et declaratum filium Dei in potentia et spiritu sanctificationis etc.

Caeterum cur singula istius blasphemi hominis recolligere pergeremus? Satis diligenter et fideliter enormes aliquot istius errores, et apertas haereses collegerunt ecclesiae vestrae pastores et doctores, eo scripto cui titulum praefixerunt: Sententiae, vel propositiones excerptae ex libris Michaelis Serveti. Eas nec per calumniam excerptas invenimus aut consignatas, nec illas ulla ratione recipimus, aut approbamus, sed exsecramur potius. Nam Servetus responsione sua mox subiectad) rem involvit, non explicavit: depravatis interim multis veterum de unitatee) et trinitate Dei, deque filii Dei mysterio sententiis. Id quod ministri ecclesiae vestrae satis perspicue opposita responsione evicerunt. Replica vel scholiaf) Serveti, praeter extremam impudentiam, et convicia dira, parum aut nihil habent. Toties enim illud suum Mentiris Calvino impingit, toties magum, et Simonem magum criminatur, ut meminisse pigeat ac pudeat: praesertim quum res ipsa clamet, et scripta Serveti diligenter expensa testentur, nihil confinxisse Calvinum: Servetum potius ea quae dixit, rursus negare, ac fuco aliquo tingere. Calvini pastoris vestri et fratris nostri fidem et diligentiam, denique egregia in exsules ac pios merita, illustriora esse speramus, quam quae istius criminationibus indignissimis, vel apud [pag. 129] Amplitudinem vestram, vel apud alios viros bonos obscurari possit. Neque hoc dissimulat Amplitudo vestra, quae (quod non sine animi laetitia legimus) diserte scriptis literis significataa) iudicium a nobis non requirere, quod ecclesiae vestrae ministris diffidat, sed potius ut nostrum quoque de his non nesciat iudicium.

Porro quomodo Amplitudo vestra coerceat hunc hominem, qui olim ab ecclesia per scripturas convictas et damnatas haereses renovat, ac prima fidei nostrae firma capita oppugnat, oppugnandoque Deo et sanctis eius conviciatur, vestrae prudentiae aestimandum relinquimus. Si non fallit nos similitudo nominis, movit hic Servetus hoc ingens malum ante annos viginti, conante tum beatae memoriae Domino Iohanne Oecolampadio ipsum reducere in viam. Ac tum quoque doctrina Serveti ab iis qui primi hisce regionibus evangelium Christi praedicarunt, condemnata fuit. Ille vero sui sensus tenax, nihilo minus anno 1531, curavit edi in Germania septem libros de Trinitatis erroribus, et aliquot dialogos: quibus dubium non est quamplures parum exercitatos in scripturis, et infirmiores in fide, praecipites actos in grave quum animarum tum corporum discrimen. Quo tamen adeo non fuit satiatus, ut modo recusis pestilentissimis erroribus et blasphemiis non ferendis, semetipsum in impietate et blasphemia superare, et corruptissimam doctrinam sub specieb) Restitutionis christianismi ecclesiae obtrudere pergat. Multa ergo fide ac diligentia contra hunc opus esse iudicamus: praesertim quum ecclesiae nostrae [pag. 130] apud exteros male audiant quasi haereticae sint, et haereticis faveant. Obtulit vero in praesenti sancta Dei providentia occasionem repurgandi vos simul ac nos a prava mali huius suspicione: si videlicet vigilantes fueritis, diligenterque caveritis ne veneni huius contagio per hunc serpat latius. Id quod facturos A. V.c) nihil dubitamus.

Dominus Iesus Christus conferat pietati vestrae sapientiam et fortitudinem, viam, rationem et modum iustum faciendi voluntatem eius ad gloriam nominis ipsius, et ad fidei sincerae ecclesiaeque conservationem. Simul offerimus Amplitudini vestrae nostra obsequia, commendamusque eidem nos omnes. Caeterum per tres dies integros tabellionem hunc vestrum detinuimus, quod non potuerimus nos citius explicare. Datae Tiguri, 2.d) Octobr. Anno Dom. M. D. LIII.

Vestrae Amplitudini dediti
Pastores et Lectores, ministri
ecclesiae Tigurinae.

a) d'une mesme maiesté.
b) caro filii nata sit: il est engendré.
c) doctor gentium *om. Gall.*
d) mox subiecta *om. G.*
e) la divinité des personnes.
f) cottations.

a) significans *MS.*
b) sous ce titre.
c) *Edd.* facturos vos.
d) *Edd. habent:* XXI. *quod cum rerum gestarum serie, ut ex actis causae patet, minime congruit.*

Etsi [1]) autem illa ratio quam in causae actione tenui, nunc quoque mihi sufficere videtur, ut mediocrem duntaxat Serveticae doctrinae gustum habeant lectores: [2]) quia tamen subobscura forte esset concisa illa, qua usi sumus, brevitas, eius summae quam proposuimus, uberior iam et plenior texenda est explicatio. Nam quum ad homines peritos et exercitatos mittenda erat nostra scriptio, ideo restricti fuimus, [3]) ne prolixa et anxia tractatio tum illis taedio esset, tum aliquam daret suspicionem diffidentiae. Absurdum vero erat [pag. 131] pluribus verbis obtundere eorum aures, quibus res perinde ac nobis conspicua erat. Lectorum quibuscum nunc ago, diversa ratio est, quorum plerisque ne auditum quidem unquam fuit Serveti nomen: maior pars non ita familiariter versata est in scripturis, ut per se, et absque monitore, quale sit doctrinae genus rite iudicet: quidam metu tardiores erunt: [4]) alii forte falsis rumoribus occupati, opus habebunt acrioribus stimulis: alii denique maligno spiritu imbuti, nunquam, nisi cogantur, veritati cedent. Et tamen haec quoque explicatio sic erit temperata, ut ne morosis quidem lectoribus afferat fastidium. In primis vero a me dabitur opera, ut simplex rerum cognitio absque ullo verborum ornatu se oculis offerat. Idque tum pro meo ingenio et more faciam, tum vero ne in illud probrum incurram quod nobis in persona Philippi Melancthonis obiicit Servetus, nos solo dictionis lenocinio saturari, et affectata rhetorica falsitatem illecebris ornare. [5]) Scilicet fucum sermonis affectat Melancthon, qui tam procul abest ab hoc vitio, ut adventitium omnem ornatum non minus sedulo fugiat, quam anxie et putide illum accersit Servetus. [6]) Nemini enim obscurum est, nonnisi per eum stare quominus splendidior illi eloquentia surgat. Nitida illi quidem latini sermonis puritas ubique constat. Ut apte, dilucide et proprie loquatur, mediocre studium adhibet. Facundiam tamen quae illi sponte flueret, data opera sic restringit, ut multi splendoris cupidiores ieiunum et exsanguem esse querantur. Et hanc Melancthoni notam aspergit Servetus, cuius lutulenta verbositas plus quam ventosis [pag. 132] ampullis turget. [1]) Natura disertus est Melancthon: Serveto [2]) quanta eloquentiae ambitio fuerit, hinc apparet, quod sollicite cavet ne quam verborum elegantiam omittat, suas copias sine delectu et modo ostentat, flatusque suos ubique proiicit. De me nihil dicere attinet: nisi quod genuina orationis meae simplicitas nullo se laborioso artificio politam esse clamat. Adde quod nimis absurdum est, invidiam ex dicendi gratia nobis ab eo conflari, qui passim linguarum omnium inscitiam non mihi solum, sed ipsi quoque Philippo exprobrat, ut nos ad discenda grammatices principia remittere non dubitet. Quod apud Servetum sequitur, magis in sanctos Dei prophetas quam in nos contumeliosum est. Spiritum sanctum negat unquam per talia organa loquutum esse. Quasi non multo comptior sit sua lingua Davidis, et illustrior Iesaiae dictio, quam multorum scriptorum qui apud Graecos et Latinos habiti sunt facundi: sed nullo habito delectu, hoc unum spectavit nugator, ut solus cum suo profluvio libere tonaret. [3])

Quum scopum sibi totum fuisse praefatus est, ut filium Dei ostenderet esse Christum qui in carne exhibitus fuit, [4]) minime dubium est quin tenebras offundere voluerit iudicibus, quos putabat in hac disceptatione parum esse exercitatos. Ergo ne hoc integumento tam crassa monstra obrueret, quae a nobis in medium producta erant, eius vafritiem cum pari impudentia coniunctam refellere mihi et collegis necesse fuit. Sed quia me solum nominatim aggreditur, in me libenter quidquid actum est suscipiam. Me insimulat mendacii, quia cum falso et per [pag. 133] cavillum profiteri dixi, illum sibi fuisse scopum: facilis defensio est, si qua tamen in re tam manifesta requiritur. Nunquam enim negavi unum hoc fuisse ex falsis eius perversisque dogmatibus: sed flexuosum serpentem e suis latebris extrahere cupiens, admonui, quod verum erat, minime in eo verti totum quaestionis statum. Omitto [5]) immensam errorum congeriem, cuius foetores paulo post movendi erunt. Nulla enim doctrinae pars est, quam non vesano quodam pruritu, vel magis oestro percitus labefactare conatus

1) *Huic parti praemittitur peculiaris titulus in ed. gallica:* Plus ample declaration des erreurs abominables de Servet, faicte par Iean Calvin.

2) *Add.* pour leur faire cognoistre qu'il a esté un heretique du tout pervers.

3) mes compagnons et moy.

4) *Add.* se deffians à cause de leur ignorance de comprendre ce qui en est, sinon qu'on les aide.

5) *Add.* Vray est que Servet parle ainsi, mais en cela voit-on l'honnesteté de l'homme.

6) comme au contraire Servet se monstre inepte et badin, empruntant ça et là ie ne say quelles elegances lesquelles luy séent aussi bien qu'un iaseran à une truie.

1) Voire luy qui est enflé comme un crapau et iette de si grosses escumes en son babil qu'il ne tiendroit pas à luy qu'il ne se fist ouyr de bien loin.

2) Servet estant destitué de grace arrache de son gosier tout ce qu'il pense luy pouvoir servir à se monstrer et souffle comme à pleine bouche pour faire retentir son stile, iettant à tort et à travers tout ce qu'il a pour faire pompe.

3) ce babillard . . . . . . a seulement pretendu d'avoir congé de iaser à son plaisir et de se faire escouter, ayant osté toute audience à ceux qui ne demandent que de parler en rondeur.

4) qui . . . . fuit *om. Gall.*

5) *Hoc comma abest a gallico.*

sit. Verum huius quaestionis mera et genuina definitio est quam posuimus, sitne Christus filius Dei, quia sermo est ante saecula ex patre genitus, qui carnem nostram induit. Simplex de hac re semper fuit ecclesiae doctrina quam tenemus, Christum Deum et hominem vere esse Dei filium, quia aeternus sit Dei sermo in carne manifestatus: et quia unione hypostatica filius Dei humanam naturam susceperit. Porro, unio hypostatica veteribus dicta est, quae personam unam constituit ex duabus naturis. Atque haec loquutio ad refellendum Nestorii delirium inventa fuit,[1]) qui fingebat filium Dei ita habitasse in carne, ut non idem ille esset filius hominis. Atqui, sicuti docet scriptura, piorum omnium consensu receptum fuit, unum esse, non duplicem Christum, qui Deus est in carne manifestatus. Interea duplicis naturae retenta fuit distinctio, ut unio a confusione differret. Nam diserte scriptura, nunc quae hominis propria sunt Christo tribuens, nunc illi rursus assignans quae seorsum in Deum competunt, duas in eo naturas distinguit. Caeterum, quia interdum unionis respectu, quod Dei proprium [pag. 134] est,[2]) ad hominis naturam transfertur, orthodoxi patres hoc loquendi genus vocarunt *ἰδιωμάτων κοινωνίαν*:[3]) quia hoc facile recipit personae unitas, ut quae distincta sunt in duabus naturis, mutuo inter se communicentur. Dicit Paulus sanguine Dei acquisitam fuisse ecclesiam. Nemo sanus dicet Deo sanguinem fuisse quem funderet. Caeterum quia humano suo sanguine Christus, qui Deus est, ecclesiam redemit, non inepte nec absque ratione vocatur ille Dei sanguis. Nec alium sensum admittit quod dicebat Christus adhuc in terris agens: Nemo ascendit in coelum nisi qui descendit e coelo filius hominis, qui in coelo est (Ioann. 3, 13). Non erat certe immensa Christi humanitas ut coelum repleret: sed quia coelestis Deus idem erat filius hominis, non absurde dicitur, in coelo fuisse filius hominis ob personae unitatem. Videmus ergo inter Christi naturas ultro citroque communicari quae tantum earum alteri conveniunt: quia utramque in se unus idemque Christus complectitur. Servetus autem coelum terrae miscens, quid sibi velit hypostatica unio ignorat. Naturas discerni non patitur. Ab illa vero, quam diximus, communicatione sic abhorret, ut exitiale appellet Satanae fascinum.

Sed videamus quibus mixturis conflatum Dei filium nobis obtrudat. Ac primo quidem de aeterna verbi genitura[4]) miras praestigias involvit. In Apologia ad Melancthonem, pag. 728, defendit eos qui ante creationem negarunt fuisse sermonem et spiritum: quia his verbis notetur externa loquutio et spiratio, tam apud Hebraeos quam Graecos et Latinos. Atqui nihil notius est, quam דבר Hebraeis passim sumi pro cogitatione intus concepta.[1]) Hoc ne tyrones quidem ipsos latet, qui ultra prima linguae [pag. 135] hebraicae rudimenta progressi sunt. Iohannes vero *τὸν λόγον* apud Deum in principio fuisse asserens, longe aliud designat quam loquutionem externam. Non enim dicit, quum Deus consilium suum de creando mundo protulit, tunc sermonem coepisse, sed aeternum fuisse in Deo, antequam vim suam extra diffunderet. Tertulliani quoque verba falso ad suum errorem inflectit. Dicit Tertullianus in mundi creatione fuisse verbi nativitatem: nempe quia sermo, qui prius occultus in Deo residebat, tunc se palam exseruit, sicuti foetus ex utero in lucem prodit quum nascitur. Sed non obstat talis nativitas, quin ante creatum mundum ab ultima aeternitate sermo ex Deo genitus fuerit, quemadmodum idem scriptor plus centies aperte pronunciat.

Pergit Servetus in suo figmento. Nam pagina 704, sic loquitur: Ex interna mente Dei exstitit sermo. Exsistentiam dico, sicut dixit Deus: Exsistat lux, et exstitit lux. Ea enim similitudine exstitit verbi lux, sermo visibilis. Videmus ut verbum creatum comminiscatur, quod ad similitudinem lucis creatae exstare coepit. Quod alibi crassius affirmat, pag. 679: Creatum verbum dicitur non solum in persona Christi, sed in ipso Deo erat creatum, conditum et fabricatum. Haec aeterna est genitura Serveto, creatio et fabrica in Deo, ut Deum ipsum inter creaturas censeri necesse sit. Hoc etiam notatu dignum, quod quum ubique hac nota sermonem a patre discernat, quia visibilis est, secum dissidens alibi invisibilem natura sua fatetur, pag. 731. Deus, inquit, natura sua invisibilis: verbum item natura sua nobis invisibile, tum quia excedit capacitatem nostram[2]), tum quia id ipsum [pag. 136] quod a nobis videtur, non est ex natura, sed ex specie prolata.[3]) Frustra quispiam Serveti nomine excipiet, speciem hanc verbo fuisse circumdatam. Nam aliis locis passim inculcat in hoc differre verbi hypostasin a Deo, quia Deus invisibilis sit, verbum visibile. Unde sequitur proprie verbo competere visibilem naturam, quia alioqui posset etiam pater extrinsecam speciem sibi formare.[4]) Parem utriusque esse naturam concedit Servetus. Quid ergo impediet quominus pater illud adventitium, quod

1) au premier Concile d'Ephese.
2) qui ne conviennent qu'à la verité.
3) communication des proprietez.
4) de aeterna verbi genitura *om. Gall.*

1) *Add.* comme pour ce qui se profere de bouche.
2) tum quia excedit capacitatem nostram *intercidit in edd. Bez. et Amst.*
3) que pource qu'elle nous est monstrée en l'effigie que Dieu en a mis devant nous.
4) *Add.* pour se monstrer à nous.

filio suo dedit, sibi quoque usurpet? Ergo si non effectu, saltem potentia visibilis erit pater, non minus quam filius.

Nondum tamen liquet quomodo genitum ex Deo sermonem intelligat Servetus. In suis responsionibus simulat, aeternam se verbi generationem credere. Id quale sit, videre operae pretium est. In Apologia ad Melancthonem, pag. 683, sic loquitur: Ab aeterno fuit expressa iam in Deo voluntas generandi hunc Iesum verum prophetam: ideo dicitur genita voluntas, sicut in te est genita voluntas faciendi quod facere incipis. Non solum erat in Deo consilium et voluntas generandi, sed actus ipse generationis in creaturam extensus. Nam Deus ipse est actus aeternus aeternaliter agens in rem praesentem. Hic palam apparet generationem Serveto nihil aliud fuisse quam Dei decretum, quo filium sibi formare statuit in specie hominis. Ideo vere et realiter alibi genitum negat, pag. 680. Verbum, inquit, genitum erat personaliter, genita erat imago, genita idea, Deus ab aeterno genitor speciei, ut ait liber Sapientiae, forma huius hominis erat ab aeterno genita in Deo, sine reali distinctione, generatio erat in Deo, ipsa generationis [pag. 137] cogitatio simul et exhibitio.[1]) Generatio erat constitutio generationis, quae ad generationem tendebat. Ore fatetur verbum fuisse Deum, interea umbratilem ideam nobis supponit: illam quidem dicit fuisse Dei hypostasin, sed quum definit fuisse generandi filii cogitationem, nihil solidi relinquit in ipso verbo, sed eius substantiam in carne locat. Nam et hoc illi significat exhibitio: quia scilicet Deus formam hominis protulit, quae futuri Christi persona esset. Hoc modo Deum visibilem a mundi creatione coepisse fingit. Nec longo circuitu opus est: personaliter genitum fuisse dicit. Atqui secundum ipsum personae opponitur res ipsa, et veritas. Unde sequitur non fuisse nisi figurative genitum. Atqui huius rei dubitationem tollit, non alia ratione Deo patris titulum concedens, nisi quia speciem[2]) genuit. Hic iam satis detecta est hominis impietas, quod verbi genituram esse somniet externae formae creationem, in qua homo Christus figurative apparuit. Turpis etiam impudentia detegitur, quod ex libro Sapientiae testimonium detorquet. Invehitur eius libri scriptor in homines vanos et caecos, qui vel solem, vel lunam, vel ignem, vel aquam, mundi opifices esse putarunt:[3]) quum unus Deus formarum genitor illa omnia condiderit. Serveto autem species est aeternus ille sermo, quem Iohannes Deum semper fuisse

1) et que la generation estoit de penser d'engendrer avec la demonstrance, ou un propos tendant à generation.
2) espece ou forme.
3) *Cf. Sap.* 13, 2 *seqq.*

asserit. Libro quinto de Trinitate, pagina 164, totum verbi et spiritus arcanum fuisse dicit fulgentem Christi gloriam, quia Deus erat verbum et spiritus, verbum et spiritum varie dispensans in corpus et animam. Dicat nunc centies Servetus se Deum credere aeternum patrem verbi: interea [pag. 138] patet nihil aliud verbum illi fuisse quam dispensationem divinae virtutis ad conflandum Christi corpus et spiritum. Dial. 1. pag. 208, sic loquitur: Naturaliter et voluntarie erat λόγος idealis ratio, et prolatio, relucentia Christi apud Deum, spiritus Christi apud Deum. Omitto nunc quod spiritum cum sermone confundit, cui distinctam hypostasin alibi coactus assignat. Satis fuerit monuisse lectores, λόγον, si Serveto creditur, nihil aliud fuisse quam speculum, vel ideam quae futurum hominem[1]) repraesentabat. Dialogo 2, pag. 249, postquam tres statuit dispensationis gradus in Christo, quorum primus est verbum apud Deum, secundus egressio in mundum, tertius regressio ad patrem: continuo post definit qualiter fuerit verbum apud Deum, nempe quod esset relucentia in gloria illa apparens, qua glorificandus erat Christus: sicuti paulo post Christum fuisse docet primam Dei cogitationem. In summa, non alia secundum Servetum quaerenda est verbi vel substantia, vel aeternitas, nisi quod Deus ab aeterno hominem formare proposuit.[2]) Huic prodigioso figmento nihil magis contrarium esse potest, quam quod dicit Iohannes sermonem semper fuisse apud Deum. Neque enim illic futurae rei speciem designat, sed solidam hypostasin, quae vere et re ipsa in Deo substiterit. Iam quia illi obieceram, nova illa verbi fabrica, de qua nugatur, Deum fieri mutabilem, ingeniose respondet non esse mutatum Deum, quum singulas creaturas patefecit: ideo quum Christus, caput omnium, patefactus est, non magis mutatum esse. Rursus quia obieceram, ob res creatas nihil Deo [pag. 139] in se accidisse novi: hoc artificio se explicat, quod Deus in ligno sit lignum, in lapide lapis, formam et substantiam lapidis veram in se habens. Nam haec eius verba sunt Epistola 6, pagina 189. Quam absurde, imo prodigiose, Deum in lapide lapidem esse dicat, in praesentia tractare supersedeo. Tantum notent lectores, secundum Servetum verbo fuisse principium, quo exstare coepit, et in illa specie visibili, quam pingit, non aliam fuisse Dei hypostasin, quam in lignis et lapidibus. Dabunt veniam lectores, si absurditates tam impias et sacrilegas vehementius non exagito. Nullus enim esset finis: et eas digito notasse, instar plenae refutationis erit. Caeterum videmus ut

1) *Add.* à savoir Iesus Christ.
2) *Add.* lequel fust son Fils.

non tantum de filii nomine disceptet Servetus, sed contendat sermonem non esse ex Deo genitum, nisi quatenus in Dei mente concepta, formata et expressa erat sapientia, figuratio Christi.[1]) Nam haec eius verba sunt Epistola 1, pag. 578. Quibus mox subiicit relucentiam fuisse futuri filii, quae ad filii generationem substantialiter tendebat. Atqui inde ego infero, nondum tunc fuisse substantiam, sed aliquam fuisse praeparationem substantiae. Alibi tanquam sui oblitus, aliam generationem ponit, Epistola septima, pagina 594: In creaturis sunt reales omnes Dei actiones, in se ipso Deus hac ratione ab aeterno egit, et genuit quod apud se meditans constituit: verbum princeps constituit, et spiritum principem sine realibus vestris motibus: atque ita constituens hominem Christum genuit. Hic duplex fingitur generatio, quia Deus apud se meditans sermonem voluerit esse principem in gignendo Christo. [pag. 140] Deinde, quod Christum hominem sermonis virtute genuerit. Et tamen nebulo ubique clamat duos a nobis induci Dei filios, quia sermonem, qui ab aeterno genitus fuit, docemus hominem genitum fuisse arcana spiritus virtute, et ideo in humana quoque natura esse Dei filium. Epistola octava ad priores suas phantasias relabitur. Nam ut probet sermonem fuisse relucentiam, quae Christum figurabat, quosdam scripturae locos plus quam insulse depravat. Vocatur filius primo ad Hebraeos capite paternae gloriae splendor et expressa imago substantiae eius. Atqui his verbis aperte convincitur Serveti error. Nam quum hypostasin filii a paterna distinguat, sequitur duas fuisse hypostases, unde emanat realis distinctio, cui tantopere infestus est Servetus. Sequitur deinde apud Servetum, quod sapientia Paulo vocetur tertio ad Ephesios cap. praefinitio saeculorum, quam fecit Deus in Christo: et 1. cap. arcanum Christi. Atqui nihil clarius est, quam Paulum respicere ad evangelii praedicationem. Nam hoc sublime mysterium erat, salutem Dei quae a saeculis gentibus abscondita fuerat, repente illis patefieri: impostor autem iste ad suam ideam detorquet, in qua vult Christum substitisse. Atque ut eludat quod de aeterna Dei sapientia disserit Solomo, mentem eius Pauli verbis exponi dicit 1. Corinth. 2, Christum esse sapientiam Dei praefinitam ante saecula: quum Paulus diserte sapientiam illic vocet evangelii doctrinam quae nos perfecte in salutem erudit.

Nunc de Christi generatione tractemus. Christum hominem vere filium Dei esse asserit, quia substantialiter [pag. 141] ex Deo genitus est, ex substantia Dei. Ad id probandum verba angeli citat ex 1. cap. Lucae: Quod ex te nascetur sanctum, vere erit filius Dei, lib. 1 de Trinitate, pag. 9. Atqui impudens corruptor, omissis angeli verbis, alia supponit. Angelus enim vocandum esse filium Dei affirmat qui ex Maria nascetur. Verbo autem vocandi, manifestatio potius intelligi debet, quam essentiae principium. Modum quoque explicat Servetus, quia verbum Dei instar nubis virgini obumbravit. Quid hoc est? divinae virtuti has partes assignat angelus, ut virgini obumbret, significans hoc admirabile Dei opificium fore, quod virgo sine virili congressu filium Dei concipiet. Hoc Servetus ad verbum transfert quasi verbum dicatur factum caro, quia vim generandae carnis in virginem infudit. Ille est unus modus. Caeterum eodem libro, pagina 16, ita loquitur: Verbum Dei de coelo descendens nunc in terra est caro Christi: caro Christi de coelo est, de substantia Dei, et a Deo exivit. Nunc verbum non dicitur ab eo obumbrasse virgini ad generandum hominem, sed, quasi mutata natura, caro esse: et tamen paulo post fortiter contendit alium esse sermonem, quam filium, quia sermo de filio quasi de re alia testatur, pagina 23. Neque ferenda est cavillatio, qua elabi conatus est, illic de voce in nube audita se loqui. Nam et simpliciter sophistas vocat qui sermonem eundem faciunt cum filio: et locum Iohannis[1]) adducens: Tres sunt qui dant testimonium in coelo, pater, sermo et spiritus, et hi tres unum sunt, perverse et impie sermonem a filio separat. Eodem pertinet [pag. 142] quod habetur libr. 2 de Trinitate, pagina 85. Hic homo Iesus essentialiter est verbum illud per quod omnia facta sunt, eius gratia prolatum est verbum, et creatus mundus.[2]) Crassam repugnantiam hic omnes vident, quum essentialiter verbum esse dicitur, in cuius favorem verbum prolatum est. Verum proxima pagina prius illud suum delirium rursus confirmat. Nam illud 1. ad Heb. cap. citans, verbo filii omnia sustineri: Audis, inquit, omnia fieri eius verbo, ne verbum cum filio metaphysice sumas. Atqui perfidus impostor fraudulenter τὸ ῥῆμα in locum τοῦ λόγου substituit. Non enim illic de aeterno illo sermone, qui carne indutus est, agit apostolus: sed ῥῆμα vocat imperium vel nutum Christi. Aperte quidem interea negat Servetus verbum esse filium. Paulo post tamen pag. 90, denuo in contrariam doctrinam abripitur, quod verbum fuerit olim personalis filius. Si olim personalis, ergo nunc realis. Atque hic expendant lectores quam pulchre secum ipse consentiat. In Apologia ad Melancthonem, pag. 694,

1) *Add.* qui devoit estre homme.

1) le passage de la Canonique de S. Iean.

2) la Parolle par laquelle toutes choses ont esté faictes en faveur de luy. La Parolle a esté proferée et le monde creé.

vere nunc et realiter genitum esse Christum hominem dicit, vere et realiter a patre differre. Cur non etiam concedit realem fuisse ab aeterno filium? Quia tunc, inquit, solum erat persona futuri filii. Atqui eodem loco dicit semper illum hominem fuisse in Deo, et hac ratione patri fuisse coaeternum et consubstantialem, sicuti priore pag. dixerat fuisse apud patrem ab aeterno in propria substantia, et forma hominis. Quid hoc est? Aeternam hominis substantiam Christo tribuit Servetus, dum cogitur ab aeterno patre discernere, et tamen reale quidquam in illa persona fuisse negat. Quasi vero substantia [pag. 143] et forma spectrum significent, quod re ipsa nihil sit. Addo quod paulo post subiicit illam verbi substantiam fuisse huius hominis substantiam. Cur autem nunc eadem substantia realiter distincta est magis, quam olim, nisi quia ita Serveto placet? Pag. 692, tertium principium sumit, tam personae similitudine inter verbum et hominem, quam substantiali unitate rite verbum illud dici hominem, et hominem hunc dici verbum. Quam turpiter secum pugnet, mox patebit. Haec in praesentia tenere sufficiat: Si verbum semper fuit homo substantialiter, et hic homo sine controversia Serveto realis est filius, non esse causam cur verbum neget re ipsa fuisse semper filium.

Pergamus in tractanda hominis generatione. Libro de Regeneratione superna, versu septimo ita loquitur: Christus per sermonem Dei ex spiritu sancto naturaliter genitus est, et nos per gratiam ipsius vere substantialiter. Quam absurdum sit nos ex Deo gigni, nunc dicere supersedeo. Hoc quidem asserit Servetus, per sermonem Dei genitum esse Christum. Ne commentum eius dicto affingere videar, sit ipse suus interpres. Libro enim de Trinit. 4, pag. 145, ita scribit: Verbum Dei, quod erat Christi semen, eius in se formalem rationem continebat, ac rerum omnium seminales vires. Si hoc respectu genitus est Christus per sermonem, sequitur vitulos, et canes, et porcos non minus esse Dei filios: quia semen illud originale, nempe sermo Dei, bruta animalia cum Christo omnia in se inclusa habebat. Haec admiranda est analogia rerum omnium, quam celebrat pagina sequenti, quod verbum Dei generationis Christi semen omnia generet. Subtilius postea philosophatur, [pag. 144] pagina 158, quod in Christo tria sint superiora elementa de substantia patris: sicut paternum nostrum semen est aqueum, aereo et igneo spiritu plenum, ita nubes oraculi Dei velut aquea, aerea et ignea fuit ros naturalis geniturae Christi. Videmus ex qua materia Christum suum conflet. Nam primum Dei essentiam componit[1]) ex elementis. Deinde hanc mixturam transfert in Christi corpus. Libr. 5, pag. 165, commentum suum prosequitur, nisi quod prorsus contrarias sententias permiscet. Secundum unum modum, inquit, est verbum in carne, secundum alium est spiritus in anima: secundum utrumque semper lux substantialiter. Sicut Deus erat verbum spiritus, et lux in nube: ita nunc est verbum spiritus, et lux in Christo. Ex his verbis sequitur, Christum nunc esse verbum et spiritum, sicuti verbum semper fuit Deus. Hoc dictum concilient Serveti discipuli cum altero quod proxime sequitur, et quod iam aliunde citavi: Verbum Dei fuisse rorem geniturae. Nam ita concedant necesse est, Deum rorem fuisse geniturae verbi. Caeterum alibi dicit, pag. 197, ipsum Dei verbum cum hominis substantia unum esse substantialiter in Christo corpus. Si verbum corpus est substantiale, cur tantum ros geniturae censebitur, et non potius quod genitum est? Verum alibi suam nequitiam detegit. Nam et aperte Dialogo 2, pag. 263, dicit verbo transformatam fuisse humanam materiam in Deum. Et pag. 266 dicit verbum carnem esse factum, quatenus erat hominis idea, seu persona et praefiguratio. Quod si admittitur, eversum erit principium fidei, verbum in carne apparuisse, [pag. 145] quia carnem nostram induit. Ac, si Deo placet, illic profitetur se penitus mysterium illud exponere de verbo in carne manifestato. Atqui videmus nihil aliud tradi, quam prodiisse hominem Christum, quem Deus mente conceperat. Fatetur quidem alibi, contineri in Christo divinam et humanam naturam, pag. 268. Sed mox quod bene dictum videri poterat pervertit, dicens, lucem creatam et increatam in Christo unam esse lucem. Tollitur enim omnis distinctio, non tantum permixtis naturis, sed in unam redactis. Mox etiam addit, ex tota mundi anima et anima humana consistere in Christo unam substantialem animam. Tandem pag. sequenti concludit, substantiam verbi et carnis unam esse substantiam, et Deum esse in carne manifestatum, quia caro Christi est Deo ὁμούσιως.*) Ubi iam reperientur naturae duae, si in carne Christi par et eadem est, quae in verbo deitas? Neque ambagibus locus est: quia Epistola 6, pag. 590, negat incarnatione mutatum esse verbum, sed carnem quam assumpsit in verbum esse transformatam. Item lib. 4 de Trinit. humanam naturam in Christo unum esse cum divina, et humanam olim transmutari, eadem semper divina manente. Certe qui non tantum duo in unum coalescere docet, sed simpliciter affirmat ex duobus quae videntur alterum idem esse cum altero, non iam duas naturas relinquit. Rursus in Apologia, pag. 697, eius verba sunt: Quodammodo

1) il fait distiller comme d'un alambic.

*) *sic!*

facta est verbi in carnem conversio, et personae translatio, ut huic personae carnis nunc tribuantur omnia, sicut virga est in serpentem formaliter conversa, manente verbi substantia. Eadem huius corporis deitas erat antea verbi [pag. 146] deitas. Certe non obscure blaterans carnem nunc esse qui olim sermo fuit, alteram ex duabus naturam necessario destruit. Si Christi humanitas est verbi in carnem conversio, necesse est a carne absorberi verbum, ut una tantum natura maneat. Et tamen miror quid sibi cum ista transsubstantiatione velit Servetus, cui alibi caro Christi vocatur caro verbi, et Dei exsistentiam [1]) habens aeternam, dialogo secundo, pag. 270. Haec qua potui brevitate praefari visum est, unde cognoscerent lectores, quam ingenue contra me insurgat, quia dixeram eum in voce filii cavillari, dum omnes controversias ad unum hoc caput restringit, quod Christus homo sit filius Dei.

Nunc sigillatim perstringam quae refutationis praetextu apposuit, saltem quae ad causam facient. Bis accusat me mendacii, quia dixeram eum negare sermonem, qui carnem nostram induit, olim quidquam fuisse, et ex patre ante saecula genitum. Atqui bona fide refero quid sentire se ostendat. Nam aut verbo sua fuit hypostasis a patre distincta, aut nihil fuit verbum. Prius negari a Serveto iam plane ostensum est. Itaque illi iniuriam in secundo non facio. Quod autem ante saecula genitum neget, tum ex superioribus liquere arbitror, tum nihil aliud contendit libr. 1 de Trinitate, et Epistol. 1, 2 et 3. Et quid aliud sibi volunt eius verba lib. 4 de Trinit. pag. 150? Cogitatio Dei erat filii generatio, non erat tunc realis filius a patre distinctus, sed naturalis scientia Dei, ut speculo naturalis est rei propositae relucentia. Videmus ut genitum sermonem non concedat, nisi carnis intuitu. Quibus consentit alter locus, pagina 205: [pag. 147] Quod Deus ratione sua aeterna corporalem et visibilem filium sibi decernens, talis speciei substantia se ipsum visibilem praebuerit per sermonem, in quo erat spiritus. Hoc si recipitur, quid erit verbi generatio, nisi destinatio futuri hominis? [2]) Sicuti dialogo secundo, pag. 259, spe quadam, aut seminis praeparatione Christum tempore legis vocatum fuisse filium contendit. Deinde magis se implicat dicens: Sicut generantia omnia prius semen in se continent, quam ad foetum emittant, ita fuit in Deo semen verbi, priusquam in Maria generaretur. Hic quoque palam asserit non fuisse emissum a Deo semen ad generandum, donec formatus est in utero virginis Christus. Neque tamen nego quin alibi secum pugnans, ad nos propius accedat, sicuti in Apologia, pagina 705: Modo, inquit, eodem, quo nunc est Deus pater hominis, ab aeterno erat pater verbi viventis, sapientiae subsistentis, virtutis suae et figurae. Modo eodem quo nunc est homo filius, erat ab aeterno verbum filius. Si ingenua esset haec confessio, inde nobis emergeret realis verbi generatio ante saecula. Nam si eodem modo verbum semper fuit filius, sicut homo nunc filius dicitur, cur non agnoscet Servetus Deum re ipsa fuisse aeternum patrem, et non figurative? Atqui Epistola tertia hoc prorsus repudiat. Et in fine sextae Epistolae sic loquitur: In omni generatione quod a patre solo prodit, non per se dicitur filius, sed per matrem. Unde igitur vos tantam filii separati in divina generatione deformitatem somniatis? Quam matrem ante saecula verbo fabricabit Servetus, ut illud filium efficiat? Videmus ergo abreptitii instar [pag. 148] transversum ferri. Et illo, quem prius citavi, loco modi paritatem, quam statuere visus fuerat, statim evertit dicens: Genuit ab aeterno pater filium hunc ineffabili sapientiae cogitatione, praeparatione, etc. Magis etiamnum ieiune in Apologia, pag. 685: Deus inquit, pater est verbi, pater spiritus sancti, pater spirituum, luminum et gratiarum. Multae sunt in eo paternitates et generationes. Genitas in Deo duas voluntates concedimus, ac etiam creatas, sicut sapientia creata dicitur non realiter, sed personaliter. Primum si Serveto creditur, inter generare et creare nullum erit discrimen. Ita, ut verbi genitura nobis constet, extra Deum exire necesse erit, vel Deus ipse creatura in se ipso fiet. Deinde realis negatur generatio, hoc est, quae vere, et re ipsa tunc fuerit. Tandem innumerum filiorum examen Deo affingitur. Neque enim secus Deum verbi patrem vocari asserit, quam omnium suorum donorum. Ita peribit mutua inter patrem et filium relatio. Eat nunc Servetus, et de filio homine magnifice loquatur, quum incorporeae donorum omnium turbae nunc eum permisceat. Quare fixum illud manet, in quo me Servetus mentiri arguit, negari ab illo sermonem Dei ante saecula fuisse genitum. Quia dixeram proscindi ab eo pios omnes, qui aeternum Dei filium confessi sunt, tergiversatur se quoque idem fateri, modo intelligatur personalis filius. Quasi vero de figura, vel speculo rei futurae, et non potius de vera generatione pugnetur. Tametsi enim personae substantiam affingit Servetus, hac tamen voce umbratilem, vel figurativum filium designat. Et in morte eius apparuit quid sentiret, quando haec loquendi forma nunquam [pag. 149] ex ore eius exprimi potuit, ut aeternum Dei filium invocaret. Exprobrat quod hominem Christum non credamus esse Dei filium: et tamen citatur ex Institutione locus, ubi diserte hoc affirmo. Et quid

1) essence.
2) si non que Dieu a ordonné qu'il y auroit un homme apres Iesus Christ (*lege:* apres: Iesus Christ).

unum locum citare attinet, quum lucubrationes nostrae omnes clare id resonent? Tantum exceptio illa a nobis additur non humanae naturae intuitu filium censeri: hoc vero pertinaciter urget Servetus, quia caro Deus est, ac deitas, ipsam quoque esse Dei filium. Calumniam, qua nos gravavit de filio connotativo, ita tuetur, quia filium dicimus hominem ob unitas in unam personam duas naturas: non autem naturaliter filium esse concedimus. Hic quoque deprehensa tenetur sacrilega impietas: naturaliter hominem esse asserit Dei filium, nempe quia seminis defluxu, non secus ac vitulus ex tauro, Christi caro formata sit: ita nec homo erit, nec Deus Christus, sed deitas in carnem conversa. Atque haec ratio est cur tantopere ipsum urat hypostatica unio, qua duas naturas in unam personam distincte, non autem confuse in unam substantiam coaluisse dicimus. Quanquam Servetus quid sibi velit hypostatica unio, nunquam intellexit. Nam in Apologia, pag. 695, efficax se contra nos colligere argumentum putat, quum dicit spiritum sanctum fore hominem, quia Christo homini unitus est: et similiter patrem, quia filio unitus est. Atqui nemo unquam praeter eum somniavit hypostatice spiritum Christo unitum esse. Christum non ideo solum sibi filium esse dicit, quia coelestis sit eius caro. Quid ergo melius affert, aut probabilius? nempe quia eius exemplar [1]) in archetypo verbi fuerit. Atqui si eius phantasmata recipimus, hoc [pag. 150] idem non modo ad brutas pecudes, sed etiam ad metalla et lapides patebit. En quam feliciter causam suam sublevet.

Quod autem ex tribus increatis elementis compositam esse fingat Christi carnem, paulo ante ostendimus. Quod nullum certamen esse dixi quin filii nomen, quoties in evangeliis occurrit, in Christum hominem competat, perfide me agere criminatur. Sed nimis ridicula est eius insultatio. [2]) Quis enim negat, ex quo hominis naturam assumpsit sermo Dei, esse hominem filium? [3]) Nec vero aliter evangelistae de ipso loqui poterant. Convenit igitur filii nomen homini Christo: sed non pro imaginatione Serveti, qui hominis substantiam verbi deitatem esse clamat. Citatus a me fuerat Iohannis locus, quod semper apud Deum fuerit sermo. Pulchre se elapsum putat, quum me non intelligere dicit quid proprie sit sermo: quia scilicet eius commentum de cogitatione creandi filii non amplector: sed intelligo sapientiae hypostasin sic in Deo residentem, ut una sit Dei essentia, distinctae personae. Ac personam quidem Servetus verbo concedit, sed lusorie, quemadmodum dixi. Excipit se propriissime accipere, me vero abuti: sed quaenam illa est proprietas? [1]) Nempe quod persona formam vel speciem denotet. Ipse vero Christi hominis vultum semper in Deo apparuisse dicit. Nobis vero, dum patrem reputamus rerum omnium fontem ac principium, gloriae eius fulgor satis illustris est persona. In sapientia etiam aut verbo affulget lux admirabilis, quae patrem repraesentat. Nec essentialis Dei virtus in spiritu sancto informis est, sed personam quoque suam habet. Ita fit, ut in Dei essentia piis mentibus [pag. 151] affulgeant tres personae. Ac verum esse illud Gregorii Nazianzeni comprobat fidei experientia, non posse concipi Deum unum, quin tres fulgores continuo nos circumdent. Verum Serveto nulla est Dei forma, nisi quae oculis carneis apparet. Quod se substantialem in verbo relucentiam posuisse excusat, nugatorium est. Nam alibi irradiatio tanquam in speculo vocatur. Deus, inquit pag. 729, aeterne cogitans, externeque proferens, velut oeconomus sapientiam acquisivit, et prudenter adinvenit. Quaenam autem illa fuit cogitatio? nempe, ut Epistola sexta definit, pag. 591, quod naturalis erat in Deo scientia, ut in speculo relucentia substantialiter, et primario Christum continens, quae in Christo dicitur εἶδος. [2]) Et paulo post concludit, ideam [3]) vel sermonem non posse dici, quin alterius rei sit relucentia: ideoque gloriam Christi hominis fuisse, quae ab initio in Deo fulgebat. Sic etiam lib. de Trinitate 3, pag. 96, gloriam, quam Christus Iohannis 17 testatur se habuisse semper apud patrem, deitati eripit, ac in hominem transfert. Cogita, inquit, quod non deitas, sed homo ipse petit glorificari. Ergo homo ipse erat gloriosus. Ubi nunc exstabit illa substantia, [4]) vel unde nobis prodibit? Contendit enim Servetus imaginari in Deo larvam, quicunque mentis oculos in verbum dirigunt: quia gloria, cuius meminit Christus, nonnisi visibilis et corporei verbi fuerit. Sed quibus, obsecro, illam pater visendam exhibuit ante mundum conditum? imo qualis tunc potuit esse relucentia, verbo nondum fabricato, cuius origo ad mundi creationem a Serveto restringitur? Nam pag. 704, exsistentiam verbi ex eo [pag. 152] deducit, quod dixit Deus: Fiat lux. Deinde, si quis requirat quomodo exstiterit, ad spectrum illud ex increatis elementis [5]) compositum, Serveto duce,

1) le patron d'humanité.
2) *Hoc comma deest in gallico. Pro quo legitur:* Il voudroit bien faire à croire en cela que ie suis double et desloyal.
3) son fils en la nature humaine. *Quae proxime sequuntur omissa sunt in gallico.*

1) *Add.* de laquelle il nous veut esblouir les yeux.
2) forme.
3) ideam, *omittit Gallus.*
4) ceste substance divine de la Parolle que Servet fait semblant de confesser.
5) *Add.* trois.

venire oportet. Nam id continet eius responsio, quod sapientia sit persona Christi,[1]) quod filius non sit paternae hypostaseos imago, nisi quatenus homo est. Paulo post vero aut versipellis eius malitia, aut phrenetica illusio se prodit. Dixeram fieri non posse quin filium aeternum agnoscant, quibus Deus aeternus censetur pater: subscribit ipse. Verum si id facit ex animo, cur inter ultimos spiritus idem facere abnuit? Quanquam nihil opus est coniecturis, quum sibi subterfugia omnia praecluserit. Nam Epistola tertia, levissimam hanc esse rationem dicit ad tale monstrum[2]) inducendum. Paulo post secum ipse dissidens duo axiomata subiungit. Dicebat Deus olim se fore patrem et nos fore filios, tunc in umbra, nunc in veritate: Deus pater erat personaliter, sicut in eo persona erat filii: erat pater realiter ratione ipsius hominis Christi aeternaliter ab eo geniti, ac si tu ab aeterno spirasses ad prolem aliquam, et mulier eam nunc pareret.[3]) Hinc dicitur Christus secundum spiritum esse filius Dei, quia per spirationem Dei genitus.[4]) Primum detrahit impius latrator sanctis patribus, qui sub lege vixerunt, filiorum honorem: quum ubique in scriptura Deum praesenti fiducia patrem invocent. Nam apud Iesaiam[5]) non dicunt: Tu olim novo populo[6]) eris pater: sed iam tunc sibi fuisse patrem gloriantur. Et quum Deus Ephraim primogenitum suum nominat, umbram rei futurae, quoad fideles ipsos, minime obtendit, sed praesentem adoptionem commendat. [pag. 153] In secundo membro fatetur Deum realem iam tunc fuisse patrem, hominis Christi intuitu. Quomodo haec convenient, Deum sub lege non veritate sed in umbra duntaxat pollicitum fuisse quod futurus esset pater, et tamen iam tunc realem fuisse patrem? Nihil in Serveti verbis muto. Quare perspiciant lectores, an illi sani et sobrii spiritus gutta fuerit. Ut tamen venia antilogiae detur, nondum elapsus est Servetus. Nam si tunc realis erat totius ecclesiae filiatio, realem quoque unigeniti sermonis fuisse oportet, in quo prior illa fundata erat. Exhibitus nondum erat in carne Christus, fateor: sed aeterna verbi generatio a carne non pendebat: quemadmodum delirat Servetus, pruritum nescio quem Deo affingens, donec virginem nactus est quae foetum ex eo conciperet: quemadmodum si quis hominum muliere privatus ad generationem adspiret. Quia praecise negaverat, vel unum in scriptura esse locum ubi filii Dei nomen[1]) ponatur, nisi de Christo homine: ne sibi nimium placeret, locum adduxi ex Proverbiis, ubi Solomon nomen filii Dei ineffabile esse ait. Mentiri me clamat Servetus, quia de futuro Christo sit prophetia. Atqui eodem colore diceret alius haereticus, de futuro Deo agi. Uno contextu, et absque ulla diversitatis nota, Solomon Deum et eius filium celebrat. Utriusque nomen immensae gloriae esse testatur, ut exprimi hominum lingua nequeat. Haec simplicitas Serveto mendacium est: quia illi placet in futurum tempus trahere, quod in praesenti Solomo affirmat. Quasi impuri hominis libidinem instar summi decreti haberi necesse sit. Deinde insultat, quia unum duntaxat locum protulerim. Quasi [pag. 154] vero ad coarguendam eius superbiam non sufficiat unus locus. Unum locum ostende, inquit ad Melancthonem: non poteris. Ostensus est unus. Inopiam nostram subsannat. Et tamen praefatus eram, me in eo loco non insistere: sed obiter attingere, ut Serveto ansam de voce rixandi praeciderem.

Nunc ad veterum testimonia venio: vel quae ab ipso nequiter corrupta demonstravimus, vel quae a nobis adducta diluere conatur. Hoc in genere tenendum est, quod facile singulis locis perspicient lectores, Servetum de nihilo fucum facere, dum hoc principium arripit, visibile fuisse ab initio Dei verbum, et Christum hominem fuisse ex tribus increatis elementis compositum, quia Dei verbum sub hominis specie apparuit. Hoc posterius absque controversia receptum fuit inter veteres. Nugari me dicit Servetus, quum rem omnibus tritam refero. Nam Athanasius, Basilius, Chrysostomus, Cyrillus, Hilarius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, et alii quos Servetus sophistas nominat, subinde hoc inculcant. Nec tantum inter Sorbonicos usu hoc receptum est, sed ad Canonistas usque pervenit. Quare hic perpetuus fuit omnium aetatum consensus, filium Dei principem inter angelos sub hominis forma apparuisse sanctis patribus. Quasi vero Irenaeus et Tertullianus quidquam a reliquis diversum tradant, eorum testimonio probare nititur Servetus iam tunc fuisse aliquod Christo corpus, in quo visibilis esset Dei substantia, et verbum eius sine corpore creato visibile. Si observent lectores in quo hallucinetur Servetus, nobis non erit longa, nec flexuosa disceptatio. Visibilem [pag. 155] fuisse Dei filium in forma hominis dicunt Irenaeus et Tertullianus. Assentior, imo concinunt uno ore omnium aetatum graeci et latini scriptores. Inde colligit Servetus, visibilem[2]) igitur fuisse verbi Dei

1) quod sapientia sit persona Christi *om. G.*
2) . . . un monstre en Dieu, appellant monstre le Fils eternel que nous croyons.
3) et en la fin qu'il trouvast femme pour l'enfanter.
4) *Quatuor haec verba:* quia per spirationem Dei, *vitio operarum omissa apud Bezam et in Amst. Totum comma om. Gallus.*
5) toute l'Eglise parlante en Isaie.
6) au peuple Chrestien.

1) le Nom de Dieu.
2) *Add.* tousiours.

substantiam, et eandem fuisse futuri hominis Christi. Nulla autem syllaba apud Irenaeum et Tertullianum reperietur, quae ad hoc commentum accedat. Quin potius adventitium fuisse corpus sentiunt, sub quo se patefecit Dei filius. Ita ad primum locum Tertulliani prompta est responsio, deitatem substitisse in hominis forma, quam tunc assumpsit sermo Dei, modo simul teneamus ascititium fuisse corpus illud, in quo visibilem se praebuit. Secundi loci non absimilis est solutio: visum fuisse concedimus Dei filium, sed dispensatione, non sua natura. Ex opposito insurgit Servetus, in hoc a patre differre sermonem, quia visibilis est. Atqui memoria repetere debuerat quod prius ex eius Apologia citavi, verbum sua natura non minus invisibile esse quam Deum. Unde sequitur adventitiam fuisse speciem vel formam, in qua videri potuit. Iterum excipit Servetus proprium esse sermonis repraesentare. Ut hoc fatear, an repraesentatio ad solos oculos pertinet? Sermo hominis dicitur mentis character: an quia in oculos incurrit, et humana forma spectandum se praebet? Si ne humano quidem sermoni convenit tam crassa repraesentatio, quanto magis a divino talis crassities abhorret? Adde quod passim Tertullianus filium Dei vere, semper, et re ipsa fuisse praedicat. Servetus nulla ratione fretus nonnisi personalem admittit. Quod ad tertium locum spectat, stulte sibi plaudit Servetus: [pag. 156] quia confessus fuerim formam et effigiem carnis in verbo substitisse. Nam haec loquendi forma, ut rationi consentanea non est, mihi nunquam excidit. Deinde, ut demus effigiem carnis verbo fuisse circumdatam, nihil hoc Serveto suffragatur, qui corpus divinam verbi hypostasin fuisse somniat. Nam etsi fatemur verum fuisse corpus quod sub lege induit filius Dei, non tamen ideo concedimus hominem fuisse factum: nihilo scilicet magis, quam spiritum sanctum fuisse columbam, dum sub columbae specie apparuit. Hinc tanta audacia me contra mentem Tertulliani mentiri clamat Servetus: quia cum ipso non imaginor formatum ex Deo corpus, quod neque Deus esset, neque homo, sed utriusque speculum. Nec longa refutatione indiget quartus locus, nisi forte in abstergendis Serveti sputis satagere libeat. Hypostasin patris in filio relucere dicit Tertullianus. De hac re frustra Servetus litem movet: nisi quia corporeae et increatae formae speculatio eius mentem occupat. Fatetur interim Christi personam fuisse in patre. Quomodo hoc? Scio quid velit, in Dei scilicet essentia fuisse ideam, quae simul cum luce prodiit. Tertullianus vero longe aliter. Postquam enim filium dixit patris esse personam, vicissim personam in patre locat, quae referat filium. A quo non minus, quam ab omnium suorum dogmatum ruina Servetus abhorret. De quinto loco breviter respondeo. Exsultat quasi victor Servetus, quia doceat Tertullianus filium Dei visibili et corporali substantia fuisse praeditum. Atqui id nostrae doctrinae minime repugnat: modo notetur assumptam ad tempus fuisse substantiam [pag. 157] hanc a filio Dei, ubi et quoties ita ferebat dispensationis ratio. Moysi in rubo ardenti loquutus est Dei filius sub hominis specie. Effigiem illam libenter substantialem fuisse concedo, non inane spectrum.[1]) At vero Servetus ad corpus suum increatum rapitur, cui sermonis nomen imponit. Rursus filium Dei, quem Tertullianus praesentem illic inducit, vult esse filii nondum geniti figuram. Quia de formali dispositione alibi opportunior erat tractandi locus, paulisper distuleram. Atqui Servetus hic me urget, ac dissimulandum esse negat.[2]) Quin etiam scurriliter iocatur, victum me fugere. Scilicet quasi me aliqua violenta necessitas ad fugiendum compulerit. Quid sibi velit dispositio formalis, attingere non audeo: quum tamen docendi genus, quod tenemus, haec loquutio optime confirmet. Primum, dispositio naturae opponitur. Deinde, forma essentiae. Nam quod in naturam Dei proprie non cadit, ad dispositionem refertur: quia scilicet Deus, ut se nobis accommodet, ex immensa sua et incomprehensibili altitudine quodammodo descendit. Formalis autem vocatur dispositio, quae tantum ad sensum nostrum relata nihil derogat essentiae Dei, nec quidquam in ea variat. Quare non sine pudore repeto tam securam nebulonis proterviam. In sexto loco nihil proficit, iustam reprehensionem conviciis obruere tentans. Legantur Tertulliani verba: patebit Servetum perfide supponere, quae sancto viro nunquam in mentem venerunt. Foedior etiamnum impudentia se prodit, dum suae falsitati applaudens exclamat: O verba aurea. Quod deprehensus tam convictum crimen purgare non nititur, [pag. 158] danda est venia. Quid enim faceret? Sed quod flagitium suum saltem tacendo non praeterit, plus quam ferrea est durities. De septimo loco sic habeant lectores. Primum, ex scriptoris lectione cognosci posse quod a me dictum est, non vere, nec ingenue a Serveto citata fuisse eius verba. Deinde et alterum illud elicere promptum erit, oppugnari illic Serveti delirium, quum docet sermonem videri rem posse. Si enim res erat, sequitur realiter a patre fuisse distinctum. In fabrica visibili, aut corporali, non multum laboro: quia his verbis simpliciter ascititiam formam commendat, in qua filium suum Deus patefecit.

Porro, nimis ridicule cavillatur, me digredi, ne

1) *Add.* voire selon que Dieu a tout en sa main pour creer des corps quand et selon que bon luy semble.
2) *Add.* une seule minute.

respondeam, dum syllabam unam a me ipso non proferens eum perpetuo eiusdem loci contextu urgeo. Propriam filio Dei substantiam tribuit Tertullianus. Annuere quidem Servetus se fingit. Sed quo sensu? quia scilicet corpus sit increatum, aut verbum visibile, neque Deus, neque homo. Mens vero Tertulliani longe diversa, cui sermo Dei idem est qui filius: et asseritur non esse res inanis, et propriam formam habere dicitur a patre distinctam. Ad personalem suum filium si revolvitur Servetus,[1]) palam Tertullianus reclamat, nomen filii proprie illi vendicans, et ideo defendens a patre secundum esse, quia filium agnoscit. Excipit Servetus, dispositione secundum esse. Atqui tale cavillum verba non ferunt, ubi Tertullianus filii hypostasin intus et in sua natura a patre distinguit, non autem in solo hominum sensu. Realiter vero distingui a patre, quid negare iuvat? Nihil tale, inquit Servetus, auditum fuit. Quid [pag. 159] autem est realiter distingui, nisi quum res aliqua seorsum esse asseritur? Diserte exprimit Tertullianus sermonem esse rem non vacuam. An inter res duas nullum erit reale discrimen? Subiicit Tertullianus duas res esse, Deum, et eius sermonem. Quomodo rem unam ab altera distingui vult Servetus, nisi realiter? Sed hoc perinde transmittit, ac si nihil sonaret nomen rei. Colorem etiam inducit, quod pater alius sit a filio, tanquam invisibilis a visibili. Atqui hoc modo non conveniet similitudo quae apud Tertullianum sequitur, nempe ut sol et radius duae sunt formae. Sed alias latebras quaerit Servetus: quia Tertullianus apertissime alibi distinctionem tollat inter spiritum et sermonem. Etsi autem durius Tertullianum loqui fateor, nihil tamen minus illi propositum fuisse certum est, quam confundere quae alibi passim discernit. Dum in hanc partem incumbit pius doctor ut filio substantiam asserat a patre distinctam, ac similiter rem substantivam ostendat esse spiritum: de mutua inter sermonem ipsum et spiritum relatione non laborat, quin potius haec duo unum esse dicit. Sensus tamen simplex est, infusa spiritus virtute in virginem verbum carne fuisse indutum. Ideo paulo post subiicit, res illas collatas fuisse in virginem. Unde elicitur aliqua saltem distinctio. De octavo loco responsio, quam dedi, sanis lectoribus sufficiet. Quum angeli humanis corporibus vestiti olim fuerint, inde colligit Tertullianus filium Dei non minus potuisse hominis carnem induere. Ergo filius Dei est sermo spiritualis et invisibilis essentiae, qui carne indutus formam visibilem assumpsit [pag. 160]. Quod excipit Servetus, olim vere habuisse humanam formam, nihil ad rem facit. Habuerit sane quoties ita placuit, quum tamen dicitur carnem induisse, separatim extra carnem filius Dei esse asseritur. Ad haec, quum aliunde corpus sumpserint angeli, si idem factum est in Christo, sequitur hominis substantiam a verbi substantia differre. Servetus vero eandem esse contendit: quia secundum eius figmenta verbum in carnem conversum est, et caro Christi ipsa est deitas. Ne iuguletur Servetus, ad suum Simonem magum confugit. Caeterum, cur mihi probrum hoc aspergat, suo loco dicetur, ubi etiam facile a me discutiam. Nonus et decimus locus nova expositione opus non habent. Nec moror, quod me in re aperta oculos claudere queratur Servetus. Vellet scilicet suum verbum visibile sibi concedi. Atqui Tertullianus prorsus in diversum scopum collimat. In undecimo loco an mentitus sim, sicuti mihi exprobrat Servetus, iudicium ex codice fieri volo. Certe reperient lectores, ex professo illic oppugnari quod nobis Servetus obtrudit delirium. Duodecimum locum ipse sibi extortum videns alio transvolat, quod idem sint sermo et spiritus Tertulliano: quod paulo ante refutavi. Idem sint etiam sapientia et spiritus: quasi Tertullianus non varie nomen sapientiae usurpet. Nam diserte sapientiae hypostasin subesse negat, sed accidens esse dicit. An vero realis distinctio nunquam ab eo scriptore agnita fuerit, qui plus centies pronunciat res esse distinctas, lectoribus iudicandum relinquo. Sophisma de quo in locum decimum tertium mihi invidiam facere tentat, [pag. 161] nullum est. Christum hominis epitheton non ego solum esse dico, sed res ipsa clamat. Filii nomen ad deitatem referri, alibi docuimus.[1]) Sed hoc non obstat quominus vere sit filius Dei homo Christus, ob personae unitatem. Querimonia Serveti in locum decimum quartum uno verbo solvitur. Nam quod sibi impudenter imponi dicit, ad verbum libro 4. de Regeneratione posuit, ut suo loco dictum est, et iterum alibi repetam. De loco decimo quinto non est quod rixemur. Volumen inspiciant lectores, nihil occurret quale finxit Servetus: sed quod ipse nullo autore conceperat, Tertulliani suffragio videri vult probatum.

Ea est locorum, quos ex Tertulliano citavimus, perspicuitas, quae nullo artificio eludi queat: tantum abest ut inani Serveti garritu lucem suam amittant. Perfecta verbi nativitas in mundi creatione ab illo scriptore asseritur: Serveto nulla est generatio verbi, nisi in figura, ad futurum scilicet hominem respiciens. Neque tamen movetur, quum audit sermonem absque carne perfecte ex Deo esse natum. Quin etiam obiicit sententiam hanc mihi adversam esse: quia scilicet non aeterna ponitur nativitas, sed initium illi datur. Quasi vero diffici-

1) *Add.* comme un singe.

1) Mais la chose declaire qu'ainsi est, pource qu'il n'a peu recevoir l'onction de grace sinon en tant qu'il estoit homme. Mais cela n'empesche pas *etc.*

lis sit solutio: Tertullianus enim perfecte natum esse sermonem asserit, qui ante arcano modo genitus erat: sicuti Paulus Christum genitum fuisse dicit, quum coelesti potentia declaratus fuit Dei filius. Sensus est igitur sermonem, qui occultus latebat apud Deum, effectu ipso tunc palam emersisse. Quo nihil ad fidei nostrae confirmationem aptius dici potuit. Affirmat Tertullianus [pag. 162] patrem a filio semper fuisse distinctum: quia relative inter se habent. Hic larvam suam opponens Servetus, mutuam relationem patris et filii delere se putat. Dicit Tertullianus sermonem Dei ab initio fuisse filium. Cavillatur Servetus personaliter hoc debere intelligi: quasi sermonem in locum rei substituere liceat, quoties ita visum est. Negat Tertullianus sermonem cum patre eundem esse a quo prodiit: sed inde colligit esse alium. Ridet Servetus, quod his verbis doceam realiter distingui. Dicit Tertullianus unamquamque personam in sua proprietate constitui, quoties pater ad filium loquens, vel ad spiritum sanctum, inducitur. Servetus prophetias esse causatur de futuro homine. Quasi non mutua illic notetur relatio inter tres personas. Et quomodo hoc [1]) tam facile devorat Servetus, qui personam vocari non patitur, nisi visibilem verbi speciem, quae secundum ipsum futuri hominis erat hypostasis? Multis locis atrociter me vexat: [2]) quia patri assignem suam personam. Tertulliano aliud negat notari personae voce, quam vultum increatum, vel ideam futuri hominis. [3]) Locum hunc tam apertum secure transsilit de tribus distinctis personis. Tertullianus filium docet eundem esse visibilem et invisibilem. [4]) Hoc in Praxeam reiicit Servetus, et me nihil intelligere pronunciat. Atqui Tertullianus, postquam ab adversa parte obiecit filium fuisse invisibilem, quia invisibilis fuit pater in filii nomine, ex suo sensu deinde respondet in eum quem retuli modum. Interea Servetus suum de verbo visibili phantasma oraculi vice nobis [pag. 163] obtrudit. Tertullianus [5]) diserte alium fuisse pronunciat a patre, qui ab initio fuit apud patrem, licet Deus sermo fuerit, fuisse tamen Deum, non quatenus erat pater, sed quatenus filius. Serveto non ista est realis distinctio, sed dispositio qualem somniat. Et certe fateor dispositionis nomen illic haberi, sed pro essentiae modo, ne distinctio inter personas essentiae unitatem laceret. Sed quid sibi vult ista pervicacia? nolle distingui vere et re ipsa, qui duo clare vocantur, quorum alter ab altero differt. Tertullianus mallet admittere deorum pluralitatem, quam unum versipellem Deum. Porro versipellis Deus ab ipso intelligitur, si filius cum patre miscetur, et pater cum spiritu, [1]) ut nulla sit distinctio, sed Deus se in varia nomina transfiguret. Hoc uno dicto conficitur Servetus: se tamen attingi negat. [2]) Tertullianus clare asserit patrem non fieri visibilem in filio personae repraesentatione: [3]) ac deinde exponit, non oculis sed sensu patrem videri. Servetus, qui ubique furiose clamitat non esse personam nisi quae oculis conspicitur, nullum esse verbum nisi quod Deum in persona repraesentat, [4]) manet adhuc sui similis, nec suum vulnus sentit: ne tamen videatur nimis stupidus, de persona separata hoc dictum esse exponit. Quasi vero Tertullianus virtutes personae opponens non clare demonstret personam sibi esse occultam hypostasin, quae per se oculis non est exposita. Atque hoc loco Servetus ipse totam suam causam evertit: personas enim fatetur distingui. Quid hoc est? Nulla secundum eum persona est nisi visibilis. Quo igitur colore patris personam, quae [pag. 164] invisibilis est, nobis pinget? Nec de alia re acrius nobiscum rixatur, quam soli filio competere personam. Hinc apparet quam bene sibi constet in suis figmentis. [5]) Caeterum ne astutiae suae foetorem hoc emplastro tegat, breviter monendi sunt lectores qualiter distinguat personas, pagina 274. Realiter, inquit, differt filius a patre, et a filio spiritus sanctus, non essentialiter: quia eadem est deitatis essentia. Pater est totius dispensationis et deitatis origo, simpliciter Deus, sine creaturae admixtione vel participatione aliqua, in se consideratus, incomprehensibilis. Filius deitatem habet patris cum corporali participatione creaturae. Spiritus sanctus deitatem habet patris et filii, creaturae quoque participationem a filio accipiens. In summa, realis est, inquit, distinctio, adiunctae creaturae intuitu. Annon hic est ille versipellis Deus, quem tantopere exhorret Tertullianus, ut malit plures fabricari deos? Quoscunque enim fucos inducat Servetus, res tamen eo cadit, unum esse Deum patrem, qui se creaturis miscens diversas personas sibi asciscit: sermonem non simpliciter esse Deum, sed dimidia ex parte: quia admixtio creaturae illum a patre discernat: deitatem quoque spiritus nihilo magis puram esse, sed creaturae faece infectam. [6]) Quis ad tales blasphemias non contremiscat? Interea convincitur Servetus caeco furore litem nobis movisse de tribus personis. Dicit Tertullianus nos ter in singulas personas tingi in baptismo: Servetus fumum aspergit, quod patrem non neget a filio realiter distingui, filium vero hominem intelligat.

1) ceste pilule.
2) il m'ecorcheroit volontiers.
3) une idée de l'homme Christ qui devoit estre faict.
4) *Add.* selon divers regards.
5) Qu nt à la parolle visible *etc.*

1) avec le Fils.
2) il fait semblant.
3) en la personne du Fils par representation.
4) qui a une face visible pour representer Dieu.
5) comment il accorde bien ses flustes.
6) comme un vin trouble en sa lie.

Interea de spiritu sancto tacet, quem alibi cum [pag. 165] verbo confundit: neque id solum, sed persuadere conatur, nullum a Tertulliano poni discrimen. Docet Tertullianus Deum minime esse carnem, ac verbum minime carnem factum, quia in carnem transfiguratus sit, sed quia carnem indutus, eo quod transfiguratio interemptio sit pristini: Servetus eandem nunc carnis deitatem in Christo comminiscitur, quae olim fuit verbi: substantiam quae tunc verbi erat, nunc esse carnis: denique carnem esse Deum. Si cum eo consertis manibus Tertullianus pugnaret, non posset magis ex professo eum stringere. Atqui ferream frontem hic quoque ostentat, se eadem ubique docere iactans, et tamen nihil ad rem facere. Quid hoc est? Sermo, Tertulliano teste, non ex transfiguratione, vel demutatione substantiae caro factus est, nec mixtura quadam, sicut electrum[1]) ex auro et argento conficitur: sed quia in carne se exhibuerit, substantias suas proprietate distinctas retinens. Ac tandem concludit in una Christi persona duplicem esse statum: quia alioqui vel sermo esset mortuus, vel caro mortua non esset, si sermo esset conversus in carnem. Istis Serveti deliriis obtusae sunt lectorum aures: me tamen extra rem vagari fingit. Quid? hoccine est praeter rem vagari, Tertullianum ita contrarium ostendere, ut singula eius verba cum totidem Serveti deliriis in certamen committam? Interea ut aliquid contra afferat, conqueritur omissum fuisse a me locum de faciei divinae conspectu. Quasi non iam plus decies caput hoc discussum, et solide expositum a nobis fuerit. Ac tam vernilis[2]) est eius scurrilitas, ut pulchritudinem loci illius iactando, contra [pag. 166] tam clara testimonia oppedere non dubitet.

In Irenaei testimoniis iterum excutiendis dabo operam ne lectoribus sim fastidio. Et certe me pudet laborem hunc retexere. Sed quoniam ita cogit Serveti improbitas, hoc molestiae mecum devorent pii lectores. Docet Irenaeus, in figura hominis Iesum patribus loquutum. Hinc corpus increatum elicit[3]) Servetus, cui personae nomen imponit, quod a mente Irenaei prorsus alienum est. Hominis ergo stultitiam merito refutavi, qui tale spectrum de nihilo sibi confinxit. Graviter hic stomachatur, quia spectrum dixerim. Atqui non intelligo inanem fuisse figuram, sub qua apparuit filius Dei: sed nomen hoc accommodo ad Serveti praestigias. Nec abs re commentitium esse diximus, quod velut ex Irenaeo citet, ad imaginem vultus aut figurae Christi plasmatam fuisse carnem Adae. Nam de effigie ista, quam Servetus ostentat, nulla prorsus mentio fit: sed quod homo perfectus sit, qui ex corpore et anima compositus superveniente spiritu formatur ad imaginem Dei. Quod Servetus exprobrat, me negare insitum hominibus Dei spiritum, quale sit, alibi exponam. Hic vero falsi crimen effugere non potest, qui sua figmenta pro Irenaei verbis retulit. Dixi insulse colligere Servetum, non esse sermonem nisi qui repraesentet: quia tradat Irenaeus Abraham repraesentatione didicisse, verbum Dei fore hominem. Superbe invehitur Servetus, et me grammaticae ac simul maternae linguae ignarum esse clamat. Primum sitne ex propria verbi natura repraesentare, non disputo: sed tantum [pag. 167] quid Irenaei verba contineant. Ab hoc nodo se expediat Servetus, post de verbi natura videbimus. Repraesentationem Irenaeus vocat, quod Christus assumpto hominis corpore, futurae suae incarnationis quoddam, ut ita loquar, documentum ostenderit. Corpus illud Servetus vult fuisse increatam verbi substantiam, ut corporale fuerit verbum. Porro verbi repraesentatio qualis sit, alibi dictum est. Nec scio in quo Galliae angulo didicerit vocem *Parolle* larvam sonare quae oculis conspicitur. In tertio loco Irenaeum clare demonstravimus de mundi creatione loqui, in qua Deus se quodammodo nobis in verbo comprehensibilem exhibuit. Mentiri me Servetus clamat. Atqui verba fideliter a me referri ne ipse quidem infitiatur. Sed phreneticus homo sibi credi vult, Irenaeum ab alio ad aliud transire. Quod tandem in fine subiicit, in contextu non haberi, lectores ex codice discant. Quarti loci solutio, quae a nobis allata fuit, nihil perplexum continet. Patres sanctus martyr dicit spiritu prophetico vidisse passibilem Dei filium, qui tunc impassibilis erat. De visione rei praesentis agi clamat Servetus. Esto: an ideo corporea fuit verbi substantia, quod corpore aliunde sumpto factum est visibile? Quod quintum etiam locum calumniose ad suas nugas detorserit, hinc liquet quod Irenaeus de imagine Dei loquens, eam hominis naturae insculptam fuisse intelligit, dum spiritualium donorum particeps est factus, quemadmodum supra liquido exposui. Serveto[1]) nulla est Dei effigies, nisi in corpore, ut increatum verbi corpus, quod sibi per somnium creavit, retineat. In sexto loco ita confusus iacet, ut nullum, nisi in assensu [pag. 168] effugium reperiat. Sed interea falsi convictus tenetur. Nam ut aboleat aeternam verbi generationem, contendit Irenaeo teste verbum ex virgine esse genitum: quum Irenaeus potius duplicem generationem innuens, fidem nostram suo suffragio comprobet. Non minus clare in septimo loco monstrata a nobis fuit eius perfidia. Irenaeo enim haec verba tribuit, quod realis non sit inter patrem et filium

1) un mestif.
2) servilis *Beza et Amst.* (effronté).
3) fait distiller par l'allambic de son cerveau.

1) ce beau theologien.

distinctio. Quod falsissimum esse constat. Nunc, ut mendacium excuset, ratiocinatur: Si pater ipse est λόγος, realiter a patre non differre. Quasi vero communis nobis omnibus non esset ista confessio, totum filium esse in patre, et totum patrem in filio, ubi de essentiae unitate agitur. Neque enim ecclesia personas realiter distinguendo Dei essentiam lacerat. Vere ergo dicitur pater mundum per se ipsum creasse quem per sermonem creavit: quia unus idemque est Deus, simplexque essentia. Per alium nihilominus aeque vere et apte creasse dicetur: quia a suo genitore distingui necesse est, qui (eodem Irenaeo teste) ante saecula genitus fuit. Quod in fine subiicit supposititium fuisse, negare tandem ausus non est. Multis locis profiteri Irenaeum fingit, quod a discipulis apostolorum didicerit: patrem mundum non creasse per verbum, quasi per rem aliam. Nulla syllaba reperietur, quae tale aliquid sonet. Similis est octavi loci ratio. Nam ubi sanctus martyr plurali numero docet, non intelligi in scriptura plures deos, sed dispositiones quae in Deo sunt, Servetus pro diis pluribus res distinctas subiicit: se tamen interea falsarium dissimulat. Quod ad nonum locum spectat, insipida Serveti [pag. 169] consequentia nullo negotio refellitur. Irenaeus, quod fatemur omnes, filium Dei olim visum fuisse dicit sub hominis specie, nempe quia humanum corpus, quoties ita visum est, assumpsit, in quo se patefaceret: non quod iam tunc homo factus sit, quia hypostatica unio non erat, sed quia formam ad tempus assumpsit, in qua futurae suae humanitatis gustum praeberet. Inde colligit Servetus, verbum sua natura fuisse visibile, et formam hominis increatam fuisse, ac coelestem. Meam tamen fatuitatem ridet, quod nihil hic difficile percipiam. Interea impiam suam blasphemiam imprudens retegit, quam fucare alibi laborat, nunquam fuisse Dei sermonem, nisi sub visibili hypostasi. Porro, quum haec hypostasis, vel ipso teste, in mundi creatione coeperit, hoc modo destruitur sermonis aeternitas. Decimi loci perinde facilis est explicatio. Quorsum enim tendit Servetus, nisi ut Sabellii errorem asserat, ne qua sit inter patrem et filium distinctio? Me tamen accusat mendacii, et impudenter fingere dicit, quum locus sit apertissimus. Sed quid locus continet? Irenaei enim sententiam ambabus ulnis libenter amplector: Serveto autem nihil inde accedit. Nisi forte victoriam in eo statuat, quod Christus vocatur Dei imago. Et sane, ut video, in suum illud delirium subinde revolvitur, verbo fuisse increatam effigiem. Sed quum omnium aetatum consensu agnitus fuerit filius imago Dei, hoc bestiae somnium nemini unquam in mentem venit. Porro, quidquid cavilletur, lectores videre existimo quam contraria sit impiis eius commentis Irenaei autoritas. Pronunciat sanctus martyr [pag. 170] Christum non esse hominem, nisi acceperit ab homine carnis substantiam. Servetus, qui ubique foetide blatterat [1]) carnem Christi esse deitatem, et ex Dei substantia formatam, nihil hoc ad rem facere excipit. Nebula quam aspergit, quod contra magos loquatur qui Christi carnem negabant, facile discutitur. Neque enim carnem solum vendicat filio Dei, sed eam ab homine sumptam esse contendit, et ex humana substantia formatam: a quo prorsus abhorret Servetus. Paulo post, ubi facetus videri affectat, apparet eius dicacitas sine sale. [2]) Vident lectores mutilam esse sententiae illius clausulam, quae a me citata fuerat. Ne dubio testimonio niterer, defectum illum aliunde sarcire volui. Quasi iocandi materia data foret: Alio, inquit, te confer, nihil hic agis. Ego quidem ferreum desperati hominis pectus mollire non potui: apud alios tamen plus egi, quam vellet. Secundus enim Irenaei locus palam docet unigenitum fuisse Dei filium, qui carnem assumpsit. Deinde suum plasma in se recapitulasse. Quibus verbis significat ex Adae substantia sibi formasse corpus. Quum testetur Irenaeus novissimis temporibus filium Dei factum esse visibilem, iudicium cuivis relinquo, verene et apposite intulerim, refelli Serveti commentum de aeternitate visibilis substantiae. Me tamen dicit mentiri. Sed unde mendacium arguit? Quia, inquit, ante delitescebat, et demum palam apparuit. Ubi nunc tritum illud eius axioma, non esse personam, nisi quae palam oculis conspicua est? Toties pleno ore iactat splendorem personae Christi semper fuisse conspectum: nunc eum in latebras [pag. 171] demergit. Quanquam ne hoc quidem serpentis flexu elabitur. [3]) Visibilis enim esse filius Dei secundum Irenaeum coepit, ex quo passibilis factus est: idque factum esse asserit novissimis temporibus. Ergo evanescit aeterna illa verbi effigies, quam Servetus in cerebri sui incude fabricavit. Denuo dicit Irenaeus, sapientiam Dei semper fuisse filium. Servetus, qui verum filium non agnoscit nisi ex virgine genitum, secure alio transvolat, fictitiam suam in creaturis deitatem ventilans. Denique Irenaeus verbum et spiritum diserte plurali numero distinguit. Hoc quoque postremum surda aure praeterit Servetus, qui nuper asseruit eundem esse cum spiritu sermonem.

De locis ex Clemente [4]) adductis, multa verba facere supervacuum foret. Primum, ea est libri insulsitas, cuius vel pueros ipsos mediocri doctrina tinctos merito pigeat: deinde nihil inde protulit Servetus, quod doctrinae nostrae non congruat. Summa

1) *Add.* et vomit ce blaspheme.
2) monstre qu'il est un chien mordant sans nulle grace.
3) *Hoc comma deest in gallico.*
4) *Nempe ex Recognitionibus.*

est, latenter semper adfuisse Christum sanctis patribus, et inter angelos summi prophetae officio functum. Assuit nunc de suo Servetus,[1]) visibili forma et vera. Hoc quoque concedo. Sed quaeritur an forma illa fuerit verbi hypostasis, et increatum corpus, quod deinde in utero virginis in carnem conversum est. Porro citius oleum ex lapide exprimet Servetus, quam ex Clemente vocem educat probando tali portento. Tametsi autem in eodem libro multa veterum testimonia excusa sunt, quibus non minus duriter quam malleis contunditur Serveti impietas, argute se explicat, quod ibi tantum Petri dicta observet. Nec vero quia magnopere testimoniis [pag. 172] illis confidam, ea obiicere visum est:[2]) sed ut ridicula hominis vanitas omnibus pateret, qui nos de nihilo territare volens, pro apostolorum discipulis venditat ignotos scriptores, a quibus turmatim obruitur. Perstat tamen in sua duritie, et se posse recipere dicit. Quid hic dicam nescio. Si testes mihi hodie subornare liceat, et pro arbitrio illis dictare quod respondeant: neque aliud, neque aliter cuperem ipsos loqui, quam quod ad verbum illic legitur. Uno tantum verbo deflectit nebulo iste, quo recipere possit tam plenas sententias, quibus errorum eius farrago in nihilum redigitur. Quin etiam suum illud Mentiris mihi ingerit: quia eius commento Soteri doctrinam de duplici generatione opponam. Quid, quum dico a Serveto tradi (quod singulae libri eius paginae sonant) verbum Dei non fuisse olim, nisi personaliter genitum futuri hominis respectu, an ego mentior? Quum dico genituram Dei et hominis confusam ab eo tradi, qui clamat duos fore Dei filios, si sermo incorporeus ab eo genitus fuerit, an ego mentior? Denique, quum errorem hunc refelli et concidere dico,[3]) si recipimus Christum secundum carnem filium esse hominis: quia vero secundum divinam naturam ex patre ante saecula genitus fuerit, censeri Dei filium, an ego mentior? Quam odiosa illi sit idiomatum communicatio, et quam infestus contra eam ebulliat, ex compluribus eius dictis apparet. Eam tamen Eutychianus asserit: cui refragari non patitur antiquitas, si Serveto creditur. Ne eum subito obmutuisse quis putaret: Ego, inquit, idiomata inter verbum et hominem communicari dico sine [pag. 173] vestris illusionibus: nempe, quia verbum mortuum esse dicit, et sapientiam Dei esse unctam. Loquutionis autem ratio illi est, quod verbum in carnem conversum fuerit, et una sit confuse Dei essentia ac natura.[4]) Caeterum, quid garriat, manet illi cum Eutychiano pugna, qui totam doctrinae nostrae summam de verbo ad verbum, ut aiunt, illic recitat.

Quum tam adversus Serveto sit Ignatius, vel quisquis sit ille scriptor, cuius Epistolae sub Ignatii titulo feruntur, ideoque fallaciter Servetus ipse nullam eius fecisset mentionem, quem prius alto supercilio optimum sibi esse patronum iactaverat, dissimulanda non fuit tanta improbitas. Dixi igitur mirum esse cur nihil ex Ignatio protulisset. Respondet se complures citasse locos in suis libris. Primum eo impudentior est, quod non erubuerit illum citare testem qui ex diametro eius deliriis contrarius est. Sed hoc in praesentia non agitur. Nam priusquam volumen nactus esset decimo quoque verbo illi erat in ore Ignatius ille domesticus Iohannis auditor: mysteria nescio quae in eius epistolis recondita dicebat, quae totam controversiam possent dirimere. Quare nullam ab eo syllabam proferri post tantas iactantias plus quam ridiculum fuit. Ad haec operae pretium est notare quo artificio se explicet. Credere se dicit sermonem ante saecula ex Deo fuisse genitum. Atqui supra hoc modo et Deum in frusta discerpi, et filios duos fieri causatus est. Neque tamen mihi excidit quid alibi dicat, personaliter genitum fuisse sermonem, quia in eius substantia futurum hominem concepit Deus. Ignatius vero aliter, qui veram genituram sine [pag. 174] figura asserit. Adde quod dum Solomonis testimonio Ignatius sermonem Dei filium semper fuisse probat, non modo nihil movetur Servetus, sed me caecitatis damnat, quia non videam id facere contra me.[1]) Sic quum alibi unigenitum Dei filium sermonem esse docet, ac eundem dicit factum esse filium virginis secundum carnem: nodum hunc solvit Servetus, quod Christum intelligat. Sic quum alibi iterum praedicat genitum fuisse ante saecula, quatenus sermo aeternus fuit, postea et hominem ex Maria virgine fuisse genitum: respondet Servetus, hominem fuisse in forma Dei, perinde ac si Pythagoricus quispiam, ostensis hominis natalibus, metempsycosin suam pro clypeo obiiceret.[2]) Si hoc modo loquutus esset Athanasius, clamaret Servetus ipsum esse foedum carnificem filii Dei, et duos imaginari filios, in pelle asini

---

1) Servet a icy cousu une savate de sa boutique.
2) ie luy ay mis devant le nez ces recueils là.
3) *Add.* selon le contenu exprez des parolles de Soter.
4) l'essence de Dieu et la nature de l'homme ne sont qu'une confusément en Christ.

1) *Hinc gallica sic decurrunt:* Comment contre moy? Que le fils de Dieu soit eternel. Et Servet a protesté cy dessus que c'est là le principal en quoy il me resiste, ne voulant point accepter qu'il y ait eu fils de Dieu, si non depuis que Iesus Christ a esté homme. Mais quoy? Rien ne couste à un tel effronté. Car quand Irenée dit que la Parolle a esté fils unique *etc.*
2) comme si un Pythagorique, quand on aura remonstré l'aage d'un homme, voulant faire acroire qu'il a trois cens ans au lieu de trente, alleguoit pour tout potage sa resverie que les ames voltigent de corps en corps.

includi Christum: suum vero Ignatium, quia non audet sic flagellare, in sua spectra transformat. Ne hoc quidem ei difficile est ad solvendum, quod vocatur incorporeus filius in corpore. Atqui nihil absurdius esse clamitat, quam quod incorporeum esse credimus sermonem ex Deo genitum. Tandem animi confusus, dum sua dicta retractare cogitur, me tamen bis mentiri dicit. Non ambigue multis locis asserit, Deum ab initio ad filii generationem fuisse affectum, donec mulierem nactus est, quae ex eo conciperet: nec dubitat, adducto humanae libidinis exemplo, pruritum Deo affingere. Carnem quoque aperte Deum vocat. Nunc dum parce et modeste haec attingo, me suo more semel et iterum proterve mendacii accusat. Lectorum oculos oblinere [pag. 175] sibi videtur, dum carnem inducit Dei participem. Quasi hac voce deleantur sacrilegia illa quibus referti sunt eius libri. Nec vero aliis locis opus est, quam quos in suam excusationem adducit. Nam priore loco nugatur, verbum illud quod olim essentialiter erat forma hominis, nunc esse deitatem sub forma hominis. Sub forma, inquit, non confusa, nec imminuta. Quomodo hoc? Subiicit non esse tale verbum, quale olim fuit: quia nunc caro factum est. Coacervat postea complures blasphemias, quod umbra olim fuerit duntaxat, ac rei futurae praefiguratio: in quo et eius imperfectio notata est. Secundo loco mutatum esse negat verbum, sed carnem fuisse in illud transformatam, ideoque formam hominis, quam habuit ab aeterno, non fuisse confusam, nec alteratam. Totum autem huc recidit, quod Christi caro mera sit deitas, nec alius sit Christus homo, quam qui olim nube increata fuit inclusus. Viderit interea quomodo huic sententiae conciliet quod alibi ex eo retulimus, verbum fuisse in carnem conversum.

CALUMNIARUM REFUTATIO,

QUIBUS SERVETUS IUSTAM ERRORUM SUORUM DAMNATIONEM A MINISTRIS GENEVENSIBUS CONSCRIPTAM ELUERE VEL SALTEM ELUDERE TENTAVIT.

Quoniam ex eius libris constare diximus, praecise ab eo reiectum fuisse nomen trinitatis, quasi detestabile, cum suo MENTIRIS ferociter insultat. Id quale sit, mecum expendant lectores. Plus centum locis trinitas simpliciter ab eo vocatur triceps Cerberus, diabolicum phantasma [pag. 176], Geryonis monstrum,[1]) illusio Satanae, et quid non? Nusquam moderandi causa additur syllabae unius exceptio. Sed alibi trinitas ab eo conceditur. Honesta scilicet excusatio. Nam si eo nomine exprimitur sacra Dei maiestas, nonne summa veneratione colendum erat? Postquam illud sine delectu plus quam atrocibus contumeliis proscidit, neque id semel sed plus centies, nunc paucos locos opponit, in quibus trinitas verbo tenus admittitur. Videndum tamen est, quaenam sit ista verissima trinitas. Sic habet primus locus, quod deitas, quae est in patre, Christo communicata est primum, deinde eo mediatore apostolis. Atqui hoc modo longe maior numerus nobis exsurget et ex triade fiet pentadecas. Iam qualis ab eo statuitur deitas spiritus? Illum esse dicit quem Christus moriens patri commendat. Tandem concludit verissimam esse hanc trinitatem, Deum patrem, speciem imaginis visam, et munus inde procedens. Ubi nunc erit aeternus sermo, si nulla eius deitas nisi in imagine visibili fuit? De spiritu vero quam profane et impie? Nam etsi Dei donum apte interdum et ex scripturae usu vocatur spiritus, tenendum tamen in primis erat illud Pauli 1 ad Corinth. cap. 12 varietates donorum esse, sed unum et eundem spiritum.

Secundo loco, sicuti iam exposuimus, personam filii et spiritus discernit a patris persona respectu admixtae creaturae.[1]) En trinitas Serveti, non in Dei essentia, sed in creaturis quae nescio quid mixtum ac medium habent in quo differant a mera deitate. Caeterum videamus quam bene in aliis locis sibi constet. Certe pagina 28, spiritum sanctum [pag. 177] excludens, ternarii numeri obliviscitur. Si nemo, inquit, patrem novit nisi filius, ubi est tertia illa res, quam metaphysici[2]) volunt secundae esse aequalem, in solio trinitatis locatam, in tertio angulo triclinii?[3]) Item, si Christus nos confitebitur coram patre et angelis, gravem tertiae rei facit iniuriam, cuius non meminit. Verborum Christi facilis est ac prompta solutio: quia sub patris nomine totam deitatem suo more complectitur. Interim videmus Serveto effluere trinitatem, cuius vult nunc videri confessor. Sermonis hypostasin si nomines, credere se annuit. Si patrem voces

1) un monstre poetique.

1) d'autant qu'ils sont à demi creatures.
2) les philosophes supernaturels.
3) en un anglet d'une chambre à trois lictz.

ingenitum, et sermonem genitum, duos clamat fieri deos, pag. 30. Unde ipsum ludere apparet. Sed qua ratione nititur, ut tam acerbe succenseat tribus personis realiter distinctis? Quia nequeunt, inquit, in mentem venire, quae sub sensum non cadunt, pag. 32. An tolerabilis est haec bestiae ferocia, quod immensam Dei gloriam, et arcana essentiae eius mysteria non tantum intellectus sui modulo metitur, sed infra sensus suos subiicere audet? Quis nunc miretur, si talem superbiam horribili caecitate punivit Dominus? Eant nunc Serveti discipuli, et persuadeant hoc esse fidei principium, nihil recipere nisi quod capiunt hominis sensus.

Iam si locum habet aliud Serveti dogma quod supra attigimus, exstincta tertia persona tantum restabit dualitas. Ipsammet enim sapientiam contendit esse spiritum, pagina 86. Unde sequitur, nisi unus et duo idem valeant, solam esse filii personam quae patri respondeat. Verum, alio postea ipsum rapit sua vertigo, ut duas personas in Christo excudat. In solo, inquit, [pag. 178] corpore et spiritu Iesu Christi modus deitatis est duplex, unde et duae dicuntur personae,[1]) pagina 129. Quod autem principium personae spiritus assignat quale audimus,[2]) nunquam pro absurdo duxit. Adde quod innumeras hypostaseis audacter sibi fabricat. Per deitatem, inquit, quae nunc est in re quavis, potest Deus novum mundum creare, et per illam hypostatice apparere, quanto magis per deitatem Christi? pagina 150. Quomodo autem hypostatice Deum constituat in tot personis, Epistola sexta fusius declarat, quod Deus sit in ligno lignum, in lapide lapis, in arbore arbor.[3]) Deinde in Apologia, pagina 698, refutans[4]) locum illum ex primo capite Mosis: Faciamus hominem ad imaginem nostram: quum Deus loquitur et praecipit monti, aut pluviae, aut lapidi, loquitur deitati, quae in singulis est. Suntne ideo deitates realiter distinctae?[5]) Personae ibi dici possunt, quae audiunt vocem Dei. Quibus verbis annectit, quod iam citavimus, posse Deum nunc per deitatem, quae est in re quavis, novum mundum creare, per illam hypostatice apparere, et seorsum agere. Et adhuc nebulo vocem trinitatis proferre audebit, ut suos fumos venditet? Videmus enim quotquot sunt in terra lapides, vel trunci, totidem illum induere Deo personas. Videmus etiam non plus deitatis concedi spiritui sancto, quam ferro, aut lapidibus. Pagina 699 tribus personis hoc praetextu illudit, quod quum ignis gehennae sit aeternus, non iam trinitas, sed quaternitas in Deo sit evidens, patris, filii, spiritus et ignis. Quod si thronus Dei addatur, iam futura [pag. 179] sit quinternitas. Quaerit postea, sitne trinitas luminis, nubis et caliginis. Denique sic multiplicat personas, ut inexplicabile sit chaos. Postquam sine modo omnia confudit, fatetur in Deo non modo tres personas, vel hypostaseis, sed etiam tres essentias, pagina 706. Hoc primo exsecrabile est piis omnibus, simplicem ac individuam Dei essentiam in tres secare. Nec quisquam ex tota haereticorum colluvie unus exstitit ante Servetum, qui sibi in hac parte tantum licentiae daret. Sed unde repente tam profusus est, ut tres personas in una essentia non ferens, Deum in tres essentias lacerari concedat? Quia, inquit, verbo et spiritui sancto admixta est portio creaturae. Ergo in deitate faeculenta et impura erit essentiae partitio. Sed redeo ad illam verbi et spiritus identitatem. In archetypo, inquit pagina 165, licet idem essent verbum, spiritus et lux, et esset nubes eadem simul aquea, aerea et ignea, prius tamen referuntur verbum et spiritus quam lux: prius aqua et aer, quam ignis. Hic vel senarium numerum concedat necesse est, vel omne discrimen tollat. Iam si persona illi dispositionem sonat, videamus quaenam secundum ipsum inter patrem et filium sit relatio. Pagina 696, postquam sibi ab adversa parte obiecit, si in homine Christo est verbum et spiritus, cur verbum potius filius vocetur: respondet, quanquam utrumque certa ratione dici possit, in modo tamen esse differentiam, quia in verbo semper erat spiritus, in spiritu verbum, virtus eadem, substantia eadem verbi et spiritus. In sermone, velut in re externe [pag. 180] visa, erat interne contentus spiritus. Verbum ergo ad corpus ipsum filii potius spectabat. Ubi nunc distinctae hypostases? imo ubi duae essentiae, quum ne inter personas quidem discrimen relinquat? Porro, qua ratione spiritus sancti pater sit Deus, definit pag. 187. Sicut pater luminis, inquit, et pater gloriae, ac eadem figura dicitur pater sapientiae, et pater verbi, si absque homine[1]) haec olim intelligas. Videmus quanto cum ludibrio de aeterna verbi genitura interdum garriat. Quamvis enim figurative eam se accipere declaret, ipsa tamen figura in nihilum recidit, si non aliter censetur Deus pater verbi, quam luminum, misericordiae, consolationis et bonorum omnium.[2]) Quid si tunc Serveto nihil praeter umbram fuit spiritus? Hinc certe sequetur, Deum nisi umbratilem fuisse verbi patrem. Sic autem ipse diserte loquitur pagina 217. Videndum etiam restat,

1) *Haec ultima verba desunt in gallico.*
2) quant à ce qu'il attribue à l'Esprit un commencement de personne qui soit survenu avec le temps.
3) in arbore arbor *omitt. G.*
4) voulant monstrer que ce passage . . . . ne fait pas à propos pour prouver la Trinité.
5) *Hoc comma deest in gallico.*

1) sans regard de l'humanité.
2) et bonorum omnium *omitt. G.*

quo sensu honorem unigeniti filii tribuat Christo, pagina 732: Si Deus alium mundum creassot, et in aliis formis alias rationales creaturas ex se ipsis filios generantes, et ipse quoque, si voluisset, in ea forma filium eis similem genuisset: ac tunc ille quoque fuisset in sapientia genitus, et fuisset in Deo sapientia eadem quae nunc est exhibitio divina:[1]) et semper eadem esset ratio filii Dei, quoad divinitatem attinet. Videmus ut generi humano primarium quendam hominem praeficiat, qui in sapientia formatus, ideo nomen filii Dei obtinet, quia sit quoddam deitatis exemplar:[2]) interea secundum diversas fabricas, alios potuisse gigni similes filios. Hinc iam liquido constare arbitror, quid coloris habuerit frivola [pag. 181] Serveti excusatio. Deinde iure necne a nobis dictum fuerit, nihil veniae mereri prodigiosum blasphemiarum eius chaos.

Hic quoque notanda est hominis temeritas, quod de rebus prorsus incognitis non minus superciliose pronunciat, quam si a prima mundi origine creatus esset temporum omnium censor. Quia Nicaeno concilio audierat praefuisse Athanasium, quibuscunque potest probris eum flagellat. Dico audisse: nam acta concilii nunquam ab eo fuisse lecta mox patebit. Adeo quidem nemini veterum parcit, ut omnes dicat fuisse caecos sophistas, bestiae ministros, mancipia Antichristi, et Satanae praestigiis fascinatos. Athanasio tamen praecipue ea, quam dixi, causa infestus, foedam illi maculam inurit, quod Deum tripartitum statuens, simul iusserit imagines adorari, pag. 703, et aliis locis. Sed unde illud decretum hausit, cuius nusquam in historiis fit mentio? Inscitiam suam crassius prodit libro de orbis perditione 1, pag. 399. Nam aptus et peritus prophetarum interpres Christum, ut Daniel praedixerat, occisum esse nugatur a romano duce vere babylonico, qui babylonicas statuit caeremonias, matrimonium interdixit, legales fecit tonsuratorum regulas, unguenta consecrationis, iudaicos ritus, iudaica et babylonica sacrificia. Paulo post hic trinitatis ibidem in Deum blasphemias induxit, et monarchiam romanam migrare Constantinopolim fecit: gloriosus confessor.[3]) Idola et imagines, ut dixi, sub hoc Sylvestro coeperunt ad Helenae mulieris suggestionem. Audierat in concilio Nicaeno, quod furiosae mulieris Irenes auspiciis et imperio coactum erat, receptum fuisse et probatum imaginum cultum. Hanc [pag. 182] Irenem audierat Imperatoris fuisse matrem: homo phreneticus nomen aliud, quamvis non multum affine, arripuit.

1) exhibitio divina, *gallice:* Christ.
2) estant homme et un patron de deité.
3) gloriosus confessor. *Haec verba satis obscura Gallus omittit.*

Perinde ergo ac si ab Helena Constantini matre profecta imaginum adoratio foret, Athanasium falsa eius criminis invidia gravat,[1]) quod trecentis post mortem eius annis admissum est. En cur bonus iste antiquitatis vindex Clementis larvam, et similes quisquilias omnibus sanctorum patrum scriptis opponat.

Caeterum omissa hac Serveti vecordia, nunquam eum expedient sui discipuli, quin liquido demonstrent primae quatuor propositiones, quas ex eius libris adduximus, sacrae trinitatis mysterium impie fuisse ab eo eversum. Nec vero difficile est in coloribus, quos postrema quasi manu appinxit, hoc idem perspicere. Nam si verbi persona erat homo, sicut ipse loquitur, non fuit deitati verbi sua persona, secundum quam a patre differret. Nunc si Deus est in carne manifestatus, sequitur patrem fuisse crucifixum: a quo sacrilegio recta fides abhorret. Sophisticis rationibus hic me pugnare conqueritur, non scripturis. Quasi vero mihi ad manum trecenti scripturae loci non suppetant ad hoc probandum. Idem valere fingit, Christum fuisse Dei formam, vel in forma Dei. Quasi vero ipsis quoque pueris non pateat, qui patri conformis dicitur, substantialiter et distincte[2]) cum patre conferri. Unde[3]) conficitur Christum in sua deitate, prius quam carnem indueret, quatenus aeternus erat Dei sermo, consortem fuisse paternae gloriae. Si vocatus a Paulo esset forma Dei, triumpharet Servetus, visibilem esse, et corpoream effigiem Dei invisibilis. Dum vero Paulus sermonem ipsum carne humana nondum vestitum gloriae Dei conformat, prosternitur [pag. 183] illud delirium, quod homo fuerit verbi persona. Nam Paulus, data opera, contemptum naturae humanae habitum cum aeterna deitatis gloria comparat. Ideoque exinanitum esse dicit, assumpta hominis figura. Argute obiicit Servetus: Si erat in forma Dei, ergo formalis erat distinctio. Imo potius colligetur ex Pauli verbis, quum statuatur formae paritas, in substantia vel hypostasi fuisse distinctionem. Certe substantiam esse oportuit, quae forma praedita esset. Fabulas esse putat Servetus, quasi in Deo sint accidentia, vel subiecta. Ego autem hypostaseis, subiecta quorum singulis attribuitur sua proprietas, non inepte vocari puto. De accidentibus, litem illi non moveo. Solus enim ipse accidentia in Deo comminiscitur. Sed ei dolet fucum exsecrandis suis blasphemiis detrahi. Postquam tres hypostaseis lingua confessus est, hypostasin vult esse essentiam, et hoc modo filius, secundum ipsum, character dicitur paternae essentiae: quia in eo solo

1) *Add.* auquel iamais il ne pensa. Car ceste diablesse Irene naquist plus de 300 ans apres la mort d'iceluy.
2) comme ayant substance distincte.
3) Unde . . . . . gloriae. *Haec absunt a gallico.*

subsistit Deus, ut se visibilem praebeat. Nam expressam, inquit, illam effigiem videns, dicor videre Deum, sicut dicerer videre Gabrielem, aquilam videns, in cuius forma ad me veniret. Qualis nunc hypostaseon distinctio? nisi essentiam Dei partiri libeat secundum distributionem, sicut ipse postea nugatur, pag. 121. Distincte fatetur invocari in baptismo patris et filii nomen, quia realiter differunt pater Deus et filius homo. Quid igitur de spiritu dicendum, qui ipso teste carnem assumpsit? Nam hoc respectu non constabit triplex invocatio. Et tamen furiis me agitari dicit, quia baptismum dico lusorie consecrari, nisi rem agnoscimus in filio.[1]) De Christi deitate mentem [pag. 184] meam non est assequutus.[2]) Dico longe aliam esse deitatem quam carnis, nempe aeternae essentiae.[3]) Putat phreneticus diversas me facere patris et filii deitates. Nec moror quod alicubi spiritum perceptibili persona induit, quando et multis locis personam non admittit nisi visibilem, et perceptibilem nunc spiritum faciens, de extrinseca et adventitia qualitate loquitur.

Quintae propositionis crimen diluere volens, internam se hypostasin confessum esse excusat pagina 704 et 705. Verum nihil illic reperient lectores, nisi quod verbum, lux, persona Christi, prius occulta ratio, deinde manifestus fuerit sermo, quod hic fuerit deitatis modus, quem apparitionis vocat: deinde alius communicationis.[4]) Tandem concludit trinitatis mysterium in hoc Pauli dicto exponi: Deus manifestatus in carne, iustificatus in spiritu: vel potius mysterium duplex essentiae divinae nobis exhibitae. En illa interior substantia quam confessus est, quod Deus in carne Christi formam suam exhibuerit, et se communicaverit in spiritus virtute. In summa, qui realiter patris et filii hypostasin distingui non patitur, fallaciter in Dei essentia residere praetendit.

Hinc quoque error, in sexta propositione a nobis obiectus, convincitur. Sabellium enim se plenis buccis spirare quomodo negare audet, qui palam asserit idem esse sapientiam cum spiritu? Annon etiam hinc colligitur, spiritum fuisse crucifixum? Nam aut spiritum a verbo discernat oportet: aut quod Iohannes de verbo testatur similiter in spiritum competet, nempe factum esse carnem, cui annexa est mors et resurrectio. Millies hoc a se dictum clamat, quod forma saltem et dispositione differat spiritus a filio. Fateor quidem, ubi de spiritus perceptione [pag. 185] suo more philosophatur,[1]) diversum modum deitatis ab eo notari. Sed quum nunc duos in unum misceat et confundat, minime eum levat si quid alibi in contrariam partem docere visus est. Et nunc si serio de tantis mysteriis ageret, cur ad probandam identitatem sapientiae et spiritus arriperet locos illos, ubi non persona in Deo subsistens, sed spiritus donum intelligi debet?

Septimae propositionis quam honesta est excusatio? quod alium Deum posuerit pro alio deitatis modo. Hoc sibi non minus fuisse licitum iactat, quam mihi dicere aliam deitatem. Quod mihi falso imputat.[2]) Nam in meis lucubrationibus plus centies occurret, quod una et eadem sit deitas. Ante Servetum nemo ita loquutus est, quod alius esset Deus: et certe non nisi impius sensus elici potest. Correctio vero ab eo addita, licet asperam loquutionem mitiget, perversum tamen figmentum non tollit. Et quid longius disputo, quum supra Deum in tres essentias partitus sit? Adde quod illud absurdum nunquam effugiet, spiritum sanctum a Christi demum resurrectione factum esse personam, quia tunc ex Christo Deo alius Deus emersit. Quod etiam ex alio loco clarius patet. Nam pagina 184, spiritum alium, et aliud a filio substantia esse contendit, ac realiter differre eorum substantias. Si substantia essentiam notat, quam foedum in modum discerpitur Dei maiestas?

Tres quae sequuntur propositiones quum inter se affines sint, simul complectar. Christum tradit Dei filium esse, quatenus ex Dei substantia genitus est. Hoc modo negat Servetus concidere naturae humanae societatem quae nobis est cum Christo, ex qua [pag. 186] salus nostra pendet. Atqui nihil est clarius. Unde enim, nisi ex communi natura, nobis cum Christo fraternitas? Deitatis positio, inquit Servetus, horum neutrum tollit. Nempe si deitatem carni nostrae uniret, sicuti scriptura docet manifestatum esse in carne Deum. Atqui non modo naturas duas confundit, sed essentiam carnis Christi non minus a nobis separat, quam procul distat coelum a terra. Sicut per incarnationem, inquit pagina 275, verbum effectum est caro, vel creatura: ita per resurrectionem caro desiit creatura esse. Omitto quod alibi fortiter negat Christum vocari debere creaturam. Hoc tantum dico: si verbi substantia, carnis facta est, longe diversam esse Christi naturam a nostra. Verbum, inquit, de coelo descendens, nunc est Christi caro. Ultra etiam pagina 147 progreditur, humanam in Christo naturam unum et idem esse cum divina. Ubi nunc illa so-

1) si le Fils qui est là invoqué n'estoit quelque-chose.
2) il s'est monstré beste prenant mal ce mot que i'avoye dit *etc.*
3) nempe aeternae essentiae *om. G.*
4) comme en parlant de l'Esprit il dit que c'est une façon de Deité communicative.

1) resvassant.
2) *Add.* mais i'ay desia monstré que cela vient de sa bestise.

cietas quam Servetus dissolvi negat? Et hic scilicet me hortatur, ne me torqueam. Sicuti ludibundus salutem humani generis prorsus dissipat, sic ruinam hanc, quasi ludicram, secure vult a nobis excipi. Itane, dum rupto fraternae unitatis vinculo eripitur nobis redemptor, ut taciti feramus? Ut frivola sit fatigatio, si unicum adoptionis nostrae pignus tueri conemur? Frater noster, teste apostolo, ideo censetur Christus, quia excepto peccato nobis per omnia similis factus est. Exponit Servetus, quod omnia nobis similia acceperit. Verum illic de naturae similitudine disserit apostolus. Et certe, ut nos reconciliaret filius Dei, in carne eius vere humana, non divina, terrena non coelesti, mundi peccata expiari [pag. 187] oportuit, ut in eadem natura offensae satisfactio constaret. Pretium redemptionis nostrae in carne sua solvit Christus. Si divina erat ac coelestis eius caro, quid sibi ista compensatio vellet? Quaerit Servetus, an expertem deitatis fuisse arbitrer hominis naturam. Facilis responsio est, a deitate fluere quidquid est in Christi carne vivificum. Sed aliud est unio quam unitas. Etsi enim carnis naturam induit Deus, ut unus esset in Dei et hominis persona redemptor, non protinus sequitur quod Servetus blatterat, deificam fuisse unitatem. Ita solvitur puerilis eius obiectio, quod caro Christi in sepulcro iacens sua tamen divinitate minime privata fuerit: nempe, quia hominem semel assumptum nunquam deposuit Deus, neque mors neque sepulcrum potuit unitas naturas dirimere. Verum hac ratione non tollitur earum distinctio. Placavit nobis patrem Christus sua obedientia: in essentia Dei quomodo obedire Deo potuit?[1]) Ad haec, quam absurdum erit humanis affectibus subiicere Dei substantiam? Nec vero abs re notata hoc loco a nobis fuit repugnantia in verbis Serveti. Ter me mentiri clamat, quia fucose dixerim simulari ab ipso aeternam Christi generationem, quam non credit. Quasi vero non sit hoc unum ex praecipuis dogmatibus quibus ecclesiam turbavit, patrem non esse Deum, nisi matris respectu: nec vere gigni potuisse sermonem, nisi in utero. Aeternam igitur matrem fabricet necesse est, ut mendacii me coarguat. Naturas confundi, si ipsamet Christi caro est Deus, nemo est qui non videat. Nunc hypostaticam verbi unionem obtendit, quae carnem deificat. [pag. 188] Quasi vero hypostatica sit unio, quum e coelo detrahit increatum verbi corpus, quod in utero virginis caro factum fuerit. Obiicit illud Pauli, sanguine Dei redemptam fuisse ecclesiam. Si sincere fatetur distinctas esse naturas, cur non quod proprium erat unius, ad alteram transferri agnoscit, ut Christi hominis sanguis dicatur fusus esse, qui idem est Deus in carne manifestatus? Atqui diabolicum illi sophisma est talis idiomatum communicatio. Denique si inter duas naturas distinguit, fateatur aeternam fuisse verbi essentiam: carnis essentiam a tempore coepisse, quum in utero virginis creata est. Verum carnem ex increatis elementis conflatam fingens, aeternitatem illi vendicat. Quid quod essentiam corporis et animae cum verbi et spiritus unitate confundit, unam et eandem rem esse asserens, et Christum ab initio fuisse dicens corporis et animae respectu? Nunc cavillatur hoc fieri deitatis ratione, quae est in corpore et anima. Quasi vero, si deitas est ipsum corpus, ambagibus istis locus supersit. Et tamen Servetum bestialitatis meae pudet, quia iniuriam fieri Deo ostendo, quum tristitiae et mortis doloribus subiicitur. Haec enim sunt eius verba, quod Deus verbum et spiritum in corpus et animam Christi dispensaverit. Caeterum de aeterna et divina Christi humanitate tam magnifice in speciem loquutus, mox ipsam verbi essentiam in creaturarum ordinem cogit, exponens sapientiam Dei vocari, sicuti hoc elogio quidquid eximium est, ornare solent Hebraei.[2]) Innumera, inquit, nomina apud eos desinunt in אל et in יה, accepta eodem sensu. Nec vero aliter postea definit. Ergo [pag. 189] utcunque queratur inique secum agi, nunquam se ab hoc laqueo extricabit, quin sancta Christi maiestas parum honorifice ab eo deiecta fuerit.

Superioribus concinit duodecima propositio, Christum hominem ab initio in propria substantia fuisse. Quod si verum est, mentitur tota scriptura, ipsum semen Abrahae et filium Davidis appellans. Mentitur apostolus quum ex muliere factum esse dicit, quae sub plenitudinem temporis nata est, ut ex ea nasceretur Christus, et hoc modo temporale principium haberet. Partem illam tamen Servetus verissimam esse defendit, quia Iohannes se quod ab initio est vidisse dicit. Quasi vero ob personae unitatem visus non fuerit Deus in homine. Sed quid hoc ad Serveti delirium, aeternam fuisse hominis naturam? Calumniatur tamen nos ex Deo nihil citare, quum nulla secundum scripturas generatio vel nativitas Christi nobis constet, nisi ex Adam, deinde ex Abraham et Davide, eorumque posteris continua serie originem traxerit. Ipse vero in propria persona et substantia aeternum vult fuisse. Caeterum cur de secunda parte tacet, quod duae sint Christi personae? Hic illi mira exprimitur confessio, in Christo esse Deum, qui est tres personae. Cur ergo triplicem Christo personam non imposuit? Annon illa gloriae eius fuit diminutio, vel mutila substantiae descriptio, quum ex tribus

1) *Add.* veu qu'il n'eust pas esté inferieur.

1) l'Escriture, *omissis quae proxime sequuntur.*

personis unam illi subtraheret? Pluribus excutienda non est absurditatum farrago, quae sponte lectorum mentibus se ingeret. Deum vocat tres personas, quem ubique invisibilem esse dicit, nisi quod in verbo corporali et visibili personam duntaxat unam protulit. [pag. 190] Iam si tres personas sustinuit Christus, patrem et spiritum sequetur non minus esse passos, quam filium Dei. Ad haec, si in filium competit Christi persona, quomodo conveniet quod alibi fatetur realiter distinctos esse? Liquere iam arbitror, quam multis modis se implicuerit, dum suos errores contumaciter defendens, ex una absurditate elabi tentat.

Ut excuset quod impie nugatus est, verbum fuisse geniturae Christi semen, unde formata est eius caro, locos suo more in sensum alienissimum detorquet. Dicit Esaias (45, 8): Rorate coeli desuper, et nubes pluant iustitiam, aperiatur terra, et germinet salutem. Quasi hic sermo Dei praeparativum sui ipsius semen vocetur, ac non potius huc tendat precatio, ut Deus iustitiam et salutem suam per totum mundum diffundat. Alibi Esaias (55, 10) verbum Dei pluviae comparat, quae terram irrigans, eam foecundat: ut scirent Iudaei, quod de ipsorum redemptione pollicitus erat Deus, minime fore irritum. Quid hoc ad humanae in Christo naturae generationem? Christum Psalmus 70[1]), pluviae comparat in pratum exsectum stillanti, unde vis germinandi prodeat. De salutari Christi virtute loquitur, quae se in totum ecclesiae corpus diffundet. Quam praepostere ergo ad Christi personam restringitur? Et tamen paulo post, Davide et Esaia testibus confisus, victoriam sibi arrogat. Quod in loco Iohannis verbum accipi iactat pro voce patris, nugatorium est. Nam testimonium Christi in carne patefacti Iohannes ab aeterno illo sermone petit, qui, eodem teste, caro factus est. Quod si sermo est factus caro, perperam Servetus alium esse nugatur. Commentum suum[2]) nobis obtrudit ex Dialogo 2 pag. 266: [pag. 191] Ut penitius intelligas quid sit caro factum, et quatenus ab eo differat quod est carni unitum, tria sunt tibi in verbo consideranda, idea, elementum et lux. Verbum quatenus erat hominis idea, seu persona et praefiguratio, dicitur caro factum, et quasi in carnem personaliter concessisse. In elementari quoque, seu superelementari seminis substantia verbum est homo factum, quia eius elementa sunt corporaliter quodammodo facta carnis elementa, et spiritualiter animae. Quatenus vero erat verbum essentia lucis, dicitur carnis materiae unitum, ut totum plasma sit unus homo, et una Dei caro. Tandem pagina sequente concludit, sicut animae et angeli fiunt spiritus sanctus, manent tamen animae et angeli, sic verbum licet caro fiat, manere tamen in sua natura. Hic me tacente vident lectores quantopere pravis deliriis oblectatus fuerit hic nebulo, quae totam fidei puritatem inficerent. Lucem nunc a persona separat, quum plus centies ipsissimam faciat personam. Elementum nunc in verbo includit, quum alibi verbum sit illi pura deitas. Verum si singulis insistam, nullus erit finis. Interea nobis peribit simplex pietatis doctrina, quod verbum carnem nostram induerit. Concidet etiam illud, Christum naturae humanae respectu semen esse Abrahae. Occurrit Servetus, ac Dei quoque semen vocari affirmat Malachiae 2, et germen Dei, Esaiae 4. Malachias semen Dei vocat legitimum propagandi generis humani modum. Esaias magnificum fore Domini germen promittit, florente regni statu. Hinc iudicium fiat, quam dexter et fidus scripturae sit interpres, qui carnem Christi inde colligit [pag. 192] ex verbi substantia esse genitam. Quod hic excusat coaluisse Dei naturam cum homine, ut sine confusione unitur carni anima, utinam saltem ita moderate loquutus foret. Sed ab hoc longe dissentaneum est quod prius ex Apologia citavimus: Quodammodo facta est verbi in carnem conversio. Item, quod verbum Dei coeleste nunc in terra sit ipsa Christi caro. Item, quod evangelista tradat se manibus palpasse ipsam verbi substantiam, pagina 122. Et falso[1]) quidem citari evangelistam dicere supersedeo: quia nunc de confusa mixtione agere mihi sufficit.

Decima sexta propositio licet non mollierit ferream Serveti frontem, eius tamen flagitium satis aperte detexit. Quum apostolus homines in eo praefert angelis, quod semen Abrahae assumpsit Christus, minime obscurum est vel dubium quin assumptam intelligat a Christo hominum naturam. Quid autem Servetus? Quanquam hominem Christum concedat carne vestitum esse, locum tamen hunc aliter vult exponi, quod non venerit Christus angelos liberaturus, sed recepturus ad se homines. Nunc simulat utramque interpretationem recipere. Atqui veram et genuinam aperte repudiat. Et nunc rursus, quasi collecto animo, praesens verbi tempus mihi obiectat, quasi doceat apostolus quotidie assumi homines. Quasi vero ad solum Abrahae genus pateat haec gratia. Quasi etiam sub Christo capite non colligantur angeli in perfectam gloriam. Nec obstat verbi tempus: quia satis tritum est, res ipsas, de quibus habetur sermo, quasi praesentes in medium statui. Contextus certe omnem eius rei dubitationem tollit.[2])

1) *Beza et Amst. habent* 76. *Lege* 72, 6.
2) Pour plus ample satisfaction il nous met en avant une autre resverie sienne.

1) *Haec desunt in gallico usque ad finem pericopae.*
2) *Add.* Passons donc outre.

Si [pag. 193] spiritus sancti pater est Deus, abolitas esse personas facile patet. Quod se metaphorice loquutum dicit Servetus, metaphoricus quoque verbi pater erit Deus. Siquidem, ipso eodem teste, spiritus est pater, sicut verbi.[1]) Quo etiam pertinet quod dicit pagina 193, de substantia spiritus non minus quam verbi genitum esse Christum. Nam si ideo filius est verbum, quia de verbi semine profluxit, et caro factum esse dicitur, eadem in spiritum similiter competent. Negat Servetus pari ratione. Discrimen ergo ipse ostendat, qui aequalitatem illam, vel similitudinem induxit. Truncari a me suas sententias dicit, quum fidelius referre non potuerim.

An consentanea sint haec duo, tres esse in Deo personas, et unam duntaxat fuisse personam quae est angelis communicata, iudicent lectores. Nunc novum effugium excogitat. Unam fuisse Dei imaginem, ad quam formata fuerit Adae caro. Sed si conferantur eius verba, nemo tam rudis erit quin fucum sibi fieri intelligat.[2]) Illic ex professo de imagine Dei disputat: eam in singulari numero a Moyse poni dicit, quia una sola erat personalis Dei imago, vel facies. Certe et patris et spiritus personam satis aperte, nisi fallor, excludit, negans pluralem numerum valere in voce imaginis, quia non fuerint plures Deo personae. Convicietur ut libuerit, non faciet tamen ut ulla malae fidei in me macula haereat.

Sequitur alchimistica[3]) corporis Christi compositio, dum illud ex tribus increatis elementis, et terrea materia conflat. Diximus spem salutis pessum ire, et evanescere redemptionis nostrae fructum, nisi Christi corpus nostro simile fuerit, excepta peccati corruptela. Altera a Serveto exceptio additur, quod [pag. 194] fuerit deitatis particeps. Sed quis hoc illi permisit? Filius enim Abrahae et Davidis vocatur secundum carnem, a cuius natura seiungitur deitas. Adde quod Christi corpus absurde vocaretur templum Dei, si pars esset deitatis ipsius. Quomodo haec duo convenient, deitatem esse partem corporis, et Deum corpore ipso non secus atque in templo habitare? Memoria quoque repetant lectores quod prius dixi, non esse verum mediatorem, nisi qui et frater sit, et homo eiusdem naturae socius. Humanitatem Christi, etiam si pura esset creatura, nostrae dissimilem fore contendit, quod a deitate illustretur. Quasi vero de qualitate[4]) inter nos vertatur quaestio, ac non potius de substantia. Fatemur in carne illa, quae vere humana erat, et ex Davide habebat originem, conspicuam fuisse unigeniti filii Dei gloriam. Imo carnem ipsam quum terrestris esset ac mortalis, vivificam tamen fuisse et coelestis vitae cibum. Sed haec ad qualitatem referri debent: interim ipsa carnis natura nobis consideranda est. Quaeritur enim in qua carne completa fuerit peccati expiatio. Respondet Paulus, damnatum in carne fuisse peccatum. Non fabricat coelestem carnem quae ex elementis increatis defluxerit, sed dum in vitio et corruptela externam illi similitudinem cum nostra tribuit, substantiam procul dubio et puram naturam fuisse eandem significat. Quaeritur rursus in qua carne futurae resurrectionis primitias inveniat fides. Qui diversam a nostra imaginatur, Christum a membris suis separans, terrenis et caducis hominibus beatae spei ianuam praecludit. Quid enim id nos iuvabit, corpus ex Dei substantia et increatis elementis conflatum resurrexisse? Nempe [pag. 195] naturae diversitas, societatem illam, cuius fiducia nitimur, abscindet. Iam quod teste Paulo Christus est filius Davidis secundum carnem, et ex Iudaeis secundum carnem descendit, non admittit fictitiam illam mixturam ut particula carnis credatur esse ab homine, non tota caro in solidum. Negat Servetus id quadrare in carnem, nisi quatenus a deitate secernitur. Sed clariora sunt Pauli verba, quam ut longiori disceptatione opus sit. Interim calumniae me accusat quia dixerim, Christo nonnisi quartam humanae naturae partem hoc modo fieri a matre residuam. Falsarium quoque et mendacem me vocat, quia carnem ab eo dixerim in deitatem converti. Sed quomodo secum agi vult, nisi ex verborum suorum formula? Sic autem Epistola 6 loquitur: Quod caro in verbum transformata fuerit. De tribus elementis,[1]) locus est minime obscurus Dial. 2 de Trinit. pag. 250, quod ab ipso Mariae utero sumpta sit materia carnis Christi terrea, eadem tamen caro elementa verbi habuerit vere divina, et Dei substantiam. Si de proportione rixatur mihi certe in statera appendere propositum non fuit, quanta a matre portio[2]) sumpta foret. Quod voluit Servetus suis verbis abunde testatum fecit, tribus partibus a nobis differre Christum, quia ex tribus elementis increatis compositum eius corpus, non modo vere divinum sit, coeleste ac aeternum, sed rite censeatur Deus, non minus quam spiritus et Christus ipse,[3]) Dial. 1 pag. 231.

Iam quum nihil absurdius fingi possit illo

1) la paternité au regard de la Parolle et de l'Esprit est pareille.
2) il n'y a si rude idiot qui ne se fasche d'estre ainsi befflé et moqué.
3) comme si quelque alcumiste faisoit son extraict de la quinte essence.
4) des ornemens ou qualitez.

1) De tribus elementis *om. G.*
2) combien il y avoit plus d'onces d'un costé que de l'autre.
3) en son entier.

commento, rore coelesti transformatam in Deum esse humanam materiam, novus tamen color a Serveto inducitur, transformari quod alia gloria illustratur quam prius. Quasi vero formae [1]) mutatio [pag. 196] materiae transformatio dici queat. Caeterum irascitur Servetus, quia Christi gloriam voco qualitatem, quum lux fuerit substantialis. Quasi vero magicum eius delirium pro confesso valere inter nos debeat, quod ex aeterna Dei substantia formata sit Christi caro, ac non potior sit piis omnibus scripturae autoritas, quae Christi carnem testatur, quum prius mortalis esset et terrenae vitae miseriis obnoxia, beata immortalitate donatam esse. Respondeat mihi Servetus, nihilne Christi carni contulerit resurrectio? Quidquid autem respondeat ipse, norunt fideles, ex quo in coelestem gloriam recepta est, longe diversis quam prius dotibus fuisse ornatam. Quum dixisset, ex spiritu Dei et humana anima constitisse in Christo unam substantialem animam, et carnem eius ex Dei substantia esse, quae exsistentiam aeternam habet, excusandi vel potius tergiversandi causa Pauli dictum obiicit: Qui adhaeret Domino, unum spiritum cum eo effici. Quasi vero talem mixtionem [2]) hominum cum Deo imaginatus sit Paulus, qua homo ipse Deus fieri incipiat, ut dici possit aeterna eius essentia.

Caeterum ut me temerarium censorem probet, ad causam longe diversam transit. Damnatam enim a me fuisse astrologiam conqueritur. Veritus est scilicet ne lectores nescirent omnibus Satanae fascinis ipsum fuisse dementatum, nisi astrologiae iudiciariae patronum se profiteretur. Astrologiam, ut par erat, suis ornavi laudibus: magicam vero illam superstitionem, quae rerum omnium eventus ex astrorum positu divinans fato alligat hominum vitam, et Deo mundi gubernationem eripit, an ego probare potui? [3]) [pag. 197] Iam me Simonem magum appellet Servetus, quem fictitius ille Clemens hoc praesertim nomine infamat, quia astrorum dominio hominum vitam subiiceret. Sed eius vecordiam modis omnibus ita Dominus mirabili consilio traduxit, [4]) ut insignes reprobi hominis notas ferens, neminem nisi volentem deciperet. Atqui hic ventosus Gorgias rerum omnium scientiam sibi vendicans, [5]) nos ad grammaticam relegat, quia non fingimus in Dei substantiam converti quidquid Deo vel per gratiam vel alio modo unitur.

1) de gloire.
2) confiture.
3) *Add.* Ç'a esté doncques un labeur louable à moy de condamner une telle diablerie. Mesmes il n'y a nul Docteur chrestien qui n'ait faict le semblable.
4) *Add.* comme dessus au eschafaut.
5) avec sa braveté d'Espagne il s'attribue *etc.*

Quod tam absurde et impie effutiverat, Christum hominem non esse creaturam, nec posse ita vocari, ne uno quidem verbo purgare dignatur. Quasi filius Davidis non sit creatura: quasi qui factus dicitur, et creatus ex homine, non etiam creatura vocetur. Quanquam hoc ego non minus stupori quam superbiae tribuo. In una tamen voce tandem latebras quaeritat, quia de meo adiecerim: Quatenus homo est. Atqui plus ipse suis verbis expresserat, quam retuleram, hominem ipsum crucifixum demonstrans, ne quis ad sermonem id referret. Quod si creatura non fuit homo ille pro nobis crucifixus, quomodo stabit illud: Nos carnem esse ex eius carne?

Eadem dementia praecise verum esse respondet, quod continet vicesima tertia propositio, unam et eandem deitatem, quae est in patre, filio immediate [1]) et corporaliter fuisse communicatam. Quid autem sibi vult immediata et corporalis ista communicatio, nisi quod filius carnem induens, momento Deus esse incepit? Ridet hanc consequentiam Servetus, quia sit ab angulo ad parietem. Ipse autem qui se versutum dialecticum esse iactat, verset [2]) se in omnes [pag. 198] modos: non tamen hunc laqueum expediet quo irretitus tenetur. Neque enim negat quin Christi nativitas secundum corpus temporale habuerit principium. Hoc concesso, si toti filio immediate communicata fuit deitas, quum carne vestitus homo in mundum prodiit, quaenam erit superioris temporis ratio? Quibus hic argutiis opus est, ut tam crassa impietas patefiat? Quod si eadem nobis deitas communicatur, totidem esse deos convenit, quot erunt in mundo fideles. Per gratiam, inquit Servetus. Quid hoc ad me, si essentialiter deos facit fides, quos scriptura suae infirmitatis sensu ubique humiliat? Comparationes nimis liberas usurpat, qui redemptionis nostrae mysterium cum donis inferioribus confundens, ad particulas Quodammodo et Fere confugit.

Dixerat spiritum sanctum descendisse in apostolos, sicuti in uterum virginis descendit sermo, ut carnem indueret. Videmus quam deformiter res longe diversas permisceat. Quid enim simile inter arcanam verbi cum carne unionem, et spiritus donum quo imbuti apostoli fuerunt? An spiritus tunc vel carne circumdatus est, vel humanam naturam induit, vel coaluit in unam cum hominibus personam, ut esset Petrus et Iohannes? Serveto satis est dicere quandam esse similitudinem, et dum a me coarguitur, me vocare Magum phantasma. [3])

Vicesima quinta propositio plane continet quod

1) en un moment.
2) il songe et rumine.
3) et dum . . . . phantasma. *Pro his Gallus habet*: Et faire de la harangere avec ses similitudes.

dixi, nullam fuisse hypostasin seminis, si tantum relucentia erat ac idea futuri Christi. Garrit quidem Servetus hypostatice in Deo fuisse quam imaginatur ideam. Sed quum futurae rei hypostasin exprimat, videmus eum voces sibi incognitas temere in aerem effutire. [pag. 199] Nimia etiam eius improbitas in eo se prodit, quod veterum suffragiis abutitur, quasi quidquam habeat cum ipsorum doctrina consentaneum. Mentiri me dicit, quia negem verbum ab ipso agnosci, rem quae intus apud Deum subsistat. Et tamen nihil magis frequenter occurrit in eius scriptis, quam diabolicas esse praestigias, si quis rem invisibilem in verbi nomine concipiat. Iam si res fuit verbum, cur de reali distinctione tam odiose rixatur? et cur in suis responsis, quasi ex diametro, rem subinde personae opponit? Longe adhuc impudentius simulat, se duas in verbo et spiritu semper fuisse hypostases sentire. Hoc fascino putavit ereptam esse vel mentem vel memoriam lectoribus, ut quod paulo ante dixerat, exstinctum nunc iaceret. Nec vero immerito conquestus sum tolli ab ipso sermonis substantiam, quum simpliciter definit nonnisi lucem fuisse. Ne ratione destitui putetur, defensiones affert prorsus contrarias, quod lux fuerit, non sermonis, sed Christi, et quod lux sit Dei substantia. Atqui si vere Dei lucem fuisse agnoscit, non est quod me falsi insimulet, quasi sermonem dolose pro Christo supposuerim. Huc etiam accedit quod diserte eius mentem explicui, ad futurum Christum referens quod de luce vel idea balbutit. De luce Dei aeque futile est cavillum: quia certe interior hypostasis a visibili splendore longe distat.

Ex vicesimo sexto [1]) articulo facile se explicat. Malos interpretes hic quoque iterum esse affirmat, qui personam a figura separant: idque fieri contra vim vocabuli dicit, quia nulla sit persona nisi visibilis. Et tamen quod spiritus personam induxit non visibilem, id tacitus devorat. [2]) Interim nihil in suis verbis [pag. 200] dissidii se videre fingit. Scilicet tam crassam absurditatem putavit sub unius convicii latebra se texisse dum me accusatorem criminalem vocat. Iam quum in mundi creatione spiritus tantum umbram fuisse dixisset, dum requiro ubinam ergo fuerit hypostasis, nugari me respondet. [3]) Miramur hunc hominem tantum negotii exhibuisse mundo, qui tam secure nodis omnibus se expediat?

Quod habet propositio vicesima septima, res omnes fuisse in Deo ante mundi creationem eo ordine quo nunc sunt, et primum omnium Christum: ad verbum fideliter retulimus, ut ne ipse quidem additam fuisse syllabam negare [1]) audeat. Tantum causatur, me alia verba quae sequuntur non fuisse simul complexum. Quasi vero perfidiae sit crimen, ut iactat, quidquam ex eius sermone omittere. Christum, fateor, solum vocat figuram substantiae Dei: hoc nihilominus interim teneo, res omnes cum ipso semper apud Deum fuisse: ut eadem luto tribuatur aeternitas quae in Christum competit. Alterum etiam, velit nolit, extorqueo, personam nihil aliud fore quam meram imaginationem: quia personaliter vel pro ideae ratione non minus hodierna nebula, quam Christus, in Deo fuit. De secundo membro quid dicam, quod Deus filium sibi corporalem decernens visibilem se in verbo exhibuerit? Si in nudo decreto sita fuit verbi essentia, quia Deus hominem creare statuerat, non alia erit Christi deitas quam aeterna creationis futurae conceptio.

Exsecranda est blasphemia quam continet vigesima octava propositio: Spiritu novo non ante praeditum fuisse Christum quam a mortuis resurgeret. Eam ludicra solutione [pag. 201] abolet Servetus quod novus spiritus dicatur ob novam gloriam. Interea sua convicia crepat, me delirum esse et mendacem. Adde quod nihil eum pudet ex 7. Iohannis testimonium illud adducere: Nondum fuisse tunc spiritum sanctum, quia nondum glorificatus erat Iesus. Quid? an illic evangelista Christum novo spiritu donandum esse praedicat, ac non potius hoc nominatim refert ad fideles? Christum de spiritu sancto loquutum esse testatur, non quem exspectaret ipse a patre, imo quem accepturi erant in eum credentes. Quanquam hoc longe absurdius, quod Christus adhuc mortalis totam Dei gloriam ac potentiam non obtinuerit. Quomodo enim transfusa erat in ipsum verbi et spiritus gloria? Quomodo in deitatem conversa erat caro, si gloriam qua ad tempus caruit, quasi precario resurgens demum adeptus est? Nec vero de manifestatione hic agitur: quum, teste Serveto, spirata fuerit in Christum ex integro deitas. Porro quo sensu novum spiritum appellet, operae pretium est ex eius verbis intelligere, Dialogo 2 pag. 273: Spiritum Christi qui Deus erat in resurrectione fuisse innovatum, quia ex divino et humano spiritu [2]) ante erat unus spiritus: nunc autem ob novam incorruptibilis halitus creaturam, quam in se substantialiter continet, novum dici. Expendant primum lectores, quale portentum Servetus parturiat, quum spiritum

1) *Sic omnino legendum cum Gallo et Amstelodamensi. Princeps latina et Beza habent:* secundo.
2) Il ne se vante pas d'avoir confessé cy dessus plus de quatre fois *etc.*
3) il me paye en belle monnoye respondant que ce sont fatras.

1) *Sic! Gallus:* tellement qu'il ne s'oseroit plaindre *etc.*
2) nature.

unum, qui Deus est, nobis ex Dei essentia et humano halitu mixtum fingit. Deinde observent absorptam doceri Christi animam a deitate spiritus. Postremo creatam fuisse quandam deitatem, qua factum est ut humana anima in Dei essentiam transierit. [pag. 202] Haec omnia suo more transsilit Servetus. Quin etiam ferociter mihi succenset, quia Dei gratiam, sicuti infusa est humanae Christi naturae, nobis credam infundi. Nec eo contentus, magicas esse illusiones adiicit. Itane ut Deus spiritus sui donis ornare nequeat fideles quin substantialiter deos faciat? [1]) Ubi ergo erit illud: Divisiones quidem esse donorum, spiritum vero unum esse? (1. Cor. 12, 4.) Spiritum quidem suum effundere dicitur Deus super homines: sed ne eius substantiam Servetico modo nobis uniri imaginemur, id fieri docet Paulus quum unicuique distribuitur gratia secundum mensuram donationis Christi (Ephes. 4, 7). Restat ut magicis praestigiis illusum fuisse Paulum dicat Servetus, eumque Simonis discipulis mecum annumeret. Contra tamen obiicit, nos consortes esse divinae naturae: nempe dum exempti carnis nostrae corruptelis transformamur in Dei gloriam. Sed hoc minime obstat quo minus liberaliter suas divitias in nos explicet Deus, ut tamen nos secum deos essentialiter non faciat. Obiicit rursum, nos templum esse Dei, quia spiritus eius habitat in nobis. Quasi non potius inde liceat inferre, non unam esse naturae nostrae essentiam cum Deo, si domicilium sibi in nobis eligit. Ipsissima est deitas, secundum Servetum, quidquid in Christo fuit spiritus. Quasi non dicatur unctus inter suos participes (Hebr. 1, 9). Nec me latet Serveto non esse absurdum, si dicatur spiritus in animas nostras influere, ut nos substantialiter deificet: sed ipsum nomen unctionis satis declarat irrigari nos divinitus, ut qui natura sicci sumus et steriles, sugamus ab arcana spiritus virtute precarium vigorem.

[pag. 203] Ab eo delirio pendet quod 29. cap. annotavimus. Fingit Servetus partes et partitiones esse in Dei substantia, ut in partitione spiritus cuiusque portio sit Deus. Unde hoc illi figmentum? Nempe quia hoc modo pro multiplici et varia donorum distributione spiritus essentiam partitur. Atqui longe aliter scriptura, quae Deum ita beneficum esse definit, ut spiritus sui dona effundens integer maneat. Quia hanc carnificis Serveti sectionem, vel ut magis proprie loquar, lanienam non admitto, criminatur Deum a me in angulo recludi. Quasi vero non omnia Dominus et virtute[2]) et essentia sua implere possit, ut tamen se creaturis in hypostaticam unionem non misceat. Nihil in coelo est vel in terra, quod non sua praesentia arcanoque influxu vegetet Dei spiritus. Nunc mihi respondeant Serveti discipuli, spiritumne in se ipso indivisibilem [1]) esse concedant. Si nulla est in ipso divisio, sequetur spiritum pietatis et sapientiae habitare in lignis et lapidibus.[2]) En quos fructus proferat fictitia illa deitas, quam inducere coactus est Servetus, ne distinctionem inter spiritum sanctum et eius dona admitteret. Eiusdem rationis est, quod accidentia in Deum conferre non dubitavit. Tantum erroris portentum uno verbulo obtegit, quod intelligat entia omnia in Deo sustineri: scilicet, ut Deus infusa spiritus sui virtute vivificet ac sustineat quae semel creavit, necesse habebit caducae mutationi se subiicere. Iam ut sacrilegam illam ac detestandam vocem excuset, coaeternos et consubstantiales Deo esse fidelium spiritus, nullo profectu hyperbolica elogia coacervat, quod participes sint divinae naturae: in illis sit substantia [pag. 204] spiritus aeterni, et eorum sedes ab aeterno paratae. Qualis sit illa divinae naturae participatio, nuper attigi: perversum quoque de aeterna substantia delirium saepius refutatum est. Quid autem magis ridiculum quam aeternos probare, quibus gratuitum regnum paravit Deus antequam nascerentur? Consubstantiales Deo sunt animae regenitae. Ergo nec per gratiam illis confertur quidquid habent lucis et iustitiae, sed naturaliter illis inest: nec vero sperandum est ut olim Deus sua in illis dona gratuito coronet, nisi in se ipsum liberalis esse velit. Iam et vita aeterna donum simul et praemium esse desinet. Quid enim accederet aeternae Dei essentiae? Caeterum quia una illa vox Dei: Ego sum, ego sum, et nemo praeter me: satis ostendit quam impie ad creaturas transferatur aeterna eius essentia et aeternitas divina. Pluribus verbis supersedeo. Nihilo excusabilius est, quod postquam in Dei solium Servetus pios spiritus evexit, in exstinctionem mox et interitum praecipitat. Coelestem et increatum spiritum, Deo consubstantialem, et qui nos deificat, aperte dicit exstingui. Tenendum memoria est quod alibi garrit, substantialiter nos ex Deo gigni, nec aliter in nos transfundi deitatem, quam homo in Christi persona in Deum assumptus est: ut vere sit hypostatica in nobis divinae et humanae naturae unio. Massam hanc ex Deo et homine conflatam, quocunque tandem nomine vocetur, ad interitum damnare, quid aliud est quam Deum facere corruptibilem? Formam hanc loquendi ex Paulo sumptam esse defendit, qui spiritum exstingui non vetaret,

1) *Add.* ou qu'il ne soit un ioueur de passepasse selon Servet.
2) *Beza et Amst. male:* ut virtute.

1) *In gallico male scribitur:* invisible.
2) *Add.* d'autant que selon Servet son essence y est enclose.

nisi esset exstinguibilis. Quasi vero imbutus esset [pag. 205] Paulus Serveticis commentis de spirituali spiritus cum anima mixtione.[1]) Quo sensu moneat Paulus Thessalonicenses ne spiritum exstinguant, nec mihi difficile est dicere, nec apud sobrios anxia expositione indiget. Postquam enim de prophetiis non spernendis praeceptum dedit, continuo post, quo sibi magis sollicite caveant, terrendi causa subiicit, tali contemptu spiritum exstingui, quatenus scilicet in suis donis refulget. Itaque ad refellendam Serveti vesaniam, nihil hoc Pauli dicto aptius citari poterat: quia spiritus exstinctio, ab eius donis essentiam manifeste discernit.

In capite tricesimo longius provectus est, deitatem humanae animae statim a creatione attribuens. Nunc de nova per Christi gratiam regeneratione non agitur, sed de communi hominum natura. Insitum ergo fuisse primo homini deitatis spiritum Servetus contendit: et quia non assentior, me in scholam Simonis magi ablegat. Divinis praeditam fuisse dotibus Adae animam, apud omnes pios in confesso est. Nec vero in tanta excellentia celebranda a deitatis nomine abhorreo: sicuti etiam scriptura ad imaginem Dei formatum fuisse hominem docens insculptas eius menti divinae gloriae notas fuisse intelligit. Verum longe alio rapitur Servetus, Promethei fabulam nobis renovans, particulam aurae coelestis nobis vult esse insitam. Nam, eo teste, ingenita est nobis essentialis deitas: quam etsi fatetur ex parte deletam esse, partem tamen aliquam adhuc salvam restare asserit. Hoc si verum est, sequetur omnibus carnis vitiis Dei essentiam involvi. Errare et labi omnibus nobis commune est. Deus ergo ignorantiae obnoxius erit. Quotquot [pag. 206] perversi affectus in animam hominis competunt, totidem corruptelis subiicietur Deus. Denique crassior est huius delirii absurditas, quam ut longius insistere necesse sit. Quia dixeram neque a prophetis, neque apostolis, neque martyribus quidquam fuisse tale cogitatum, Servetus doctores mihi opponit. Unum saltem proferat. Ex quibusdam Tertulliani et Irenaei locis fucum supra facere tentavit. Sed quam evanida fuerit species, lectoribus constare arbitror.[2]) In citandis scripturae locis suo more plus quam prodigus est. Spiravit Deus viventem animam in Adam. Quid? an ut suam in eum deitatem transfunderet? Tempus vindictae suae Genesis 6 praefigit, ne perpetuo rixetur spiritus suus cum homine. Ubi deitatis infusio? Iob 33 capite fatetur se creatum esse Dei spiritu, vivificatum eius spiraculo. Atqui Deus nos creando non protinus tamen suam substantiam nobis instillat. Eiusdem libri 34 capite dicit Eliu simul ac Deo visum fuerit, retractum ab homine iri spiritum et flatum. His verbis potius notatur fragilis creatura, quam essentialis deitas. Adducit Servetus ex Psalmo 104: Emitte spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis faciem terrae. Hoc quum ad quodvis animantium genus pertineat, canibus et asinis communis nobiscum deitas erit. Atqui Servetus sermonem de halitu divino instituerat, quo discernitur homo a brutis pecudibus. Ecclesiastes 12. capite, spiritum hominis in morte ad Deum redire testatur, qui dedit illum. Atqui longe aliud est spiritum dari a Deo, quam substantialiter ipsum infundi. Iesaiae 42, Deus spiritum suum Messiae promittit, ut iudicium [pag. 207] gentibus proferat. Peculiarem gratiam qua ornandus erat Christus, Servetus ad totum humanum genus trahit, quasi a vulgari carnis sensu spiritus Christi nihil differat. Eiusdem prophetae capite 57, pronunciat Deus spiritum a se egredi, et se flatus creare: verum ubi probaverit Servetus Deum esse autorem, an simul evincet, ex eius substantia particulam in singulos homines transfundi? Quorsum his testimoniis annumeret primum Iohannis caput, non video: nisi quod illic lux Dei illuminare dicitur hominem: et qui per fidem cooptantur in Dei filios, dicuntur ex Deo geniti. Sed inde Servetica deitas elici minime potest: quum potius infusam gratiae qualitatem evangelista commendet. Adde quod prius membrum ad communem naturam, alterum ad spiritualem regenerationis gratiam spectat. Nec etiam Serveti delirio suffragatur quod dicit Paulus Actorum 17: Nos in Deo esse, vivere et moveri: quo nihil aliud significat, quam ab unico illo fonte nos haurire quidquid habemus vigoris, ut vita nostra, per se fluida et umbratilis, in ipso subsistat. Catalogum locorum quem texuerat Servetus breviter perstringere libuit, ut rursus agnoscerent lectores, quam reverenter scripturam tractare soleat. Quod homines truncos et saxa a me fieri criminatur, quia illis deitatem non tribuam, aliquid haberet coloris, si inter Deum et truncos nihil esset medium. Et tamen ut maxime valeat Serveti apotheosis, non eximentur homines ab hoc probro, quando Deum in lapide, lapidem esse dicit Epistola 6, pagina 589. Item in Apologia, pagina 698, Deum quoties monti, aut lapidi, aut pluviae [pag. 208] praecipit, deitati praecipere quae in singulis est.

Porro, quum in sanctos patres qui sub lege vixerunt, palam et sine verecundia semper contumeliosus fuerit, mirum est cur nunc serio invidiam fugere incipiat. Negavit spiritum regenerationis sanctum sub lege datum fuisse: atque hoc continet XXXI propositio. Nunc me insimulat mendacii, quasi fraude ad prophetas extendam, quod nonnisi

1) De spirituali spiritus cum anima mixtione. *Haec verba a Gallo male ad sequentia trahuntur.*
2) Mais ie croy que ie luy ay si bien raclé tout son fard que nul n'en peut plus estre abusé.

de vulgo dixerat. Huius tam putidi cavilli prompta est refutatio, quum illic ne eximiis quidem et singularis praestantiae viris parcat: imo quum non alios enumeret, nisi qui singulari aliqua dote excelluerunt. Quod autem nunc causatur se prophetis plus dedisse quam vulgari populo: id quidem interdum ab eo factum esse non infitior. Quantulum tamen illud sit, et quam ieiunum, breviter monendi sunt lectores. Iudaeos, inquit, intelligo, maxime vulgus ipsum: nam prophetas stabilius fides haec iustificabat. Qualis autem fides? Quia sub umbra quadam, inquit, datum illis fuit Christum videre, et ad eum suspirare prae onere legis: quamvis non ideo essent a legis iugo exempti. Sed quid eum iuvat, hoc in transcursu semel aut bis attigisse, quando ex professo, de veteri populo disserens, in unum omnes fasciculum complicat? Libro enim De legis et evangelii differentiis, Iudaeos omnes pronunciat Deo servisse in vetustate literae, et non in novitate spiritus. Ac ne quis dubitet hoc patere ad selectissimos usque prophetas, sic ad verbum loquitur, pag. 115: Nunquam aliquis fuit Iudaeorum electus aut praedestinatus ea electione qua nos praedestinavit Deus, ut liberam adoptionem filiorum reciperemus. [pag. 209] Et Moses et prophetae sub lege erant, non sub gratia, legis servituti obnoxii. Postquam autem propheticas visiones recensuit, concludit tamen nec libertate vera fuisse donatos, nec veram adorationem apud ipsos viguisse. Praeterquam quod facile perspiciunt lectores, Servetum quocunque ferebat impetus, in contrarias sententias dilapsum esse, minime obscura est in sanctos patres contumelia, quam frustra eluere tentavit. Tandem ubi ad clausulam disputationis ventum est, pagina 321, Iudaeos negat pariter nobiscum haeredes fore, quia ancillae sint filii. Eadem pagina novam disputationem exordiens, nullam veteri populo iustitiam concedit, nisi mundanam. Atque in hoc ordine, non modo prophetas complectitur, sed nominatim producit in medium: quod licet spiritus sanctus per eos loquutus sit, suis tamen gestis carnale quid vel animale sapiebant. Subiicit deinde, quanquam fidem habuerint, fuisse tamen carnales: quia fides ipsa mundana erat, pagina 324. Quid? an illic quoque se de faece plebis agere dicet? Imo in illam faecem ab eo protruditur Abraham. Quanquam prophetico spiritu, inquit, sub umbra quadam et aenigmate viderit Christum, coelestem futuram vitam et aeternitatem in eo crediderit: non tamen fuit in eo tunc regenitus: temporalia tunc exposcebat. Atque ita non obstante futurorum spe, dicitur ipsius tunc iustitia fuisse carnalis, sicut acta alia carnalia. Abraham credidit verbo Dei in promissione veteri et carnali: nos credimus verbo Dei in evangelio novo et spirituali promissiones omnes complente. Dicitur fides eadem, ut figura idem est cum [pag. 210] figurato. Hic attendant filii Dei quam honorifice tractetur summus ecclesiae pater, adeoque dux et antesignanus fidei nostrae. Conceditur quidem ei quaedam aenigmatica Christi visio: sed ita ut in mundo subsisteret, ac exposceret temporalia, ut terrenam haereditatem sua fide apprehenderet. Quid hoc est? tota Abrahae vita clamat, eum in coelestis vitae meditatione assiduum ac totum fuisse: eum Servetus sic in terram deiicit quasi nunquam illi spiritualis promissio data foret. Ac ne longior sim, Christi gratia regenitum fuisse negat: quod si verum est, a regno Dei abdicatur. Verum quando Christus non alia lege fideles admittit in regnum coelorum, nisi ut cum Abraham, Isaac et Iacob recumbant: videmus ut Servetus ab hoc consortio discedens sibi ianuam coelorum praecluserit. Tandem pagina 326, diserte Abrahae mentionem faciens, ipsum et eius posteros appellat viros sanguinis, vindictae avidos, qui pro inimicis non orabant. Eo tamen usque non fueram progressus in mea censura: sed tantum obieceram Serveto, fieri iniuriam sanctis patribus, quos spiritu regenerationis privaverat. Unde apparet, nullam habuisse verecundiae guttam, qui tam proterve conviciando crimen a se depellit. Caeterum, ut de promiscua turba loquutum esse demus, quomodo se Deo iniurium fuisse negabit, qui iustitiam legis carnalem tantum fuisse fingit, quae nec paradisum aperiret mortuis, nec in regnum coelorum vivos induceret? Legem universo populo datam fuisse scimus, eius finem et animam Christum fuisse Paulus testatur. Obstrepit contra Servetus, nullum [pag. 211] illis spiritualis vitae datum esse gustum. En cur Deus populum illum segregaverit, ut sacer ac sanctus esset: en cur tot splendidis elogiis ipsum dignetur, ac praesertim cur regale sacerdotium ipsum appellet.

Eadem in propositione XXXII apparet ingenuitas:[1]) adoratos a sanctis scripserat fuisse angelos. Tam foedum sacrilegium novo integumento[2]) involvit, quod adorati fuerint angeli et Deus ipse. Quid hoc rei est? quum lex cultum uni Deo in solidum vendicet, an Serveto licebit socios illi angelos adiungere? Non potuit Abraham ex vera pietatis regula rite Deum colere, nisi solum coleret. Qui deinde sequuti sunt fideles, claro legis edicto prohibebantur ne vel angelos, vel alias ullas creaturas cum Deo miscerent: Servetus sibi credi vult, non peccasse qui promiscuum Deo et angelis cultum tribuerent. Nihilo tolerabilius est illud alterum, angelos fuisse veteris ecclesiae deos. Quasi vero

1) modestie.
2) d'un sac mouillé.

non toto affectu cordis respexerint ad unicum coeli et terrae opificem, eumque externa oris confessione celebraverint. Quod angelos vocatos sic fuisse iactat, frivolum est. Fateor equidem, ad eos non secus ac terrenos iudices transferri nomen Eloim: sed ita ut sola Dei maiestas, illis in ordinem suum redactis, emineat. Denique sibi ipse Servetus tergiversandi ansam praecidit, dum pagina 316 scribit, sub lege solam fuisse verae adorationis umbram: quasi nulla in sanctis patribus viguerit pietas.

Propositio XXXIII luculentum Serveticae impudentiae specimen est. Disertis verbis scripserat, piorum spiritus quum substantialem habeant aeterni spiritus portionem, suam aeternitatem [pag. 212] habere. Sequitur paulo post: Quum aeterna fuerit coelestis civitas, aeternos quoque oportuisse eius esse cives. Nunc sycophantae probro a tam certae reprehensionis iure me depellit Servetus. Quod ad creationem nunc restringere tentat, putidum est: quum in Christi aeternitate fuisse dicat exsistentiam illam: et nullo discrimine interposito, angelos ab initio in eadem Dei gloria fuisse, paulo post uno contextu subiiciat.

Quam impie deitatis substantiam includat in omnibus creaturis, iam supra exposuimus. Quoniam hic error propositione XXXIV reprehensus a nobis fuerat, Servetus idem esse respondet, sustineri creaturas Dei praesentia et potentia: deinde substantialem deitatem illis inesse. Quasi vero virtutem suam exserere nequeat Deus, quin substantiam suam in brutas quoque creaturas sensuque carentes transfundat: ut non minus, suo modo, lapis quispiam deus sit, quam Christus ipse. Non enim alio modo ab aere vel plumbo, vel aliis metallis discernitur, nisi quod primarium in se continet deitatis[1]) exemplar. Et illa scilicet fuit praeclara eius confessio,[2]) non solum Dei deitatem in asseribus[3]) calcari, sed hypostatice daemonibus esse unitam. Nunc quam improbe in contrariam partem retorqueat, vix conqueri audeo: ita me attonitum reddit perdita eius impudentia. Praeter consessum iudicum, complures aderant idonei testes literati et cordati viri, quum ego fraenare eius vecordiam cupiens, pavimentum calcavi: tum ex eo sciscitatus sum, annon plus quam absurdum esset deitatem ita calcari hominum pedibus: nunc quasi testibus destituar, motu [pag. 213] pedis indicasse me calumniatur, pedem meum in Deo non moveri. Adde, quod ipsa absurditas satis superque eius mendacium refellit.

Propositio tricesima quinta ipsum Manichaeum esse convincit. Animam enim nobis fabricat ex

1) *Apud Bezam et in Amst. vitiose scribitur:* deitas.
2) qu'il fit de bouche devant les iuges.
3) un ais ou un carreau.

Dei substantia: imo nomen traducis,[1]) quod in veteri ecclesia tantopere infame fuisse scimus, data opera opposuit, ne cui ambiguus esset cum Manichaeis consensus. Quare ut me esse mentitum lectoribus persuadeat, abradi ex eius libris necesse est, quae me fideliter retulisse ne ipse quidem negare audet. Nunc ut tantum sacrilegium quodam velut tectorio oblinat, se alibi tradere dicit animas esse creatas. Quid autem mea refert, si secum ipse in hoc capite, ut in aliis, turpiter pugnet? Fateor certe, adeo nihil eorum quae temere effutivit, constanter ubique et aequabili doctrina ab ipso asseri ut maiorem partem quasi sui oblitus alibi evertat. Fixum tamen illud manet, ex Dei traduce[2]) ortas esse animas, ideoque substantialem deitatem in se continere: quod me tacente piis omnibus detestabile fore scio.

Nunc accedat propositio tricesima sexta, in cuius excusatione non multum laborat Servetus: quia si dii sumus facti ob animae dona, sequatur animam coire in unum cum spiritu Dei, sicuti ossa, caro, nervi et anima[3]) in unam hominis substantiam coeunt. Primum quaero, quid per animae dona intelligat. Magorum enim praestigias supra vocavit quidquid de infusis spiritus donis a scriptura traditum amplectimur. Quaero deinde ubinam legerit nos hac ratione fieri deos. Atque ut duo illa obtinuerit, perperam tamen colligit hominis animam cum Dei spiritu in unum [pag. 214] coalescere. Minus etiam tolerabile est alterum eius dictum, quo suam impietatem exaggerat. Nam pagina 195 ita scribit ad verbum: Dubitare iterum quis potest, si in unam cum anima nostra substantiam coit spiritus sanctus, quid illud totum est? Respondeo: Est anima, et est spiritus sanctus. Deitatis illa positio nec speciei nec individui nomen mutat. Est anima in spiritu sancto, et est spiritus sanctus in anima. Sicut Deus est in Christo, et Christus in Deo, et Christus est Deus, manens homo: ita anima sublimi regeneratione per hypostaticam unionem fit spiritus sanctus, et manet anima, sicut homo fit Deus, et unum cum Deo. Equidem non vereor ut cuiquam Servetus tam insipidas speculationes persuadeat veras esse. Sed quia multi rixarum nimis cupidi impio falsorum dogmatum patrocinio sese oblectant si quis eo morbo laborans tuendum Serveti errorem suscipiat, cogitet primum quid hoc sibi velit, massam ex spiritu Dei et anima hominis conflatam, confuse animam et spiritum sanctum vocari, non

1) *Gallus omisso vocabulo* traducis *haec addit:* il use ... du mot propre qui a esté condamné et tenu pour execrable en l'Eglise ancienne: comme qui diroit que l'ame est une ente ou un sourgeon de Dieu.
2) de Dieu, comme un sourgeon de sa racine.
3) et anima *om. G.*

secus ac Christus promiscue Deus est et homo, quia non modo ex Dei substantia genitus est, sed absorpta fuit eius caro in Deum. Nihil mirum si Servetus infusas spiritus gratias tam fastidiose repudiat, quum haec magica distillatio, quae coelum cum terra confundit, stare nequeat, nisi abolitis spiritus sancti donis, quibus sic ditantur fideles animae ut semper eas inopiae suae sensus humiliet. Porro Serveti patronis nimis grave onus incumbet, ut animam spiritum sanctum et Deum esse probent: non secus ac Servetus imaginatur eadem deitate praeditam esse humanam [pag. 215] Christi naturam, quae ab initio in verbo Dei fuit. Idem phantasma repetit dialogo secundo, pagina 267, quod anima sit spiritus sanctus, et angelus etiam fiat idem spiritus, sicut verbum, ubi fit caro, manet tamen verbum, quia totum plasma caro sit verbi. Ac ne quis sine ratione eum insanire dicat, scripturae testimoniis instructus prodit. Psalmo 15 et 72 scriptum est: Dominus pars mea. Nihil clarius est quam Davidem illic ad humanas haereditates alludere, quia nihil carius vel pretiosius suo patrimonio habent homines. Eodem haud dubie respexerat Deus quum filios Abrahae haereditatem suam vocans se illis in haereditatem vicissim fore pollicitus fuerat. Servetus hoc praetextu spiritum in animas nostras essentialiter distillat, qui ipsas deificet, ut sit indiscreta quaedam massa. Mirum nisi tanta fatuitas vel caninis frontibus ruborem exprimat.

In penultima propositione mihi a lectoribus petenda erit excusatio, si paedobaptismum ex professo non defendam: non quod difficilis sit vel molesta, vel etiam laboriosa huius causae defensio: sed quia nolo actum agere. Hanc enim doctrinae partem magis copiose mihi tractasse videor, quam ut de integro nunc eius explicatio texenda sit. Tantum breviter ostendam, quibus stimulis ultra omnes Anabaptistas percitus fuerit Servetus ad maledicendum paedobaptismo. Viginti rationibus contendit libro de Regeneratione quarto, perperam ac praeter Dei mandatum baptizari infantes.

Prima est, quod Christi symbola [1]) perfecta viros perfectos exigant, vel perfectionis capaces. Respondeo, minus verecunde facere Servetum, quam solent mathematici, [pag. 216] qui principia saltem petunt. [2]) Hic vero a se ipso creatus magister [3]) legem pro arbitrio suo nobis imponit. Responsio autem facilis est, baptismi perfectionem, cuius usus ad mortem usque extenditur, ad unum temporis articulum non debere restringi: ideoque nihil esse absurdi si baptizentur qui pro aetatis suae modulo perfectionem nondum capiunt.

Secunda ratio est, quod Christi symbola ad memoriam sint instituta, ut quisque recolat se Christo fuisse consepultum. Hic quoque deest principii petitio. De sacra coena praescribit apostolus, ut se prius examinet homo, quam ad eam accedat, et huic mysterio peculiare est Christi mandatum: Facite in memoriam mei. De baptismo nihil usquam tale legitur. Admonet quidem Paulus fideles, ut baptismi sui finem expendant. Sed quis sanus concedet ad praesentem articulum temporis, quo administratur, trahendum esse? Quin potius sese oculis ingerit manifesta illa quam notavi distinctio. [1])

In tertia ratione sibi tam suaviter plaudit Servetus, ut syllogismum insolubilem se habere fingat: Omnis qui non credit filio Dei manet in morte Adae, et ira Dei manet super eum. Infans baptizatus non credit filio Dei. Ergo manet in morte Adae. Quod autem non credant, clarum est: quia fides est ex auditu. Antequam hunc gordianum nodum solvo, contrarium syllogismum opponam: Quemcunque benedicit Christus, ab Adae maledictione et ira Dei eximit. Infantes autem ab eo benedictos esse notum est. Ergo ab ira Dei exemptos esse sequitur. Quid, quod Servetus ipse, ut paulo post videbimus, infantes aeterno exitio non patitur addici? Imo [pag. 217] beatae resurrectionis consortes fore docet. Moriatur infans septimo vel octavo mense, imo puer anno duodecimo: ad eum salutis per Christum partae gratia secundum Servetum absque baptismo perveniet. Cur ergo nobis axioma obtrudit quod nec ipse admittit, et a fide nostra prorsus dissentaneum esse non ignorat? Caeterum syllogismi facilis est solutio, quando illic Christus infantes ad tribunal Dei non citat maledictionis reos, sed tantum contumacibus iudicium denunciat qui auditam evangelii doctrinam respuunt. Hoc vero ad infantes non magis pertinet, quam capitalis poena, qua Deus ulciscitur rebelles filios, qui violentam manum patri vel matri intulerint. Quia in hoc syllogismo suum acumen miratus erat Servetus, secundum eiusdem farinae attexit: Quisquis natus est ex spiritu, vocem spiritus audit, Iohannis 3. Paedobaptizatus non audit: ergo non est natus ex spiritu. Verum quod ex tertio Iohannis capite citat, nusquam apparet. Itaque diruto fundamento, totum aedificium concidit. Et tamen Serveto non concedam spiritum ab infantibus non audiri. Habet enim Deus arcanos modos quibus sua figmenta paulatim, ut visum est, formet. Ideo infantes suo modo Christum induere dicimus, quia eos amplectitur Christus, ut sua iustitia vestiat.

1) sacremens.
2) *Add.* rien qui ne soit fondé en raison et verité.
3) Ce maistre aliboron qui s'est fait docteur à sa poste.

1) *Add.* c'est qu'on se prepare à recevoir la Cene devant qu'y venir: estant baptisez on sache à quelle fin.

Quarta ratio est, quod nemo spiritualis initio esse possit, quia praecedit quod animale est, 1. Corinth. 15. Ministeria autem novi testamenti sunt spiritus. Ergo non possunt a puero carnali incipere. Fateor certe omnes posteros Adae nasci irae filios, et nihil ab utero quam mortem afferre: sed praescriptum divinitus tempus [pag. 218] Servetus ostendat, quo incipiat spiritualis vitae novitas. Nos enim solidis et claris scripturae testimoniis freti, simul ac nascuntur infantes ex sanctis parentibus, Christum dicimus illis manum porrigere, ut a communi reatu absolvat.

Quinta ratio ex allegoria sumitur, quia David in arcem Sion conscendens nec caecos nec claudos secum ducit, sed strenuos milites. Verum si quis parabolam opponat in qua Deus ad coeleste epulum invitat caecos et claudos, quomodo se expediet Servetus? Ego autem nihil aliud respondeo, nisi claudos et mutilos cum Davide prius militasse, ideoque minime esse prohibendos a sacro symbolo, quo Christus rudes et novitios in suam militiam initiat.

Sexta ratio est, quod in fluminibus aquae vivae, quae manat ex coelesti Ierusalem, piscatores sunt hominum apostoli, non parvulorum: quia boni piscatoris est pisciculos non attingere, sed maiores tantum ex aquis tollere. Verum si quis facetus homo contra obiiciat, in rete evangelii promiscue colligi omne piscium genus, nonne cum ludibrio evanescet Serveti allegoria? Ego autem respondeo, bonos doctores ita piscari quos sua doctrina Christo acquirunt, ut eorum sobolem minime reiiciant, quae in ipsis parentibus sanctificatur, teste Paulo, perinde ac proventus novarum frugum in primitiis.

Septima ratio est, quod spiritualibus quadrent spiritualia. Infantes vero non esse spirituales, Servetus ipse pro confesso sumit. Respondeo perverse ab eo torqueri quod dicit Paulus, se coaptasse coelestem sapientiam simplicibus verbis, quae spiritus maiestatem potius quam humanae facundiae delitias resiperent. [pag. 219] Deinde hoc in primis evincat necesse est, arceri infantes ab omni spiritus gratia. Quod postea subiicit, spirituali cibo pascendos esse, si facti sint novi homines, facile discutitur, quia in novam vitam regeniti arcana Christi virtute aluntur, donec per aetatem ad coenam recipiendam sint idonei.

Octava ratio est, quod Christus omnes Christianos ad coenam suam vocet. Proferat Servetus testimonium, ut credamus. Nam Christus nominatim testatur se nullos admittere nisi qui ad celebrandam mortis suae memoriam formati sunt et edocti. Quod portentum esse dicit, hominem generari qui manducare nequeat, non alia responsione indiget, quam Christum vitae cibum esse infantibus, licet ab externo symbolo ad tempus abstineant. Neque enim absurdum fuit octavo die circumcidi infantes sub lege, qui tamen non ante ederent pascha, quam sacrae caeremoniae usum perciperent. Sic enim sonant Mosis verba: Quum rogaverint filii tui et filiae tuae, quid hoc sibi vult? docebis eos, etc.

Nona ratio est, quod bonus dispensator familiae cibum distribuat tempore suo. Respondeo: Ut praeposterum nos ordinem tenere coarguat Servetus, probandum in primis esse, prohiberi a Christi gratia infantes.

Decima ratio, quod Christus apostolos iubeat respicere ad regiones quae iam albescunt, et paratae sunt ad messem: unde sequitur immaturam frugem perperam colligi. Quasi vero perpetuam regulam illic Christus praescribat discipulis: ac non potius praesentem laboris fructum ostendens eos ad obeundum alacriter docendi munus magis exstimulet. Nego igitur illis Christi verbis certos apostolis fines praescribi intra quos [pag. 220] se contineant, sed ex re praesenti sumptam esse exhortationem. Alioqui non quadraret quod dicit Paulus, ecclesiae doctores seminare et rigare. Itaque istis Serveti argutiolis nihil putidius fingi potest, exspectandum esse donec herba crescat, deinde tenera spica, tertio granum integrum, et tandem spica maturescat.

Undecima ratio est, quod iidem erant in prima ecclesia Christiani et discipuli. Quasi, ubi de solis adultis disseritur, deleantur ex humano genere, ac prorsus intereant infantes: quia in eos non competunt quae viris sunt propria. Ineptum ergo cavillum est, quod infert Servetus, nullos esse Christianos nisi discipulos. Quasi tunc sancti patresfamilias sobolem suam profanam duxerint.

Duodecima ratio: Quod Christiani omnes fratres sint, infantes vero loco fratrum apud nos non haberi constet, quia a sacra coena eos repellimus. Respondeo aeque ac Corinthios, vel alios quoslibet, ex Christi discipulis fuisse latronem, qui ad Christum in cruce conversus est, quamvis sacrum panem nunquam gustaverit: nec fraterni nominis honore spoliari a nobis infantes, dum eos non ante ad sacram coenam admittimus, quam solidi cibi capaces fiant.

Decima tertia ratio est, quod nemo frater noster fiat nisi per spiritum adoptionis, qui tantum ex auditu fidei confertur. Respondeo, quod dicit Servetus, in adultis locum habere: sed hunc ordinarium vocationis modum, quem tenet Dominus, minime obstare quominus occultam vim spiritus in pueris, ubi visum est exerceat. Imo quum dicit Paulus, fidem esse ex auditu, ne his quidem verbis imponitur Deo necessitas quin arcano instinctu ad se trahat discipulos, quibus de evangelio [pag. 221] verbum nunquam factum est.

Decima quarta ratio, quod Cornelius accepto

spiritu baptizatus sit. Atqui si hoc exemplum instar generalis regulae nobis esse debeat, quid eunucho, et Samaritanis, et reliquis omnibus fiet, quos prius baptismo sacrari Deus sibi voluit, quam spiritu suo eos donaret? Insulse ergo Servetus, qui spiritus gratiam ad temporis momentum alligat.

Decima quinta ratio, quod regeneratione dii efficimur. Sunt autem dii, ad quos sermo Dei factus est. Ergo paedobaptizati non sunt dii, qui Dei sermonem non audierunt. Omitto[1]) quod Servetus, qui dialecticam sibi tam audacter arrogat, syllogismum unum conficere non potest. Caeterum unde axioma illud hausit, baptismo nos effici deos? Hoc tamen illi etiam remitto. Sed in minori pudenda est insulsitas, quod Christus deos vocet ad quos verbum Dei factum est. Scimus honorificum hunc titulum iudicibus tribui a propheta, quod Dei personam sustineant in sua functione. Causam adducit Christus, quia divinitus iniunctum est illis gubernandi mandatum. Servetus ad evangelii praedicationem id trahens flagellum sibi conficit quo infantes a Dei familia arceat.

Decima sexta ratio, quod nova generatio esse nequeat, nisi ubi est novus homo, novus autem homo non sit, nisi per sermonem genitus. Respondeo: Quos Deus secundum aetatis gradus ad fidem adducit, incorruptibili verbi semine regigni: sed hoc non obstare quominus ad imaginem suam refingat qui nondum capaces sunt doctrinae.

Decima septima ratio ex legis figuris petitur, quod ovis et capra non statim ab egressu uteri oblatae fuerint [pag. 222] in sacrificium. Sed quid si retorqueam, primogenita omnia simul ac vulvam aperuerant, Deo sacra fuisse? Quid si rursus obiiciam, agnum oportuisse anniculum et tenerum mactari? Ubi iam erit illud virile robur, et plena perfectio, quam in baptismo requirit Servetus?

Decima octava ratio est, quod non possit ad Christum vocari, qui non potest a Iohanne praeparari. Quanquam autem mihi, si vellem, liberum esset suum axioma Serveto negare, de hac re tamen non litigabo. Sit sane hoc generale, Iohannis opera praeparari Christo discipulos. Sed hoc inscite ad infantes trahi respondeo, quos ante in gregem suum cooptat Christus, quam discipuli esse possint, et quos pro suis agnoscit nondum ab illis agnitus.

Decima nona ratio est, quia doceant Trismegistus et Sibyllae non convenire baptismum nisi adultis. Ergo pluris erit Trismegisti autoritas, quam Dei ipsius, qui circumcisionem eiusdem renovationis ac puritatis symbolum infantibus communem esse voluit? Deinde quid profanus expiandi ritus, quo usae sunt gentes, baptismo nostro affine habet? Ego vero sententias illas ex vulgari tritaque superstitione sumptas esse non dubito.

Vicesima ratio: Si infantes liceat sine intellectu baptizare, baptismum a pueris ludentibus mimice, et per iocum posse administrari. Quasi vero impositio manuum, qua benedixit Christus infantes, ad puerile ludicrum trahi debuerit.[1]) An lusoria res est Dei promissio, qua se Deum sobolis nostrae fore testatur? Baptizamus quidem infantes priusquam mente adoptionem suam percipiant: sed dum illos in gregem suum cooptat [pag. 223] Deus, mente et consilio carere putandus non est. Nos quoque, qui foedus salutis eorum nomine amplectimur, quos Deus nobis adiungit illius participes, non sine intelligentia gratiam verbo testatam aquae symbolo obsignamus.[2])

En cur[3]) Servetus praecipiti furore in paedobaptismum ita exarserit, ut nulla secundum ipsum deterior sit magisque detestabilis christianismi profanatio. Nihil enim praeterea adducit, cur infantibus non conveniat baptismus, nisi quod ipsa baptismi definitio, qualis in scripturis traditur, ad solos adultos pertinet. Ad hoc probandum, quaecunque de usu et efficacia baptismi passim leguntur, in catalogum unum contrahit. Sed quum de baptismo nihil afferat quod non similiter in circumcisionem competere legis et prophetarum testimoniis probemus, uno verbo evertitur tota prolixae eius disputationis congeries.[4]) Nam quod Serveto circumcisio nihil aliud fuit quam typus et umbra circumcisionis novae quae fit per Christi spiritum sine hominum manu, ex nimis crassa et rudi inscitia manat. Passim ostendunt prophetae non minus spirituale symbolum fuisse veteri populo, quam sit nobis hodie baptismus. Nec frustra Paulus eam honorifico titulo insignit, quod fuerit sigillum iustitiae fidei. Eiusdem notae est, quod ita impletum esse dicit illud Pauli, coniunctos fuisse a Christo duos homines, novum et veterem,[5]) quum simplex Pauli sensus sit, in unum corpus aggregatas esse gentes cum Iudaeis, ut iam sint quasi unus homo in Christo, qui prius interposita maceria non solum procul distabant, sed hostile habebant dissidium. Adde [pag. 224] quod eodem loco alibi fucare contendit[6]) suum illud phantasma de carnis deitate, et

1) *Hoc comma deest in gallico.*

1) C'est puis que les petis enfans que I. C. a benist n'entendoyent rien à la ceremonie, que ce n'a esté qu'un badinage ou un ieu de pouppée.
2) *Add.* car nous le recevons en foy.
3) Voyla les argumens feriaux *etc.*
4) *Add.* que Dieu ne faisant rien sans raison nous a monstré que les petis enfans peuvent estre participans du Baptesme, puisqu'il ne leur a point refusé la Circoncision, qui estoit du tout semblable.
5) novum et veterem *om. G.*
6) *Add.* comme un ioueur de passepasse.

deitatis in carnem transmutatione. Porro mirum est, qui nimium rigidus infantibus esse metuit, quod ad usum externi symboli ipsis tam iniquum esse. Pagina enim 357, nullos vel ex Ninivitis vel barbaris quibuslibet [1]) progenitos in futuram gehennam damnare audet, quia (eius iudicio) misericors Dominus, qui impiorum peccata gratis sustulit, nunquam adeo rigide eos damnaret, a quibus nulla est commissa impietas, et qui sunt innocentissimae Dei imagines. Quid hoc sibi vult? Quos in ulnas suas tam comiter recipit Christus, et solenni benedictionis symbolo dignatur, Servetus ab ecclesiae gremio excludit, licet innocentissimas esse dicat Dei imagines. Sed rationem assignat, quod liberatione non indigeant, qui peccati nondum sunt servi. Unde autem liberos a peccato esse probat? Quia non sit servus peccati, nisi qui facit peccatum. Verum semper ad eundem lapidem impingit, quae distincta sunt perverse confundens. Peccati mancipia Christus ex scelesta vita esse convincit, qui se pro filiis Abrahae venditabant. Hinc probe, fateor, colligitur, impios omnes ac reprobos se propria culpa servos peccato addicere. Sed inconsiderate Servetus inde infert nullos peccati servos nasci. Unde enim natura filii irae? Unde haereditaria maledictio? An ita atrociter saeviret Deus in suas innocentissimas imagines? Caeterum Servetus postquam liberationem infantibus supervacuam esse asseruit, Christum illis redemptorem ordinat, ut corporaliter resurgant a corporali morte et inferno: baptismum interea, quo in [pag. 225] spiritualem vitam restituimur, illis quadrare negat. Hic observent lectores quam reverenter de iustitia Dei garriat Servetus. Immunes a culpa esse fingit: innocentiae laudem illis vendicat, pag. 387. Interim eos adiudicat morti et inferno. Hic si more Servetico ratiocinari [2]) libeat, nonne plausibilis erit in Deum querimonia, qui impiis et sceleratis ignoscit, [3]) parum humaniter miseros et innoxios infantes omni remedio privat? crudelem etiam esse, qui gratis scelera hostibus suis condonans innocentissimas suas imagines a morte non eruit? Quam pulchre secum alibi consentiat, dicere omitto, quadam coitus specie diabolum esse intrusum in eorum carnem: ut satis appareat sine ullo pietatis sensu eum lusisse.

Iam videre operae pretium est quodnam legitimum tempus baptismo suo determinet. Mysterium magnum esse dicit, quod Christus non ante triginta annos baptizatus fuerit. Exemplo enim eius nos esse edoctos, ante eam aetatem non esse quem [4]) satis aptum ad mysteria regni coelorum. Addit hanc aetatem ex Adamo et lege probari: quia sicuti Adam tricesimo anno natus est, sic eadem aetate renasci nos debere. Nimis certe pueriliter de virili aetate, ne dicam de mysterio tam sublimi nugatur. Cur tempus illud Christus exspectaverit, satis notum est. Nam baptismi institutio nonnisi ab Iohannis praedicatione coeperat. Et vero absurdum fuisset doctrinae praeire, cuius appendix erat et sigillum. Triginta annis Christus quasi privatus homo delituit. Ad obeundam functionem suam emergens baptismo se initiat. An legem aliis praescribit, quorum longe dissimilis est ratio? [pag. 226] Imo ne a doctoris quidem officio arcere voluit iuniores: tantum abest ut viam illis ad baptismum praecluserit. Quoto enim vitae anno ascitum fuisse Timotheum dicemus ad munus docendi, cui satis longo post tempore praecipit Paulus ut suam iuventutem a contemptu asserat? Duplex affertur a Serveto solutio, quod quum ab initio conversionis suae probatus esset omnium testimonio, colligere liceat annum tricesimum excessisse. Quomodo igitur eum sui non pudet? Ante annum vicesimum quartum libro edito se pro unico orbis propheta iactavit. Nunc probari quempiam posse negat, ut inter discipulos censeatur, nisi qui annis triginta sit superior. Sed cur octodecim annorum probari non posset, qui a puero sacras literas didicerat, et fidem propemodum cum lacte imbiberat a matre sua et avia Loide? Puer in fide et timore Domini educatus erat Timotheus, vita eius caste et honesto composita fuerat: nullam tamen pietatis, vel honestae vitae laudem, autore Serveto, ante annos triginta consequi potuit. Non minus decennio post Timothei baptismum praeterierat, quum Paulus eum admonet ut sibi a concupiscentiis iuvenilibus caveat. Facturumne id fuisse putamus, nisi adhuc a fervore aetatis vidisset esse periculum? Nec vero hic vel libido venerea, vel aliae carnis lasciviae notantur in homine abstemio et plus satis temperato, vel potius austero, ut Paulus ad bibendum vinum hortari eum cogatur. Quid igitur? Certe hic simplex est verborum sensus, ut ingenii calorem, qui in iuvenibus ut plurimum ebullit, gravitate temperet. Atqui excipit Servetus, puerum vocari Iosue post annum quadragesimum, [pag. 227] sicuti et Roboam. Primo, hoc nihil ad Timotheum, cuius iuventus non ex solo nomine, sed ex certis circumstantiis probatur. Deinde Servetus audacem inscitiam ubique prodit. בחורים vocant Hebraei robustos iuvenes, aut viros, quasi selectos vel egregios dicas: hic bonus Rabbinus, neglecto omni delectu, vocem illam in puerum convertit. Secunda solutio est, in consequentiam non trahi Timothei exemplum, de quo prophetis praecesserat. Quid si ex opposito contendam, ex Christi quoque exemplo legem perverse statui, quando unigeniti filii Dei separata a nobis omnibus

1) ou de Sodome.
2) rhetoriquer.
3) *Add.* et les purge par le baptesme.
4) *sic!*

conditio fuit? Adde quod baptismum non praecesserant illae prophetiae. Quare aeternam et inviolabilem Christi legem, si Serveto creditur, transgressus esset Paulus. Quid etiam de illo adulescente dicet, qui sopore oppressus ex fenestra decidit? Convenerat ecclesia ad frangendum mysticum panem: adest cum reliquis non statae aetatis vir, sed adulescens. Qua prophetia nondum aptus regno Dei, in sacrum coetum intrusus fuerat? Quid? an frustra deinde Timotheum admonet Paulus, ut se aetatum rationi accommodet? Iuvenes, inquit, hortare ut fratres: iuvenculas, ut sorores. An quadragenarias iuvenculas nobis confinget Servetus, ne baptismus ad filias Dei natu minores effluat? Similiter quum Petrus iubet adulescentes senioribus parere, et subesse, velim ut hic bonus finitor utriusque aetatis fines componat. Aliquod certe intermedium tempus esse oportet: quia absurde alios aliis subiiceret Petrus unius vel alterius anni respectu. Iam illustrior aetatum distinctio ponitur a Iohanne, quam [pag. 228] ut frigidis Serveti naeniis obscurari queat: Scribo vobis patres quia novistis eum qui est ab initio, scribo vobis adolescentes quia vicistis malignum, scribo vobis filioli quia novistis patrem (1 Ioann. 2, 12 seqq.). Nonne videmus, ut a pueritia usque colligat Deo filios, ut in fidei unitatem coeant omnes aetates? Et certe quum Ioel de Christi regno vaticinans spiritum prophetiae iuvenibus perinde ac senibus promittat, a primo fidei tirocinio eos prohiberi plus quam absurdum est. Nec vero quatuor filias Philippi, quae adhuc domi eius educabantur, vetulas fuisse quisquam sanus coniiciet: spiritu tamen prophetiae dotatas fuisse Lucas testatur. Quis ergo ante annos triginta baptismo maturas fuisse dubitet? Perstat tamen Servetus, quod aetas triginta annorum sit aetas adulta Christi, in qua docet Paulus perveniri ad veram filii Dei cognitionem, quum ante nonnisi puerilis sit cognitio, Ephes. 4. Quis neget manu carnificis ad frangendam huius bestiae contumaciam opus fuisse? Fideles alloquitur Paulus, quibus etiam se annumerat. Proficere eos omnes iubet, donec in plenitudinem fidei occurrant. Hic nebulo blasphemiae suae vomitu totius ecclesiae baptismum delere conatur.[1]) Ut tamen aliquando ex hac colluvie egrediar: si obtineat lex Serveti, quid miseris omnibus fiet, qui viginti annis maiores ante tricesimum ex hac vita migrant? Mortale peccatum, autore Serveto, ab annis viginti obrepit. Unde necesse est secundam quoque mortem dominari: lavacro regenerationis eripi nos ab exitio docet, ex quo mortali peccato sumus obstricti. Peribit ergo innumera hominum turba, quae morte exstinguitur intra illud decennium: [pag. 229] quia remedium, quod eorum malo necessarium esse docet Servetus, crudeliter idem eripit. Et adhuc erit quispiam tam stupidus, qui de vita futura eum cogitasse credat, qui humanae salutis tam fuerit prodigus? Quanquam certiore documento baptismum sibi ostendit ludibrio esse, cuius recipiendi nunquam ab eo quaesita est ratio. Quid hoc portenti est, quum ad annum quadragesimum septimum[1]) vixerit, negligere tamdiu, vel saltem omittere quod iactabat necessarium esse salutis aeternae pignus? Verum mihi abunde sufficit, relicto homine, ostendere quam crassa sit ac minime tolerabilis doctrinae impietas. Huic autem errori, quem pro instituta brevitate satis refutasse mihi videor, annexum est alterum illud commentum, a peccati mortalis reatu immunes esse homines, donec annum vicesimum excesserint. Quid? quum foedae libidines ante aetatem illam maxime ferveant, quum ad rixas et caedes usque saepe prosiliant octodecim annorum adulescentes, quum furtis, periuriis, variisque nequitiis se illigent, quum ad ebrietatem, et omne luxuriae genus se proiiciant, quum tunc denique maxime grassetur Dei contemptus, nullum mortale peccatum Servetus illic reperit? Haec eadem illi ratio est cur neminem nisi post annum vicesimum catechismo initiari velit. Quasi inferior aetas vel pietatis gustum non capiat, vel, quia expers est omnis malitiae, disciplina opus non habeat. Utrumque arripit Servetus. Nam pagina 363, Mosis testimonium ex 1. Deuteronomii cap. citans negat scientiam boni et mali ante annum vicesimum contingere. Quasi Moses parvulos nominans, quos patres conquesti fuerant praedam hostium fore, omnes comprehendat [pag. 230] qui nondum ad annos viginti pertigerant: ac non potius vel infantes adhuc a matrum uberibus pendentes designet, vel saltem puerulos nihil adhuc praeter lusus et ineptias cogitantes.[2]) A malitia vero vel mali scientia puros dicere,[3]) qui fallendi fraudandique mille artibus pollent, cuius, obsecro, est stuporis? Alibi autem proficiendi[4]) defectum obtendit, pag. 372, quia in adolescentia prima virentis carnis procellis submersus sit ille divinitatis spiritus, et occultus ignis ob multum humorem se exserere nequeat. Quam vana igitur erit Solomonis exhortatio: Memento creatoris tui tempore iuventutis tuae, antequam veniant anni de quibus dicas: Non mihi placent. Caeterum, ut Serveto concedo nonnisi

1) *Add.* sous ombre que S. Paul parle d'aage d'homme qui est autant pour les ieunes que pour les vieux selon que Dieu conduit chacun à perfection.

1) pres de cinquante ans.

2) ou bien qui n'eussent encores seu discerner entre la vie et la mort.

3) *Sic princeps. Caeteri:* pueros. *Gallus habet:* Mais de vouloir exempter de science de bien et de mal *etc.*

4) l'esprit leur deffaut.

exoriente boni et mali notitia incipere in hominibus actuale peccatum, quod mortis iudicio obnoxios [1]) reddat: sic nimiam ante annum decimum mali notitiam vigere non ego tantum affirmo, sed ipsa quoque experientia plus satis demonstrat. Naturali, inquit, ratione non censentur Deum ad mortem offendere qui ad talem hominum offensam adhuc sunt imbelles. Dignus certe fuit Servetus, cui turmatim oculos configerent imbelles isti et innoxii pulli, quos tam benigne excusat. Sed quis illi tribunal erexit, unde, quod solius est Dei, iudicium sibi arroget? An est ille unicus legislator, [2]) qui potest servare et perdere? [3]) Quo iure papa ei Antichristus erit, quem diabolica superbia superat? Verum scripturae testimoniis sese defendit. Nam Deus olim de ingrato populo poenam sumens, nonnisi viginti annis maiores ingressu terrae Chanaan privavit. Qualis est ista dialectica, a specie ad genus universaliter ratiocinari? Ego vero contra excipio: Quum in [pag. 231] ipsa terra Chanaan sumpta fuit de populi sceleribus ultio, ne pueros quidem fuisse exemptos. Et certe Ieremias quum matribus comites fuisse exprobrat, ut ligna nefandis sacrificiis colligerent, eos a crimine minime absolvit. Sed quia tam ridicula fatuitas serio exagitari non meretur, ad reliqua transire satius est. Uno tamen verbo monendi sunt lectores, non stetisse per Servetum quominus iocando et nugando non solum everteret quidquid est religionis in mundo, sed politicum quoque ordinem, recti discrimen, verecundiam denique omnem ex humanis mentibus deleret.

Restat ultima propositio de animae mortalitate. Odiosum crimen, ideo tumultuose Servetus obstrepit. Sed quid tandem affert? Perfidiam mihi obiecerat, quia [4]) dicat animam velut mori, non autem instar carnis mortalem esse. Ostensa sunt eius verba, quae deterius aliquid exprimunt, et magis virulentum, quam quod obieceram. Hoc scilicet luctando profecit, ut laqueum suum magis stringeret. Nunc ultimum illi asylum est, quod mors insignior dicatur spiritualis, vel peccati. Quasi vero non illic diserte carni animam comparet, quasi par sit utriusque conditio. Huc etiam pertinet quod paulo post subiicit, totam immortalitatem perditam fuisse a primo homine, [5]) quasi moreretur [6]) nunqam amplius futurus, morti autem per Adam allatae mederi Christum, quum aerem novum in nobis spirans, naturam suam nobis communicat. Excipit se aliter de animae natura disseruisse. Fateor, ut nunquam sibi consentaneus est, in hac quoque parte diversis locis temere effutire pugnantes inter se sententias quales istae sunt: Animas in aeris ambitum difflari, pag. 233, et sepulcris teneri inclusas, pag. 241. Item insitum [pag. 232] esse deitatis spiritum animae, et tamen ipsam esse vaporem admodum fragilem, qui in ambientem ita exhalat, ut post mortem sit umbra viventis, non vere res vivens, Dialog. 1 pag. 228. Unde apparet qualis ex eius scriptis nobis emergat animae immortalitas.

Ultimae clausulae*) utilis quidem esse posset, longa tamen et laboriosa tractatio, si de singulis capitibus vellem iustum ad modum disserere. In praesentia mihi satis erit, testatum fecisse lectoribus, quam vere dixerim, nullam doctrinae partem non fuisse impiis Serveti commentis inquinatam. Dixi in libero arbitrio Pelagianum esse. Ut crimen retaliet, vocat me Simonis magi discipulum. Deinde apostolos omnesque vetustos doctores ad sui erroris subscriptionem advocat. Mihi non nova defensio quaerenda est, quum liber meus ante annos decem editus adversus Pighium putidas [1]) omnes istas calumnias luculente discusserit. Nam illic ex professo agenda fuit causa, ad quam me Servetus revocat. [2]) Quam dextre fuerim defunctus, praedicare non est meum. Sic quidem me satisfecisse confido, ut verbum addere necesse non sit. Nunquam interea se purgabit Servetus, quin Pelagium nobis ab inferis excitet. Et tamen quod facturum me negaveram, paucis verbis vanitatem hominis refutabo. Quid de servo arbitrio scripserim, nunquam eum vel primis labris gustasse inde patet, quod, eo teste, servum arbitrium esse colligo, quia Deus agit in nobis. Hoc axioma unde hauserit nescio. Mihi certe nunquam venit in mentem, et a mea docendi ratione prorsus alienum est. Ipse interea ad suam deitatem relabitur, ut ostendat hominem non simpliciter a Deo agi: [pag. 233] sed quatenus Dei portio est, se ipsum libera potestate agere. Et ne quid ad ignorantiae cumulum desit, farraginem suam denuo inculcat de generali inspiratione, qua tam vegetantur vituli et hirci, adeoque arbores et plantae, [3]) quam illustrantur humanae mentes. En qua vindicta hominem manumittat ex servitute peccati: forte quia audierat Romanos olim vel pilei rotatu, vel corpus ipsum ter vertendo, servis suis libertatem dare solitos, huius caeremoniae loco ad liberandum hominis ar-

---

1) doublement coupables de mort.
2) *Add.* selon S. Iaques.
3) *Add.* Luy avoit il resigné son office et sa dignité?
4) quia . . . . . mortalem esse: comme si ie luy eusse mis sus plus qu'il n'avoit dict.
5) a primo homine *et* per Adam *om. G.*
6) comme si nous mourions *etc.*

---

*) *Scil. Refutationis suae magistratui oblatae, vide supra pag. edit. princ.* 122 *nostra* 552.
1) de ces chiens matins.
2) *Hoc comma deest in gallico.*
3) plantes et autres creatures insensibles.

bitrium cerebri sui vertiginem supposuit. Adde quod, dum peccato vitiatam esse et corruptam hominis naturam scriptura docet, ad solum corpus hoc restringitur a Serveto, ut anima ab omni vitio pura sit[1]) Nam hoc illi caro significat, sub qua tamen totus homo quantus quantus est[2]) comprehenditur, pagina 377. Hinc fit ut peccato originali neminem damnari putet, quemadmodum paulo ante exposuimus, et repetit pag. 720. Obieceram ipsum iustitiae perfectionem una cum Catharis, Novato et similibus haereticis statuere: mentiri me respondet. An mentiar, ex re ipsa iudicent lectores. Postquam pag. 552 Christum substantialiter a morte resurgendo innovatum esse dixit, pagina sequente dictu nefas esse pronunciat, Christum aliquid spirare quod nobis commune non sit, quum se totum nobis communicet. Hoc modo destrui variam donorum spiritus distributionem, referre nihil attinet. Unicuique dari gratiam secundum mensuram donationis Christi, non modo testis est Paulus, sed fidei sensus dictat, et propria experientia docet. Christum Servetus boni quidquam spirare non vult, quod non quisque nostrum [pag. 234] in solidum recipiat. Hoc sicuti videtur non satis liquidum esse, vel firmum, agedum quidquid est ambiguitatis tollat ipse Servetus. Epistola duodecima hoc argumentum data opera tractandum suscipit. Hoc porro exordium est: Quum doceo quibusdam velut faecibus semper esse admixta opera, ut foeteant coram Deo, si ad rigidum examen vocentur, me in spiritum blasphemare dicit. Quum doceo nusquam posse inveniri perfectum Dei amorem in terra, quia caro contra spiritum concupiscit, doctrinae Christi contendit hoc palam esse adversum. Videmus ut singulis operibus exactam puritatem vendicet, quae sustineat extremum Dei rigorem. Deinde ut neget carnis conflictu impediri sanctos quominus Deum toto corde totisque viribus diligant. Facessat[3]) igitur e medio peccatorum remissio, si perfectam iustitiam opponere Deo liceat.

Prosequitur Servetus, octodecim scripturae locos recensens, ubi fidelibus perfectio tribuitur. Cur non etiam ex veteri testamento totidem, sicut poterat, protulit (quo tempore negat spiritu regenitos fuisse homines) nisi quia veritus est ne hoc modo sine spiritus gratia constaret iustitiaq perfectio? Quid tamen contineant loci isti videndum est. Corinthios hortatur Paulus, 1. Cor. 1 (v. 10) ut perfecti sint. An eos propterea in gradu perfectionis collocat, ac non potius se cupere ostendit, ut tota vita ad perfectionem aspirent? Omitto quod ad symmetriam corporis alludens Paulus *κατηρτισμένους* dicit, quasi concinne aptatos.[1]) Secundo eiusdem Epistolae cap. (v. 6) sapientiam se loqui dicit inter perfectos. Sed quum tales rudibus et pueris opponat, nihil aliud quam integritas notatur. Nam ita vocem hebraicam reddiderunt graeci [pag. 235] interpretes. Sic 14 eiusdem Epistolae (v. 20), ex quo Servetus tertium testimonium petit, admonet ut sint sensibus perfecti. Quid autem hoc sibi vult, nisi ut sincero iudicio, rectaque intelligentia praediti sint? Secundae Epistolae 13 (v. 9), ad sectandam perfectionem Corinthios exstimulat, eamque a Domino ipsis precatur. Inde colligit Servetus sub carnis infirmitate nos tamen esse perfectos. Ephesiorum sexto (v. 13) perperam in veteri translatione legitur: Ut possitis in omnibus perfecti stare: quum prorsus aliud sonent verba Pauli, nempe: Omnibus peractis, vel confectis. Hinc Serveto perfecta iustitiae puritas. Colossen. 1 (v. 28) in hoc studium se incumbere Paulus dicit ut omnes exhibeat perfectos in Christo. Quasi vero non ideo sit hic continuus piis doctoribus labor, quia nunquam in hac vita absolvitur perfectio. Item 4 (v. 12) cap. Epaphram anxie precari dicit, ut stent perfecti et completi in omni voluntate Dei. Atqui supervacua fuisset Epaphrae oratio,[2]) si iam tunc perfectionem adepti forent. Apostolus 5 ad Hebr. cap. (v. 14) perfectis dicit congruere solidum cibum. Quis non statae aetatis viros ita vocari intelligit? Hinc rursus Serveto illibata iustitiae puritas. Sexto cap. (v. 1) ad perfectionem ferri iubet fideles. Hinc probat Servetus perfectionis scopum attigisse. Quia 7 et 10 cap. evangelium dicitur ad perfectionem adducere, in medio vitae cursu eam constituit. Quia 9 cap. legem negat perfectos reddere suos cultores, colligit Servetus nihil in Christianis esse maculae. Capite 12 (v. 23), sanctos qui mortem obierunt perfectos vocat. Haec perfectio ad praesentem vitam a Serveto transfertur. Iacobus 1. cap. (v. 4) fideles ad patientiam hortatur, quae [pag. 236] perfecta est virtus, ut sint perfecti et integri: ob hanc causam Servetus omni naevo eos abstergit. Tertio cap. (v. 2) dicit: Si quis lingua non peccet, eum demum perfectum esse. Quum tale exemplum nusquam proferre liceat, quasi tamen divinae sint omnium linguae, Servetus dici perfectos contendit. Perfectionem Petrus cap. 1 suae Epistolae (v. 13 sqq.) commendat, nempe ut ad eam enitantur filii Dei. Hinc colligit Servetus, iam adeptos esse. Iohannes suae Epistolae cap. 2 (v. 5) in hoc sitam esse perfectam

1) ut anima *caett. om. G.*
2) avec les parties et facultés de son ame.
3) s'en aille au grat.

1) Ie laisse à dire que le mot Grec n'emporte point perfection: mais plustost qu'ils soyent unis et compassés ensemble en bonne liaison comme membres d'un corps.
2) *Add.* qui est tout au rebours de l'intention de Servet.

Dei caritatem definit, si quis servat eius sermonem. Item 4 (v. 12), si nos invicem diligimus. Serveto inde emanat perfectio, quae omnes carnis sordes aboleat. Subiicit continuo post, quod Paulus Philipp. 3 (v. 12 sqq.) se perfectum et non perfectum docet, ita debere intelligi, quod fuerit non perfectus, si resurrectionis gloriam spectes: perfectus vero, perfectione donorum Christi. [1])

Ut intacta per me huius dogmatis impietas maneat, iam tamen victor evasi: Servetus autem foedae impudentiae convictus iacet. Negavit se Catharis et Coelestinis similem, quorum errorem pleno ore ipsum crepuisse ostendo. Atqui perfectio in hoc mundo erigi non potest, quin ex duobus gratiae et salutis per Christum promissae capitibus alterum deleatur. Haec summa est novi testamenti, [2]) quod Deus legem suam in piorum cordibus insculpet, neque iniquitatum recordabitur. Ubi vero nulla est residua iniquitas, frustra eius remissio promittitur. Quia dixeram, legem Dei sic ab ipso aboleri, ut suus cuique afflatus sit vivendi regula, me iterum mendacii accusat. Iurene an iniuria, facile ex brevi verborum eius recitatione lectores agnoscent. Epistola vicesima tertia [pag. 237] ex professo contendit, legem nonnisi ad tempus datam. Excipiet forte quispiam ex eius fautoribus, hoc nihil a Pauli dicto discrepare. Ego vero ubique quod Paulus docet profiteor, non modo abrogatas esse caeremonias Christi adventu, sed iugum servitutis solutum esse, sublatam quoque maledictionem, quam lex omnibus transgressoribus denunciat. Denique qualis sit legis abrogatio, quum aliis pluribus locis, tum in mea Institutione circiter finem tertii capitis*) perspicue docui. [3]) Sed hic phreneticus coelum et terram turbat, quia regulam bene vivendi in decalogo praescriptam, soluto maledictionis rigore, aeternam esse dicimus, ideoque Iudaeis et gentibus communem. Quid autem legis doctrinae opponit Servetus? Nempe solum spiritus instinctum. [4]) Cui respondet quod alibi dicit pag. 316, quod lex Christi non indigeat externo modo scribi, nec per papae decreta: quia sit lex cordis et fidei, cuius ratione efficimur theodidacti, dum patre trahente Christum discimus. Convicia sua, ut volet, in aerem iaculetur Servetus, modo palam fiat, nihil ei non vere fuisse a me obiectum. Si excipiat quispiam ex eius discipulis, parum referre scriptamne doctrinam vitae hominum praeficiat, an interiorem spiritus ductum, acriter repudianda est haec cavillatio. Nihil vel scripto, vel voce praecipit Deus, quod non intus per spiritum dictet, fateor. Sed quia nihil proclivius est quam homines pro ingenita sibi vanitate et lascivia huc et illuc dilabi, Dominus legem suam consulto scriptam exstare voluit, quae nos ad finem usque mundi intra certos fines contineat.

Etsi autem Servetus in speciem [pag. 238] fraenare videtur pravos carnis affectus, et in obsequium spiritus cogere, alibi tamen pestiferum quod occultat virus erumpit. Nam in Apologia ad Melancthonem, pag. 719: Tuo, inquit, pseudoiudaismi [1]) vinculo omnia nobis tristissima facis, quum prophetae omnes, et angeli gaudium et laetitiam in Christo semper annuncient, et muliebribus pavoribus ubique te ipsum territas. Quam fideliter in hoc incumbat Melancthon, ut divini amoris fiducia conscientias exhilaret, quam magnifice gratiam Dei, qua pacantur ac serenantur mentes nostrae, extollat, non disputo: nota enim et probata est piis omnibus singularis eius hac in parte dexteritas. Quam ergo laetitiae doctrinam in eo desiderat Servetus, nisi quae ex animis omnem culpae et poenarum sensum expungat? Itaque muliebres vocat pavores, qui nos ad timorem Dei, ad sollicitam et cavendi et precandi curam expergefaciunt. Quas sibi delitias fecerit, hoc est, quam suaviter excusso divini iudicii metu sese demerserit in securam indulgentiam, quisquis non perspicit, eum sponte caecutire dico. Quod postea adiunxi crimen silentio transmittens, quasi aperta confessione agnoscit. Et certe in eo thrasonice passim exsultat, quod neque promissiones respiciat fides, neque ab illis pendeat. Pagina 325: Promissio, inquit, non necessario exigitur ut quis iustificetur, quanquam eam semper exigi plerique hodie contendant. Asylum habent ipsum Abraham. At vero Abraham non ideo iustificatus est, quia de promissionibus sermo erat, sed quia Deus loquebatur cui credidit. Et in eo iustificationem vitae consistere pronunciat, ac vitam ipsam, sive quid promittat [pag. 239] Deus, sive non. Ostendit hic unus locus Servetum, qui ubique magistrali supercilio iactat sibi uni constare rectam fidei definitionem, nunquam tenuisse eius principium. Fides, eo autore, nullam promissionem requirit, ut hominem iustificet ac salutem illi conferat. Hic non disputo, sitne fides, quum ad Dei minas contremiscit peccator.

Altior vertitur quaestio, in quo fundata sit fides, quae et mater est pietatis, et nos Deo coniungit. Eam Servetus a Dei promissionibus avellit, ac si generali obiecto, ut loquuntur, contenta foret.

1) *Add.* Voire: mais qu'avoit-il à faire de s'efforcer comme il le recite s'il n'y avoit plus que redire en luy?
2) comme en parle Ieremie (31, 34).
*) *Nunc l. II. cap. VII.* §. 14.
3) *Add.* Parquoy il n'estoit ia besoin que Servet bataillast contre moy pour ceste querelle.
4) *Add.* et n'est-ce pas ce que i'ay dict que chacun aura son inspiration pour reigle.

1) iuifverie.

Satis est illi, Deum loquutum esse, quamvis nihil promittat. Non iam dico nullo unquam fidei gustu fuisse imbutum qui sic loquitur, sed bruto contemptu de mysteriis Dei fabulatum esse. Quaeritur quisnam ad Deum nobis accessus pateat. Si expendimus quid in nobis sit, necesse est ut mortiferum horrorem nobis incutiat eius maiestas. Fugiet ergo Dei praesentiam totum humanum genus, donec cum gratiae suae testimonio nobis affulgeat. Quis enim Deum sibi propitium fore confidat, nisi ex eius ore de paterna eius benevolentia certior fuerit factus? Digni sumus omnes quos male perdat. Ipse vero se nobis hostem esse denuncians, maledictioni nos subiiciens citansque ad tribunal suum aeternae mortis reos, annon horribili modo in nos fulminat? Servetus audacter exsurgit,[1]) nihil metuens, quamvis nulla eum promissione gratiae Dominus sublevet. Quis non fidem hanc, cuius inani iactantia superbit, cyclopicam ferociam esse videt? Ridet etiam pueriles nostros terrores, ut ipse quidem iudicat: quia nullum nisi in gratuitis Dei promissionibus [pag. 240] asylum reperiamus. Annon trepidaret ipse nobiscum, si quando in mentem illi venisset Deum fore mundi iudicem? Quum ad Deum accedimus, inquit apostolus, credere oportet quod remunerator sit quaerentibus se (Hebr. 11, 6). Nunc quum nemo illi consiliarius fuerit, unde ista persuasio, nisi ex eius promissione? Atque huius rei sua cuique experientia fidelis magistra erit. Caeterum, ut scripturis definiatur haec quaestio, tenendum est, ex foedere Domini tanquam ex fonte oriri fidem. In foedere porro semper gratiae promissio inclusa est. Quare ex primis theologiae rudimentis est mutua inter fidem et promissionem relatio. Ne longius vagemur, tenendum est nobis exemplum Abrahae, quando non frustra pater fidelium vocatus est Abraham. Servetus ideo iustificatum negat, quod ullam Dei promissionem amplexus sit. Quid autem Moses? Deum Abrahae benedictionem pollicitum esse refert: imo tunc decima vice aut circiter loquutum esse, ut quod prius de paterno suo favore testatus erat, melius in eius animo sanciret. Accedat etiam Paulus clarior interpres, ac locupletior. Hic certe fidem Abrahae a promissione non separat, cuius verba sunt, 4. ad Romanos capite (v. 20, 21): Ad promissionem Dei non haesitavit diffidentia: sed roboratus est fide, certo persuasus, quod qui promiserat, potens esset etiam praestare. Videmus ut Paulus fidem Abrahae minime suspendat vel a muta aliqua visione, vel generali voce Dei: sed eam in promissione stabiliat. Sic et 3. ad Galatas cap. (v. 6 seqq.) fidem Abrahae commendans, ter nos ad promissionem revocat, sine qua nihil omnino est fides. Sicuti etiam 4. ad Romanos cap. (v. 14) satis aperte testatur [pag. 241] his verbis: Si ex lege est haereditas, exinanita est fides et abolita promissio. Si operum meritis nitatur salus nostra, Paulus admonet non modo nihil fore certum, vel stabile, sed totam eius fidem prorsus concidere. Unde hoc probat? Quia scilicet abolita sit promissio. Videant Serveti discipuli quomodo suum magistrum Paulo concilient. Nam illo autore, promissione collapsa, manet tamen firma et recta fides: imo non exspectat dum ullum amoris sui signum ostendat Dominus, sed posthabita eius voluntate satis habet confuse loquentem audire. Hic vero simul ac labascit promissio, fidem evanescere docet. Itaque 1. ad Ephes. cap. (v. 13) adoptionis spiritum, quo filii Dei efficimur, promissioni alligat, hoc epitheto ipsum insigniens, quod sit promissionis spiritus. Iam quum fides fructus sit spiritus, eius naturae repugnare palam est quod Servetus inducit dissidium. Eadem ratione 4. ad Galatas capite (v. 28) dicit nos promissionis esse filios secundum Isaac. Ubi nunc erit haereditas Serveti, quum sola promissio nobis ianuam aperiat regni coelorum? Similiter 2. ad Ephesios capite (v. 12), spem nonnisi a promissione manare ostendit, ideoque extraneos esse a foedere Domini, qui in eius promissionem non recumbunt. Eodem modo ut nobis constet spes aeternae vitae, 2. ad Timotheum 4. nos in promissione continet.[1]) Primo etiam cap. ad Titum (v. 2), non simpliciter repositam nobis in coelo salutem esse dicit: sed ut sciamus ad nos pertinere, simul addit ab eo esse promissam qui mentiri nequit. Atqui Servetus Epist. 10. me accusat quod pertinaciter defendens, neminem sine promissione iustificari posse, Christi fidem callide [pag. 242] dissimulem. Quid hoc rei est? An apparuit mundo Christus, ut Dei promissiones exstingueret? Mihi vero longe potior est apostoli autoritas, qui Romanorum 15 (v. 8) ministrum circumcisionis esse dicit ad promissiones implendas quae patribus datae fuerant. Illustrior etiam exstat sententia 2. ad Corinthios primo (v. 20), quod omnes Dei promissiones in Christo ipso sunt Etiam et Amen. Paulus, ut nobis thesauros gratiae Dei per Christum allatos explicet, totam eius virtutem totumque officium Dei promissionibus individuo nexu copulat. Denique totam Christi fidem aedificat in promissionibus sine quarum neglectu, secundum Servetum, Christo non rite creditur. Atqui Paulo concinunt omnes sanctorum voces. Hanc Zacharias causam oblatae in Christo salutis assignat, quia loquutus fuerat Deus ad patres. Dei misericordiam

1) se presente le museau levé.

1) *Fortasse respicit ad* 1. *Tim.* 4, 8.

extollens beata Virgo ad foedus et promissiones respicit, sine quibus ut absconditus est Dei amor, ita nulla salutis cognitio percipitur. Ideo Simeon exhibitum Dei salutare canens ab eodem scopo minime deflectit. Denique hic primus est in fundamento fidei nostrae lapis, foedus quod olim cum patribus Deus pepigerat, nunc in Christo ratum esse et completum. Ergo Servetus fidem Christi a promissionibus discerpens, non minus atrocem Christo facit iniuriam, quam qui suis vestibus nudatum flagellarunt. Dicit Servetus, Chananaeam mulierem, vel alios quoslibet, solo Christi aspectu propter miracula illi credentes fuisse iustificatos, etiam si de promissionibus nihil unquam audissent, quia se Christus factis declarabat esse Dei filium: quod credentes salvabat, etiam si essent Scythae nullam promissionem habentes. Verum Servetus longe [pag. 243] alium Christum pingit, quam qui nobis a propheta Iesaia delineatus fuit cap. 53 (v. 11): Scientia sua (vel notitia sui: utrumque enim legi potest) iustificabit multos, ipse iustus meus. Doctorem certe illic Deus nobis praeficit suum filium, ut nos iustificet. Videtur tandem huc descendere Servetus, quum evangelio credere dicit, qui vocem hanc recipiunt: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui. Sed quomodo inter se convenient ista duo, sufficere nudum virtutis aspectum in miraculis, et requiri vocem loquentis? Fidem Scythis omnis doctrinae ignaris et expertibus, cum Christi discipulis communem esse? Et tamen duo ista placita Servetus simul contexit.[1] Caeterum ut de repugnantia tam deformi sileam, plus satis absurdum est eius commentum, quod vox ista patris nihil nobis promittit, sed tantum declarat quid sibi placeat. Iterum Christum vero suo ornatu spoliat hic carnifex, quasi virtute omni et divitiis vacuus ad nos prodiret. Nec vero aliunde quam ex loco praesenti refutatio petenda est. Iubet pater audiri filium. Nonne ita et docendi partes ei iniungit, et nos ad docilitatem instituit, quae genuina est ad fidem praeparatio? Nunc videndum an Christus nobis creatus a patre doctor obmutuerit, an vero ita loquutus sit, ut nihil promitteret. Imo hac de causa Paulus evangelium appellat verbum fidei, quia in eo nobis ad vivum Christi gratia exprimitur. Et certe omnibus formidabilis Christi maiestas in miraculis fuisset, nisi sensissent Deum patrem illo mediatore sibi esse propitium. Unde autem concipi haec persuasio potuit nisi ex verbo? Nec est quod obstrepat Servetus, iustificatos fuisse Ninivitas, quia [pag. 244] Deo crediderint nihil promittenti, sed potius exitium minanti. Atqui si fatetur missum illis fuisse Ionam, qui ad poenitentiam ipsos adduceret, concedat simul necesse est fuisse gratiae Dei praeconem. Haec enim legitima est docendae poenitentiae ratio, quod Deus nolit mortem peccatoris, ideoque benigne et comiter perditos omnes ad se invitet, ut conversi vivant. Tenendum enim memoria est illud Psalmi 130 (v. 4): Apud te est propitiatio,[1] ut timearis. Quo significat David, fieri nunquam posse ut animum adiiciant homines ad cultum Dei, seque in eius obsequium addicant, donec misericordem sibi fore concipiant ac propitium. Cornelium et alterum Centurionem nobis obiicit Servetus, quorum alter a iustitia et bonis operibus laudatur, alterius fidem ita celebrat Christus, ut neget se tantam vidisse in Israel. Sed non cogitat hominem gentilem, quum diu in Iudaea versatus foret, pietatis rudimentis fuisse imbutum, ut Christum ex Dei promissionibus mediatorem apprehenderet. Cornelii vero exauditas fuisse preces Lucas testatur. Precari autem qui potuit, nisi fide directrice? non illa quam somniat Servetus, sed quae ex Dei promissionibus nascitur: quemadmodum loquitur per prophetas: Dicam illis, vos populus meus, et ipsi vicissim dicent mihi: Tu Deus noster. Videmus ergo ut invocationem ordine praecedat promissio, ac Dominus gratuito suo favore nos praeveniens, os nobis ad orandum aperiat, sicut dicitur Psalmo quinto (v. 8): Multitudine misericordiae Dei fretus ingrediar eius templum. Servetus vero non modo calcata promissione superbe irrumpit, sed nobis etiam oblatrat, quod Deo proferamus in medium suas promissiones, ut se erga nos veracem [pag. 245] praestet.[2] Non pudet vos, inquit, Deum vobis facere debitorem? Nos vero quam Deus promittit fiduciam, nobis intrepide sumimus. Nec dubitamus familiariter ex verbi sui praescripto agere. Sancta est illa praesumptio, quae ita exsurgit, ut praeeuntem sequatur Deum. Nec etiam Paulus alium rite precandi modum vel scivit ipse, vel aliis tradidit. Nam ad Ephesios tertio capite (v. 12), quum dicit nos habere audaciam in Christo et accessum cum fiducia per fidem eius, satis declarat nullos rite ad Deum accedere, nisi qui testimonio gratiae eius instructi se exauditum iri confidunt. Similis est alterius loci spurcitia, pagina 332: Qui exercet misericordiam in proximum, etiam Samaritanus, ille iustus est. Adversarii quidam hodie nolunt concedere Samaritanum illum esse ob misericordiam iustificatum, sed suis promissionibus aliter ludunt, quas ubique requirunt. Non solum Samaritanus ille convincit eos, sed et publicanus, qui nec promissiones nec Christum sciens, quum oraret

1) Voyla comme S. accouple les lions avec les boeufs.

1) douceur et bonté à pardonner les pechés.
2) afin qu'il nous en face sentir la vertu et l'effect.

Deum sibi fore propitium, iustificatus est. Videmus ut elatis in sublime hominum meritis Deum illis obnoxium faciat. Interim stultae confidentiae nos arguit, quod fidelem ipsum credamus, dum se nobis obstrinxit, non aliquid a nobis sumendo, sed omnia [1]) gratis pollicendo. Mox ad diversum exemplum transsilit. [2]) Neque enim meritis quidquam Samaritanus impetrat, sed humili veniae deprecatione. [3]) Sed quis cacodaemon in aurem Serveti hoc susurravit, illum nescisse an ulla esset Dei promissio? Quin potius, quum exauditus fuerit, in fide orasse colligimus. Porro certum est illud Iacobi (1, 6): Qui orando haesitat, similem esse fluctui maris qui a vento [pag. 246] circumfertur, ideoque non esse sperandum ut quidquam a Domino accipiat qui talis est. Iam unde illa certitudo, nisi ex Dei promissione? Nihil enim minus ferendum, quam ut Deum sibi homines propria imaginatione obligent.

Sed ego in re tam perspicua iam nimis prolixus fuisse mihi videor. Restat ut breviter demonstrem, quam vere conquestus fuerim, labefactari ab ipso gratuitam fidei iustitiam. Densa quidem sylva esset huius argumenti tractatio, et quae integrum volumen absumeret, si vellem singulas eius partes excutere: sed mihi satis erit summam tantum attingere, unde quam pestilens et detestabile sit Serveti commentum delibent lectores. Libro 2. De lege et evangelio, pag. 327, et novem sequentibus, hoc axioma sumit, quod patres sub lege operibus iustificati fuerint. Ad id probandum testimonia congerit, in quibus mentio fit iustitiae legis. Ego autem uno verbo respondeo, nihil esse controversiae, quin perfectam iustitiam lex in se contineat. Quod autem ex ea nemo iustitiam consequitur, non doctrinae vitio aut defectu sed carnis infirmitate fieri testis est Paulus 8. ad Romanos cap. (v. 3). In lege ergo ostendit Deus quaenam sit iuste vivendi ratio. Sed stulte infert Servetus, legis observatione iustificari homines. Insistit tamen in quaerendis probationibus: quod oculi Domini super iustos et facientes bonum: quod beati sint qui faciunt iustitiam omni tempore: quod iustitia eorum maneat in saeculum saeculi, qui dispergunt et dant pauperibus. Haec omnia in se vera esse fateor: sed ubi ad homines ventum est, quia nemo in solidum praestat quod iubetur, reos omnes fieri transgressionis dico. [pag. 247] Serveto non est impossibilis observatio legis, quia dicitur Iohannes venisse per viam iustitiae. Quasi vero fide negemus iustificari opera, ut iustitiae honorem obtineant coram Deo et apud homines. Quanquam enim si ad rigidum iudicii sui examen Dominus vitam nostram exigat, omne os obstrui necesse erit: quia tamen tanquam filiis ignoscit, hinc operibus per se iniustis gratuitam iustitiam ex venia imputat. Verum Servetus, ut solent isti Cyclopes etiam inter media fulmina stertere, quid paterna illa Dei indulgentia sibi vellet, nunquam expendere dignatus est. Itaque unum illud arripit, iustitiam aliquam factorum in lege laudari. Adde quod in altero quoque hallucinatur, quod ex singulis factis iustitiam aestimat. Zelus Phinees fuit iustitia. Obstetricum virtus in servandis infantibus fuit iustitia. Rahab meretrix servatis exploratoribus iustificata est. In Rechabitis abstinentia vini fuit iustitia. Atqui miser, quid Deus utrinque pronunciet, [1]) non attendit. Vitam enim non uni vel alteri operi promittit, sed totam legis obedientiam complectitur. Qui fecerit haec, vivet in ipsis. Qui autem unum legis apicem fuerit transgressus, in eum incumbit certa maledictio, secundum illud: Maledictus omnis qui non permanserit in omnibus quae scripta sunt (Deut. 27, 26; Gal. 3, 10). Videmus quam turpiter in ipsis rudimentis lapsus sit Servetus. Interea illam legis iustitiam, qua etiam secundum ipsum gloriati sunt sancti patres, ad nostrum saeculum pertinere negat, quia solum nobis licet Christi facta narrare, qui omnia opera pro nobis operatus est legem implendo pro nobis, quum non possemus id praestare. Carnali populo, [pag. 248] sicuti Davidi, Ezechiae, Nehemiae, licuit in suis factis gloriari. Nobis autem non licet, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, quia propter tanta beneficia sumus in perpetuum eius facti debitores, et servi, secundum illud: Servi inutiles sumus (Luc. 17, 10). Primum quaero, nihilne Deo sancti patres debebant, vel unico iure creationis, ut efferre suas iustitias libere auderent? Cuius phrenetidis hoc fuit, humanum genus usque ad Christi adventum a Dei servitute absolvere? Iam videmus ut gratiam redemptionis per Christum partae ad nostrum saeculum bis impie restringat. Nam si ad veterem usque populum spectaret, [2]) fuisset Deo ipse quoque nobiscum debitor. [3]) Atqui vel unus David omnium nomine totius veteris ecclesiae salutem a tam indignis Serveti calumniis vindicat: Ne intres in iudicium cum servo tuo Domine, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens (Psalm. 143, 2). Quam multa eiusdem

1) ce qu'il luy plaist.
2) *Hoc comma deest in gallico.*
3) *Gallus h. l. haec inserit:* Servet donc, voyant que cest exemple ne luy estoit gueres propre, tourne bride, disant que la Cananée a obtenu sa demande sans nulle promesse. Mais quel diable le luy a revelé? Plustost nous avons à inferer, puis qu'elle avoit esté exaucée *etc.*

1) *Add.* c'est à dire en menaçant et promettant.
2) Car si les anciens Peres en eussent esté participans *etc.*
3) *Add.* de quoy Servet les exempte.

generis subinde in prophetis testimonia occurrant, unde perspicitur nihil sibi aliud reliquum fecisse sanctos, nisi ut in se ipsis desperati ad Dei misericordiam confugerent, abunde in mea Institutione docui. Nec longa recitatione nunc opus est, quando uno Pauli dicto tota lis dirimitur. Quum iustitiam hominum in gratuita peccatorum remissione consistere docet, non a Petro, nec Iohanne, nec suis collegis probationem petit, sed a Davide: quia beatos pronuncians quibus remissae sunt iniquitates (Psalm. 32, 1), iustitiam absque operibus definiat. Abraham porro fidelium pater quomodo iustificatus est? Ex operibus, inquit Servetus. Perverse enim sophistarum more Iacobi locum (2, 21) exponit. Ut tamen Paulo contra docenti aliquid [pag. 249] concedat, dicit, prius suum credere Abrahae reputatum fuisse ad iustitiam: sicut si princeps apud se animum sui militis cogitans, ex gratia et privilegio reputet ei conatum bonum pro re confecta. Secundum naturam rei hoc non debebatur fidei Abrahae, nec nostrae, sed ex gratia id ibi factum est. Figura fuit rei futurae, ut Christi in nos gratiam magnam intelligamus. Atqui si hoc recipitur, fide oblatam sibi iustitiam minime amplexus fuit sanctus vir, sed ideo praeter meritum habitus iustus, quia ad promerendam iustitiae laudem probe iam affectus foret. Caeterum quo sensu pagina 304, propter unum fidei actum Abraham iustum fuisse dicat, anxie non inquiro, nisi quod inde colligere promptum est, non secus de fidei iustitia imaginari Servetum, quam si Deus praemium illud operibus nostris rependeret. [1]) Quid enim aliud est iustificari propter fidei actum? Adde quod pestilentius venenum illic latet: quia Abrahae iustitiam nostrae umbram duntaxat fuisse subindicat: quia fidei tempus a Christi demum adventu inceperit. Tandem ubi Servetus de patrum iustitia multum garrivit, se ipsum multis absurdis expedire volens magis involvit atque intricat. Nam pagina 334 sic loquitur: Quia carnalis erat illa iustitia et insufficiens, non veritas, sed umbra: deinde, quia non erat constans, eo quod nemo integre operatus est quod debeat: tertio, quia peccati cognitio, quae per legem erat, delictum faciebat maius, concluditur verum esse illud Pauli, carnalem hominem non potuisse iustificari coram Deo. Non nihil quidem dicere videtur: si quis tamen penitius excutiat eius sensum, hoc tantum agit, quod extenuat carnis [pag. 250] iustitiam, ne salutis aeternae meritoria esse credatur. Caeterum, qua audacia carnalem hominem loco carnis supposuit? [2]) Quasi vero qui spiritu donati sunt, ex lege obtineant iustitiam. Sequitur paulo post: Ecce legis difficultatem, imo impossibilitatem, si iugem observationem velis: nihilominus dabatur plerisque ea mens ad certa saltem momenta, ut legem cum affectu tenentes, nullam tunc transgressionem facerent, secundum illud: Faciam ut in praeceptis meis ambuletis. Observatio ergo legis erat, quando quis operabatur quod poterat, etc. Bene habet, quod Deum plus iussisse fatetur, quam homines sint praestando: quum toties Simonis magi discipulos esse clamitet, qui in lege aliquid maius praecipi dicunt, quam ferat hominum facultas. Interim partiale obsequium pro iustitia censeri contendit, ut tantum dimidia ex parte fides nos iustificet: Quia propterea, inquit, non deletur operum bonitas, quorum habenda est coram Deo ratio, non tantum in Iudaeis et gentibus, sed etiam in nobis. Annon gratuitam iustitiam labefactat, qui fide tantum suppleri dicit, quod in operibus mutilum est? Concludit demum iustificationes fuisse plures, ut pro quocunque dicto vel facto, vel cum affectu cogitato, iuxta Dei voluntatem iustificaretur homo.

De nobis autem libro 3 tractare incipiens, promissam operibus mercedem longo sermone prosequitur. Deinde recenset caritatis elogia. Tertio fidei effectum aggreditur. Hoc vero docendi ordine quid aliud agitur, quam ut prius hominum mentes diabolica operum fiducia occupet, quam aliquid concipiant de Christi gratia? Caeterum ut fidei [pag. 251] vim supra coelos extollat, ex eius tamen dictis nonnisi mera confusio elicitur. Nam quum fides, secundum ipsum, promissionibus intenta non sit, non recipit oblatam gratis iustitiam. Deinde, quum gratiae promiscue misceatur operum iustitia, non reperiet conscientia ubi placide tutoque quiescat, ut beatam illam pacem, cuius meminit Paulus, adepta intrepidam Dei invocationem cordibus nostris dictet. Postremo quum addit caritatem esse quae fidei efficaciam tribuit eamque vivificat, quia spiritus sanctus, qui caritas est, vita est ipsius fidei, et opera caritatis eam vivam servant, pagina 350 talibus fumis totam fidei naturam [1]) pessime obscurat. Huc accedit, quod Epistola 11 hac de re mecum data opera digladiatur. Ac primo colligit, sicuti peccata non solum declarant hominem iniustum, sed efficiunt: ita bonis operibus non solum monstrari iustum hominem, sed effici. Atque hoc confirmat, quia benefacta in gratia tantum valent ad augendam gloriam, quantum malefacta in peccato ad augendam poenam. Ad haec, quia dicit Iacobus non solum fide iustificatum Abraham, ratiocinatur, partim ergo id factum esse operibus. Ad-

---

1) comme si Dieu ne faisoit que nous avancer le payement de noz oeuvres devant qu'il soit deu: mesmes que desia telle iustice est un salaire present.

2) *Add.* S. Paul parle simplement de tous hommes: ce bon expositeur ne touche sinon ceux qui demeurent en leur sensualité.

1) tout ce qu'on doit entendre de cest article.

dit etiam, quum iustificari sit fieri ex impio iustum, fieri etiam ex iustis iustiores. Quia nihil adducit quod non abunde in mea Institutione refutaverim, supervacua disputatione lectores non morabor. Tantum monere volui, nihil aliud fuisse homini propositum, nisi ut eversa gratuitae iustitiae fiducia, miseras animas in perpetuam inquietudinem coniiceret.

Quas autem in nos calumnias eructat Servetus, non minus secure negligo, quam si ignavus quispiam canis ex suo sterquilinio [pag. 252] procul latraret. In Apologia ad Melancthonem nos omnia bona opera damnare blatterat: Epist. 13 me fingere iustitiae imputationem, quae in homine nihil mutet, ut nihil ab iniusto differat iustus. Quasi vero futilibus probris doctrinam nostram tot libris luculente testatam delere posset. Hoc dico, si quis eius rixas [1]) ad scripta nostra conferat, phreneticum statim videbit sine gladio et armis tumultuari, ut cum umbra sua depugnet. Praesertim impudentiae eius cumulus Epistola penultima se proferet, ubi me concludere ait, nullum in regno coelorum fore gloriae discrimen vel operum, vel fidei. Quid ego crimen hoc a me diluere laborem, cuius in contrariam partem exstant et leguntur tam praeclara testimonia? Valeant ergo eiusmodi nugae, quae in aerem potius quam in nos iactatae sponte evanescunt. Haec forte ratio est cur sibi licere optaverit, integrum errorum meorum catalogum conficere: quasi scilicet belle ei cessisset sua protervia, quum ex suis latebris adhuc liber impune debacchatus est. Non meos unius, sed publicos, ut dicit, ecclesiarum nostrarum errores Melancthoni exprobrat. Quinam autem illi sunt? Unius Dei dissectio: verae fidei Christi abnegatio: bonorum operum destructio: legis cum evangelio, et Iudaei cum Christiano confusio. Secari a nobis Deum fingit, quia simplex eius essentia tribus personis distinguitur, quum ipse in tres essentias Deum dilaniet. In reliquis quam improbe et sine colore maledicat, ex libris nostris perspicuum est. Postea idem ter aut quater repetendo quasi in circulum revolvitur. Inter alia id notatu dignum, quod dicit, nos in precibus Deum temere [pag. 253] in ius vocare ut promissa servet, ac si ex debito nobis esset obligatus, ac non plura nobis quam Iudaeis praestiterit, pagina 673. Nihil tamen pressius urget, quam phantasticam suam resurrectionem, de qua paulo post videbimus, et allegoricas suas speculationes, quae scripturas thalmudico artificio [2]) transformant. Postea de tritis et nugacibus articulis pueriliter balbutiens, tanquam e suggestu Melancthonem tam superciliose docet, ut dicas puerum esse sub eius ferula.

1) les riottes.
2) *Add.* et à la façon des Cabalistes.

En quam scitus fuerit reprehensor, ut optanda illi fuerit censoria in me libertas. Quis tamen obstabat quominus, si quos errores in me deprehendisset, eorum catalogum conficeret suo arbitrio? Sesquimensem otiosus transegit in carcere: nunquam negata fuit librorum copia. Quam licentiose stilum in me exercuerit, illustre specimen lectoribus exhibui. Nunquam prae se tulit, aliud se carpendum habere. Tantum pro censura supplicem libellum composuit, in quo me postulabat ad capitis supplicium, meaque bona sibi adiudicari petebat: opimam scilicet praedam ex plumbeis thesauris [1]) captans. Et tamen saepius me exsecrabilem vocavit: quia criminalis, ut dicebat, essem accusator. At si mihi integrum errorum eius catalogum scribere propositum fuisset, duplicandus erat liber. Ex uberrima copia, duobus nunc exemplis ero contentus.

Quod pag. 460 de triplici spiritus missione dicit, non attigi. In quo tamen non minus perniciose quam in ipsa spiritus essentia delirat. Prima illi missio est in umbra ante Christi adventum, quia spiritus instar aurae volitans super aquas, et non habens ubi integre requiesceret, reversus est, ac se in coelo [pag. 254] continuit. [2]) Nunc sanctos patres spiritus gratia se orbasse neget qui umbratilem quasi momento apparuisse fingens, in coeli adyta mox recludit. Corporalis fuit secundum ipsum missio [3]) secunda, quando corporaliter visi sunt aperiri coeli, et spiritus visibili forma descendere. Tertia quae spiritualis est atque interna missio non additur continuo post, ut sciamus Christum arcano modo intus semper gubernasse ecclesiam: sed ad renovationem nescio quam differtur, ubi abolitum fuerit regnum papae. [4]) Interius ergo spiritus regimen, quo vere testatus est Christus se mysticum esse ecclesiae suae caput, penitus deletur a Serveto, ut instar Mahometi, cum nova et prius incognita revelatione, novi mundi instaurator surgat. Annon id est quidquid adeptus est gloriae Christus, ex quo ad patris dexteram consedit, exinanire? Neque enim, ut sibi privatim regnaret, in tantam conscendit altitudinem: sed ut spiritus sui gratiam diffunderet, quam in cordibus suis certo fidei sensu reconditam agnoscunt fideles, licet visibilis non appareat.

Diuturnum [5]) quod fingit ecclesiae e terris exsilium, non attigi: in [6]) quo Deum palam mendacii

1) mes tresors de paille.
2) *Add.* iusqu'à la venue de I. C.
3) *Hic et in seq. Gallus perperam:* vision.
4) *Hic inserit Gallus:* Ainsi il n'est point question que I. C. depuis le temps des Apostres ait gouverné son Eglise, ne que le sainct Esprit ait faict sentir sa vertu aux coeurs des fideles.
5) Pour le second ie n'ay point touché *ce qu'il dit etc.*
6) *Haec commatis pars abest a gallico.*

coarguit. Attendant lectores, atque ex hoc quoque loco discant, in refellendis Serveti erroribus me parcum fuisse magis quam cupidum. Ecclesiam fingit ab annis mille ducentis et sexaginta fugatam a mundo fuisse, ut coelum illi exsilium fuerit. Nos certe e splendidis sedibus fuisse eiectam fatemur,[1]) sed ita ut electas a se reliquias admirabili gratia servaverit Dominus. Alioqui mentitus foret, qui semper aliquem sibi populum in terra fore promisit, quamdiu sol et luna in [pag. 255] coelo fulgebunt (Psalm. 72, 5). Scimus quid passim de aeterno Christi regno testentur prophetae. An eius sedem in coelis locant? Imo fore praedicunt, ut sceptrum eius e Sion procul Dominus ostendat, quo dominetur ab ortu usque ad occasum, et eius haereditas sit terrarum orbis. Nunc ergo populo eum privare qui nomen eius celebret, perinde est ac si abscissa eius parte, ipsum in coelo mutilum includere tentemus. Non enim frustra dicitur ecclesia eius complementum: nec ea quidem angelica vel coelestis, sed quam in hac mundi peregrinatione fovet, ac praesidio suo tuetur. Itaque vere et prudenter Augustinus: Nisi ecclesiae suae coniunctus sit Christus, non secum afferre quod illi a prophetis tribuitur. Scite etiam alibi colligit: Qui ecclesiam interiisse volunt, iam non esse eius membra.

Neque est cur e paucitate coniiciat quispiam, me quidquid potuerim in medium protulisse. Nam omne genus ineptiis scatent eius libri. Qualis obsecro, speculatio est: Quamvis non peccasset Adam, Christum tamen praedestinatum fuisse hominem, qui carne indutus mutatos homines secum in coelos duxisset? Quam speciosum commentum:[2]) Arborem scientiae boni et mali Christi fuisse figuram, cuius praecipiti desiderio sese Adam cum posteris in exitium demerserit? Nam hoc modo letalem fuisse Christi gustum sequetur. Quid denique coloris habet, spirituale nunc affingere Christo corpus, quod coelum et terram sua plenitudine impleat? Sed ne praeter institutam libri rationem materia mihi crescat, plura exempla non persequar. Interea hoc tenebo, sic gratuitam hominis iustitiam perverti a Serveto, ut misere tandem concidat. De iniuria [pag. 256] facta veteri populo, quod eum carnalem faciens coelestibus beneficiis privavit, iam ante disserui: ut frustra nunc obiecto evanido probro evolare tentet. Rursus tamen aliquid breviter repetam. Fateor quidem instar equi desultorii ipsum huc et illuc sese vertere. Nam pagina 239, ubi de inferno disputat, et reprobos dicit post mortem non scire certo sintne damnandi, licet formident, eandem formidinis speciem Abrahae et Davidi tribuit, quum mortui sunt. Et tamen pagina 235, eos qui ante Christi mortem mortui sunt detrusos ad infernum fuisse docens, quasi oblivioni a Deo traditi forent, paucos excipere se addit, quos futuri Christi spes fovebat. Sed quinam sunt illi pauci, inter quos ne extremum quidem angulum Abrahae et Davidi relinquit? Denique generaliter ita loquitur, praedam daemonis fuisse pias animas, quibus tandem liberator apparuit Christus. Caeterum quid post mortem adepti fuerint, non disputo: quia mihi sufficit privari eos spirituali gratia quamdiu vixerunt. Aperta autem sunt Serveti verba pagina 460, quod in nullo patriarcharum vel prophetarum requievit spiritus Christi: nemo ante adventum eius donatus fuit spiritu regenerationis sancto. Si quis roget undenam didicerint prophetae quae prodita sunt eorum oraculis: respondet Petrus, Christi spiritu fuisse illis revelata (1. Petr. 1, 12). Sed de ipsa voce litem movere supervacuum est: quia ut centies crepet spiritus Serveti, quicunque non regeniti sunt vivifico spiritu, eos in aeternum interitum damnari constat. Unde autem vivificus spiritus, nisi ab ipsa vita? Nunc Iudaeis aliquam salutem tribuat Servetus iudicii finalis [pag. 257] intuitu, sicuti et ethnicis tribuit pagina 193. Quia tamen nobis nulla a Deo, nisi per regenerationis spiritum promittitur salus, iure notata fuit a me Serveti impietas, a quo spiritum illum patribus ereptum esse doceo. Superest caput unum de imaginaria resurrectione: in quo tacite se Libertinum fatetur, quum sibi a me fieri iniuriam dissimulet. Nec certe dubium est in flexuosis eius ambagibus aliquid occulti veneni subesse. Capite autem quarto libri de Fide et iustitia, non modo oblique insinuat errorem suum, sed palam libertinizat.

Caeterum ne spinosae Serveti argutiae rudiores quosdam, et sacrarum rerum minus peritos, ut sparsim hactenus fuerunt agitatae, perplexos teneant, facturus mihi operae pretium videor, si breve earum compendium ex confusa farragine collectum ante oculos ponam.

Qualis sit Deus Serveto.

Deum sibi fingit, qui in mundi creatione verbum et spiritum proferre coepit, ac tunc personam induit, visibilem se faciens in tribus elementis increatis. Interim tamen deitatem suam ita creaturis omnibus fecit communem, ut sit lapis in lapide, lignum in ligno. Tandem vero post Christum manifestatum in tres essentias divisus sit, maneat tamen unus Deus: quia haec dispensatio nihil in eo mutat.

---

1) *Add.* et qu'il n'a pas tenu aux hommes, que elle ne fust rasée par tout.

2) Quelle couleur y a il de resvasser.

Qualis sit Christus Serveto.

Primo dicitur sermo esse Dei, nunc aeternus, nunc qui originem habuit a mundi creatione: quia non ante exstitit lux, aut verbum, quam dum mundus creatus est. Atque hic sermo vocatur imago substantialis Dei, [pag. 258] quia externa fuit et visibilis quaedam facies ex tribus increatis elementis composita. Ad haec, genitus ex Deo fuisse dicitur non re ipsa, sed figurative: quia in eo Deus futurum hominem geniturivit, mulierem exspectans ex qua eum gigneret. Iam quia homo futurus erat, quoties in forma hominis apparuit sanctis patribus, dicitur coeleste fuisse corpus et divinum, futuri hominis personam hypostatice sustinens. Tandem dicitur ex patris substantia sic conceptus fuisse in utero virginis, ut ipsa verbi essentia transierit in carnem, nec duabus naturis distinctis Christus constet, sed caro eius non minus Deus sit ac deitas, quam sermo. Denique non censetur sermo carne vestitus, sed transformatus in carnem. Interim dicitur ex verbi semine et spiritus substantia promiscue genitus. Corpus autem eius non dicitur ex semine Abrahae simpliciter fuisse genitum, sed partim etiam conflatum ex tribus illis elementis, et illa substantiali Dei facie, quae ab initio visa fuit sanctis patribus. Anima eius partim ex humano, partim ex divino spiritu dicitur fuisse composita, donec per resurrectionem substantialiter innovatus fuit eius spiritus. Quin etiam tunc absorpta in deitatem fuisse dicitur eius caro, vel in Deum conversa esse, sicuti prius deitas in carnis naturam transierat.

Quid spiritus Serveto.

Spiritus dicitur lenis quaedam aura, quae ex verbo fabricato in mundi creatione prodiit, non quod propriam haberet ac distinctam hypostasin. Nunc enim dicitur idem fuisse cum verbo: nunc dicitur [pag. 259] umbra fuisse eius substantiae, quam perceptibilem fecit temporis successio. Discrimen vero eius a patre alibi notatur, quod alius sit ratione admixtae creaturae, quia non mera sit deitas, sed aliquid ex Dei essentia et creata virtute commixtum. Unde et Deus operari in nobis spiritum dicitur. A Christi autem ascensu dicitur exstitisse novus Deus, vel modus deitatis.

Quid homo Serveto.

Homo dicitur ad imaginem Dei creatus, quia non solum in anima sed etiam in corpore insitam habeat deitatem.[1]) Quanquam autem diabolus quadam coitus specie in carnem intrusus est, manere tamen deitatis essentiam in ipsa anima tradit: unde et liberum arbitrium, et radicalis vita. Caeterum cum sua essentiali deitate per mortem efflari dicitur in ambitum aeris: quia per peccatum mortalis reddita est sicut caro. Ideoque substantiae animam definit, non aliud esse quam respirationem et flatum. Quin etiam dicitur minime obstare illa deitas, quin suffocata usque ad annum vicesimum iaceat[2]) scientia boni et mali: quia crassi humores praevalent, ut peccatum mortale nemo ob notitiae defectum admittat, nisi viginti annis maior. Deificari autem dicitur in filiis Dei: quia substantialiter in eam descendit spiritus, sicut in Christi persona verbum caro factum est, ideoque regenita anima dicitur consubstantialis et coaeterna Deo. Quanquam[3]) simul additur, substantialem illum spiritum in multis exstingui, licet alibi vocetur tam spiritus sanctus quam anima. Asseritur etiam perfectio,[4]) quae in se contineat quidquid spirat virtutis Christus.

[pag. 260] Quaenam sit generis humani corruptio Serveto.

Corpus tantum a serpente occupatum esse dicitur: anima autem ad primam mortem et infernum sine culpa damnata esse, ut nullum in hominibus nisi proprium et actuale peccatum censeri debeat. Interim omnes certa salus manere dicitur in finali iudicio, nisi qui propriis sceleribus mortis aeternae reatum sibi asciverint. Unde etiam infertur, quicunque tolluntur e vita infantes et pueri,[5]) ab aeterna morte exemptos esse, licet alibi vocentur maledicti.[6])

Quaenam sit Serveto fides.

Fides olim in patribus dicitur umbra verae fidei aut figura fuisse: quia nonnisi ad terrena bona attenderent, nisi quod prophetico spiritu quidam eminus spiritualem vitam gustarunt. Fides[7]) autem proprie dicitur credere in Christum, non

1) une deité plantée en soy non seulement quant à l'ame mais *etc.*

2) *Sic princeps. Beza et Amst. male:* careat. *Gallus simpliciter:* soit estouffée.

3) Toutesfois il cuide que c'est Esprit en son essence divine, comme il le met, s'esteinde en plusieurs. Si on demande que c'est d'une telle masse ainsi bastie, il respond que c'est une ame humaine, ou l'Esprit de Dieu, ou l'un et l'autre.

4) *Add.* Aux fideles.

5) *Add.* devant l'aage de vingt ans.

6) combien qu'il les appelle maudicts.

7) la foy des Chrestiens.

quod promissiones, quibus describitur Christi officium et virtus, amplecti necesse habeat, solis miraculis et nuda voce contenta, quod Christus sit filius Dei. Unde infertur in precibus supervacuas esse promissiones: imo absurde facere eos, qui precandi fiduciam inde sumant, quia [1]) Deus se exorabilem fore promittens, liberaliter eos ad se invitat. Contra vero non obstare Turcis promissionum defectum quin rite precentur.

Quaenam sit iustitia Serveto.

Iustificatos ab initio fuisse dicit sive ex Iudaeis, sive ex gentibus, qui recto naturae motu bene vixerunt. Quanquam autem legis iustitiam carnalem fuisse dicit, et fatetur tam Iudaeos quam gentes non per omnia Deo satisfecisse, finalis tamen iudicii intuitu iustitiam illam licet carnalem et mutilam valuisse [pag. 261] contendit sine fide Christi, ut in coelestem gloriam cum Christo resurgant. Iustitiam vero, quae nobis fide gratis confertur, sic copulat cum naturae iustitia, ut non tollatur illa operum bonitas, qua etiam increduli Deo probati fuerunt. Bona porro opera, quae regenerationem sequuntur, non modo ad augendam iustitiam valere dicit, sed etiam esse eius partem, ut non simpliciter nobis gratuita iustitia imputetur, sed Deus nos ex operum meritis, sicut ex Christi gratia, [2]) iustos aestimet.

Quaenam sit differentia veteris et novi testamenti.

Deum sub lege nunquam fuisse cognitum, sed angelos illius temporis deos fuisse tradit: et cultum, qui Deo uni debetur, angelis fuisse exhibitum. Ad haec, quidquam spirituale patribus fuisse promissum negat, vel vivifico spiritu fuisse regenitos, sed terrenam benedictionem quaesisse, quia ex mutato testamento diversa haereditas monstretur. Nos vero dicit participes factos coelestis gloriae, ut tales simus in terra, qualis in coelo Deus est.

1) d'autant qu'ils veulent obliger Dieu en le sommant de ses promesses.
2) sicut ex Christi gratia *om. G.*

Tametsi [1]) ex immensa colluvie partem hanc delibavi, et simplex a me recitatio posita est, ea tamen ultro se profert absurditas, quae non modo fastidium et nauseam provocet lectoribus, sed summam detestationem accendat. Vae autem eorum stupori, qui ad eiusmodi portenta non horrescent.

[pag. 262] Huic libro subscripserunt [2]) Genevensis ecclesiae Ministri ac Pastores:

Iohannes Calvinus.
Abelus Pouppinus.
Iacobus Bernardus.
Nicolaus Galasius.
Franciscus Bourgonius.
Nicolaus Parvus. [3])
Reimondus Calvetus.
Matthaeus Malesianus.
Michael Copus.
Iohannes Pyrerius. [4])
Iohannes a Sancto Andrea.
Iohannes Baldinus.
Iohannes Faber. [5])
Iohannes Macarius. [6])
Nicolaus Colladonius.

1) Combien que ie n'aye faict qu'un simple recit des erreurs de Servet, sans amener les raisons par lesquelles ie les pouvoye reprouver, et que d'un abysme infini i'aye tiré seulement quelque peu d'articles, toutesfois il y a de l'absurdité si lourde, laquelle se monstre de soy mesme que les Lecteurs non seulement en devront estre faschez mais aussi avoir en detestation un tel monstre.
2) approuvé et souscrit.
3) Petit.
4) Pirer (*sic!*)
5) le Fevre.
6) Macard.



MICHAELIS SERVETI

EPISTOLAE TRIGINTA

AD IOANNEM CALVINUM GEBENNENSIUM CONCIONATOREM.

EDITIO NOVA TEXTUM

CHR. THEOPH. DE MURR

AD FIDEM CODICIS PARISIENSIS EMENDATUM EXHIBENS.

EPISTOLAE TRIGINTA AD IOANNEM CALVINUM GEBENNENSIUM CONCIONATOREM.

EPISTOLA PRIMA.*)

Iesum illum Nazarenum, pro nobis miseris crucifixum, fateris tu nomine dici filium Dei, sed re ipsa non esse filium.[1] *Nam rationem veram, quare hic homo sit filius Dei, non credis eam esse, quod hic homo sit vere genitus de substantia Dei: sed tropo quodam ais filium, quia est in eo invisibilis alius filius, quasi radius decisus. Monstro magno Deum discerpis, verum filium obliteras, et Deos novos fingis. Te plane fefellit allegoricum dictum de sapientia genita, quae et creata dicitur, ut vel hinc colligas, esse figuratam loquutionem. Realitatibus illis nedum discerpitur Deus, sed et duo filii dissimiles aperte docentur, alter incorporeus invisibilis, alter corporeus visibilis. Absurda haec te non movent: id tantum obiicis: Si homo sit sermo, duos esse sermones, cur non et duos filios? Nihil tu ibi discernis, quasi utrumque promiscue liceat vocibus confusis. Ut absurditatem omnem et confusionem tollas, unice te rogo, ne vocibus abutaris. Si propriam significationem tu servas, aliud proprie significat sermo, aliud proprie significat filius. Sermonis est proprie prolatio, et repraesentatio, filii est substantialis generatio. In* [pag. 578] *hoc est realis distinctio, non in illo. Hic homo filius, quia prolatione Dei genitus est, dicitur sermo. Et sermo ille olim, quia ad filii generationem tendebat, et filium referebat, dicebatur filius. Erat sermo referens, personalis filius. Cogita, λόγον esse rationem referentem, et filium esse ex Maria genitum. Si proprio significatu λόγος est sermo referens, seu ratio referens, quis tecum dicere audeat, Ioannem esse abusum? Si duos sermones, aut duos filios ratione aliqua dicere lubet, alterum esse figuram alterius dicendum est. Atque ita tandem conveniemus, dicentes, fuisse olim filii personam et figuram. Vobis potius dicuntur esse duo, quum sit uterque realis, nullaque inter illum et istum similitudo. Ego illum dico fuisse huius naturalem similitudinem et personam. De persona ita proprie loquebantur antiqui, ponentes in Deo personam filii, quae est una cum homine persona. In persona Christi dicitur sapientia olim formata. Nam Christus est vera sapientia, qui ab aeterno suam formam habet in Deo. Sed realis illius, et invisibilis filii, quem*[1] *asseris, quam tu*[2] *formationem dabis? Impostura diaboli est, et impossibile monstrum in Deo. Adverte autem, quod apud Salomonem hebraica vox* הוללתי[3] *holalti, non proprie significat generationem, sed expressionem et formationem, qualis fuit in mente divina. In anima hominis est notitia, imaginis expressio, formae conceptio, certae rei figuratio.*[4] *An propterea conceptus ille in anima nostra dicitur*[5] *filius? Nequaquam profecto nisi metaphorice. Potiore vero ratione diceretur in anima nostra esse vera et realis generatio illius conceptus, quam in Deo. Quia animae nostrae quid extrinsecus advenit realiter distinctum, non autem Deo.*[6] *Erat in Deo aeternaliter mente concepta formata et expressa sapientia, figuratio Christi. Et in ea ipsa Christi figura relucebant res omnes, quae futurae erant in ipso. Haec erat divina sapientia cuncta componens ad gloriam Christi, et Christus in Deo. Illa*[7] *non erat in Deo realis filius, sed persona Christi realiis filii. Relucentia erat futuri filii, et ad filii generationem substantialiter tendebat. Similitudinem aliquam* [pag. 579] *vel hinc potes accipere. Quando in patre futuri Petri est geniturae substantiale semen, est iam in eo substantia filii, nondum filius ipse. Nondum est tunc homo Pe-*

---

*) *Quae in margine hic adscribuntur lectiones variantes ex codice parisiensi excerptae sunt de quo vide Prolegomena.*
1) filium Dei.

---

1) quem tu.
2) tu *om.*
3) *Sic scripsit Murrius pro* חוללתי (Prov. 8, 24). *MS. om. hebraicam literaturam, et ubique exhibet: hollati.*
4) significatio.
5) dicetur.
6) in Deo.
7) Ille.

trus, sed est origo generationis eius. Ita erat in Deo substantia Christi, aeternalis origo generationis ipsius, essentialis imago et persona. Ibi iam hic homo concipiebatur, exprimebatur, generabatur, et si velis creabatur. In eius persona et figura ait sapientia: Concipiebar, formabar, generabar, creabar. Plura tibi concedo, quam petis, modo Christum intelligas creatum, quia participes[1]) *creaturae. Si omnium scripturarum scopum tibi Christum proponas, erunt tibi omnia facilia. Totum verbi arcanum erat huius hominis glorificatio, sicut ipse iam olim*[2]) *erat in Deo gloriosus, Ioan. 17. Memineris quaeso, hominem hunc esse vere genitum de substantia Dei, atque ideo esse verum filium Dei. Per sermonem est hic homo ab aeterno genitus, et in sapientia sermonis figurabatur filius. Unde dicitur sapientia personaliter genita, personalis*[3]) *filius, in huius geniti sponsa.*[4]) *Relucebat iam ibi homo essentialiter futurus in Deo, propter quem omnia et per quem omnia. Nullum erat in Deo monstrum, nulla dissectio, nulla realis distinctio: sed gloria aeterna hominis Iesu Christi, filii Dei, in eo ab aeterno, et in aeternum, personaliter et substantialiter exsistentis. Sit tecum Iesus Christus, ut ipsum bene cognoscas. Amen.*

1) participes.
2) olim *om.*
3) personaliter.
4) persona.

EPISTOLA SECUNDA.

Incorporeum a patre distinctum realem illum invisibilem filium, et radium decisum tibi persuades ex Paulo, qui Christum ait esse genitum ex semine Davidis secundum carnem Ro. 1. Unde a pari tu infers: Sicut Christus ratione naturae humanae filius Davidis nominatur, ita etiam ratione naturae divinae filius est Dei. Recte quidem infers. Et ego a pari quoque ita infero: Sicut natura ipsa humana non dicitur filius, ita nec natura ipsa divina dicetur filius. Vides, qualiter in te vertitur argumentum. Tres alioqui [pag. 580] *nobis filios facies. Natura humana est tibi filius, natura divina est tibi filius, et totus ipse Christus filius. Si Pauli aequiparationem sequaris, κατὰ σάρκα et κατὰ πνεῦμα, dices, esse secundum carnem filium Davidis, et secundum spiritum filium Dei. At spiritus Christi non dicitur ibi filius, sed est per spiritum hic homo declaratus filius. Simili divisione utitur Petrus: Mortificatus est Christus carne, vivificatus spiritu. Spiritum Christi non vocat filium. Ad idem 2. Cor. 13: Crucifixus ex infirmitate vivit ex virtute Dei. Quam virtutem constat ibi non esse filium.*[1]) *Tota divinitas Christi his locis vocatur spiritus, non filius. Ego itaque ingenue tibi*[2]) *fateor, Christum ipsum, ratione naturae humanae, esse filium Davidis, sed naturam ipsam humanam non esse filium. Christum quoque fateor, ratione naturae divinae, esse filium Dei, sed naturam ipsam divinam non esse filium. Tu es filius patris et matris, tamen id, quod habes a patre, non est seorsim filius, nec id, quod habes a matre, licet eorum ratione tu sis filius. Ratione animae tu es homo, et anima ipsa non per se dicitur homo. Ratione deitatis Christus est Dei filius, et deitas non est filius. Ab eo nobis datur spiritus, qui nos filios facit, et spiritus ille non est filius. Si separatam animam videns ob similitudinem et essentialem rationem tu concedis esse hominem, eadem ratione concedes,*[3]) *verbum esse filium: nec ob id proprie esse in uno dices duos homines, nec duos filios. Ostende tu, alicubi dici, Deum esse patrem deitatis Christi, sicut est pater Christi. Christum esse hominis vocabulum, fateris: ergo Deus pater Christi est pater hominis, Deus genitor hominis. Naturalis homo natus est, naturalis homo filius, homo naturaliter genitus est naturaliter filius. Si ille ipse Deus meus et pater est Deus vester et pater:*[4]) *Deus hominis est pater hominis, Ioan. 20. In Christo est duplex natura, divina et humana, neutra tamen earum est filius, sed ipse ex utraque natura constans est Christus* [pag. 581] *filius unigenitus, filius patris et matris, unicus filius. Similitudines aliae sunt remotiores, ut deitas vincit in omnibus. Ratione deitatis est hic lapis, hoc aurum, illud ferrum: at non solam deitatem, sed id totum, proprie dicimus lapidem, aurum, vel ferrum. Doce nos, si potes, deitatem illam, quae est in Christo, alicubi dici filium. In Christo non est una illius ternarii portio, ut ais, sed tota deitatis*[5]) *plenitudo: ergo in eo non est aliquis filius, sed ipsemet est filius. Ne unus quidem est in scripturis locus, in quo dicatur*[6]) *sine homine filius. Quare ergo vos facitis sine homine filium? Error maximus est. Erroris causam*[7]) *si velis audire, paucis ego referam. Christum fuisse apud Deum legentes, et aeternam ei tribui generationem divinam audientes metaphysici sophistae, invisibilem alium filium imaginari coacti sunt. Hinc ad tertiam rem distinctam saltum fecerunt. Draconis fuit haec triceps illusio, quae in sophistas facile irrepsit, instante regno Antichristi. An non legisti ibi spiritum draconis, spiritum bestiae, et spiritum pseudoprophetae tres spiritus? Tres sunt*

1) Qua virtute constat non esse filium.
2) id. (*om. tibi*).
3) tu concedes.
4) Si ille ipse Deus meus et pater, est Deus vester pater.
5) Dei.
6) doceatur.
7) rationem.

vere daemoniorum spiritus, a quibus occupati tenentur, qui bestiae trinitatem agnoscunt. Orbem hi tres spiritus concitant, contra agnum immaculatum Iesum Christum, filium Dei, Apoc. 16. Falsi ergo sunt trinitariorum invisibiles dii, adeo falsi, sicut dii Babyloniorum: quum praesertim dii illi in Babylone colantur. Vale.

EPISTOLA TERTIA.

Saepius ego te monui, ne illud trium rerum monstrum tantum, et tam impossibile, in Deo tu admittas, nullis bene intellectis scripturis probatum. Hac tamen ratione tu moveris, quod Deus ab aeterno dicitur pater: item quia patriarchae dicebantur filii Dei,[1] *ratione incorporei illius iam tunc exsistentis filii. Levissimae sunt hae rationes, ad tantum in Deo monstrum inducendum. Ad primam ego clare* [pag. 582] *docui, seclusa in Deo temporum ratione, eum semper dici patrem, et ab aeterno filium hunc generare, in quo et patres antiqui spem habuerunt. Hinc secunda ratio diluitur, imo ut insulsissima reprobatur. Nam filiatio illius secundae invisibilis rei nihil habet nobiscum commune, ut eius ratione dicamur filii. In homine Christo est vera filiatio, hominibus communicata. Quod in patriarchis fuerit filiatio Christi, fuit umbra Futurorum, sicut erat illis spes futuri Christi. Deus dicebat, se fore patrem, et nos fore filios, tunc in umbra, nunc in veritate. Deus erat pater personaliter, sicut erat in eo persona filii. Erat pater realiter, ratione ipsius hominis Iesu Christi, sine tempore sibi iam praesentis, et ab eo aeternaliter geniti: sicut si tu ab aeterno spirasses ad prolem aliquam, et mulier eam nunc pareret. Hinc dicitur Christus secundum spiritum esse filius Dei, quia est per spirationem Dei genitus, et spirituali divina ratione productus. Grave tibi est concedere, hominem Christum esse ex Deo genitum. At nos sumus ex Deo geniti, Ioan. 1. An simili ratione, an sublimiore, est ille ex Deo genitus? Certe sublimiore et ab aeterno. Imponis mihi, quod sermonem ego dixerim in creatione coepisse, quando Deus sententiam de creando mundo protulit, quasi tunc exstiterit sermo prolationis ad Christi generationem. Ego aeternitatem sermonis, seu rationis divinae, ubique doceo, Christi relucentiam aeternam, futuri hominis personam, et substantiam, ut in ea facie videatur Deus. Exstitit quidem sermo in creatione, et exivit se manifestans, exivit postea varie ad prophetas. In incarnatione latius exivit, et generationem totam consummavit. Mysterium magnum est, et donum Dei est, bene*[1]) *nosse generationem hominis huius aeternam, et egressiones eius varias, ut ait Michaeas.*

1) Dei *om.*

EPISTOLA QUARTA.

[pag. 583] *Crassam iudicas hanc meam haeresim, quae Iesum hominem credit esse verum et naturalem filium Dei, corpus ipsum, in verbo et angelis olim praefiguratum. Crassam ob id, quod visibile seu perceptibile quid verbo, spiritui et angelis tribuam. Crassam hanc fidem amplectebantur olim rudes discipuli, et amplectuntur nunc veri Christiani, quamvis eam sublimes mathematici et metaphysici*[2]) *rideant. Tam vehemens est illusio, ut manifestationem ipsam*[3]) *Dei nemo agnoscat. Deus a mortalibus non intelligitur, nisi per speculum: nec tunc vere intelligitur, nisi ut se nobis exhibet, manifestatione quadam, et communicatione. Si Deus per verbum et spiritum se fecit perceptibilem, in verbo et spiritu erat quid perceptibile, ac perinde in angelis. Materiam quandam luminis divini susceptibilem, et corpus quoddam substantiale, spiritibus et angelis tribuerunt antiqui theologi: cum quibus id affirmant magnus Basilius, et Augustinus,*[4]) *quem tibi patronum iactas. Lucem hanc solis ipse in Genesi dixit, esse substantiam et corpus, quod se intus penetrari sinit. Tale est angeli corpus, aliunde penetrabile, corpus spirituale, substantia aetherea. Spiritus omnes etiam rationales,*[5]) *et subtilissimos, penetrat lux divina, Sapien. 7 et Hebr. 4. Omnia implet, omnia penetrat, in angelos intrat et animas. Non obest, si dicas, spiritus illos aliis corporibus vestiri. Nam id fieri potest. Nihilominus est ipsis propria substantia, quam nos aliquando sensibiliter percipiemus, et nunc perciperemus, si sensus essent nobis tam exquisiti. Quidquid est in mundo, est specie aliqua perceptibile. In Deo quoque sermo et spiritus percipiuntur, per quos se ille manifestare voluit, et per quos perceptibiles sunt omnia facta perceptibilia. Si verbum et spiritum concedis perceptibilia esse, quae ex eis sequuta sunt effecta, perceptibilia dices: tametsi invisibilia dicamus, quae spirituali alio modo, quam per visum percipiuntur. Invisibilem dicimus aërem, perceptibilem tamen. Invisibilem, inquam, quia est acie nostri visus tenuior. Spiritus ipse divinus, velut aura tenuis, in* [pag. 584] *animas nostras spirans, se nobis perceptibilem facit, licet sit invisibilis. Coelestes creaturas sub specie angeli dicimus visibiles, sub specie spiritus invisibiles nobis, vere tamen in se visibiles. Eas cum Davide dicimus esse aëreos flatus, et igneas flammas, super-*

1) bene *om.*
2) physici.
3) ipsam *om.*
4) *Add.* ipse.
5) reales.

elementares scilicet: non habentes carnem et ossa terrea, ut ait Christus. Quemadmodum inter homines, ita inter spiritus illos, alii aliis imperant, sunt excellentiores, acutiores, habentes plus agilitatis, tenuitatis et splendoris. [1]) *Alii habent plus crassitiei, et minus intellectus. Crassi adeo et materiales sunt inferiores spiritus, ut in muliebrem lasciviam moti, eam genii exsequantur, velut satyri, et incubi. Imo ob id sunt diluvio in abyssi tartarum cum gigantibus deturbati, ubi ligati in finale iudicium servantur puniendi. Ita ex antiquitatibus iudaicis refert Iosephus. Ita et Henoch, ut a plerisque citatur. Ita Philo Iudaeus in libro de gigantibus. Ita quoque septuaginta seniores Hebraeorum interpretati sunt, et alii Hebraei. Ita cum apostolis ipsis, Petro, Iuda, et Ioanne intelligunt Iustinus, Irenaeus, Clemens Romanus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Cyprianus, Origenes, Lactantius, Eusebius, et reliqui veteres. In aquam sunt daemones merito praecipitati, sicut et per aquam peccabant. Nam velut aquea corpora pulchra specie filiorum Dei mulieribus imponebant, et generabant, aqueum sperma malis artibus paratum immittentes. Sine daemonum opera non fuissent ita genita tam ingentia monstra. Ita filios Dei vocat Iob, malos angelos cum gigantibus in diluvio ponens. Sicut Salomon et Esaias, ut explicui libro secundo de trinitate, loco decimoquarto. Non ergo te debuit hoc tantopere offendere, quod post prophetas et apostolos maximi Hebraeorum ac Christianorum theologi docuerunt, ac etiam philosophi. Philosophos taceo, quia innumeri sunt, Chaldaei, Aegyptii, Graeci et Latini, qui daemones esse aërea corpora* [pag. 585] *dixerunt. Aërei daemones, seu velut aërei, sunt initio per terreum cibum puniti, deinde in aquam submersi, demum in ignem aeternum. Varii sunt modi quibus a daemonibus generari potuerunt gigantes, ex propria et multiplici daemonum virtute, ex observatione locorum in astris, magna corpora facientium, ex sumpto a magnis hominibus semine, et ex victus ratione, corpora roborante.*

EPISTOLA QUINTA.

Illud te pariter offendit, quod veluti naturalem verbo et angelis dixerim humanam Christi formam aethereram, secundum quam erat ipse in forma Dei. Sed paulisper animum adtende, et te multis viis manuducam. Sicut nunc est vere reale, quod ibi erat in figura: ita nunc est homini Christo vere naturalis ea forma, quae olim dispositione Dei [2]) *figurabatur in verbo et angelis. Angelis hac ratione non est humana forma ita naturalis, ut nobis. Quum enim sint spiritalis* [1]) *aetherea substantia, terrae nihil communicans, quasvis formas facile accipiunt. Humana tamen, quae potior erat in verbo, ipsorum formatore, fuit quoque semper ipsis potior. Imaginem hominis vocat angelum Daniel, cap. 10. Ad angelos dictum est: Faciamus hominem terreum, ad formam et figuram nostram aethereram. Terreus dictus Adam ab adama, ut homo ab humo, accepit vere supernam formam. Ipsi terrae data est tunc ea forma, quae iam antea erat in aethere, omnium formarum speciosissima, quam reliquae omnes mundi formae venerantur, quam et filio suo Deus elegit. In verbo iam ea forma multis viis, seu multis inductionibus, ostenditur, si hoc bene prius teneas, me non dicere in verbo formam corpoream, sed prolationem, exhibitionem divinam, instar formae corporeae. Audi nunc inductiones* [pag. 586] *meas, ut in verbo intelligas formalem aliquam rationem. Inductio prima est ex ipsa sapientiae omniformis cognitione. Si sapientiam credis omniformem, credes et in ea forma* [2]) *hominis principem formam. Inductio secunda est, ex proprio significatu* [3]) *vocis λόγος, quod est sermo referens, ratio referens, repraesentans. Inductio tertia est ab ipsa luce. Si naturale et proprium creatae et increatae lucis semper fuit, rerum aliarum exprimere ideas, in ipsa Christi luce sitas: multo magis erit ei proprium, exprimere Christum, a quo omnia, et qui primus erat scriptus in capite libri. In luce animae tuae quam ais invisibilem, concedis esse rerum visibilium formas: cur igitur offenderis, si in luce ipsa Dei dicam ego esse formas tales? An non inde derivantur illuc in animam tuam? Inductio quarta est, a visione et facie Dei. Non erat falsum,* [4]) *id quod videre cupiebat Moses. Lux erat Dei ibi abscondita, nobis manifestata. Inductio quinta est ab omni semine, sicut verbum erat semen, vere formale. Ad illius exemplaris instar, in semine tam animalis, quam stirpis cuiusque, est formalis virtus quaedam, talis rei figurativa: non solum talis iuxta certam speciem, sed iuxta certum individuum, quale est ipse Christus. Non solum erat in verbo naturalis virtus figurativa Christi, sed figura ipsa visibilis, ob peccatum reddita invisibilis. Inductio sexta est ab hominis formatione, qui ad formae illius supernae imaginem et similitudinem est corpore et anima formatus. Inductio septima est ab essentiali conformatione. Si essentialiter nunc est verbum in homine, et essentialiter est verbum homo, essentialiter conformatur et coaptatur formae et figurae hominis: atque ita ab aeterno habuit aptitudinem et respectum formae et figurae hominis. Inductio octava est a naturali*

1) et splendoris *om.*
2) dispensatione.

1) spirituales.
2) formam.
3) significato.
4) *Add.* spectrum.

potentia. Naturalis erat ibi potentia, actu nondum terreus homo: sicut in aliis generationibus omnibus[1]) *naturalis potentia antequam sit actus: prius potentia filius, quam actu filius.*[2]) *Hinc ab omni generatione inductionem nonam collige, contra mathematicam illam vestram, et realem invisibilem generationem,* [pag. 587] *hoc unum et universale axioma servans: Omnis qui generat, in se ipso et ex se ipso semen elicit, antequam sit filius, et ideale semen. Hoc dicimus verbi semen essentiale, a quo omnia, et in quo omnia relucebant, etiam angeli, qui in ipsa creatione sunt verbo assimilati. Unde inductio decima consurgit, ab angelica visione et assimilatione. Angeli nihil unquam de Deo scire potuerunt, nisi quod eis in verbo ipso videre datum est, in quo ipsi videbant faciem Dei: tanta fuit verbi excellentia, manifestatio Dei, Christus*[3]) *facies Dei. Angeli et in actionibus, et in natura ipsa, sunt assimilati, conformati, et quodammodo uniti verbo. Ab omni naturali actione est undecima inductio, si rerum analogias intelligas. Ut in naturalibus actionibus omne agens assimilat, conformat et unit sibi passum: ita in divinis nos sibi, ac etiam angelos,*[4]) *Deus assimilat, conformat et unit, externa lucis visibili forma, et interno invisibili spiritu. Imo communicatione suae externae lucis, ac ideae divinae ratione, omnia initio sibi naturaliter similia et unita fecit Deus, pulchra et bona: multo autem magis hominem, Deo multipliciter assimilatum et unitum. Prima est in homine ex innato Dei halitu unio naturae, cum similitudine lucentis formae. Secunda est unio gratiae novi spiritus, cum maioris fulgoris renovata intus imagine. Tertia erit eximia unio finalis gloriae, in qua videbimus eum, sicuti est, in abditissima illa luce, nemini unquam visa, nec angelis ipsis, nec beatis animis, sed soli Christo. Adhuc sunt nobiscum magis beandi boni angeli, sicut mali magis puniendi. Ut nunc omittam angelorum similem et conformem Deo voluntatem, et ingentem erga nos caritatis ardorem: in hoc quoque se verbo Dei conformabant, quod sicut eius erat omniformis essentia, ita illi pro ipsius imperio,*[5]) *ut nobis ministrarent, in varias formas passim transibant, humanam semper reverendo. Cuius odio Satan, contra Dei imperium agens, et a beata unione discedens, in serpentem degeneravit, relicta* [pag. 588] *forma Dei. Duodecima igitur a deformatione daemonis sequitur inductio. Deformatio, intus et extra, tanta fuit in daemone, ut hominis formam assumere iam non possit, sine deformitate aliqua. Non potest nunc daemon se hominem fingere, quin deformis appareat.*

1) *Add.* est.
2) filius *om.*
3) Christi facies, Dei angeli et ...
4) angelis.
5) ita pro illius imperio ipsi.

Cecidit enim a priore pulchritudine. Honorabilis Deo et angelis bonis[1]) *fuit semper humana forma, ut vera creatoris imago. Ad quam rem ab ipsis cadaveribus, et separatis animis, est inductio decima tertia. In cadaveribus mortuorum, ob huius formae laesionem et iniuriam ei factam, afficiebantur angeli, et separatae animae, in ea forma creatae, et essentialiter corpori conformatae.*[2]) *Ob id item iubentur lege puniri, qui hanc formam laeserunt, eo quod sit imago Dei. Ex his iam aliquam in verbo illo formalem rationem facile est intelligere, si Christum ibi credis: quod utinam tibi detur. Amen.*

EPISTOLA SEXTA.

Mutationem Dei nec in creatione, nec in incarnatione[3]) *esse factam, et substantiam eius esse manifestatam, ex iam dictis pauca repetens ostendam, ut totum pietatis mysterium intelligas, ad gloriam Iesu Christi domini nostri. Ante creationem erat verbum, iam praesidens aeterna Dei ratio, verbum manifestatione nondum exhibitum. In creatione se Deus visibilem exhibuit, thesaurum suum aperuit, ostia aeternitatis. Mutatus non ob id dicitur, quod hoc vel illo modo a nobis percipiatur: quum ille omnem*[4]) *percipiendi formam in se ipso contineat, quam vult nobis offerens. Si intelligas, communicationes nobis divinas non esse in Deo mutationes, intelliges quoque, exhibitiones non esse*[5]) *mutationes. Nihil Deus creat, cui se modo aliquo non exhibeat et communicet. Deus ubique est, rerum omnium essentia plenus. Rerum omnium essentiam* [pag. 589] *in se ita continet, ut sola sua essentia, sine alia*[6]) *creatura, se hic nobis exhibere possit, ut ignem, ut auram,*[7]) *ut lapidem, ut electrum, ut virgam, ut florem, ut aliud quidvis. Similitudinibus his te commodius excitabo. Nam si Deus non est mutatus, ob singula haec patefacta, nec mutatus erit caput ipsum Christus*[8]) *patefaciens. Exhibeat se iam nobis Deus,*[9]) *ut lapis ille Zachariae ostensus: oculos nostros ita aperiat, ut lapidem ipsum videamus. Deus non est mutatus, et visus est lapis in Deo. Verus lapis? Deus in ligno est lignum, in lapide lapis, in se habens esse lapidis, formam lapidis, veram substantiam lapidis. Concedam igitur, hunc esse vere lapidem, quoad essentiam formae, quanquam desit materia lapidis. Con-*

1) bonis *om.*
2) informatae.
3) increatione.
4) omnium.
5) *Add.* in Deo.
6) aliqua.
7) aurum.
8) Christum.
9) Deus *om.*

cedam quoque ignem illum esse verum ignem, et esse id ipsum quod Deus. Estne ob id mutatus Deus, formam occultam nobis patefaciens? Ignis ille figuram hominis exhibeat, virtute Dei fiat[1] *homo, substantiale corpus ex virgine genitum. Quis quaeso, dicitur ibi esse filius Dei, a patre Deo realiter distinctus? Ignis ille formali ratione, et personae figuratione dicitur filius, non realiter distinctus a patre. At*[2] *homo hic vere realiter, et corporaliter genitus est de substantia Dei patris et virginis matris. Loco item moveatur ignis ille, aut aura divini spiritus, aut lapis, aut flos: an movetur*[3] *tunc Deus? Deus ubique semper exsistens immobilis, nec loco movetur, nec ob ostensam illam formam alteratur. Sed sunt illi modi dispensationis seu exhibitionis divinae, qua se nobis, ut vult, vere Deus exhibet, et in rebus agit. Moto homine Christo, non movebatur substantia deitatis. Externe movebatur, per aërem descendebat spiritus sanctus, in Deo immobili semper exsistens. Verbum suum Deus visibile patefecit, varie misit, et immobilis mansit. His modis verum est, quod scribitur Deus olim descendisse, ivisse,*[4] *venisse, pedes suos lavandos ipsi Abrahae exhibuisse. Vera res erat, non praestigium, etiam* [pag. 590] *secluso angeli ministerio: sicut vera res erat, quod descendit spiritus sanctus in Christum. Motus erat ratione adiunctae creaturae, non ratione deitatis: nisi motum dicas iuxta formae exhibitae modum, secundum quem locos mutabat, locis ita se exhibens. Quanquam esset ibi angelus, in angelo erat Deus. Visus Deus descendebat, et spiritus ipse sanctus, qui Deus est, descendebat: nec ob id est mutatus Deus, formam certam exhibens et patefaciens. In angelo, Abrahae viso, erat forma Christi, forma lucens, et viso angelo simul Deus videbatur, verbum videbatur Christus, Elohim. At quomodo in angelo relucebat Deus, relucebat Christus? Ipsam angeli et animae nostrae substantiam penetrat intus, et implet lux verbi, sicut lux solis aërem penetrat et implet. Erat nomen Dei in medio angeli, Deus ipse in media angeli substantia. Exod. 23. Quid obest, quominus in angelo videretur Dei lux verbum? et angelus, quasi transformatus, diceretur quis quasi Deus? Si in aliis creaturis, luce informatis, paene videtur et palpatur Deus, multo fortius in angelo illo, et multo iterum fortius in Christo. Incarnatione ergo non est mutatum verbum, sed assumpta caro est in verbum transformata. Verbum illud erat substantialiter filius, quoad essentiam formae, quamvis nondum esset adiuncta terrea carnis materia, quae est vere de essentia filii. Verbum ipsum erat vere Christus homo, quoad essentiam formae, et formam suam ab aeterno retinet, formam hominis: nec confusam, nec imminutam, nec alteratam. Obsecro te, id omnipotentiae Dei tribuas, ut idealem illam animae tuae rationem, quae hominis alicuius formam tibi interne refert, possit Deus externe in aëre lucentem et visibilem exhibere. Hinc sine materiali corporatura cognosces, idealem rationem exhibitam, hypostatice subsistentem, formam hominis. Formam hominis fulgorem divinum, qui ut homo conspiciendus, ut homo se olim exhibebat. Nihil horum in verbo tu agnoscis, sed procaciter urges, fuisse realem, distinctum, invisibilem filium, actione reali genitum. Sed unde hoc probas?* [pag. 591] *Nec iota unum habes, quo filium alium ab homine doceas. Non substantialiter in patre filium hominem fuisse dicimus, non tamen realibus tuis motibus et punctis. Naturalis erat Deo scientia, ut speculo relucentia, naturaliter referens, substantialiter et primario Christum continens. Naturalis illa relucentia, idea naturalis, et per se prima dici potest, ut Christo dicitur* εἶδος, *et sicut idea est mentis ratio* λόγος. *Si* λόγον *in Deo dici idealem rationem tibi non placet, dicatur sermo repraesentans, dicatur cum Paulo relucentia, fulgor, splendor, refulgentia. Nullibi sane dicitur esse* λόγος, *seu ratio, quin sit idealis ratio, relucentia rei alterius. Omnis quoque sapientia est naturalis relucentia. In aeterna Dei luce relucebat Christus gloriose, ob id dictus relucentia gloriosa, Hebr. 1. Erat Christus in Deo prima refulgentia, prima omnium potentia, omnia continens sapientia, omnibus in creatione suum ordinem praebens, velut ex se ipsa scriptum depromens. In verbo erant omnia per creationem ex invisibilibus facta visibilia, et verbum ipsum, antea invisibile, se exhibuit visibile: prius occulta ratio, deinde manifestus sermo. Exstitit lumen de lumine, lumen apparens de lumine non apparente. Idea Christi, antea imperceptibilis, se postea, ut corpus verbi, perceptibilem exhibuit, visibilem et tangibilem. Spiritus quoque in archetypo divinus, ut spiritus idea imperceptibilis exsistens, post creationem se perceptibilem exhibuit, et omnia implevit. Ea res nullam Dei in se ipsum arguit realem actionem, aut sufflationem, sed in creaturas. Quid igitur, inquies, ante creationem agebat Deus? Id ipsum, quod nunc agit. Sibi iam erant omnia praesentia, et creaturas suas iam tunc attingebat. Sine tempore Deus est actus aeternus, in creaturas semper agens. Se ipsum autem non ita immutabat, ut tu cum sophistis illusus intrinsecas reales actiones et derivationes fingis. Si erat ibi actio, erat et passio. Ante creationem, si Deum in se ibi consideres, non erat eius* [pag. 592] *in se ipsum actus aliquis, non actio aliqua*[1] *realis. Non erat spiratio passiva, non res aliqua spirata. Non erat*

1) fuit.
2) Ac.
3) moveatur.
4) misisse.

1) actus aliquis.

ibi actus realis intus generationis, non actio spirationis, sed cum naturali cognitione et Dei constituto, erat propositum et potentia. Relucentia filii non erat actu realis filius, sed potentia. Idem de spiritu sancto dicas, ut fuerit in archetypo potentia spirandi, non actus passivus. Quum ibi nemo ageret, nemo patiebatur: nemo spirabat, nemo spirabatur. Ecce veram inter filium et spiritum aequiparationem, ut ante creationem vere fuerint, non tamen actionibus vestris et passionibus realibus. In creatione quoque similis in hoc erat exhibitionis verbi et spiritus ratio, ut sine sui mutatione verbum et spiritum exhiberet Deus: verbum externe visum ostenderet, et spiritum interne communicaret. Ita verbum et spiritum olim discernimus, ut angelum et spiritum ex hominis et flatus specie. Nunc vero in corpore Christi est omnis et integra verbi et spiritus plenitudo. Intelligis hanc Christi totam gloriam? Quod filius verbum et spiritum plene contineat? hypostatice? Intelligis insuper qualiter formali potentia fuerit olim filius, qui nunc est actu filius? In omni generatione prius est potentia filius, quam actu filius. Et ei, quod est potentia filius, aliquid additur, ut fiat actu filius. Haec sunt apertissima conformia divinis scripturis, et omnibus rerum naturis, sine monstro aliquo, et sine sophismate. In omni generatione, quod a patre solo prodit, non per se dicitur filius, sed per matrem. Unde igitur vos tantam filii separati in divina generatione deformitatem somniatis?

EPISTOLA SEPTIMA.

Mutationes varias et agitationes vos Deo turpiter impingere, sum nunc ostensurus, si de accidentibus errorem prius indicavero.[1]) Accidentia nulla esse in Deo, et [pag. 593] ei nihil accidere, vulgo iactatur: quanquam sophistae quidam relationes in trinitate sua ponant, res imaginarias, quae non sunt in rerum natura. Accidentia quae vocant, nos esse formales substantias diximus, sicut lux est vera substantia. Ne vero sit de nominibus contentio, quando accidunt, accidentia vocentur.[2]) Nos in universum accidentia omnia Deo accidere dicimus, id est, accidentia omnia, quae vere sunt, in Deo esse, in quo omnia consistunt. Accidentia dixi, quae vere sunt, id est, res omnes, entia naturalia. Peccatum non est in Deo, quia non est in eo ratio peccati. Peccatum non est ens, sed entis actio, creaturae libere deficientis actio prava. Sive actio illa sit interne velle, sive externe aut loqui, aut operari: quamvis mala sit operatio, si superest, opus illud in se creatura Dei est, et Deo inest.

1) iudicavero.
2) vocantur.

Omnia ergo quae vere sunt, in Deo sunt, et bona sunt facta, quanquam actibus[1]) malis sint quaedam postea depravata, ut diabolus ipse, et animus pravus: qui etiam Deo insunt, cum insitis accidentibus, et a Deo ita sustinentur. Hanc rem indicavit Deus ipso creationis vocabulo quod est יהי[2]) iehi, quasi dixisset, insit mihi lux, insit mihi firmamentum, insint mihi luminaria. In Deo omnia consistunt, accidentia Deo insunt, atque ita Deo accidunt. Quidquid in rerum natura accidit, Deo semper accidit, seu Deo incidit: non praeter spem, sed ipso suscipiente. Deus non ob id mutatur, sed res quae accidunt mutantur. Non eam hoc continet absurditatem, quam intrinsecae illae rerum motiones et agitationes, quas vos in Deo varie concluditis, in trinitate vestra. Mutationes varias in ipso Deo efficacius arguebant Arrius et Macedonius contra vos omnes sophistas, qui stupenda illusione somniatis, Deum in se duas res distinctas iugi productione et emanatione quotidie gignere et spirare, idque intrinsecis motibus, actionibus diversis. Incorporeo filio, ut aiunt omnes, idem est gigni, quod esse, et nascendo accipit esse. Non semel, [pag. 594] inquiunt, facta est illius cognatio,[3]) et postea desiit: sed nec principium, nec finem habet, et semper est in fieri. Annon hoc est iugiter movere? iugiter producere? generari?[4]) spirare? mittere? Annon hae sunt species motus? Emanationes sunt duae reales, et non est motus realis? Si peculiari haeresi tu neges, incorporeum filium nunc generari, ita facile ab ipsis omnibus argueris: generatio, quae nec principium, nec finem habet, semper est in fieri: sicut splendor, aiunt, semper nascitur ab igne, et lux a sole producitur. Alia ratione: quemadmodum, inquiunt, spiritus sanctus semper intus procedit, ita filius semper ibi generatur? Quidquid ad haec respondeas? annon hoc tibi erit movere? producere? generare? spirare? Annon erant duae reales emanationes? Annon erat confusa rerum trium implicatio? huius ex illa generatio, et istius ex illis sufflatio? fluxio? derivatio? processio? An in confusione hac, et motibus his, tu vere quiescis? Quid est motio, si productio non est motio? si emanatio non est motio? Nasci non est moveri? Et spirari? Procedere[5]) quid est? Hos tam absurdos motus, et agitationes, in Deo intrinsecus non tolerantes Arrius et Macedonius Deum dixerunt, non in se sed extra se filium quendam olim creasse, et spiritum sanctum meram creaturam fecisse.[6]) Labyrinthos admodum varios, et tenebris undique obsitos, estis omnes ingressi, filium veritatis non manu ducentes, sed citra

1) actionibus.
2) *Literaturam hebraicam om. MS.*
3) generatio.
4) generare.
5) Producere.
6) fuisse.

omnem Dei sensum vagantes. Simplex alia est veritatis via, non metaphysicis, sed idiotis et piscatoribus nota, quae hominem docet esse filium Dei vere genitum, cuius generatio in Maria est vere[1]) consummata. In creaturas sunt reales omnes Dei actiones. In se ipso Deus hac ratione ab aeterno egit, et genuit, quod apud se meditans constituit. Verbum princeps constituit et spiritum principem constituit, sine realibus vestris motibus. Atque ita constituens per eos hunc hominem genuit. Generatio erat in Deo constitutio generationis, quae ad generationem tendebat, et creatio, quae ad creationem.[2])

EPISTOLA OCTAVA.

[pag. 595] Quum ex nullis scripturis realem illam incorporei filii distincti generationem possis ostendere, ad allegoricam figuram confugis, et mordicus arripis unicam de sapientia parabolam, Proverb. 8. Demiror sane, quod homo mente bene composita, ut de[3]) iactas, tam tenui flatu[4]) in tam altum pelagus agiteris, in tot impingens scopulos et monstra. Plurimis ego, solidissimisque rationibus ostendo, nihil tibi locum illum suffragari, imo plane adversari. Prius tamen cogites velim, quid proprie significet sermo, quid sapientia, ne tu sacris vocibus abutaris. Saepius iam dicta repetam et ex Paulo quaedam addam, ut vel ipso duce, quid fuerit sapientia, tandem intelligas. Omnis sermo, et omnis sapientia aliquid naturaliter repraesentat, seu est naturalis relucentia. Haec ipsa est Salomoni data sapientia, rerum divinarum et humanarum relucentia. Ioannis[5]) non est abusus proprietate vocabuli, sed apposite dixit λόγον sermonem referentem. Erat igitur sermo, et erat sapientia, relucentia vere repraesentans. Nunc Christus ipse, qui ibi princeps repraesentabatur, est vera relucentia, vera sapientia, omnem lucem in se substantialiter continens. Hinc Paulo dicitur Christus relucentia gloriae, et substantialis figura, in Deo figurata, Hebr. 1. Ex aliis eiusdem Pauli locis, sapientiam fuisse in Deo arcanum Christi, aperte colligimus. Nam ad Eph. 3 sapientiam vocat praefinitionem saeculorum, quam fecit Deus in Christo, in quo saecula relucebant. Ibidem cap. 1, sapientiam vocat arcanum Christi, quod proposuerat Deus in se ipso. Sapientia igitur erat ipsa praefinitio et relucentia Christi, omnia in Deo continentis, et omnibus gentibus communicandi. Erat Paulo σοφία πολυποίκιλος sapientia multiformis, sapientia vehementer varia, in qua Iudaei et gentes continebantur, suis temporum articulis. Hinc mysterium vocationis gentium in hac verbi sapientia merito Paulus concludit. Ipsa rerum in Christo diffinitio erat sapientia, ut apud Clementem et in epistola docet Petrus. Ipsum Ioannis λόγον declarans Paulus [pag. 596] ad Coloss. 1, ait λόγον fuisse mysterium Christi reconditum, nunc manifestatum et gentibus communicatum in cuius imaginis luce omnia consistebant et consistunt. Ipsam Salomonis sapientiam declarans, 1. Cor. 2, ait, sapientiam illam, ante saecula praefinitam, in mysterio reconditam, et nunc manifestatam,[1]) esse ipsum Iesum Christum, dominum gloriae. Sapientiam ipsam ibi ait esse praefinitam ad gloriam hominis. Undique vides esse thesauros sapientiae omnes propter Christum, et in Christo reconditos. Pertinacia tua est, hic fingere sapientiam, rem distinctam, realiter genitam: quum praesertim sapientia creata dicatur, et formata, ut sapientissimi quique antiquorum exposuerunt, Hebraei, Graeci et Latini, etiam Iesus filius Sirach, et autor libri Sapientiae. Utrumque ergo per se realiter dicetur, sapientia creata, et genita, quod est Arrianum: aut utrumque figurative,[2]) sicut est figurata loquutio, et sicut sapientia aliud figurabat, quod est vere christianum. Ne igitur realem illam ibi probes generationem, haec tibi maxime occurrunt. Primum est, quod hebraica vox הוללתי[3]) holalti, quae ibi ponitur, non significat generationem. Nam est passivum, cuius activum, si locos omnes inquiras, proprie et univoce, ubique[4]) significat premere. Passivum quoque ubique est premi, expressione formari, seu pressura quadam parturiri. Hoc longe aliud est, quam paterna generatio, quam vox illa nunquam significat, tametsi ad femineam pressuram extendatur. Hebraei ita sapientiam in mente formatam docent, et in lingua sancta aliud est peculiare verbum, quod proprie ubique significat generare, et Deo generanti tribuitur, scilicet הוליד holid. Unde constat, non proprie in parabola illa dici generationem. Si enim spiritus sanctus proprie de generatione loqui voluisset, ea voce usus fuisset, quae generationem proprie significat. Adde, quod verbum illud הוליד holid, quod proprie significat generare, [pag. 597] et Deo generanti tribuitur, est transitivum ad mulierem, in qua ille generat. Deus ergo vere et realiter in muliere genuit. Ille est vere filius Dei, quem in muliere genuit Deus, non ille quem tu somniasti. Ex proprietate linguae sanctae, et vi hebraicae dictionis, non dicitur generatio sine matre, nec filius sine matre. Filius enim hebraice dicitur aedificium in muliere factum, ben a verbo banah. Septua-

1) est vere *om.*
2) *Add.* tendebat.
3) te.
4) saltu.
5) Ioannes.

1) *Add.* et gentibus communicatam.
2) figurativum.
3) *Vide supra pag.* 650 *not.* 3.
4) ubique *om.*

ginta quoque, et reliqui graeci interpretes, in parabola illa Salomonis, per verbum κτίζω, quod est creo, condo, fabrico, hebraicae dictionis significatum aptius transtulerunt, quam per verbum γεννάω, quod est improprie usurpatum. Ex latinis insuper versionibus tam Hieronymi, quam Pagnini et aliorum, non habetur ibi generatio, sed formatio, et iuxta mentis conceptionem expressio. Alterum tibi verissima ratione iam occurrit. Quamvis enim generatio eo vocabulo significaretur, constat esse id proverbialiter et figurative[1]) a Salomone prolatum: quum ex professo ibi tractet parabolas, similitudines, et figuras. Quis sanae mentis negaret, sapientia illa Salomonis personam Christi signari et figurari? Aeque ergo dicitur in persona Christi sapientia creata, genita et formata. Annon in persona Christi dicitur tibi[2]) sapientia creata? Aut creata pro constituta olim dicitur, aut in persona Christi creata, ut omnes semper intellexerunt, exceptis Arrianis. Ita exponit Augustinus in Ioannem, sermone quinquagesimo octavo. Ita Nicaena synodus exposuit, ut in eius decreto contra Eusebium refert Athanasius. Ita post Hilarium lib. 12 de Trinit. aperte docet Cyrillus, Ephesini consilii[3]) praeses, libro quinto Thesauri cap. 4 et sequentibus. Addens ibi, esse proverbialiter et figurative dictum, et aliquando improprie in sacris literis dici quid creatum, vel genitum. Si improprie dicis creatam sapientiam, improprie dices et genitam, in figura[4]) alterius rei, sicut sapientia aliud figurabat. Omnes [pag. 598] denique fatentur, esse proverbialiter et figurative dictum, ut ex eo nec creatio, nec generatio realis ibi probetur. Tertium, quod tibi occurrit, est proprie dicta in Deo ratio, proprie dicta sapientia, scientia relucens, sine reali generatione, Deo insita, ac postea visibiliter expressa. Occurrit quoque Paulus, sapientiam docens arcanam Christi praefinitionem. Quartum occurrit, quod sicut apud Salomonem dicitur sapientia ante colles formata, ita apud Iob dicitur homo ante colles formatus, idque eisdem omnino dictionibus hebraicis Iob. 15. Eamque formationem discernit Iob a generatione per aliam vocem ibi significata. Unde constat per holalti significari formationem. Quintum occurrit, quod de Christo olim ait Deus: Formavi eum et faciam, Esa. 46. Et Petrus Christum ait ante creationem in Deo praeformatum et postea manifestatum, 1. Pet. 1. Sextum tibi occurrit, quod dicitur spiritus sanctus genitus, sicut sapientia genita. Imo ipsamet sapientia erat spiritus sanctus, ut exponit Irenaeus lib. 4, cap. 17 et 37 et Tertullianus, lib. de carne Christi, adversus Hermogenem et adversus Praxeam. Erat vere sapientia, sine reali distinctione, simul verbum et spiritus sanctus, sicut Christus verbum et spiritum sanctum simul continet. Hebraei omnes verissime docent, sapientiam illam esse spiritum sapientibus datum, qui erat iam in Deo praefinitus, seu praeformatus. Salomo de sapientia loquens, sapientiam illam sibi datam testatur, id est, spiritum sanctum. Iesus Sirach, Baruch, et liber Sapientiae palam interpretantur, sapientiam illam esse spiritum in Israelitis habitantem, et in animis sanctorum radicatum. Si sapientia erat spiritus sanctus, cogita iam, si erat spiritus sanctus genitus et realis filius. Ipsemet Chaldaeus Ionatas, qui genitam sapientiam ait, spiritum sanctum intelligit, absque aliqua in Deo reali distinctione. Septimum tibi occurrens est, quod eodem contextu Proverb. 8 et 9 quaedam alia de ipsa sapientia profert Salomon, quae metaphysicam illam generationem non sapiunt: Quod per vicos et plateas clamarit, quod donum aedificarit, columnas exciderit, et [pag. 599] mensam instruxerit. Parabolicum fuit aedificium, sicut parabolica generatio. Ait item, quod sapientia erat אמון amon, multitudo, universitas ipsa rerum et שעשועים saasuim, delectationes coram Deo, singula suis ideis producendo. Plurali numero dicitur ibi in Deo חכמות hachmoth, plures sapientiae. Quae tibi plures essent reales filii, nobis multiplex sapientia, spiritus unus et multiplex. Unde iam octavum occurrit, quod Valentinus, eius loci, de pluribus sapientiis, falsa reali interpretatione, ex Deo somniavit, realiter gigni multitudinem hachamoth quae apud Irenaeum et Tertullianum dicuntur hachamoth.[1]) Simili tecum errore tenebatur,[2]) in eo, quod realem generationem interpretabatur. Sicut Salomon Proverb. 3. in Deo discernit sapientiam, prudentiam et scientiam, ita realiter Valentinus, qui res distinctas, ex Deo genitas dixit, synesin, enthymesin, demiurgum, syzigiam, et alios aeonas, esseque matrem sophiam, sicut Salomoni dicitur sophia mater. Illi erat sophia mater, tibi filia realiter genita. Quia sacrae literae in Deo ponunt delectationes, poenitudines et consolationes, Valentinus aeonas filios esse dixit, delectationes, lacrymas et mixturas. Quibus omnibus realitatibus et falsis interpretationibus explosis, animo pende, num sit quoque falsa ad locum illum tua realis interpretatio. Nonum occurrit eiusdem Salomonis dictum, et loco eodem: Quod Deus sapientiam et intelligentiam acquisierit, suo ingenio invenerit, figurate scripserit, disposuerit, ordinarit, et reliqua, quae secundum praefinitionem dicuntur. Similia de sapientia profert Iob cap. 28. Quod eam Deus scripserit, numeraverit, recensuerit, paraverit, pervestigaverit. Id ipsum Ecclesiasticus, Baruch et liber Sapientiae comprobant, sapientiam vocantes, ut speculi relucentiam, imaginem

1) figurate.
2) ibi.
3) concilii.
4) figuram.

1) hachamuth.
2) tenebantur . . . . interpretabantur.

claritatis. Hic [1]) *decimum occurrit, quod Iesus Sirach post suos maiores, capite primo ait, eam sapientiam visu plerisque apparuisse, eiusque speciem ipsis olim visam perspectamque fuisse. Eam ipsam ait Baruch, olim visam ab hominibus. Videri poterat, si* [pag. 600] *erat tam lucidum speculum, et imago claritatis, ut ait liber Sapientiae. Ea ipsa erat in sublimi sedens, cuius thronus, sive solium, erat in nube, in Mosis tabernaculo, et Salomonis templo, Eccles. 24. Undecimum occurrit, quod sicut apud Salomonem, ita apud Esaiam dicitur olim in Deo creatio et formatio, Christus ipse in Deo creatus et formatus (Esa. 45 et 46). Mira verborum concordia. Adde rationem ultimam, quae sumitur ab omnibus, qui hebraice unquam scripserunt. Nam si realis illa ibi significabatur rei distinctae generatio, insigniter hoc fuisset ab eis notatum, ante et post Christi adventum. Res tam insignis insigniter erat notanda. At nemo unquam ibi talia cogitavit. Tantum hoc dixerunt veteres: In Dei sapientia, velut in anima hominis, res alias conspici. Fascinatis sophistis et linguae sanctae imperitis debebatur vestra illusio, in regno Antichristi: ut Deum laceretis, impossibilia in eo fingatis, et hominem esse naturalem filium negetis.*

EPISTOLA NONA.

Citavi tibi, et in unum redactos ad te misi omnes evangelistarum, apostolorum et discipulorum locos, in quibus de fide fit mentio, et in quibus de credendo fit mentio: ut bene videas quid illi tunc crediderunt, et quid credendum docuerunt. Citavi tibi ex Ioanne, ea omnia ad hoc scripta esse, ut credas Iesum illum Nazarenum esse verum Messiam filium Dei, idque credens iustificeris, Ioann. 20. Haec Christi fides ab ipsis apostolis est ita simpliciter praedicata, et hoc illi credentes iustificati sunt. Paulus ait: Nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur, Galat. 2. Per hunc Iesum omnis qui credit iustificatur, Actor. 13. Si quis ergo aliam esse Christianorum iustificantem fidem, praedicaverit, sit anathema. Si angelus de coelo aliud docuerit, [pag. 601] *Paulo dicitur anathema. Quae de promissionibus tu dicere potes, ex hac fide omnia sequuntur, ut accessoria ex suo principali. Nam si credis, ipsum esse filium Dei, credis ipsum esse in promissis veracem, et promissa omnia complere.* [2]) *Per hanc solam Iesu Christi fidem dantur nunc promissiones omnes. Omnes quotquot scriptae olim sunt promissiones, per hanc fidem dantur nunc vera fiducia credentibus, hunc esse illum filium Dei promissum, qui promissa implet. Ea ipsa fides nos prioris nostrae inopiae ac miseriae conscios facit. Si enim credis, hunc esse filium Dei, mundi salvatorem, iam credis mundum in peccato esse constitutum, unde salvari indigeat: quum item dicatur ipse redemptionem facere credentium prius captivorum. Non est, quod aliam hic in paedobaptismo, aliam ibi in coena, et alibi aliam fidem tu tibi dissimilem pingas. Nam ipse est filius Dei, rex coelestis, qui sibi credentes ad coelestia regenerat, et coelesti cibo pascit. Una est omnium fides, unum caput, una fundamenti petra, qua creditur Iesus ille esse verus filius Dei salvator, et id credendo eius in nobis virtus cognoscitur. Haec una fides et in baptismo requiritur, et in coena requiritur, et in reliquis omnibus Christianorum actibus semper requiritur, et ex ea sequuntur omnia. At tu satis tibi fecisse videris, si per communicationem illam idiomatum sophisticam concedas, hunc hominem esse filium Dei: alioqui non esse vere filium. Sophistica ergo est fides tua, sicut sophistica est ratio tua, quod hic homo dicatur filius Dei, et* [1]) *quod sit in eo filius alius inclusus: quasi nomine sit hic filius, non re ipsa. Eo magis, quia falsum tu supponis. Falsum est, quod fingis, esse filium in filio; quum non filius in filio, sed pater in filio vere dicatur, Deus in Christo. Novi sane, quod tu non vere* [2]) *credis, hunc hominem esse filium Dei, quia non vere credis, hunc hominem esse genitum de substantia Dei. Sed quis te daemon communicationem illam* [pag. 602]. *idiomatum ita de charactere bestiae sumere docuit? Hocne cavillo dixit coelestis pater: Hic est filius meus? Ecce puer meus? Annon vides, communicationem illam rerum invisibilium sumptam esse de Antichristi doctrina, in qua vigent illusores, tres daemoniorum* [3]) *spiritus? Per quam conceditur,* [4]) *Deum in asino mori? Ab Antichristo inventum est sophisma illud, ad obliterandum verum filium Dei. Filius Dei ita vobis est homo, sicut spiritus sanctus est mulus. Filius Dei ita vobis est mortuus, sicut spiritus sanctus in mulo moreretur, aut angelus in asino. Hoc adde, quod antequam communicationem illam inducas, ostendere prius debes, esse in Deo invisibilem alium ab homine filium. Hoc vero nunquam ostensurus es. Unum hoc item cogita. Esto per tropum aliquem, aut sophisma illud, hic homo nominetur filius Dei, quanquam revera non sit naturalis filius Dei: est saltem naturalis filius Mariae, ut habetur Matth. 1 et Lucae 1. Ibi enim dicitur, quod Maria peperit filium suum primogenitum, quem vocavit Iesum. Si ergo hic sine tropo est verus filius Mariae, et ille sine tropo est verus filius Dei: iam sequitur, duos esse sine tropo veros filios, in unum cumulum unitos. Papismi schola tota nunc docet, hunc homi-*

1) Hinc.
2) implere.

1) eo.
2) vere *om.*
3) daemonum.
4) creditur Deus *etc.*

nem dici filium, gratia unionis, non veritate generationis. Quod est Antichristi maxima blasphemia, et maxima duorum filiorum impostura.

EPISTOLA DECIMA.

Sine promissione neminem posse iustificari, pertinaciter defendis, et fidem Christi veram callide dissimulas. Ex solo aspectu Christi, miracula facientis, poterat mulier Chananaea, vel Caesarianus aliquis illi credens iustificari, [pag. 603] *etiamsi de promissionibus nihil unquam audivissem.*[1]) *Nam Christus factis quoque*[2]) *declarabat, se esse filium Dei, et id credentes homines salvabat, et iustificabat, etiamsi essent Scythae,*[3]) *nullam promissionem habentes. Imo ridiculum, si quis non sit Deo crediturus, nisi aliquid ipse promittat. Qui erant in navi cum Iona, et in Ninive, crediderunt Deo, nihil promittenti, sed eis mortem minanti. Fiducia certa se illi Deo commiserunt, credentes, eum posse mortem avertere, ob id iustificati, teste Christo. Evangelium Dei*[4]) *est annunciatio illa Dei patris: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. Nihil hic promittit: tantum declarat, quid velit, et quid sibi placeat. Ita Christus docet, hanc esse voluntatem Dei, nobis declaratam, ut hunc filium videntes, in eum credamus, Ioann. 6. Etiamsi nullae fuissent unquam promissiones, nec lex, nec prophetae, solus adventus Christi iustificaret sibi credentes, vel solo ipso patris testimonio. Sicut solus aspectus serpentis, ita solus fidei intuitus in Christum, salvabat etiam surdos, qui promissionem nullam audire poterant. Ex aspectu enim poterat in eis sufficiens haberi de Christo fides. Ex solo etiam apud absentes auditu. In Israële promissiones habente, non invenit Christus tantam fidem, quantam in Centurione: in quo sine promissione, sine priore instructione, erat fiducia tam praesens, tam vehemens Matth. 8. Fiducia illius, quem videbat et credebat posse omnia. Possem*[5]) *ad hoc tuum dictum explodendum testimonia alia et exempla iustificatorum adducere innumera, tam ante tempus legis, quam tempore legis, et tempore gratiae. Iustificatum ais Cornelium, antequam Petrum audiret Act. 10, et nullam sibi factam promissionem ille tunc sciebat, sed credebat esse iustitiam in Deo. Idem scribitur de rege*[6]) *Abimelech Gen. 20, de Raab caupona, de Samaritano, et plerisque aliis. In insulis novis, solo* [pag. 604] *conscientiae testimonio invenitur fidei et iustitiae ratio, in finali iudicio coram Deo profutura. Et tamen ibi nihil de promissionibus auditur. Libro secundo de Iustitia regni Christi, cap. 2 et 3 plerosque iustificatos ostendi, quibus nulla tunc succurrebat promissio. Promissiones quidem addebat olim Deus in lege, et promissiones addebat Christus, cum salubribus*[1]) *miraculis, ut ad se facilius nos alliceret. Scopus tamen fidei nostrae est ipse Christus, ut eum esse verum Messiam, filium Dei, salvatorem nostrum, fiducia certa credamus: ad idque*[2]) *promissionibus divinis, et aliis de coelo testibus, magis firmemur.*

1) audisset.
2) quoque *om.*
3) Schitae.
4) Dei *om.*
5) Possum.
6) rege *om.*

EPISTOLA UNDECIMA.

Quia facta omnia, et actus quoscunque bonos vos omnes deluditis, vestro in Iacobum commento, Abrahamum dicentes esse factis iustificatum, id est, declaratum iustum: operae pretium me facturum puto, si errorem hunc eliminare tentavero. Fateor quidem, operibus declarari fidem, sed opera quid aliud efficere, multis rationibus ostendo. Primo: Malefacta aliud efficiunt, quam declarare. Furtum, adulterium, homicidium, et alia eiusmodi nonne sunt peccata? Si actibus his, sive externe, sive interne sumptis, respondet aliqua poena, quare contrariis non respondebit aliqua gloria? Saltem post ademptam[3]) *gratiam, ne tu omnia antea fuisse prava cavilleris. Virtus gratiae aequatur virtuti peccati, ac etiam superabundat Rom. 5. Ergo benefacta in gratia tantum valent, ad augendam gloriam, quantum malefacta in peccato valent ad augendam poenam. Secundo: Cognoscenda tibi est vis dictionis exclusivae Iacobi: Non ex fide tantum iustificatus est Abraham, sed ex factis quoque. Ergo ad eandem iustitiam, quam fides effecerat,* [pag. 605] *aliquid adiecerunt facta. Tertio: Declaratio illa res inanis est, hypocrisis est, si sola declaratio quaeratur. Solus erat Abraham cum Deo, qui declaratione non indigebat, sed veram et spontaneam operum accessionem adhuc exposcebat. Quarto: Merces operum, doctore Christo, re ipsa aliquid est, quod rependetur.*[4]) *Intellige mercedem, ad certam mensuram factis singulis respondentem, ut ea mensura, qua aliis metimur, remetiatur nobis. Quinto: Aliquando dicimur iustificari, id est, iusti declarari, ut in iudiciali foro. Alioqui iustificari dicitur, qui ex iniusto fit iustus, et qui ex iusto fit iustior, seu cuius iustitiae aliquid accedit, ut accipit Iacobus. Sicut qui sordidus est, sordescit adhuc, et fit sordidior: ita qui iustus est, iustificatur adhuc, et fit iustior, teste Ioanne. Paulus quoque per opera augeri docet iustitiae proventum 2. Cor. 9. Sexto: Facta*

1) salutaribus.
2) atque id.
3) adeptam.
4) rependitur.

externa agunt in animum, sicut actus in habitum: ab operibus bonis vel malis, bene vel male [1] *afficitur animus, sicut ab obiecto afficitur sensus: ergo aliquid efficiunt, augent vel minuunt. Septimo: Verba sunt Dei Gen. 22: Quia fecisti rem hanc, iuro tibi. Aliquid favoris peperit factum illud ipsi Abrahae, ut tunc iuraret Deus, quod antea non fecerat: et uberiorem faceret promissionem, quam ante, quando Abraham crediderat. Octavo: Iustificatus dicitur Abraham Gen. 15 eo solo, quod credidit Deo promittenti numerosam progeniem. Mera fuit gratia. Iustificatus vero iam erat antea credens Deo, iubenti exire de terra propria Gen. 12 et Heb. 11. Quonam modo est iterum cap. 15 iustificatus? accessione maioris iustitiae. Insignis ille de iustitia eius locus prae aliis notatur capite decimo quinto: quia ibi Christus promittitur, creditur, et a propheta videtur, et quia fuit ibi intensior assensus. Sensim induitur fides, crescit fides, et crescit iustitia. Ad quem modum et in nobis debet ad certam metam esse intensa fides, ut dicatur viva, et vivificante* [pag. 606] *spiritu magis ornetur. Nono: Fides est credere, credendi actus factum est. Ergo sicut ex facto illo incipit ad iustitiam imputatio, ita ex factis aliis, Deo gratis, crescere potest, quum sint omnia dona Dei. Decimo: Factum Phinees imputatum est ei ad iustitiam, Psal. 105. Non ait, fuisse solam declarationem, sed imputatum est ei, sicut Abrahae imputatum est. Ipsa restitutio pignoris imputatur ad iustitiam coram Deo Deut. 24, ut iam concludam, data fide, quid est superlucrari? Quid est per bona opera recondere sibi thesauros, in futuro saeculo inveniendos? Thesauros, ait Christus, multiplices Matth. 6. Fidem solam Christi, seclusis operibus, gratis iustificare sibi credentes, docet merito Paulus. Sola fides Christi, quem ex impio facit pium, ex iniusto iustum, sine aliis operibus, ut latronem iustificavit. At nihilominus bonorum operum thesaurus suus cuique servatur. In futuro saeculo nihil magis observandum, quam singulorum operum examen: ut qui plus facit, sit ibi futurus maior, qui minus, minor. Atque ita augetur iustitia et gloria ex actibus innumeris, tam internis quam externis, a Christo ipso praeceptis, pro quibus et ipse copiosam fore gloriae mercedem nobis affirmat.*

EPISTOLA DUODECIMA.

Insulsis rationibus opera omnia semper damnas. Qualiacunque sint facta, ea semper ais esse peccata, faecibus admixta, ut omnia Deo foeteant, et mortem aeternam promereantur. In opera spiritus blasphemas, et mortem primam a secunda non bene discernis. Opus nullum ais esse probum, nisi procedat ex perfecto amore: hic autem nusquam tibi est. Perfectionem omnem a nobis procul abiicis, quia caro concupiscit. Violenter tua somnia persequeris. [1] *Ex professo repugnas doctrinae Christi et apostolorum* [pag. 607] *eius, qui perfectionem nobis tribuunt, et nos perfectos docent, quum perfecta in nobis sint dona Christi, et eius perfectio sit nobis communicata. Hinc nos perfectos post Christum passim vocant apostoli 1 Cor. 1 et 2 et 14 et 2. Cor. 3. Ephes. 6. Col. 1 et 4. Heb. 5, 6, 7, 9, 10 et 12. Iac. 1 et 3 et 1. Pet. 1 et 1. Ioan. 2 et 4. Loco uno Phil. 3 se perfectum et non perfectum docet Paulus. Non perfectum, si resurrectionis gloriam spectes: perfectum vero perfectione donorum Christi. Ex eo, quod caritas ipsa perfecta Deus* [2] *est nobis communicata, concludit Ioannes, esse in nobis perfectum amorem, qui foras excludit timorem. Ex eo ergo, quod caro suis insultibus concupiscit, non sequitur spiritum Christi non agere in nobis perfectum amorem. Perfectionem hanc coelestem tu rides, quam nondum gustasti, nondum e coelo genitus. Mentitus est tibi Christus, dicens, esse quosdam beatos, cor habentes mundum, honestum et bonum Matth. 5 et Luc. 8. Mentitus est Paulus, sicut et Ignatius, vocans sanctos mundos, immaculatos, corda irreprehensibilia in sanctimonia* [3] *coram Deo. Secundum internum hominem ea omnia vere dicuntur. Non est in sanctorum operibus admixtio foetida, quam tu fingis. Seorsim a nobis prodeunt opera carnis, et seorsim prodeunt opera spiritus, carne tunc suppressa. Opera spiritus coram Deo et hominibus lucent, teste Christo, proba sunt et bona. Tu improbus et blasphemus, qui opera spiritus calumniaris. Affirmas, ea opera foedata esse, nec sine venia dici bona: quasi ipse Dei spiritus sibi ipsi veniam det. Imo Christus ipse, qui in nobis agit, foedum opus educit. Sed quam veniam ais? Ubi non est novum peccatum, non opus est nova venia. Non opus est, vetera semper repetere, quae iam sunt condonata, et eorum Deus non amplius recordatur. Quum dicebat Paulus, se nullius peccati esse conscium, non tunc peccabat. Non peccabant apostoli praedicando, et virtutes edendo. Bona opera scriptura vocat, et tu negas, esse bona? In omni, inquit, bono* [pag. 608] *opere fructificate. Ex bonis vestris operibus glorificent patrem vestrum. Plena erat puella operibus bonis et eleemosynis Act. 10. Plena misericordia et operibus bonis Iac. 3. Imo in lege naturae et apud idololatras erant opera bona, ut vides in Iob et Cornelio, in eleemosynis Nabuchodonosoris, in oratione et ieiunio Ninivitarum. Sed concedamus tuo more opera illa cum venia dici bona. Cum venia poterunt ad gloriam augendam prodesse,*

---

1) bene vel male *om.*

1) sequeris.
2) *Sic quoque in MS.*
3) in sanctimonia *om.*

cum venia erit eorum aliqua merces. Opera tu nobis ad vitam prodesse negas, quia statum ac firmum est, vitam aeternam per fidem nobis dari: ergo non ex operibus. Ex operibus legis non esse haereditatem, sed ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio omni credenti. Vitam et haereditatem ita nobis per Christum dari, certe fatemur. Sed in ea vita quis negaret augeri gloriam, et operum esse certam mercedem? Filia, ais, insurgeret in matrem, si caritas quidquam efficeret, aut alia opera, quum sint fructus fidei. Magica est haec diaboli fascinatio. Opera bona esse fructus spiritus, scriptura docet, sicut fides est fructus spiritus, et caritas fructus spiritus Gal. 5. Sed esto, sint fructus fidei. Annon filia vera[1]) *auget effectum matris? Annon et in rebus aliis effectus fovet suam causam, roborat et auget? Annon calor fovet et facit ignem? Annon actus roborat et facit habitum? Nonne lectio fovet et auget intellectum? Nonne exercitatio roborat artem? Nonne vestimentum fovet artificem? Ita a caritatis exercitiis, orationibus, ieiuniis, et aliis spiritus operibus, vestitur, fovetur, roboratur et augetur cum sua iustitia fides, sine quibus nudata moritur. His modis ex grano exiguo fit arbor magna. Quum caro mortificatur, spiritus vivificatur et fides augetur.*

EPISTOLA DECIMA TERTIA.

[pag. 609] *Erras tu pessime, errorem existimans, si quis dicat iustitiam augeri. Sola Dei imputatione ais consistere iustificationem, nulla in homine facta mutatione, ut iustus nihil differat ab iniusto. Quid audio? Per peccatum non immutatur spiritus hominis? Si mutatio est, quando peccas, mutatio est, quando tollitur peccatum. Qui sub tenebris est, nihil differt ab habente lucem? Qui liberatus est ab oppressione Satanae, nihil differt ab eo qui Satanam habet opprimentem? Qui bonum spiritum nanciscitur, nihil differt ab eo, qui caret? Qui placatam conscientiam habet, non differt ab eo, cui roditur?*[2]) *Regnum coelorum non differt ab inferno? Satanica est iustificatio tua, si talis intus est tibi conscientia, qualis erat antea, et si in te fidei vita non differt a priori morte. Paulus docet nos accipere donum iustitiae, Rom. 5. Vestimentum iustitiae passim dicitur. Iustificationes sanctorum, ait Ioannes, esse in eis byssinum purum et splendidum Apoc. 19. Ergo est illustratio aliqua. Ipsa clara*[3]) *iustificatio per gratiam, est spiritus gratiae, ut ait Zacharias. Nam iustificatio non fit sine fide, nec fides sine spiritu. Sicut homini peccanti varie se insinuat spiritus malus, ita quum poenitens iustificatur, varie illi se insinuat spiritus bonus, et secernitur malus. Sicut intravit Satanas in cor Iudae, in cor Ananiae et Saphirae, quando peccarunt, ita in corda aliorum intrat magis vel minus. Atque ita quum iustificantur, egreditur ab eis spiritus immundus, ut ait Christus. Sed esto. Imaginemur, solam ita esse Dei imputationem, et offensae in ipso Deo remissionem, quasi Deus mutetur, non homo. Nonne et in his est dare magis et*[1]) *minus? Nonne huic magis remittitur, et illi minus? Ita Christus docet Luc. 7. Hinc dicitur hic magnus, iste maior, ille maximus in regno coelorum. Sicut imputatione hic dicitur iustus, reconciliatus et gratus: ita imputatione ille dicitur magis iustus, magis reconciliatus, et magis Deo gratus. Qui* [pag. 610] *negotiando est quinque talenta superlucratus, gratior est, quam qui duo, et pluribus civitatibus praeficitur. Omnia in nobis augeri, docet Paulus, magis et magis abundare, et iustitiam et gratiam et gloriam. Id ipsum docuit Christus, dicens: Ei, qui habet dabitur, et reddetur abundantior.*[2]) *Vitam habeant, et abundantius habeant. Faxit Deus, Calvine, ut deposito magico tuo fascino, in omnibus abundare satagas. Sola Petri disputatio contra Simonem magum te confundit, et operum iustitiam, etiam in ethnico docet. Rogat Petrus, an Deus sit iustus? An benefacientibus bene faciat? et malefacientibus male faciat? Si haec est iustitia naturalis, ob ipsa benefacta ipse benefacit, sicut ob malefacta malefacit. Est ergo*[3]) *inter ethnicos aliqua operum retributio, ut ipsemet docet Act. 10 et Paulus, Rom. 2. Hinc Petrus necessario sequi ait resurrectionem, quod benefacturus sit Deus iis, qui benefacientes sunt mala perpessi. Quam iustitiam tu cum Simone mago negas. Instar Simonis magi tu doces, iustificationem et fidem esse solam cognitionem. Observationem vero praeceptorum esse penitus impossibilem. Contra docet Ieremias, ipsam praeceptorum observationem esse cognitionem Dei (Ier. 22). Ioannes ipse ait: Per hoc scimus, quod cognoscimus eum, quia praecepta illius observamus. Qui dicit, novi eum, et praecepta eius non servat, mendax est: praecepta enim eius gravia non sunt. Ridicula hinc ostenditur cognitio tua, imo magica fascinatio, et ementita iustificatio.*

EPISTOLA DECIMA QUARTA.

Nec fidem Christi, nec opera bona probe tu intelligis, nec regnum eius coeleste. Ut rem imaginariam regnum hoc Christi deludis, quasi sit res de solo titulo, quod nos cum Christo iam nunc regnemus in

1) vere.
2) roditur.
3) data.

1) aut.
2) *Add.* Et alibi.
3) igitur.

coelestibus. Negas, internum [pag. 611] hominem esse novum hominem. Annon ibi est novus homo, ubi est innovatio? Intus in nobis est innovatio: ergo intus in nobis est novus homo, absconditus in corde homo. Rides tu, quod elementarem Christi spiritum incorruptibilem ego dicam esse de substantia interni nostri hominis. Quaeso te, potest esse compositio viva ex carne, sanguine et ossibus, sine elementari spiritu? Non est in nobis truncatus Christus, sed tota sua carnis et spiritus compositione se nobis substantialiter communicat. Spiritus Dei est hypostatice spiritus hominis, et se nobis ita vere communicat: sicut verbum Dei est hypostatice homo, et se nobis ita vere communicat. Sicut est in nobis elementaris eius caro, ita et elementaris spiritus. Ab illo increatae lucis fulgore immutatur in spiritu nostro prior creatae lucis forma, ipseque tunc Christi integer spiritus adiungitur, sicut integra caro. Hoc tu plane non intelligis, nec qualiter anima nostra Christum substantialiter induat. Rogas, ubi doceat Ioannes, tales nos esse in mundo hoc, qualis est ipse Christus? Verba eius capite quarto prioris epistolae sunt haec: Fiduciam habeamus ad diem iudicii, quia sicut ille est, et nos sumus in mundo hoc. Hebraismus frequens est et manifestus, ut hic dicatur sicut ille, quia est sorte eadem, statu et conditione talis. Qualis est coelestis ille, tales et hi, qui [1]) coelestes sunt, 1. Cor. 15. Haec est Paulo et Ioanni fiducia certissima, talem in se habere Christum, qualis ipse est in gloria. Veram regni eius gloriam et gustum iam nunc in interno homine habemus. Quae res certissimam nobis facit de futuro regno fiduciam. In hoc, ait Ioannes, esse perfectam caritatem nobiscum, qualis non fuit temporibus patrum. Nobiscum, qui credidimus [2]) Iesu Christo, filio Dei, in eius adventu. Ipse enim veniens foedere novo fecit nobis omnia nova, 2. Cor. 5. Testamento nova initiavit nobis viam novam et viventem, Heb. 10. Ergo vita haec non moriens antea non erat, si nova est, et eam Christus nobis initiavit. Tu vero iudaico quodam [pag. 612] zelo scandalizaris, et conviciis me obruis, quod cum Christo dicam, eum, qui minimus est in regno hoc, esse maiorem, quam fuerit Abraham: et quod cum Paulo dicam, Abrahamum ipsum fuisse carnalem. Verba Christi, a me iam alibi plene inducta, nunc omitto. Verba Pauli manifesta sunt Rom. 4: Quid igitur dicemus Abraham, patrem nostrum, invenisse secundum carnem? Non ait graecus codex, patrem secundum carnem, sed invenisse secundum carnem, εὑρηκέναι κατὰ σάρκα. [3]) Ex iis, quae in ipso Abrahamo secundum carnem gesta sunt, ostenditur ibi spiritualium typus, sicut alibi in Israële carnali et Aarone carnali ostenditur figura spiritualium (1. Cor. 10 et Heb. 7 et 9). Carnalis dicitur tota illa vetus generatio, quia non erat ita ut nos, novo hoc gloriae spiritu regeniti, nec ad coelestem hanc vitam cum Christo resuscitati. Non nego, quin ad eandem haereditatem, et ad idem Dei regnum sint eorum plerique post resurrectionem assumendi: et nonnulli etiam, Christo resurgente, cum patriarchis iam assumpti: Sed praesentem statum, et adventus Christi dona coelestia dico esse nobis potiora. Hoc velim ex Paulo bene tibi cognitum. Quomodo mortem Christus veniens abolevit, vitam nobis in lucem produxit et immortalitatem. Quomodo per mortem destruxit eum, qui mortis habebat imperium, id est, diabolum, et liberos reddidit servituti mortis obnoxios? Quomodo nos in suum coeleste regnum evexit, et in coelestibus sedere fecit? Annon usque ad mortem Christi regnavit mors? Annon patres omnes fuerunt antea in inferno? Sola mors Christi infernum confregit, et paradisum aperuit. Cupiebat Paulus dissolvi, et esse mox cum Christo, in paradiso, quod patribus olim non dabatur. Si caro Christi est vere cibus, est vere alimentum. Si est vere alimentum, ille, qui ea nutritur, efficitur substantialiter unum cum Christo. Substantiali autem hoc carnis Christi cibo non est usus [pag. 613] Abraham: praestantiores igitur sumus nos. Illos omnes nos praecellimus: quia nondum ad eos venerat regnum Christi, nec gloria resurrectionis eius. Nunc, inquit, iudicio tolletur carcer Satanae. Nunc princeps huius mundi eiicietur foras. Et ego exaltatus vos ad me in coelum traham. Post mortem sacerdotis magni nos sumus reversi ad priorem paradisi possessionem, non ante. Per mortem eius est aperta via sanctorum in ipsum coelum.

1) qui et.
2) credimus.
3) *Graeca om. MS.*

EPISTOLA DECIMA QUINTA.

Regenerationem veram nondum es assequutus, sicut nec regnum Christi coeleste. Regenerationem fateor non momento perfici, incipere tamen certo tempore, idque in homine verborum vitae capace, fidei [1]) capace, quum fides sit ostium regni coelorum. Annon certum est tempus, quo quis vocatur? quo ex iniusto fit iustus? ex non credente credens? Certum tempus est, quo quis convertitur, quo a Christo sanatur, et quo remittuntur ei peccata, ut ait ipse Christus Matth. 13 et Marc. 4. Tempus certum mutationis, et translationis nostrae, vide Eph. 2, Col. 1 et 2 et alibi passim. Certum est tempus quo infirmus dimissa febre incipit renovari, qui et postea magis ad valetudinem maiorem in dies renovatur. Regeneratio, et renovatio dicitur in baptismo, febre mortis dimissa, et accepto vitae spiritu, ac regni [2]) coelestis introitu. Lege quod ait

1) fideique.
2) vitae.

hanc rem de baptismi perfectione scribit Clemens Alexandrinus lib. 1 Paedagogi cap. 6. Quanquam non semper hora baptismi et coenae sequatur effectus, a nobis tamen ita debent ministrari, quia ad id est eorum institutio. Ais, Christum de aqua ista nihil cogitasse, quando dixit nos renasci ex aqua. Quid igitur? Aqua non est aqua? Annon aqua est, quando [pag. 614] *Paulus vocat lavacrum regenerationis? Quando ait, nos mundatos lavacro aquae? Regenerari hominem ais, quando illuminatur. Contra de*[1]) *iam concedis paedobaptizatos tuos non regenerari, qui nec illuminantur, nec intelligunt. Rite eos baptizari contendis, regenerationem a baptismo longe separans, et tantum*[2]) *dicens: baptismum esse signum adoptionis. Ex te ipso omnia componis, et in adoptionis vocabulo tibi falso illudis, dicens puerulos adoptatos. Adoptio sacris scripturis dicitur et fit, quando credenti datur spiritus υἱοθεσίας (Rom. 8, Gal. 4 et Eph. 1). Rectius nos cum Paulo diffinimus: baptismus est lavacrum regenerationis et renovationis spiritus, nos salvans. Si baptismus est lavacrum regenerans,*[3]) *ea*[4]) *ipsa lotio ex aqua et spiritu sancto est regeneratio. Si regeneratio est e coelo, nonne per regenerationem est introitus in regnum coelorum? Ea hora, qua quis e coelo nascitur, in coelum intrat. Intramus nunc in regnum Christi, per fidem in spiritu, in quo est illius gloriae participatio, et interna in nobis Christi regnantis fruitio. Intramus et per spem, scilicet spem maioris gloriae postea revelandae. Per regenerationem est in nobis spes viva, ut ait Petrus. Spes autem viva est quae iam sentitur: sicut foetus, qui in utero sentitur, dat spem vivam. Spes viva est, et in nobis iam vivit, quod speramus. Hinc Paulus cum spe ista coniungit, praesentem iam esse eximiam gloriam (Eph. 1). Quoquomodo nec per fidem, nec per spem possunt tui infantes intrare, nec*[5]) *regenerari. Et tu fur es, et latro, qui eos non introducis per ostium, videlicet per ostium fidei. Quomodo possunt ad Christum vocari, qui a Ioanne non potuerunt praeparari? Baptismum Ioannis in hac re parem tu facis baptismo Christi. At Ioannis baptismus erat lotio emendationis vitae, ad peccatorum veniam (Marc. 3 et Luc. 1), ad quem venientes confitebantur se peccatores (Matth. 3). Ergo infantibus ille convenire non poterat. Iudaei infantes nec baptizarunt unquam,* [pag. 615] *nec hodie baptizant, sed adultos, quemadmodum et Ioannes. Promissionem, ais, factam nobis et filiis nostris, et reliquis omnibus, qui longe sunt (Act. 2). Loquitur ibi Petrus de promissione spiritus, quam ex Ioele citat. Si in baptismo est promissio spiritus, iam tecum pugnas, parvulos carnales faciens participes promissionis spiritualis. Eo magis quia promissio spiritus datur credentibus Christo (Ioan. 7 et Gal. 3). Filii tritissimo hebraismo intelliguntur posteri. Promissio spiritus facta est semini Abrahae. At nec filius, nec semen Abrahae quis dicitur, nisi per fidem: nec promissio illa accipitur, nisi per fidem. Haec igitur dona non accipiunt infantes tui. De eisdem filiis loquitur Petrus, de quibus loquutus est Ioel, quem citat. Ait autem Ioel, accepta promissione spiritus filios Abrahae prophetare, et coelestia videre. Quid hoc ad infantes tuos? Petrus priorem baptismo exigit poenitentiam, ut in baptismo detur spiritus promissus.*[1]) *Fac ergo, ut tui parvuli poeniteant. Denique vocatum esse oportet, qui donum hoc accipiat: vocatio autem per fidem est. Nobis igitur facta est promissio credentibus, et posteris nostris credentibus, et reliquis omnibus credentibus. At, inquis, differentiam facit Petrus inter Iudaeos, qui iam vocati sunt cum filiis suis, et alios exteros, qui advocantur. Differentia est manifesta: quia Christus primo missus est ad oves perditas domus Israël. Hinc Petrus ibi subdit: Vobis primum Deus misit filium suum. Et Iudaeis Paulus ait: Vobis primum oportebat loqui sermonem. Et alibi: Iudaeo primum et Graeco. Iudaeos ait Paulus sitos prope, et gentes procul. Quoquo modo, sive prope, sive procul, quis sit situs, fide est accedendum, et fide est accipienda illa spiritus in baptismo promissio, post delictorum poenitentiam. Poeniteat te igitur, et vera Iesu Christi fide ad baptismum accede, ut accipias donum spiritus sancti, tibi ita promissi. Tu vero illusionibus tibi places. Praedestinatos ais infantes illos ita mortuos, impudenter tuo more sacris vocibus abutens.*[2]) *Imo et iustificatos vocas. At in sacris literis praedestinatio* [pag. 616] *non dicitur, nisi de credentibus. Ab aeterno non vidit Deus quenquam iustum, nisi credentem. Si iusti iam sunt, Christus non venit ad vocandum eos, qui non venit ad vocandum iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Res est de solo titulo, quod ais, obsignatione illa paedobaptismi tui facta, parvulos conferi*[3]) *filios Dei. Imo filii sunt irae, donec crediderint. Nisi filii sint irae, fides eos non faceret postea ex filiis irae, filios Dei: atque ita fides nihil efficeret. Paulus eos omnes, qui per baptismum sunt cum Christo mortui, ait esse iustificatos, idque ex propria fide. Filios Dei esse ait, qui crediderunt Christo Iesu. Horum filiorum proprium esse ait spiritum υἱοθεσίας, qui spiritus in baptismo datur, et ex auditu fidei est. Si quam in parvulis vis esse obsignationem, manuum impositione et oratione cum Christo utere. Ora pro eis, ut in suum coeleste regnum eos*

1) te.
2) tamen.
3) regenerationis.
4) et.
5) aut.

1) promissionis.
2) abuteris.
3) censeri.

servet Christus, qui pro eis ita orare voluit, eos Deo commendans. Arguis adhuc, circumcisionem fuisse olim signaculum fidei, sicut nunc est baptismus: ergo sicut infantibus illa conveniebat, ita et baptismus. Antecedens probans[1]) *ex Paulo ad Rom. 4. At Paulus ibi aperte docet, circumcisionem in Abrahamo fuisse signaculum iustitiae fidei ipsius, quae fuerat in praeputio. Non ait, in infantibus esse signaculum praecedentis eorum fidei, quae fuerit*[2]) *in eorum praeputio. Longe melius conclusisses, instar Abrahae nos veros filios adultos debere accipere signaculum fidei et iustitiae. Quod de sacramento poenitentiae ibi ludis, indignum est responsione, quum argumentum facias ex vocibus pro tua libidine confictis, quod ego detestor. Haec est vis argumenti tui: Circumcisione infantibus data, circumcidere corda viri deinde monebantur (Deut. 10 et Ier. 4), ergo baptismus infantibus convenit, ut pariter moneantur. Inepte penitus infers, idque magis, quia non est integra similitudo. Baptismi vis non in eo consistit,* [pag. 617] *ut ab infante vir postea*[3]) *moneatur. Ab inferno non magis liberabat masculum circumcisio, quam feminam non circumcisam: ergo non erat sacramentum, per quod salus illa daretur, ut in baptismo datur. Argumentum idem in te ipsum torquetur: coena in azymis facta, in azymis sinceritatis ambulare viri monentur, infantibus azymi panes tunc dabantur, teste ipso Deo, ut mysterii deinde monerentur: ergo infantibus nunc dabitur coena, ut pariter moneantur. At tu coenam differs, idque*[4]) *in tempus ineptum, aut ab ethnicis praescriptum, aut tuo placito decretum. Unde tibi autoritas constituendi tempora et leges?*

EPISTOLA DECIMA SEXTA.

Paedobaptismum aliis rationibus defendis, quia olim dixit Deus, se fore Deum Abrahae, et carnalis seminis eius, in foedus suum pueros carnis accipiens (Gen. 17). Item, quia dixit, Israelitarum filios sibi nasci filios (Ezech. 16). Facilis est absolutio, sicut praecedentis de circumcisione argumenti, si probe tu intelligas, vetus et novum testamentum, seu vetus et novum foedus differre, sicut figuram et figuratum, sicut umbram et veritatem. Nihil ad perfectum duxit vetus illa pactio, nova autem nos perfectos reddit, communicata nobis gratis ipsa Christi perfectione, ut ad Hebraeos, Colossenses et alibi passim docet apostolus. Ea igitur, per quae communicatur Christi perfectio, virum exigunt perfectionis capacem, fidei capacem. Quare Christus est parvulus circumcisus, et adultus

1) probas.
2) fuerat.
3) postea *om.*
4) idque *om.*

baptizatus? Quorsum hoc discrimen? Annon hic discernuntur legis et evangelii tempora? De veteri foedere dixit Abrahae Deus: Erit foedus meum in carne vestra. Deinde nobis per prophetam ait: Erit foedus meum in spiritu vestro. Olim in carnali foedere [pag. 618] *parvuli carnis censebantur filii. Nunc illi soli sunt filii, qui per fidem fiunt filii Dei.*[1]) *Quum foedus illud ab inferno non liberaret, et mundana tribueret, ad id admittebantur infantes, ut sub Dei protectione viverent. Carnalis illa filiatio olim figurabat sublimiorem aliam, quam attulit Christus. Quod in parvulis carnis olim gerebatur, figurabat sublimiora alia in parvulis spiritus per Christum futura. Expedita iam est responsio ad id, quod de carnali semine Abrahae tu citas. Vice carnalis est nobis spirituale semen. Semen Abrahae Christus est, et ii, qui ei credunt. Quod dictum illud Abrahae non ad filios carnis, sed ad filios spiritus debeat hodie referri, manifeste docet Paulus, dicens, non filios carnis, sed eos, qui ex fide sunt, esse filios Abrahae, et semen Abrahae (Gal. 3, Rom. 4 et 9). Aperte ibi docet, Abrahamum esse patrem credentium, non aliorum: et filios carnis non esse filios Abrahae, sed filios spiritus per fidem. Eos solos esse filios promissionis docet, quum ad eos solos extendatur hodie promissio spiritualiter intellecta. De Ezechielis dicto similiter dicendum, fuisse tunc filios carnis. Deus dicebat, eos nasci sibi filios, quia erant sub ipsius paterna protectione, et quia futuri erant Deo sacri, umbra futurorum. Veri enim filii Deo nascuntur in baptismo, nativitate superna. Ex radice sancta eos ais nasci sanctos, quum vere nascantur filii irae, ut ipse fateris. Qualiscunque sit praedestinatio, filii irae nascuntur cum Paulo, et fides postea eos vere facit filios Dei. Comparatione ad filios ethnicorum facta, dicebantur ipsi potius nasci sancti, id est, Deo magis praeparati ad verbum eius suscipiendum. Sanctificare enim, si hebraice nostri,*[2]) *idem est, quod Deo praeparare. Ex matrimonii sanctificatione dicuntur Paulo nasci filii sancti, id est non spurii, non immundi (1. Cor. 7). Immundities dicitur in spuriis et filiis ethnicorum, praeparatio et pronitas ad immundos et obscoenos parentum mores.*[3]) *In contrariis autem sanctificatio, ad sacram* [pag. 619] *viam maior praeparatio. Nihilominus filii irae nascuntur omnes. Longissime distat generatio ex sanguinibus, aut ex carne, a generatione quae est ex Deo (Ioan. 1). Sanctos vocat Paulus infantes non baptizatos, et tu inde baptizatos infers? Constat ibi non baptizari, quum praesertim esset tunc infans in potestate patris ethnici. Quod in pii parentis gratiam filio Deus benefaciat, aliquando non*

1) per fidem filii Dei sunt.
2) nosti.
3) amores.

recipitur, ut Ezech. 14. Aliquando in[1]) *precibus impetratur. Proinde in oratione tua, si locos illos veteris testamenti parvulis carnis accommodare lubet, quando eis manus imponis, Christum imitando, ita pro eis orabis: O Deus, pater coelestis, qui olim dixisti, te*[2]) *Abrahae et filiorum eius fore Deum, et Israëlitarum filios tibi nasci filios, eos in tuam protectionem suscipiens, ut tibi deinceps servirent, verbo tuo credentes, protege nunc, et in coeleste regnum tuum infantes hos tibi serva, ut tibi fideles serviant in regno tuo. O Iesu clementissime, fili Dei, qui tanto amoris indicio parvulos in ulnas tuas benedicens assumpsisti, benedic nunc et manu virtutis tuae parvulos hos dirige, ut fide coelesti tua possint coelestis regni tui fieri vere participes. O mitissime Iesu, filii*[3]) *Dei, qui ab utero fuisti semper innocentissimus, da nobis infantium horum simplicitate sine dolo versari, ut regnum coelorum, quod talium esse dixisti, gratia tua nobis tale semper servetur, in eumque hi facti parvuli spiritus, tua immensa pietate assumantur Amen.*

EPISTOLA DECIMA SEPTIMA.

Miraris tu, quod ego nullam corpori Christi adhibeam certi loci circumscriptionem in parte quapiam coeli. Indeque a pari, quasi inconveniens deducis, nobis nullum fore locum post finalem resurrectionem. Sed responsio facilis est. Neque nos erimus pares Christo, neque in [pag. 620] *nobis erit aliqua loci circumscriptio. Simul cessabunt locus et tempus. Ea tunc erunt, quae nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis tale quid ascendit. Cessabunt locus, tempus et motus, coelo et terra dissolutis. In firmamenti expansione consistit locus, et hoc cessabit. De Christo autem id sublimi mente cogites oportet. Sicut variae huius temporis partes sunt Christo nunc aeque praesentes, ita et variae huius globi partes. Nulla earum ipse circumscribitur, nec uno, vel pluribus locis conclusus continetur. Sola idea divina nos post resurrectionem continebimur. Sola principe idea divina ipse princeps continetur, et per eam est, ubique*[4]) *vult, sine locali motu. Extra omne quantitatis corpus est spirituale corpus, in novo coelo. Non est Christus in aliqua horum coelorum parte, sed in tertio coelo: ubi omnia implet, est omnia in omnibus, et intra nos est. Christus est supra locum, est supra tempus. Si locum dicere lubet, locus eius est Deus. Non est moles carnis eius, ut aër hic, in orbem diffusa: sed est ipse homo ita in Deo, ut in cordibus istorum, et illorum, in quibus vult, simul sit sola sui exhibitione, sine saltu aliquo. Simul est in me, et te, et illo, sicut vox eadem in multorum auribus, cum eadem idea. In ea gloria erat olim verbum, et in ea est nunc homo (Ioan. 17). Nisi hoc Christo dedisset Deus: aliquid eius gloriae deesset. Donare enim alicui potuit Deus hanc superexcellentem gloriam: ergo et Christo dedit. Consequentiam hanc menti tuae commenda, si gloriae Christi sis vere studiosus. Obiicies tu, hic non agi de eo, quod Deus potuit, sed de eo, quod Deus voluit. Et potuit, et voluit Deus, dare Christo totam suam plenitudinem, immensam omnem gloriam supercoelestem, supra omne, quod tu excogitare potes. Fateris tu, supra omnem mundi conditionem evectum esse Christi corpus: quare igitur ad mundi conditionem eum nunc reducis?*

1) id.
2) et.
3) fili.
4) ubi.

EPISTOLA DECIMA OCTAVA.

[pag. 621] *Infernum nunc esse, Christum eo descendisse, sanctosque secum eduxisse, vos ut fabulam luditis: quum tamen illustretur maxime redemptio Christi ex cognita eius de inferno victoria. Inferni locum dialogo primo ostendi, esse ut sepulcrum, aut sepulcro significari, quidquid subterraneum est. Apparet hoc ex gigantum, Sodomitarum et aliorum sepulturis. Ex iis, qui vivi ad infernum descenderunt. Ex divite in inferno sepulto, et ex colloquiis, quae inter mortuos in ipsis sepulcris leguntur (Esa. 14, Ezech. 32 et Sapi 5. Eos, qui in inferno sunt, ait Christus esse omnes in monumentis (Ioan. 5). Hebraica vox* שאול, *seol, sepulcrum et infernum simul significat. Non caret mysterio ea significatio coniuncta, eo quod ad sepulcrum et ad infernum simul quis tenderet: eo item quod sepultorum esset aliqua in inferis communicatio. Ultra communem sepulcri rationem aliquid addere infernum, docent evangelicae literae, Christus Lucae 16, Petrus in Actis, et in epistolis, Ioannes in Apocalypsi, et Paulus quoque, ubi mortis et inferni destructionem tractat. Infernus et perditio continent plura, et magis abdita, quam sint in visceribus hominum (Proverb. 15 et Iob. 26). Ergo non sunt sola sepulcra cadaverum, sed sunt ibi arcana iudicia. In profundis inferni ait Salomon esse scortatores cum gigantibus (Proverb. 2 et 9). Res magna est, quod ait Christus (Apoc. 1), se habere claves inferni, quem ipse iam aperuerat, et clauserat. Hinc portas inferni dixit non praevalituras ecclesiae, a se in regeneratione fundandae (Matth. 16). Maxima res ibi statuitur. Antea enim praevalebant inferorum portae sanctis omnibus. Ex originali item corruptione constat, Adamum esse factum servum peccati, serpenti sui potestatem fecisse, animaque et corpore illi obnoxium.* [pag. 622] *Ubi ergo erit anima post mortem, quae tali principi subdita erat? Nonne clausus illi erat paradisus? In potestatem*

magni tyranni traditus est totus homo, quis eum liberabit? Nemo unquam, nisi Christus. Opera diaboli fuerunt peccatum, mors, et infernus, per Christum omnia destructa in credentibus, in aliis adhuc remanentia. Ex veteribus scripturis aperte colligitur, infernum nunc esse poenam eius, horrorem et caliginem Iob 10, 17, 24, 26; Esa. 5, 14, 38 et locis aliis iam citatis. Potestatem quoque ipsi inferno esse docet David Psal. 48, 85 et plerisque aliis. Poenam inferni iam praesentem, in gigantibus et Sodomitis docent Petrus et Iudas. Haec sola ratio infernum[1]*) te fateri coget, quod semper dicebantur eo descendere, et animae ipsae inde ascendere, ut ait Samuel, et passim alii prophetae. Quando ait Iacob: Descendam ad filium meum in infernum, non intelligit descensum ad locum cadaveris, sed ad locum animae, quum crederet, cadaver esse a bestiis laceratum. Ad infernum hunc descendisse Christum, ultra commune apostolorum symbolum, docent Petrus et Paulus. Docent presbyteri, Irenaei praeceptores, apostolorum discipuli, ut ipse citat lib. 4, cap. 39, 45, 50 et 56. Docet Ignatius ad Trallianos, Polycarpus ad Philippenses, et reliqui veteres. Verba Ignatii, quod ad infernum descenderit Christus solus, carcerem ruperit, et multitudinem magnam inde secum ad patrem extulerit, citat Eusebius in fine libri primi eccles. hist. ut vel hinc constet, Ignatium ita docuisse. Id apertius docet Nicodemus, ac etiam Sibyllae. Id ipsum docent prophetae. Nam Christus in sanguine testamenti sui eduxit vinctos de lacu, in quo non erat aqua. Ipse solvit carceris Satanae vincula, et dixit ligatis ut exirent (Zach. 9; Esa. 42 et 49). Qualiter sustulit Christus iram Dei, patri nos reconciliavit, et in coelum assumpsit, si nos, ut antea, in inferno reliquit? Annon ipse primus aperuit nobis viam intrandi in sancta, in coelum ipsum? Non dissolvisset* [pag. 623] *Christus opera diaboli, si infernum non attigisset. Atque ita nec patres liberasset, nec fortem ligasset, ut ipsemet ait. Non implevisset ipse omnia, nisi descendisset ad ima, iterum ab imis ascendens ad suprema, ut ait Paulus. Ob quam causam inferi ei genu*[2]*) flectunt, et eum laudant, cognita eius apud inferos praedicatione, cum tanta gloria et potentia. Omnis qui credit, ipsum esse filium Dei, in ipso resurgente regenitus, ab hoc inferno immunis erit, ad coelestia iam translatus. Haec est propria vis coelestis regenerationis, contra priorem ex originali peccato infernalem generationem. Resurgens Christus de inferno victor, regenitos suos per potentiam resurrectionis ab inferno vere servat, in coelestibus secum regnantes. In quibus tu utinam nobiscum regnes. Amen.*

1) *Add.* esse.
2) genua.

EPISTOLA DECIMA NONA.

Quoniam tu inter ethnicum, Iudaeum et Christianum non bene discernis, ego de hac re paucis te monebo. Alia sui ipsius cognitio data est ethnico, sine lege viventi, et vix peccatum scienti. Alia Iudaeo servo carnali, qui peccatum bene sciens, ab eo se liberare non poterat. Alia Christiano filio spirituali peccatum melius scienti, per Christum liberato, et coelestia possidenti. Triplex quoque his inest Dei cognitio et religio. Gentium aliqua cognitio et religio fuit, ex naturali instinctu, seu innato Dei halitu, et a creaturis ad Dei sapientiam sumpto argumento. Eorundem fuit certior[1]*) de Deo et sapientia eius traditio per filios Noë disseminata. Sapientiam ipsam Dei sapientes homines tunc confessi sunt, nec celaverunt a patribus suis acceptam (Iob 15 et 32). Iudaeorum cognitio et religio fuit* [pag 624] *ex oraculo Dei sub velamine quodam prodito,*[2]*) Christianorum vero, ex Iesu Christi revelatione, Deum patrem lucide revelantis. Solis Christianis data est per Christum coelestis regeneratio, qualis antea non fuit. Regenerari in Deum homines, docent Trismegistus et Plato, qualiquali divinorum cognitione: apud Iudaeos quoque aliqua erat semper in melius novatio: non tamen per sublimem hanc ex aqua et spiritu sancto regenerationem, ac coelestis regni possessionem. Umbra ibi fuit huius veritatis, quum nondum esset resuscitatus Christus. In inferno illi omnes detinebantur, at non omnes iudicio finali damnabuntur. Duo discernit Paulus, quae ad finalem damnationem facient: Non novisse Deum, non obedisse evangelio (2. Thess. 1). Fuit aliqua cognitio Dei, ubi non erat evangelium, quale nunc est. Obiicies tu, eandem esse omnium salvandorum fidem, nec salvari quem sine fide Christi, qui est unicus omnium salvator. Ad hoc dicimus, Christum salvare pios omnes, sed nos regenitos maxime. Dicimus insuper, in Iudaeis fuisse umbram fidei Christi. Ille eis de nube loquutus, cui credebant, Christum praefigurabat. Atque ita est fides eadem, sicut figura est idem cum figurato. Simili ratione inter gentes erat aliqua cognitio sapientiae Dei, fides divinitatis, umbra quaedam Christi. Quidquid unquam de Deo cognitum aut visum est, id erat Iesus Christus, filius Dei. Quicunque filius Adam salvatus unquam est, per passionem Christi salvatus est, per eamque ab inferno liberatus. Passionem, inquam, Christi, aut iam exhibitam, aut ad id a Deo praevisam. Iudaeum facimus gentili praestantiorem, quia habuit oracula Dei, quibus credens potuit plus alio proficere*[3]*) (Rom. 3 et Psal. 147). Iudaeis primo*

1) rectior.
2) prodita.
3) perficere.

offertur a Christo evangelium, quasi naturalibus haeredibus fidei Abrahae. Ex radice sancta eos prae gentibus vocat Paulos[1]) *sanctos, id est praeparatos magis Deo. Quamvis sint excaecati, adhuc hodie erga* [pag. 625] *progeniem illam durat aliqua dilectio Dei, ut innuit Paulus Rom. 11. Non sine mysterio servatur adhuc gens illa, cum scripturis sacris incorruptis. Mysterium hic subesse docet Paulus, quod sit Israël totus ad Deum convertendus. Utcunque nunc excusantur, si non credunt perversae Antichristi et trinitariorum doctrinae. Ita de incredulitatis peccato excusat Christus eos, quibus non est ipse loquutus (Ioan. 15). Eadem ratione excusantur aliquo modo in lege naturae, qui ad regnum Christi non pervenerunt, sicut nec Iudaei. Quanquam nec Iudaei, nec gentes in regnum hoc coeleste nunc ingrediantur, regenerationem ex aqua et spiritu sancto non assequuti: non tamen propterea ad gehennam ignis in finali*[2]) *resurrectione omnes damnabuntur. Nec Esau ita damnabitur Paulo, quia dictum est: Esau odio habui (Rom. 9). Agit ibi Paulus de vocatione evangelica, in Iacob minore figurata, quae est res mere gratuita. De futura aeterna damnatione nihil diiudicat Paulus nec potest. Exosus dicitur Esau primogenitus, quia a primaria benedictione, a primogenitura, seu regia dignitate, pellitur, minore praeelecto. Ita sunt Ruben, Simeon et Levi maledicti, exosi, et a primogenitura exclusi, non damnati. Exosus est iste,*[3]) *sicut dicitur pater odisse filium, quem minus alio diligit. Exosi quodammodo fuerunt Moses et Aaron, ob incredulitatem exclusi (Num. 20) non damnati. Reprobatus est Esau, sicut reprobati sunt Eliab, et Abinadab, fratres maiores Davidis (1. Sam. 16). Reprobatus est, sicut Eli et Abiatar sacerdotes, quos damnari negat apostolica doctrina, ut citat Irenaeus lib. 4, cap. 45 et 50. Sua seorsim fuit ipsi Esau benedictio, et Ismaëli, et filiis Loth, et Iaphet, exemplo gentium, inter quas omnis, qui timet Deum, et operatur iustitiam, is acceptus est illi. Verum est Christi dictum: Nisi venissem et loquutus eis*[4]) *fuissem, peccatum non haberent. Peccatum hoc non imputat Christus, nisi quatenus est ipse loquutus.* [pag. 626] *Varie autem est gentibus loquutus. Omnibus gentibus est ab initio data haec sapientiae regula: Timor domini est sapientia, et recedere a malo intelligentia. Ita regulam omnibus datam citat Iob. cap. 28. Non solum ex innato halitu divino gentibus omnibus internam viam iustitiae, sed et externum foedus et sacrificia sibi grata, ostendit sapientia divina, Christus ipse. Sacrificia legimus in Abel, Noë, Iob, et plerisque aliis. Ietro sacerdos Madian, sapientior visus est Mose, credens Deo (Exod. 18). Iustus dicitur Abimelech, rex Gerar (Genes. 20), qui tamen nec promissiones, nec legem sciebat. Pontificem ad sacrificandum gentes habuerunt Melchizedech. Foedus omnium fuit arcus coelestis, ut eum videntes Dei recordarentur, Deum coeli et terrae possessorem cum Melchizedech crederent, divina eius protectione servandi. Opera item gentibus prodesse poterant, ut Cornelio: atque ita erat inter gentes sacrificium Deo gratum, et oblatio munda (Malach. 1 et Ionae 1). Si Nabuchodonozor, ethnicus idolorum cultor, poterat eleemosynis peccata aliquo modo redimere, quare gentibus non proderunt eleemosynae? Annon Belsazar nepos eius appensus est in statera? Bona eius opera minoris erant ponderis, quam mala. Erant igitur aliqua bona opera, et suum in statera pondus habebant. At Christi vocatio est peculiare donum, in electo Iacob figurata, adhibitis ei*[1]) *Dei oraculis, et de futuro Christo visionibus. Unde merito praefertur ipsi Esau. Omnibus insitum est velle bonum in genere: sed velle Christum, est peculiare donum. Christum vidit et desideravit Iacob, non Esau. Et hoc est donum maximum. Quo dono qui privantur, sive Iudaei, sive gentes, dicuntur omnes exosi cum Adam, et perire cum Adam, in mortem et infernum. Attamen omnes resurgent, plerique vitam habituri. Ex inferis resurgent pusilli, et magni, iuxta propria facta iudicium accepturi (Apoc. 20). Ex inferis resurgent, futurum iudicium formidantes. At nos iam resurreximus cum* [pag. 627] *Christo ad coelestia. Non ex inferis nos resurgemus, nec futurum iudicium formidabimus, aeterna vita iam donati. Ad quam nos omnes, o utinam inducat clementissimus dominus noster Iesus Christus, filius Dei, aeternae huius vitae nobis autor et consummator. Amen.*

1) Paulus.
2) in finali iudicio ac.
3) ipse.
4) eis *om.*

1) et.

EPISTOLA VICESIMA.

De ecclesiae potestate controversiam facis, an sit eius, vel scripturae, autoritas maior in dogmatum discussione? Et an perpetuo duret ecclesia? Ecclesiam autem accipi oportet, non ut spectatur ab hominibus, sed ut agnoscitur a Christo, qui medius est inter suos congregatos. Quaestio non est difficilis si primo constet, ubi sit ecclesia Christi vera, lavacro mundata. Eius enim potestas, quamvis occultetur, maxima est, et coelestis supra omnes mundi potestates adeo ut angeli et daemones ei pareant, sicut uxori dilectae parent omnes ministri. In ecclesia Christi semper sunt coelestes spiritus, et Christus ipse (Heb. 12). Una ibi ostenditur esse omnium ecclesia, uno spiritu unita. Coelestis huius ecclesiae Christianos

esse nunc filios, vereque participes, docet ibi Paulus, et ad Galat. 4. Vere ad nos adtulit Christus coeleste regnum, et coelestem ecclesiam. Inter hanc igitur ecclesiam, a spiritu sancto gubernatam, et scripturam, a spiritu sancto dictatam, nullum potest esse dissidium: imo[1]*) par est autoritas in dogmatum discussione. Illud verum est, quod sine scripturis*[2]*) stare potest ecclesia Christi vera: et erat ecclesia Christi, antequam apostoli scriberent. Ecclesiae prophetia, interpretatio, et vox viva praefertur scripturae mortuae, et ecclesia iudicat quae scripta sint sacra, sicut ecclesia iudicat de spiritibus, an ex Deo sint. Sed ubi est nunc ecclesia haec? In coelestibus spiritibus, et beatorum animis assumptis, est semper Christi ecclesia, dicto cap. Heb. 12, a terris autem fugata est ad annos mille ducentos sexaginta (Apoc. 12). Ecclesia ibi vere ostenditur mulier illa, sole Christo et* [pag. 628] *stellis duodecim ornata. Quae olim varie cruciabatur, ut pareret Christum: quia multis modis passa est ecclesia, ut nomen Christi propagaret, et in credentium cordibus Christum vere generaret. Peperit ergo nunc*[3]*) ecclesia Christum, qui urgente per Antichristum dracone raptus est, et ecclesia fugata in locum ab hominibus incultum, ad annos 1260. Ibi in coelestibus spiritibus fovet Christus ecclesiam, quae sua coelesti gloria non est spoliata, quin sole et stellis semper ornetur. Perpetuo ergo durat et regnat ecclesia Christi, sicut perpetuum est regnum Christi, quamvis durante regno Antichristi discesserit. Discessionem ecclesiae ibi docet Ioannes. Discessionem eius, seu defectionem vocat Paulus, sedente Antichristo, et tu ipse ita defectionem interpretaris. Vere fuit in terris defectio, seu a terris discessio: ut multi prophetae desolationem hanc et vacuitatem terrae praedixerunt. Quanquam*[4]*) igitur fuerit in terris defectio, fuit tamen semper coelestis ecclesia, vera Christi sponsa, et aliquando ea in nobis erat,*[5]*) sicut et fuit super terram. Visibilis erit ecclesia, quae nunc est invisibilis, et nos ipsi cum illis erimus ecclesia, congregatio Christi. In huius ecclesiae restitutione ego iugiter laboro, et ob id tu mihi succenses, quod pugnae illi Michaelis me immisceam, et pios omnes misceri desiderem. Sed locum illum diligenter expende, et videbis, homines fore qui ibi pugnabunt, animas suas morti exponendo, in sanguine et testimonio Iesu Christi, ut aperte docet ibi Ioannes. Angelos vero dici, obvium est in scripturis. Eo magis, quia in ipso coelo pugnant angeli boni contra draconem, et alios angelos papatus. Annon credis papatui suos praeesse angelos? Ergo destrui non potest sine angelorum pugna. Coelestis item regeneratio*[1]*) facit nos angelis pares, in coelestibus pugnantes contra spirituales nequitias. Annon vides, ibi agi de restitutione ecclesiae fugatae? Annon de re futura est ibi visio, ut ipsemet Ioannes testatur?* [pag. 629] *Rem futuram aperte docet Daniel, in numero annorum et reliquis signis cum Ioanne conveniens, et sanctos altissimos*[2]*) pugnaturos dicens. Quis ibi accusator ille, qui ob legum et praeceptorum suorum transgressionem nos ante accusabat? Ante pugnam, ait Ioannes, esse accusationem illam et orbis seductionem: ergo futura est pugna, et tempus prope est, ut ait. Revelationem illam totam esse ait de iis, quae erant cito futura. Qui sunt illi, qui victoriam reportabunt de bestia, qui non accipient characterem eius? Innumera alia sunt signa, ex quibus ego sexaginta collegi, quae iam ad te misi.*[3]*)*

EPISTOLA VICESIMA PRIMA.

Qui fidei essentiam non habent perspectam, hinc et inde eam ficte componunt, et falsum de ipsa passim imaginantur. Ignorant, ut video, quae res in se sit fides ipsa: quando viva dicatur, quando mortua, et quomodo moriatur. Ignorant pariter, quando dicatur peccatum ad mortem, quando non. Ego vero, ut omnia paucis exponam, fidem accipio ut erat in Petro, quando credidit Iesum esse Christum, filium Dei vivi. Aliam fidem sum nunquam admissurus. Simplex assensus est fides haec, actus quidam animi, quo cum fiducia credimus. Estne fides haec viva? Est viva, et vita animae, si spiritum includas. Vita ipsa fidei est spiritus vivificans. Ipse vivificat fidem, quam intendi et augeri diximus, sicut et spiritus ipse suos in nobis habet gradus. Vita animae dicitur haec fides Christi, quia per eam datur spiritus, qui animam vivificat. Occupationes hic incidunt variae, et quasi contrariae. Hic fidei naturam a Christo aestimat, quia quod Deus nobis per Christum offert, fide accipimus: et sic translatione quadam[4]*) omnia fidei adscribit. Iste vero soli gratiae omnia fert accepta, non naturae fidei.* [pag. 630] *Ille alius gratia et fide nos ait iustitiam et regnum accipere, sed per bona opera ultro*[5]*) progredi, et iustitiam augere. Quartus, quia spiritus regenerationis vivificans per baptismum datur, omnia baptismo tribuit, etiam ipsam fidei vitam. Quae omnia vera sunt, si logomachiam tollas. De fide ita dicendum. Favore Christi gratis datur, augetur et*

1) ideo.
2) scriptura.
3) tunc.
4) quamvis.
5) erit.

1) generatio.
2) altissimi.
3) *Corollarium hoc ad calcem voluminis huius epistolarum invenies.*
4) per translationem quandam.
5) *Sic etiam in MS. Vide an legendum sit:* ultra.

accepta semper habetur haec ipsius fides, et ei gratis accedit spiritus vivificans, ipseque Christus totus. Actus ille fidei seorsim consideratus, non ex natura sua iustificat, nec ex se solo est ita operosus, sed ex gratia et spiritu Christi. Ipse Christus, qui credere dat, ex sua gratia illa actum[1]*) acceptum habet, spiritu suo*[2]*) sancto illum mirifice exornat, ac coelestia plurima gratis donat, quae per alium actum donare*[3]*) potuisset. Non proprie ergo dicitur caritas esse fructus fidei, sed fructus spiritus, ut docet Paulus: sicut fides ipsa est fructus spiritus. Spiritus actione per exercitationem quandam nos caritate et operibus proficimus, a quibus ea fides efficaciam accipit. Fides per caritatem est efficax, efficaciam dans, et accipiens: id quod alibi inter actus et habitus videmus, ut mutuo se roborent. Fidem ab aliis sumere*[4]*) vim aliquam, vel hinc manifeste colligitur: quia si ab eis cessemus, moritur fides. Nisi caritate et operibus vestitam fidem servemus, nudata moritur. Sicut ex actibus roboratur habitus, sicut exercitationibus roboratur corpus, et lectionibus roboratur intellectus, ita et bonis operibus roboratur fides. Sicut ieiunio et oratione vivificatur magis spiritus, ita et vivificatur magis fides. Nisi iugiter negotiemur, igni oleum et fomentum addamus, evanescit spiritus, qui est ipsa fidei vita. Sicut ignis hic elementaris nobiscum non manet, nisi pabulo foveatur, et pabulo crescit, ita et ignis spiritus Dei. Adde, quod coena domini dicitur etiam fomentum fidei, fomentum interni hominis, qui sine quotidiano cibo contabescit. Baptismus vero regenerans, dicitur vita fidei* [pag. 631] *seu instrumentum, quo vita confertur, per vivificantem regenerationis spiritum. Fides itaque diffinitur, esse fiducia tanto perfectior, quanto auctior, quanto stabilior, ut indicat vox* האמין *heemin, unde nomen accipit fides. De ea ita loquitur Iehosaphat 2 Paral. 20: Stabiles sitis in Deo vestro et stabiliemini. Et Esa. 7: Si stabiles fide non estis, nec vos quidem stabiliemini. Magnam fidem vocat Christus, et modicam fidem, ubi est haesitatio. Hinc vere cognosces, qualiter in nobis moritur fides, et qualiter nos ad mortem peccamus. Non*[5]*) ex quovis lapsu a nobis*[6]*) tollitur spiritus fidei, sed per inertiam nostram est passim sepultus, et carnis fluctibus fere submersus. Carnis illecebra, nisi sedulo caveamus, quasi insidians torpedo, sensum spiritus nobis hebetat, nosque totos inebriat. Tunc nos tentationibus gravibus passim succumbimus, sed non ad mortem: nisi quando, iusto Dei iudicio, datur nobis tam reproba mens, ut in contrariam Christo ethnicam infidelitatem decidamus, per insignem apostasiae illusionem: aut torpore quodam ad mortuam fidem penitus ducamur, vitiis carnis obruti. Hi soli sunt duo modi, quibus homo per spiritum Christi regenitus ad mortem potest peccare. Qui duo modi ad unum reducuntur, ad ipsius spiritus fidei iacturam. Eadem igitur, quae erat fides viva, est postea fides mortua, nisi quis spiritum fidei dicat esse fidem. Differunt tamen maxime, quia spiritus fidei est Deus, et fides est actus creatus in anima. Per spiritum fides eadem Petri facta est viva, quae antea non erat ita viva. Sicut peccatum idem, quod ante et post regenerationem*[1]*) vincitur a vita: ita fides eadem Christi per spiritum gratiae vincit mortem, et sine eo vincitur a morte. Fides ergo viva est, quam spiritus gratiae vivificat. Viva fides sensum clarum habet vivificantis spiritus, et certum conscientiae testimonium de Christo. Fides viva est* [pag. 632] *qua nos, Christo credendo, Christum in nobis vivere sentimus. Cognita fide viva, facile est discernere mortuam. Quae duobus modis mortua dicitur. Primo modo est mortua fides, quae nunquam vixit, quam spiritus gratiae nunquam vivificavit: sed mansit velut levis quidam historicus assensus. Semen in sterilia loca ita iactum, raptum, aut conculcatum, ut radices non iecerit. Altero modo mortua dicitur, quae iecit aliquam radicem, prius vixit, sed eam postea spiritus reliquit, ut in nihilum abierit, aut mortua manserit, velut fidei cadaver. Mortua ergo fides est, quae est sine spiritu vitae. Mortua fides non est proprie fides, sicut homo mortuus non est homo. Mori autem sensim in nobis dicitur fides, quando tolluntur vestimenta, cessant fomenta, languent opera, frigescit caritas, viget caro, erumpunt vitia, exstinguitur spiritus, moritur Christus. Quod tempore*[2]*) nostro sensim ad mortem ruamus, docet Christus in Apocalypsi: Quia tepidus es, incipiam te vomere.*[3]*) Incipiam, ait, non te mox perdam. Ego diu te exspecto, tempus resipiscendi do: tu confirma eos, qui ad mortem ruunt. Memor esto, unde excideris, age poenitentiam et prima opera fac. Quod si in malo perseveres, tollam candelabrum tuum, et tunc penitus morieris, exstincta lucerna. Mori in nobis tunc dicitur Christus, qui antea vivebat in nobis. Quicunque per spiritum Christi sumus regeniti, et corporis Christi participes facti, si in nobis moriatur fides, dicimur Christum intus necare, et turpius quam Iudaei cum in nobis occidere, a quo tanto facinore nos Iesus Christus servet. Amen.*

1) gratia actum illum.
2) suo *om.*
3) dare.
4) accipere.
5) Non enim.
6) *Add.* mox.

1) *Haec ex MS. sic restituenda:* . . . . post regenerationem nobis inest, ante regenerationem nos vincit ad mortem et post regenerationem vincitur a vita *caett.*
2) tepore.
3) evomere.

EPISTOLA VICESIMA SECUNDA.

In fatali tua, ne dicam fatua, rerum omnium necessitate, seu in servo tuo arbitrio, est hoc stuporis certum indicium, quod hominem id agere mones, quod scis, eum agere [pag. 633] *non posse. De liberis actionibus doces, et nullam esse dicis liberam actionem. Quis tam amens homini, nihil libere agenti, praescriberet liberam agendi rationem? Illud est insuper fatuum, quod servum infers arbitrium ex eo, quod Deus agit in nobis. Imo vere Deus agit in nobis hoc ipsum, ut libere agamus. Ipse agit in nobis, ut intelligamus, velimus et prosequamur. Ipse tollit obicem Satanae, in omnibus nos impedire parati. Ipse, veritate proposita, mentem saepius illuminat, ut intelligamus. Ipse, boni specie proposita, cor movet, ut velimus. Ipse in omnibus vires nobis dat, ut prosequamur. Sicut omnia in eo essentialiter consistunt, ita et actiones omnes ab eo essentialiter prodeunt. Nonne creaturam aliquam novam potest Deus producere, cui det liberum arbitrium, sive ut angelus illa sit, sive ut primus Adam? Nonne illa tunc diceret, Deum agere in ipsa? Quomodo igitur tu concludis servum arbitrium ex eo quod Deus agit? Adamum concedis habuisse liberum arbitrium antequam peccaret: et tamen in eo agebat Deus. Sicut Adam libere agebat, ita et nunc obicem illum Satanae tollendo facit ipse Deus, ut locum aliquem in nobis habeat libertas. Est adhuc in nobis spiritus deitatis innatae. Adhuc hodie spirat in nobis Deus animam deitatis principem.*[1] *Unde Paulus omnes homines ait esse progeniem divinam. Lumine naturali Deus ipse hodie illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Id lumen est divinum, omnibus hominibus insitum. Per peccatum illud non est homo ita conversus in saxum, ut ei libera mens nunquam dari possit a Deo. Ad Christum in hac re te converte. Num ideo servum habebat Christus arbitrium, quia Deus agebat in Christo? Deus agebat in Christo, et nihilominus libere agebat Christus. Ita et nos pro modulo nostro libere agimus in eo. Ipse omnia facit, et nos sumus cooperarii. Varia sunt genera causarum. Si praedestinatio quoque tibi* [pag. 634] *facit servi arbitrii ambiguitatem, Christum intuere. Praedestinavit Deus omnia acta Christi. Num ideo servum habebat Christus arbitrium? Humilitatem esse doces, ut se quis truncum faciat,*[2] *et cucurbitam vacuam. Sed Christum intuere. Si hoc sit humilitas, Christus erat plus quam truncus et cucurbita, qui se supra modum humiliavit. Opera nobis ad gloriam prodesse negas. Sed Christum intuere. Opera Christo profuerunt. In summam est ille sublimitatem exaltatus, quia se sponte deiecit, et morti obiecit: nobis dans exemplum, ut eius vestigia in martyrio sequentes maiorem gloriam habeamus. At non*[1] *est maior huius martyris gloria, quam alterius tacentis? Frustra alioqui darentur martyribus certae palmae, et peculiaris gloriae insignia. Frustra essent exhortationes, frustra poenae vel praemia. Nonne virginitatem servans peculiarem gloriam habebit? Quemadmodum ex singulis actibus malis in damnatis erit peculiaris poenae remorsus, ita ex singulis actibus bonis in beatis erit peculiaris gloriae gaudium. Sed de servo arbitrio quaestiones moveri solitas nunc proferamus. Prima quaestio. An imaginem Dei, et spiritum Dei, per peccatum penitus perdidit Adam? Quanquam se turpiter ille foedavit, non est penitus sublata Dei radix. In figura hoc docet Moses, ad eandem imaginem Adamum genuisse filios* (*Genes. 5*). *Deus ipse homicidium prohibet eo quod sit homo imago Dei* (*Genes. 9*). *Paulus item docet, in homine esse nunc*[2] *imaginem Dei* (*1. Cor. 11*). *Quum externam imaginem tu neges, internam adhuc fatearis oportet. Quod in homine sit spiritus innatae deitatis, iam est saepius ostensum, et docet ipse Deus Genes. 2 et 6. Docet Iob capite 33 et 34. Docet David Psalm. 103. Docet Salomon Eccles. 12; Esaias, cap. 42, 57 et plerisque aliis locis. Philosophi veri,*[3] *ac* [pag. 635] *etiam theologi, affirmant, esse menti hominis insitam divinitatem esseque animam Deo ὁμούσιον, consubstantialem. Altera quaestio: An sine dono gratiae quid boni possit homo? Donum intellige duplex. Primum est innatum, donum omnibus commune, ex insito deitatis halitu, qui et gratis augetur. Secundum eximium est regenerationis novi spiritus Christi donum. Sine priore certum est, homines nihil posse. Sine posteriore vero aliqua bene posse. Hoc aequivoco laborantes Pelagius et Augustinus, se ipsos non intellexerunt. Et inter vos neuter alterum intelligit. Innatus omnibus est Dei spiritus, qui donum est, et ex gratia in singulis augetur. Hic ipse bene in hominibus*[4] *agit, etiam in ethnicis: sed ad regnum Christi non perducit, sine nova Christi superveniente gratia. Per innatam deitatem dicimur nos libere agere, Deum in nobis agere, et nos Deo cooperari. Per supervenientem vero fieri omnia sublimius a nobis, et a Deo per nos. Quaestio alia: An Deus praescivit, antequam destinavit? An hunc praedestinavit, quia pie victurum praevidit, et illum reprobavit, quia male victurum praescivit? Nos illa omnia simul in Deo esse dicimus, et neutrum esse causam alterius. Videns praedestinat, et praedestinando videt. Iuste agit*

---

1) participem.
2) confiteatur.

---

1) Annon.
2) nunc *om.*
3) vero.
4) omnibus.

in omnibus, et gratis beneficia confert. Ex gratia eligit, non propter opera. Hinc univoce respondebis ad ea omnia, in quibus servum tuum arbitrium praedestinatio torquet. Scientia Dei, sicut et voluntas eius, est suapte natura prior actibus nostris: ideo praescientia, praedestinatio, seu praeordinatio dicitur. Non ob id futuri necessitatem inducens, quia Deo nihil est futurum. Ipse ita vult, nobis dat ita libere velle, intra certos limites. Potestas nobis intra certos fines libera per ipsum datur. Tu arguis, nos nihil posse, postquam hoc est ei ita decretum. Iam cum tuo Valla tempus supponis in Deo. Tuo ingenio Deum metiris. Manus tibi ligas, quasi limes ex tempore pendeat [pag. 636]. *In quibusdam fateor, nos nihil posse, in quibus ipse vetat nos posse. Sed possumus, in quibus ipse vult nos posse: et libere agimus, in quibus ipse dat nos libere agere. Deus non permittit nos tentari supra id, quod possumus (1. Cor. 10). In eo tentationis momento et symmetria, cum ipse dat ut possimus, non ut adstringamur.*[1]) *Aliud est potestas, aliud necessitas. Usque adeo ipse potestatem dat, ut dicat Salomon, in potestate hominis esse, cor praeparare (Proverb. 16). Dono divino est in potestate hominis, filium Dei fieri (Ioh. 1). Liberum nobis esse, ait apostolus, adire sancta (Heb. 10). Tu pecudem existimas Deum, sine aliquo suae libertatis artificio. Annon est creatoris gloria, ut hoc libertatis eius specimen tam pulchrum, in eius creatura aliquantulum reluceat? Quum praesertim in homine deitas ipsa et mens divina reluceat. Si Adae corruptionem spectes, et regni Christi sublimitatem, dices, esse omnia in nobis morti obnoxia, et pravitate carnis ita infecta, ut infernus necessario consequatur. Dices, non esse in nobis liberum arbitrium, quod ad regni Christi assequutionem adtinet: quia eo pertingere nequit homo, sine speciali nova gratia. Quanquam Deus ita nos eligat, ut figulus lutum: ex hoc non sequitur, hominem esse totum lutum, aut saxum, et nihil libere agere. Decepit te similitudo, non in omnibus integra. Quanquam in externis actionibus sint plurima necessariis casibus subdita, ultra hominis vires: quanquam sit astrorum vis maxima (Esa. 40 et Iob 38), ex hoc non sequitur, mentem ipsam nullum habere libere*[2]) *velle, vel nolle. Servum tu arguis arbitrium, eo quod scribitur, homines in nos nihil posse, donec venerit hora, ut de Christo dicitur (Ioan. 2. 7 et 8). Doctrina nobis datur, ne mundum timeamus, scientes esse hominum potestati limitem positum, et nos esse Deo caros. Hora in Christo non erat necessitatis sed commoditatis, quum ipse potestatem haberet. Contra te id aperte* [pag. 637] *docet tuus Augustinus in Ioannem tractatu 8 et 37. In summa hoc cogitabis: Quaedam voluit Deus ex innata sui halitus virtute esse in hominis potestate, quaedam vero non: quod et in angelis est ita limitatum. Si primum membrum respicias, dices bene, eos qui in finali iudicio damnabuntur, libere deliquisse: iuste puniri, quum fuisset eis aliquid datum, quo salvari potuissent. Si secundum membrum coelestis vocationis cum Paulo tractes, dices bene, nos ibi non posse. Non esse currentis Christum cognoscere, sed solius Dei miserentis. Meram esse electionem. Solius praedestinationis hoc esse opus, solius liberalitatis, solius doni gratuiti. Huc tendit tota Pauli disputatio, quum de vocatione ad Christum loquitur,*[1]) *quae potestatem hominis excedit. Quum non possit potestati hominis hoc tribui, praedestinationi merito tribuitur, seu electioni. Ex innato Dei halitu est omnibus datum, velle bonum in genere: at non velle Christum, quod est peculiare praedestinationis*[2]) *donum. Ad indicandam sublimem hanc viam, homini vere impossibilem, est evangelio declarata certorum praedestinatio. Hinc apposite dixit Lucas, eos credidisse, qui ordinati erant ad vitam aeternam. Certus est enim ordinatus,*[3]) *et Deo praesens numerus, extra quem nemo vere accedit. Et nihilominus qui accedunt et credunt, libere credunt artificio divino. De angelis id ipsum tu concedis: fuisse ab aeterno certum, praedestinatum atque ordinatum bonorum numerum, et nihilominus libere omnes*[4]) *egisse. Etiam angeli per Dei gratiam egerunt et libere. Sapientia Dei in hac re longe sublimior est quam tu cogitas. Si Adam ipse in priore innocentia mansisset, coeleste hoc advenientis Christi regnum non fuisset assequutus, sine speciali nova gratia. Num ideo servum haberet arbitrium? Non est per peccatum Adam conversus in lapidem, quin in eo manserit imago Dei, et halitus mentis divinae. Tu nullum tibi natura insitum esse putas spiritum deitatis, quasi Deus* [pag. 638] *in nares tuas suo halitu non spirasset. In ipso Cain nequissimo, et in gigantibus, ex insito et ab origine inspirato deitatis halitu, superat*[5]) *libera vis aliqua, et dominium in peccatum, teste Deo: ergo et in te quoque superest, nisi sis tu saxum et truncus.*

EPISTOLA VICESIMA TERTIA.

Mosaicam legem in eadem nobis qua et Iudaeis fore observatione contendis, iniuriam ei et contumeliam fieri dicens, si de eius regula sit quidquam immutatum.[6]) *Videor hic mihi Mahometum audire, aut*

---

1) *Locus videtur corruptus. Fortasse legendum:* Symmetriam cum ipso. *Vel:* est symmetria, quum ipse . . . .
2) liberum.

1) agit.
2) praedestinatis.
3) ordinatus *om.*
4) omnes *om.*
5) semper erat.
6) imminutum.

pseudoiudaeum aliquem. Sed cui ais fieri iniuriam? Lapidi? literis in saxo deformalis? Si scires, legem illam tendere ad gloriam Christi, non esses tu ita Christo contumeliosus. Deus, inquis, voluit legem illam servari, et Christus idem voluit cum patre. Deus item per Malachiam legis illius observationem in futurum commendat. Respondeo: Voluit Deus legem illam propter transgressiones[1] *ad tempus esse positam, donec veniret Christus, et Christus idem voluit. Voluit Deus in iucundo filii adventu per novam resurrectionis eius gloriam nos glorificari, desuper regenerari, reformationem in nobis coelestem et reparationem fieri: et Christus idem voluit, atque praestitit. Per Malachiam reducit Deus populo in memoriam legem mosaicam, cuius in captivitate erant paene iam obliti. Commendat solitam legis observationem usque ad adventum Eliae, ne putarent ob captivitatem esse ritum illum abrogatum,*[2] *ut fuerat septuaginta annis. Eo magis id putabant, quia perierant tunc tabulae foederis, et novum foedus exspectabatur, in quo non dicerent amplius: Arca foederis Domini (Ier. 3). Ad hanc vulgi suasionem reprimendam, ait Malachias: Mementote legis Mosis, et ecce ego mitto vobis Eliam. Quasi dicat: Eousque legem servate. Nam Elias veniens cor vestrum reformabit, ut credatis Iesu Christo filio Dei liberatori. Duravit igitur lex usque ad Ioannem baptistam, ut Christus exponit. Tu vero arguis, ut solent Iudaei et Mahometani* [pag. 639], *Christum non venisse, legem dissolvere, sed implere. Non venit ut dissolveret. In sua persona primo legem non dissolvit Christus, sed omni modo eam implevit. Hanc in eo dissolutionem calumniabantur Pharisaei, et ad hoc ipse respondet. Venit ipse prius implere, quam sequeretur literalis dissolutio. Ex eo quod est spirituale in lege, nihil est dissolutum. In nullo dissolvit legem Christus, iuxta veram legislatoris mentem. Scopus legis Christus est. Data fuit lex ad Christi mysteria praefiguranda, et ut interim rudis populus contineretur in timore Dei, et iustitiae regula. Legem ille dissolveret et infringeret, qui contra mentem legis aliter faceret, quam lex illa significabat. Sed qui significata omnia et promissa, iuxta legis finem et scopum, ad unguem complet, ille hoc facit, ut lex illa suo sit munere functa, per seque impleta quiescat. Adimplevit ita, et usque ad minimum apicem omnia consummavit Christus, qui est ipsamet*[3] *anima legis: tantum abest ut legem ille dissolveret. At tempore,*[4] *quo data est lex non est inventus, ne unus quidem, qui legem in omnibus sine transgressione servarit, excepto Christo. Ipse omnia legis significata stabilivit, promissa omnia donavit, mysteria omnia ad suum effectum perduxit, miro artificio complevit, et perfectissime omnia praestitit. Nec ipse solum praestitit, sed et nobis per spiritum suum dedit, ut nos ea praestemus quae Iudaei non praestabant. Legem ita, quoad eius opera, nos non dissolvimus, sed implevimus,*[1] *sicut Paulus ait, legem non irritam facimus, sed stabilimus (Rom. 3). Supra scribas et Pharisaeos abundat iustitia nostra in faciendis operibus legis (Matth. 5). De qua re vide Irenaeum, libro quarto, capite vicesimo septimo. Ais tu: Donec coelum et terra transeunt,*[2] *non praeteriturum apicem ex lege, quin omnia facta sint, et quotidie fiant. Respondeo: Omnia per Christum sunt facta, et omnia in nobis semper fiunt, iuxta spiritum, non iuxta literam. Adhuc tu contendis, legis vim esse duntaxat in quibusdam sublatam, in caeremonialibus, non in decalogi praeceptis. Ad hoc ego Christum dico esse perfectum* [pag. 640] *liberatorem. Ab omni vinculo, et servitute legis, nos in libertatem integram Christus vindicavit. Sublata ergo penitus est ipsa vis legis. Vim legis intellige, autoritatem ligandi, iugum servitutis, vinculum obligationis, quo necessario adstringimur sub certis poenis. Quamvis pleraque nos faciamus contenta in lege Mosis, et*[3] *tamen non facimus ex vi legis, sed quia spiritus nos, quae sint facienda, docet. Hoc modo dicimus, decalogi legem esse sublatam. Ea lege nos non adstringi, ut vides in sabbatho. Aliorum quoque praeceptorum vis illa exspiravit, cessavit: non est in eis nos ligandi potestas, non constringens autoritas, nec solita ibi multandi ratio in nobis locum habet. Ex primo praecepto ibi constat, legem eam literae a Deo datam esse duntaxat populo illi, quem eduxit de Aegypto. Lex peccati et mortis, teste Paulo, erat lex decalogi, a qua nos liberatos esse ait Rom. 7 et 8. Liberati, inquit, sumus a lege illa decalogi, quae erat lex mortis, in qua detinebamur. Administrationem mortis et damnationis vocat illam in saxo scriptam decalogi legem, et aboleri, seu finem accipere (2. Cor. 3). Velatum illis ait esse cor, qui finem legis in saxo scriptae non vident. Finem ergo accepit, et abolita est decalogi lex. Decalogi lex terribilis erat, occidebat, peccatum augebat, iram operabatur, virtus erat peccati et transgressionis occasio, propter carnis nostrae fragilitatem,*[4] *ob id sublata. Quum differentia sit inter legem, iudicia et caeremonias, nomine legis potissime*[5] *continetur decalogus, ut lege sublata sit decalogus sublatus. Christus redemit nos ab exsecratione et maledictione legis (Galat. 3). Illa autem maledictio et exsecratio, erat virtus legis decalogi, ut ibidem docet. Si maledictus est omnis qui est sub*

---

1) transgressores.
2) abolitum.
3) ipsemet.
4) A tempore.

---

1) implemus.
2) transibunt.
3) ea.
4) imbecillitatem.
5) potissimum.

lege decalogi, non manens in omnibus eius praeceptis, et vos estis sub lege decalogi: estis igitur omnes maledicti. At vero Christiani nec sub maledicto sunt, nec sub lege illa. Nos non accessimus ad montem illum tremendum [pag. 641], *in quo data est decalogi lex (Heb. 12), id est, nos non accepimus legem decalogi. De lege decalogi loquitur Paulus dicens, eam non esse nobis iustis positam (1. Timoth. 1). De ea ait, legem propter transgressiones ad tempus esse datam, donec veniret Christus (Galat. 2). Illamque paedagogiam esse nunc sublatam (Galat. 3 et 4). Apertissimus de hac re est Pauli sermo, legem mandatorum, in decretis sitam, abrogavit Christus (Ephes. 2), sine lege, absque lege, sublata lege, et iustitia Dei per Christum manifestata (Rom. 3). Absque lege illa decalogi, per quam erat cognitio peccati, ut ibi ait, chirographum nobis contrarium per decreta Christus delevit (Coloss. 2). Chirographus mandatorum dicitur decalogus digito Dei scriptus. Chirographus est, quo scripto obligamur ad aliquid faciendum, et contrarius est nobis, quando transgredimur. Tota ergo lex scripta Iudaeis erat chirographus nunc sublatus. Vetustas literae erat decalogus ipse, nunc eo sublato est novitas spiritus (Rom. 7 et 2. Cor. 3). Ex hac autem legis sublatione sequitur mox Pauli obiectio (Rom. 6): Peccare igitur fas est, quia non sumus sub lege? Contra decalogum omnia facere licet, quia decalogus non amplius ligat? Permittitur iam nobis scortari, furari, mentiri, occidere? Absit. Imo multo minus, si regeniti sumus. Spiritus ita docet eos qui sunt in Christo. Docet nos spiritus Christi, obviam semper ire operibus carnis, quae sunt opera peccati: postquam a peccato transivimus ad iustitiam, et a carne transivimus ad spiritum. Haec est Pauli responsio, propositae quaestioni admodum consona, nostram libertatem praeclare docens, et nos monens, ne eam demus in occasionem carnis. Nota Pauli locum ad Galat. 5 an simus liberati a iugo legis decalogi posterioris, si sumus liberi*[1]) *a iugo legis Abrahae prioris. In summa Paulus ait, nos non esse sub lege, sed sub gratia. Contraria haec membra sunt. Qui erant sub lege, non erant sub gratia. Qui sunt sub gratia, non sunt sub lege. Obiicies tu, perinde* [pag. 642] *esse, an ex vi legis, an ex doctrina spiritus quid facias. Imo interest plurimum. Nam spiritus suaviter instruit ut filios: non torquet ut servos. Saxea lex rigida est. Spiritus suaviter docet et vires dat, vita*[2]) *nos adiuti, et meliora docti, multo minus peccemus. Quod si peccaverimus, facile remedium habeamus. Eximia sunt haec liberatoris dona. Prodest nobis haec per Christum liberatio a iugo illo, et vinculo maledictionis, ne conscientiae nostrae ita terreantur, ut illorum erant semper expavefactae. Nos si peccamus non mox ad mortem maledicimur, ut illi. Non praesto illis eras*[1]) *remedium, ut nobis: sed a pecorum sanguine expiationem quaerere cogebantur, semper in terrore. Nec vera tunc illis erat expiatio, quia*[2]) *semper Adae maledictio infernalis maneret, a qua nos adventus Christi liberavit. Nobis vera est expiatio et praesens, si petamus a Christo remitti, si confiteamur peccata nostra, ut ait Ioannes. Imo aliud. Quamdiu in vera propitiatoris fide consistimus, venialia sunt nobis omnia peccata. Venialia, inquam. Sed cavendum, ne vano fidei titulo quis seducatur, fidem vivam a mortua non bene discernens: id quod hodie passim videmus. Illud porro verum est: nos non posse ad mortem peccare, nisi in nobis exstinguatur fides. Nam vera Christi fides stare non potest sine iustitia. Stante filii Dei fide, quoquo modo peccemus, venialiter tantum peccamus, nec iusti esse desinimus. Faciunt nostra peccata, quem alio*[3]) *dici minorem in regno coelorum, sed nunquam sunt ad mortem, persistente fide, tametsi ad mortis viam sensim ducant. Exemplum habes in ephesina ecclesia, quae coenae caritatem reliquerat, non fidem (Apoc. 2). Hoc nobis est Christi propitiatoris donum incomparabile. Ipse est nobis verum propitiatorium, seu coopertorium, nos in omnibus protegens, propter quem nos beati, quorum tecta sunt peccata. Ipse peccata nostra suae misericordiae propitiatorio tegit, ne nobis imputentur, quamdiu viva fide ei credimus. Ex hac sola fide poterat* [pag. 643] *quis iustificari, etiam ignorans legem Mosis. Sunt qui decalogi vim sustinent, moralia dicentes esse leges naturae perpetuas. Quibus illud obiicimus: Quod ex natura perpetuum est, non est ex Mose, quum fuerit ante Mosen. Si haec naturae dictamina dicas, non dabis eis vim legis maledicentis, quum nesciretur maledictio talis, nisi per legem, nec ira talis, nisi per legem. Sublata ergo est lex, et nos non sumus sub lege, nec sub eius ira. Lex enim iram operatur. Ex legis ira fuit paradisi in Adam perditio, et Iudaeorum perditio. Quae omnia nunc sine lege restituit Christus (Rom. 3, 7 et 8). Iniuriam maximam vos facitis Paulo, ipsius autoritate contra ipsum abutentes. Ad legem Mosis servandam sub maledictione eum vultis teneri, et eam nunquam impleri posse, ut ex ipso probatis, dicto capite (Rom. 7). Non intelligitis, Paulum ibi prius sustinere personam ethnici, deinde Iudaei, deinde Christiani. Ego, inquit, vivebam sine lege,*[4]) *et concupiscentiam nesciebam esse peccatum. Postea, veniente decalogi lege, revixit peccatum, et ego mortuus sum. At nunc per Christum liberatus sum a lege. Paulus ergo non est sub lege, ut vos*

1) liberati.
2) ut ita.

1) erat.
2) quin.
3) *Sensus est:* alterum altero.
4) *Add.* quondam.

fingitis. Imo scopus eius est, sublatam esse legem, ut initio capitis praemittit, legem decalogi semper intelligens, et de ea exemplum dans. Ex lege illa, sicut ex caeremoniis, nobis nunc superest spiritualis[1]) *ratiocinatio. Superest cognitio impleti mysterii, et cognitio peccati: quam etiam cognitionem uberiorem in nobis facit nunc spiritus sanctus universaliter docens, omnia opera carnis esse peccata. Non solum legis illius scriptae vim et iugum sustulit Christus: sed et contra legem hanc peccati, quae est membris nostris innata, validum dedit mortificationis spiritus auxilium. Vos inter has duas leges, legem membrorum innatam, et legem mandatorum superadditam, ibi non discernitis: quum Paulus ibi discernat, alteram dicens alteri contrariam: alteram superesse, alteram sublatam* [pag. 644] *esse. Pessime ergo vos concluditis, Paulum teneri lege mandatorum, eo quod tenebatur lege membrorum. Ab hac non poterat liberari, nisi per mortem, ab illa liberatus iam erat per Christum. Imo et a morte, quae sequebatur legem membrorum, se ait iam liberatum per Christum, ut ibi subnectit, ei gratias agens, et nullam in se esse nunc condemnationem inferens. Ratione legis membrorum dicere de se ipso potuit: Quod nolo, hoc facio, nolens concupiscere concupisco. Omnis illa pugna in ipsomet Paulo scribente locum habebat, si rationem legis ibi inducas contra legem membrorum in ipso pugnantem. Hoc ibi obest, quod ait, in ipso mortem fieri, et ipsum occidi. Nunquam enim post regenerationem est a morte occisus Paulus, quantumvis fecerit aliquando facta ad mortem tendentia. Praestat illa dici in aliorum persona, quam in se transferre est Paulo peculiare.*[2]) *Item, quia ut de aliis loquutus ad Christianos revertitur initio capitis octavi, dicens: Nihil ergo nunc damnationis est nobis insitis*[3]) *Christo Iesu, vero libertatis assertori, qui a lege decalogi, quae erat lex peccati et mortis, nos liberos reddidit. Etenim quod lex illa praestare non poterat, ipse praestitit, legem ipsam nos destruentem tollens. Adde adhuc locum unum, ut omnino cognoscas, decalogi legem nunc esse sublatam. Foedus initum cum patribus, quando egrediebantur de Aegypto, sublatum docet Ieremias cap. 31. Hoc autem fuit foedus decalogi. Scribitur enim 3. Reg. 8 et 2 Parap. 6 quod in arca erat foedus initum cum patribus, quando egrediebantur de Aegypto, scilicet decalogus. Hinc dicebatur arca foederis, tabulae foederis, decem verba foederis. Ita Moses exponit foedus, id est, decem verba (Deut. 4). Nihil amplius ad foedus adiecit Deus (Deut. 5). De holocaustis et sacrificiis nihil est tunc praeceptum, ut ait idem Ieremias (cap. 7). De solo ergo decalogo loquens, ait, foedus illud esse sublatum. Non decalogum in tabulis lapideis dabo vobis, inquit Deus, sed in tabulis cordis fidem Christi. Haec fuit paciscendi formula* [pag. 645] *Exod. 19, 20 et Deut. 5. Deus promittit, illos fore sibi populum, si ea decem verba faciant. Illi ea verba se facturos recipiunt et promittunt. Ecce foedus. Id ipsum foedus est postea repetitum, et ita cum Deo pepigit populus Deut. 29, Iosue 24, quarti Regum 23, secundi Paralip. 29, 34 et plerisque aliis locis. Hoc decem verborum foedus, inquit Deus, pepigi*[1]) *cum patribus vestris, dicens, ambulate in praeceptis meis, et ero Deus vester (Ier. 7 et 11). Hoc autem foedus sublatum docet idem Ieremias dicto cap. 31 et apostolus (Heb. 8). Id ipsum in tabulis scriptum foedus, quod illi se servaturos promiserant, sublatum docet Ezechiel (cap. 16). Si ea lege nos nunc in suos recipiat Deus eo iugo pressi similiter periremus, et essemus sub maledicto. Sublata est ergo lex decalogi. Non sub eo foedere nos nunc*[2]) *in suos recipit Deus, sed fide sola Iesu Christi, filii dilecti. Testamentum servitutis vocat Paulus decalogum, in Sinai datum, et nunc sublatum (Galat. 4). Nihil ad perfectum duxit lex illa decalogi, est igitur abrogata, propter imbecillitatem et inutilitatem (Heb. 7). Quaeso te, nos qui ex gentibus nati sumus, et vivebamus sine lege, quando intravimus in legem Mosis? An fides, quae alios liberat, nos ad eam captivat?*

1) spiritualis *om.*
2) transferre: est P. id peculiare.
3) Nulla igitur nunc condemnatio his qui insiti sunt . . .

EPISTOLA VICESIMA QUARTA.

Quum superiora de iam sepulta et abrogata lege colligerem, et evangelium in sublimi collocarem, ne tu tempora legis et evangelii sinistre confundas, obiectio alia diluenda[3]) *sese obtulit. Arctum videtur esse nobis iugum, ut Iudaeis, quum dicat Christus, esse nobis arctam viam. Praecepta difficiliora, quam fuerint in lege, Christus nobis praescripsit (Matth. 5). Scriptus ergo est ibi nobis chirographus. Impossibilis item observatio ut Iudaeis, et transgressio similis. Crucem gestare et omnibus renunciare, nonne gravia sunt ac dura? Respondeo, gravia et dura sunt carni ea, quae in nobis agit spiritus Christi* [pag. 646] *carni in omnibus adversus, et carnem mortificans. Carni non solum est arcta et difficilis haec via spiritus, sed etiam impossibilis, sicut ait Christus: Quaerent intrare, et non poterunt. Quum autem fueris ingressus, spiritus reddit omnia facilia, omnia iocunda,*[4]) *omnia suavia, internum hominem delectantia. Ad hominem regenitum et spiritu innovatum dirigi oportet verba Christi, ut suavia et levia esse dignoscantur. Caro nostra dicit,*

1) pepigit Deus.
2) nunc *om.*
3) dissolvenda.
4) iucunda.

esse onus durum: ipse contra iugum ait suave, et onus leve. Praecepta illa ex Matthaeo citata, non sunt legalia praecepta, cum rigida illa ad mortem maledictione et exsecratione, si quis deficiat: Sed sunt praecepta doctrinae, sunt ad perfectionem vehicula, ut ibi docet Christus, volens nos ita esse perfectos. Libera sunt praecepta, si vis perfectus esse, ut Christus exponit. Libera sunt praecepta, a quibus deficiens non mox constituitur gehennae reus, licet minor alio dicatur in regno coelorum, ut ibidem manifeste docet Christus. Qui solverit, inquit, unum ex mandatis hisce minimis, minimus vocabitur in regno coelorum. Non excludetur foras, sed erit aliis posterior: et adhuc postremus, si fecerit et docuerit. Spiritus Christi nos docet sponte progredi, non secundum carnem, sed secundum spiritum, qui est spiritus liber, nos libere agere docens, et iuvans. Plurimum ergo differt doctrina spiritus a lege rigida. Chirographus non est nobis spiritus,[1] *ut in lege, quum nec talis adstrictio nunc supersit, nec fides indigeat scriptura, sed in tabulis cordis impressione. Christus nihil scripto nobis promulgavit, ut est olim data scriptura in tabulis. Antequam apostoli et evangelistae quidquam scriberent, iam erat lex Christi, lex spiritus, lex fidei, in cordibus credentium. Scripturae superadditae sunt, ad exhortationem et recordationem, ne per Antichristum periret tota Christi doctrina: quae vere doctrina dicitur, non lex rigoris. Hinc Paulus*[2] *ait: nos a lege esse translatos in formam doctrinae (Rom. 6). Ita venit Christus facere et docere, et apostolos misit ad docendum. Cogita differentiam inter formam legis et formam doctrinae,* [pag. 647] *nosque ab illa esse translatos ad istam. Magna est ignorantia tua, ut hanc differentiam, et translationem nostram intelligere nequeas. Observatio hic non est ita impossibilis, ut ais, imo non solum possibilis, sed aliquando facilis et iucunda, pro tempore videlicet. Iugiter et continuo illa omnia a nobis observari, et nunc est impossibile, et in lege fuit impossibile. Nam quum caro nostra ab ipso Satana sit oppressa, sua ad nos movendum caro habet momenta, semper ad perniciem: sua quoque seorsim spiritus habet momenta, semper ad salutem. Ad momenta quaedam*[3] *per spiritum datur nobis coelestium suavitate teneri, et nihil carnale tunc concupiscere. De coelo nobis aliquando datur, sincere intus diligere, toto cordis affectu, atque ita tunc legem implere. Nam qui diligit, legem implevit, ut ait Paulus. Hoc passim datur regenitis, coelestia suaviter gustantibus. At fragilis homo non persistit, quin a carne mox abducatur, et transgrediatur. Quanquam haec non proprie dicatur transgressio, quia non est a lege. Ubi enim non est lex, nec transgressio est, teste Paulo. Non recte ergo dicitur, esse hic transgressionem similem, ut in lege, quum nec transgressio sit, nec mortalis. Ut autem melius intelligas, in hac spirituali Christi doctrina non esse legale illud vinculum, nec servitutis praeceptum, sed liberaliter oblatam gratiam, et coeleste donum: perpende totum adventus Christi evangelicum gaudium et laetitiae nuncium a lege procul distinctum. Quum essemus peccato Adae et legis servitute admodum captivi, venit piissimus Christus, gaudium credentibus annuncians et liberationem. Docet, ut credamus, et gratis donat. Non lege cogit, sed beneficium offert credere volentibus. Postea quoque qui crediderant, citra legis coactionem docentur coelestia. Docentur regenerari ex aqua et spiritu sancto: alioqui extra regnum manere. Docentur carnem et*[1] *spiritum mortificare. Docentur diligere, et in coena Christi communicare, ut cibo coelesti servent vitam coelestem. Ecce totum evangelium* [pag. 648] *regni, laetissimum nuncium, cum donis praesentibus. Estne servitutis iugum imponere, tam coelestia dona gratis donare?*

1) scriptus.
2) D. Paulus.
3) quaedam *om.*

EPISTOLA VICESIMA QUINTA.

Mosaica lex, ut tu censes, erat lex inertibus saxis data, lex irrationalis, lex impossibilis, tyrannica. Ita miseros et rudes populos, te iudice, in equuleo exercebat tunc Deus, sicut tyrannus Diomedes in lecto ferreo, ut equis essent in pabulum. Lex illa perinde tibi sonat, ac si Gebennensibus tuis tyrannus quis dicat: Montes aureos producite, et astra coelo detrahite: alioqui poenas dabitis. Christus dicens, hoc fac, et vives, tibi saxo dixit: In aërem vola, et vives. Et ad legem illam nos vis tu hodie pariter teneri, ad impossibilia omnia adstrictos. Non te servitutis pudet? tam violentae tyrannidis? Deum ais in lege hoc solum voluisse ut impossibilitatis admonerentur. Tu ita fingis. At ego cum propheta dico, eum tunc voluisse mandata sua custodiri, eaque custodientes esse beatos. Favorem suum facientibus legem praebebat Deus, deficientibus expiationes dans. Illi quoque se mandata facturos iurabant, ut vides Neh. 10, Psal. 118, qui est Heb. 119[2] *item 2 Paral. 15, Deut. 29 et Ezech. 16). Quis tam amens iuret, aut quis Deus iurare faciat rem omnino impossibilem? Deus testatur, praeceptorum observationem sibi placere, et ea ipsum delectari. An res impossibilis eum delectabat? Si vis ad vitam ingredi, serva mandata (Matth. 19). Ad possibilitatem antecedentis sequitur possibilitas consequentis. Haec est regula misericordiae Dei: Ego sum Deus, faciens misericordiam in mille, iis qui diligunt*

1) per.
2) qui est Hebr. 119 *om.*

me et praecepta mea servant (*Exod. 20*). *Et possibilis, et in esse ibi ponitur praeceptorum observatio, sicut misericordia. Apud Ezechielem* (*cap. 18*) *ait Deus, patri impio succedere filium praecepta facientem, et contra. At tunc Deus ita pronunciat: Hic propter* [pag. 649] *iustitiam quam fecit vivet: iudicium et iustitiam fecit, custodivit omnia praecepta mea, et fecit ea. Apertissime docet Moses, praeceptum legis non esse impossibile, nec procul ab homine* (*Deut. 30*). *Quod et ad facilitatem legis evangelicae bene accommodat Paulus* [1]) (*Rom. 10*). *Innumeri exstant loci, qui realem aliquando praestitam legis observationem testantur. Et exempla multorum, qui legem ad tempus observarunt, eo modo, quo tempus illud exigebat. Proprium siquidem legis est, ut sit rationabilis, possibilis, tempori et moribus accommoda. Observationem legis factam ab aliquibus docet Moses, dicens: Custodierunt eloquium tuum, et foedus tuum observaverunt* (*Deut. 33*). *Confirmat Malachias* (*cap. 2*). *David aliquando fuit ea mente praeditus, ut custodierit praecepta Domini, et fecerit ea toto corde* (*3. Reg. 14, Psal. 118 et Act. 13*). *Haec sunt verba Davidis* (*2. Sam. 22 et Psal. 17*)*: Retribuet mihi Dominus, secundum iustitiam meam, iuxta puritatem manuum mearum rependet* [2]) *mihi. Quia custodivi vias Domini, et non egi impie a Deo meo. Omnia eius instituta in conspectu meo sunt, et praecepta eius a me non amoveo. Perfecte et integre versor coram illo, et servo me, ne pravum quid faciam. Rependet itaque mihi Dominus iuxta iustitiam meam, et iuxta puritatem manuum mearum, coram oculis eius.* [3]) *Idem Psalmo centesimo, se corde perfecto viam immaculatam servare ait. Hinc 3. Reg. 3 testimonio Salomonis, et testimonio ipsius Dei, praecepta, statuta et mandata custodivit David, ambulavitque coram Deo in veritate, iustitia et rectitudine. Ad certum tempus haec refer, et nihil erit ambiguitatis. Praecepta omnia complevit Iosue cap. 11 et Iosias 4 Reg. 23. Zacharias et Elizabeth ambulabant in omnibus praeceptis, et iustificationibus Domini* (*Luc. 1*). *Idem se corde perfecto fecisse, testatur Ezechias 4 Reg. 20 et Esa. 38. Idem Nehemias, et alii, plerisque locis. Possibilis erat via illa iustitiae legalis, si per eam venit Ioannes. Possibilis erat, si in ea vivebatur. Iustitiam* [pag. 650] *duplicem ait Paulus, iustitiam legis, et iustitiam fidei* (*Rom. 10*). *Divisionis illius dices tu alterum membrum nihil esse? In omni divisione oportet membra pro aliquo accipi. Iustitiam legis ibi definit Paulus, eam aliquid esse censens. Lege caput ultimum libri secundi, de iustitia regni Christi.* [4]) *Illud verum est,*

1) D. Paulus.
2) retribuet.
3) manuum . . . . eius *om.*
4) *Innuit scriptum suum De fide et iustitia regni Christi quod insertum est corpori opp. de Restit. Christ. p.* 287 *seqq.*

quod impossibile homini fuit in legis observatione iugiter permanere, quin passim transgrederetur. Unde monebantur illi misericordiam implorare. Affectus carnis, inquis, inimicitia est adversus Deum, legi Dei non subditur, nec potest [1]) (*Rom. 8*). *Id maxime verum est. At in homine sunt affectus carnis, et affectus spiritus. Non ex toto, sed ex parte erat impossibile legem servare, ut ait ibi Paulus. Ex parte carnis, transgressionem passim facientis. At non quovis momento transgreditur homo. Ex carnis etiam infirmitate et pravitate, imperfecte tunc praestabatur, quod praestabatur, quum nondum data esset perfectio Christi. Qua ratione iterum impossibilis erat legi perfectio iustitiae. Hic fuit Pauli scopus, ut pro nihilo habita illa, nec integra, nec manente iustitia, solam Christi iustitiam spectemus, quae integra est, perfecta et permanens, in sola ipsius fide consistens. Vulgaribus Iudaeis non fuit tunc datum hoc cogitare, sicut nobis nunc datur. Sed ad sua pro transgressionibus data remedia confugiebant, ad expiationes varias. Prophetis videntibus datum est sub umbra quadam Christum videre, et ad eum prae onere legis suspirare. At non ideo erant a legis iugo et observatione tunc exempti. Fiduciam hi habebant in futuro Christo, tametsi vulgus Iudaeorum nesciret, an esset odio vel amore dignus. Nos vero certam scimus caritatem Dei in nobis. Plerasque alias differentias iudaicae et christianae iustitiae, a me iam alibi expositas, nunc omitto. Si eas tu sublimi spiritu cum Paulo consideres, carnalem illam temporaneam, seu momentaneam legis iustitiam nihil nunc pendes, propter excellentem huius gloriam. Hac ratione Paulus* [pag. 651] *illam, ut reiectamentum elidit, ut hanc extollat. At, inquis, Paulus hanc rem fortius exaggerat Rom 3. Si locos omnes, quos ibi adducit, diligenter expendas, nihil ultra colliges. Omnes homines ait Paulus effectos inutiles? Fateor. Omnes declinaverunt? Non est, qui intelligat? non est, qui faciat bonum, ne unus quidem? Fateor. In quovis homine hoc aliquando accidit, ut nec intelligat, nec bonum faciat. Idque magis vigente per legem peccato, et certis impiorum hominum saeculis. Omnes erant obnoxii maledictioni, in quam passim transgredientes incidebant. Vera haec sunt. Nemo, ais, fuit unquam sine concupiscentia: ergo nemo unquam illam* [2]) *implevit: Non concupisces. Vere nemo fuit sine insito concupiscentiae stimulo: sed non semper actualiter concupiscebat, nec quovis momento novum reatum contrahebat. Ergo nec rem alterius, nec uxorem alterius nunc concupisco, et nuper concupiscebam. Omnium mortalium es tu miserrimus, si mentem tuam semper hic daemon exagitat. Semper est peccatum in carne,*

1) nam legi Dei non subditur, siquidem ne potest quidem.
2) illam legem.

at non semper movet animam. Iurasses tu, non fore in carne tua aliquem concupiscentiae stimulum? Quid igitur illi iurabant? Peccatum quod, ut ait Paulus, operatur in nobis omnem concupiscentiam, est diabolus ipse. Non iurabant ipsi, eum in ipsis non fore, sed se curaturos, ne pelliceret. Hoc, Deo iuvante, passim praestabant. Faciam, inquit, ut in praeceptis meis ambuletis, ea custodiatis et faciatis. Aliquid est, quod Paulus ait, eos qui sunt Christi, carnem crucifixisse cum affectibus et concupiscentiis (Galat. 5) Unde constat, te non esse Christi, qui concupiscentiam posse crucifigi negas. Nemo, ais, unquam implevit praeceptum illud, de diligendo Deo ex toto corde, tota anima, et totis viribus. Ut tu nunc cum Luthero tuo somnias, nemo tunc implevit. At non ita Deus exigebat, sed iuxta vires cuique datas. Mentiti sunt tibi David et alii, qui aiunt, se toto corde Deum exquisivisse, desiderasse, et mandata fecisse. Si nec tunc dabatur toto corde [pag. 652] *diligere, nec nunc datur toto corde credere, nunquam eris tu iustificatus, qui es tam rigidus exactor. Qui non diligit, manet in morte: ergo vos in morte manetis, qui dilectionem esse possibilem negatis. At vero liberalissimus Deus, omnia donans si eum oraveris, et fidem veram et caritatem veram aliquando donabit: perfectam caritatem, ut ait Ioannes. Si omnia sunt possibilia credenti, et tu credis, possibilis tibi est dilectio, et possibilis impletio praecepti. Augustinum tu soles audire, cuius haec sunt verba lib. 1. Retractat. cap. 15 et lib. de Duabus animabus contra Manichaeos: Peccati reum quem teneri, quia non fecit quod facere non potuit, summae iniquitatis et insaniae est. Ibidem ait, non dici peccatum, nisi a quo liberum est abstinere: liberum quoque esse ait, praeceptum implere, iuvante Deo. Adde, quod praeceptum de dilectione illa non erat in foedere decalogi, nec est a Deo ita datum, quando data est lex. Sed a Mose in Deuteronomio est postea exhortatione quadam adiunctum. Imo ait: Circumcidit*[1]*) dominus cor tuum, ut diligas eum ex toto corde (Deut. 30). Quibus verbis possibilem esse docet dilectionem illam, efficiente in te Deo, ut ita diligas. Magnum mandatum dicitur hoc a Christo, quia proxime accedit ad evangelicam perfectionem. Non tamen erat mandatum decalogi, nec maledicebat eum, qui non integre perficiebat. Si tu singula bene discernas, videbis plane, nihil incommodum, nihil inconsonum in lege Dei fuisse praeceptum. Omnia erant commoda, viribus facultatibusque consona, ad sanctam viam inducentia. Imo et iudicialia praecepta populo illi rebelli erant ita consona, ut nec Phoronaeus, nec Lycurgus, nec Solon, nec Pompilius, talia potuisset tunc excogitare. Si de caeremoniarum immensis ambagibus conqueraris, rudem illum aegyptiacum populum cogita, idololatriae fuisse deditum: a qua ut diverteretur, est iustissime aliis sublimioribus occupatus. Rabbi Moses Aegyptius, mysteriorum Christi praefigurationem ibi non* [pag. 653] *cogitans, caeremonialia illa sacrificia ait non fuisse populo data, nisi ut retraheretur a sacrificiis idolorum. Cuius signum esse ait, quod non fuerunt populo data, nisi postquam ad idololatriam declinavit, vitulum conflando et adorando. Nos dialogo primo*[1]*) multiplicem rationem adduximus, quare daemon suffumigationes et sanguines appetat. Atque ideo, velut antidotum, Deo sanguinem servari atque suffitus ut sibi debitum suavem odorem, quem antea daemon ex immundis quibusdam sibi suavem composuerat. Desine igitur, Calvine, legem illam in nos torquere, aut de eius observatione tam violenter agere, etiamsi cum Iudaeo tibi esset agendum, ut tui misereatur Deus, qui in lege est passim Iudaeorum misertus. Amen.*

1) circumcidet.

EPISTOLA VICESIMA SEXTA.

De lege Mosis aliud superest inquirendum, ne quis iudicialia illa nobis obtrudat. Quaeramus ergo. Si iudicia illa a Deo ipso prolata dirimendis litibus, erat tam consona,[2]*) quare nos ea non servamus, ut in iudiciis nostris utamur? Respondeo: Duro populo prolatum est durum iudicium, quod Christi clementia tollit. Tolli autem vides in muliere adultera (Ioan. 8). Iudicialium illorum obligatio cessat, per liberatorem sublata. Poenarum acerbitas illa indicabat, immensam esse offensam divinae maiestatis immensae. Sicut scelus Adae fuit immensum, ita fuit poena exitialis mortis immensa. Nos vero scimus, immensi sceleris fuisse immensam compensationem, mortem pretiosissimam filii Dei. Ob id nos, quum offendimus, non tam rigide occidimur, obiecta pro nobis ipsa morte Christi, immenso redemptionis*[3]*) pretio. Eius nidore ubique delinitus pater, ubique iram remittit, ubi nos ei hoc proponimus, fide propitiatoris viva. Id quod Iudaeis nondum dabatur. Non servili poenarum metu nos* [pag. 654] *terremur, ut illi: quia perfecta est caritas Dei in nobis, quae foras excludit timorem. Ut figuralis erat imperfectus populus, ita eorum iudicia erant aut figuralia, aut populi imperfectionem significantia. In caeremoniis quoque esse alterius rei figuram, et propriam eorum imperfectionem significari, docet apostolus (Heb. 9). Non potest quis dicere, statuta veteri populo similia esse nobis observanda, quum non sit nunc status populi similis. An licebit nunc cognato occisi inter-*

1) *Serveti dialogi II de Trinitate divina l. c. pag.* 199 *sqq.*
2) erant consona.
3) redemptoris.

ficere homicidam? Olim id licebat, Num. 35. An iudicabimus nunc[1]) *de uxoribus superinductis, de ancillis, de zelotypia, de occisio*[2]) *invento, de fugitivis? Deleta est tota illa Mosis politia, ut non liceat nobis ea quae destructa sunt reaedificare, teste Paulo. Lex puero aut servo data cessat, ubi ex servo fit liber, aut a puero transit in virum, a paedagogi et domini prioris exemptus potestate. Si iudicium illud infernalis mortis, in Adam prolatum, est per Christum in credentibus sublatum, multo magis tolluntur illa Mosis ad mortem iudicia, ad tempus correctionis rigore quodam prolata. Hic vides, quanta erga nos sit Christi clementia. Nihil ille suis non condonat, et condonari a nobis vult iudicialium rigorem. Si cui sit quidquam furto sublatum, non concedam accipere quadruplum, aut quintuplum, ut lex habet rigoris: sed suo esse contentum, ne cum aliena iactura locupletetur, et ne alteri faciat, quod sibi fieri nolet.*[3]) *Ita Christus brevi compendio nobis conclusit iudicialia omnia legis, ut nos ipsi nostri iudices simus, facientes aliis, ut nobis fieri vellemus. Ad eundem modum, ut refert Irenaeus lib. 3 cap. 12 in concilio Ierosolymitano scripserunt gentibus apostoli, iudaicis omissis id observandum, ne aliis faciat quid*[4]) *sibi fieri nolint. Hinc Paulus ait, etiam minimos in ecclesia esse ad lites inter Christianos* [pag. 655] *dirimendas idoneos, absque ethnicis aut mosaicis iudiciis. Daturus est Deus ut veram ecclesiam alicubi tandem videamus. Ibi semper erit rectum iudicium, ubi erit spiritus Domini. Ex iudiciis illis legis rationes aliquae colliguntur, ut de parentum veneratione, de eo qui habet uxorem patris, de virgine violata, de damno dato, et aliis, quorum ratio similem in nobis locum habet.*

EPISTOLA VICESIMA SEPTIMA.

Incidit iam quaestio alia, quae plerosque hodie torquet, an homini christiano liceat magistratum gerere, regem esse, et occidere. Indigna enim videntur homine christiano, quae ex peccato sunt orta. Quid igitur? Destruemus omnia quae ex peccato sunt? Qui hoc ita credit, destruat se ipsum, quum corpus suum sit corpus peccati. Destruat coelum, quod peccato est pollutum. Destruat terram, quae ob peccatum profert spinas. Ex peccato fuit urbium aedificatio, et fuit opus Cain. Si Adam non peccasset, nec civitatibus, nec domibus indigeremus, quae nos protegerent ab iniuriis[5]) *coeli, ab hostibus et latronibus. Destruemus igitur civitates et domos? Absit. Ex iniuria oritur ius, quod non est peccatum, licet ex peccati occasione nascatur.*[1]) *Ex peccato filiorum Israel fuit petere regem: et nihilominus sine peccato quis ad regnum vocabitur.*[2]) *Imo peccatum esset, quem vocatum ad regni aut magistratus administrationem, eam recusare,*[3]) *si ea via sit nomen Christi promoturus. Peccatum etiam subditis esset, nolle regi obedire. Non sunt illi extra ecclesiam, quum inter ecclesiae membra numerat*[4]) *Paulus potestates et gubernatores, 1. Cor. 12. Reges vult ad agnitionem veritatis venire, et gladium gestare. Quamdiu durat mundus, velimus nolimus, cogimur ordinem mundi servare. Iustitiae autem administratione maxime servatur ordo mundi. Optimus ille ordo est, quae*[5]) *intus docet spiritus, qui et reluctantem carnem cohibere docet. Sed numquid occidere? Veritas Dei est, ut superior docet epistola, rigidum illud ad* [pag. 656] *mortem iudicium esse per Christum remissum, ubi spes est correctionis. Hinc adulterae dixit: Vade, et posthac ne peccaveris. Et alibi adiecit: Ne quid deterius tibi contingat. Sicuti iudex ille supremus nos corrigit, et monet, antequam occidat: ita et alii iudices facere debent. Illud verum est, quod correctione non exspectata Ananiam et Saphiram occidit Petrus, ibi morituros praedicens, in criminis detestationem et aliorum exemplum. Aut certe, quia spiritus sanctus tum maxime vigens, quem spreverant, docebat esse incorrigibiles, in malitia obstinatos. Hoc crimen est morte simpliciter dignum, et apud Deum, et apud homines. In aliis autem criminibus, ubi spiritus sanctus speciale quid non docet, ibi*[6]) *non est inveterata malitia aut obstinatio certa*[7]) *non apparet, aut atrocitas magna, correctionem per alias castigationes sperare potius debemus, quam mortem inferre. Inter correctiones exsilium laudamus, Christo ita probatum, ut excommunicatio probatur in ecclesia. Schismata et haereses ita initio puniebantur durante apostolicae traditionis vestigio. Qui extra fidei negotium sunt facinorosi, iure omnium gentium puniuntur, quod etiam est naturale ius. Hoc Christus non negavit, sicut haereditatem dividere recusans non negavit, esse qui haereditates dividerent. Sunt haec praeter evangelii ministerium, sicut artificia varia, non contra evangelium. Praeter evangelium est, militari manu bona tua et tuorum, ac vitam ipsam, contra grassatorem defendere. Iudicem tu agis, quum desit alius iudex. Milites ad Christum praeparans Ioannes,*

1) *Add. MS.:* de leprosis sicut tunc iudicabatur? Nusquam sunt nunc signa illa quae tunc exstabant etiam in vestibus et parietibus. An simili modo iudicabimus nunc . . .
2) occiso.
3) nolit.
4) faciant quod.
5) iniuria.

1) oriatur.
2) vocabatur.
3) qui vocatus . . . . . recusaret.
4) numeret.
5) quem.
6) ubi.
7) certo.

non mox iussit a militia discedere, sed certa ratione se continere. Gladium eis gestare licet, sicut licet potestati, cui serviunt, ad iustitiam et vindictam malorum.

EPISTOLA VICESIMA OCTAVA.

[pag. 657] *Nullibi es tu vere assequutus, quae in confessionibus et confirmationibus fuerint episcoporum et presbyterorum partes. Aliquando iidem*[1] *simul erant episcopi et presbyteri, quibus pariter incumbebat administrationis onus. Aliquando ob insignem donorum Dei in aliquo excellentiam,*[2] *ab aliis senioribus deferebatur ei episcopi honor, et ecclesiae consensu in eum potius recidebat cura et speculatio. Ecclesiam intellige conventum omnium cum Christo coenantium. Verum in eo coetu est christianae unitatis symbolum. Ibi est Christus in medio eorum. Sive ergo plures sunt episcopi, sive unus episcopus, speculator dicitur, et superintendens. Sed cavendum, ne his praetextibus episcopus dominium exerceat. Praesentem ecclesiae oportet episcopum esse, ut speculetur et superinspiciat, nisi forte ad aliud fidei negotium aliquando mittatur. Episcopi velut pastoris munus est, sibi commissas oves cognoscere, visitare, et in doctrina fidei confirmare, ne qua lues suboriatur. Ita Paulus suos visitans confirmabat, alios constituens episcopos, ubi ipse alio proficiscebatur. Confirmationem igitur, orationem et manuum episcopalem seu presbyteralem impositionem baptizatis conferre certum est: idque semel aut pluries, ut res exigere videbitur. Insigni spiritus Christi efficacia manus baptizatis imponebant apostoli: et tunc spiritum sanctum illi accipiebant, cum linguae et prophetiae donis, ad ecclesiae aedificationem et augmentum. Postea iterum ad ministeria mittendis manus imponebant, idque saepius, quum ad varia ministeria saepius mittebantur. Multi presbyteri simul manus imponebant, Act. 13, sicut apostoli simul manus imposuerunt ministris, ad coenae ministerium electis, Act. 6. Hinc dicebatur impositio manuum presbyterii, id est congregationis seniorum, 1. Timo. 4. Similis super aegros erat impositio manuum, ab uno vel multis facta: super infantes item, et peccata confitentes. Episcopi et aliorum ministrorum munus est, attendere, ne quis ad dominicam coenam accedat* [pag. 658] *indignus. Imo confirmationem doctrinae fidei et baptismi episcopus exigit, praesertim a parum notis. Curat episcopus, ab aliis senioribus adiutus, ut qui contra alium aliquid habent, peccata alterutrum confitentes, reconcilientur, antequam ad mensam accedant. Haec est confessio peccatorum, ante sacram synaxim. Imo quia huic negotio adhibebantur presbyteri, ubi quidam in alio erat scrupulus, uni aut pluribus presbyteris se ostendebat, consilium et opem petebat, confitebatur peccata sua. Illi resipiscere hominem docentes, et in fide Christi firmantes, pro eo orabant, ut ei peccata illa remitterentur. Si veri erant Christi ministri, quam plurimum homini peccanti et infirmo prodesse poterat ipsorum doctrina et oratio, Galat. 6, Iacobi 5 et 1. Ioan. 5. Peccata illi remittebant, quibus dixit Christus: Quorumcunque remiseritis peccata, remittuntur eis. Ministri Christi potestatem habent reconciliandi homines Deo, et in persona Christi condonant, quasi eius legati, ut tota ad Corinthios epistola secunda Paulus docet, Ioannes item et Iacobus locis iam citatis. Hanc veris ecclesiae ministris perpetuam inesse ligandi et solvendi facultatem, docet ipse Christus, Matth. 18, ut quamcunque rem duo ex illis orent, impetrent. Potestatem insuper habent exercendae vindictae adversus incredulos, ut eos excommunicando Satanae et morti tradant. Hanc autem potestatem omnem exercent virtute spiritus, monendo et orando. Sed an satisfactionem illi docebant? Docebant vere, faciendos esse fructus, dignos poenitentia: furtum restituendum, si sit facultas. Docebant, ieiunio et oratione cohiberi carnis lasciviam, carnem mortificari, et spiritum vivificari, eleemosynis peccatum redimi, Deum pro singulis rependere, et remittenti remittere. Quemadmodum corde, ore et opere Deum offendimus, ita poenitentes corde dolemus, ore confitemur, et opere velut satisfacimus. Quemadmodum opera mala spiritum fidei exstinguunt, ita bona eum vivificant. Spiritum fidei peccatis laesum velut restituimus, veniam obtinentes fide* [pag. 659] *ipsa, quam talia opera aliquo modo reficiunt. Atque ita ad peccati commissi et poenae ipsius remissionem, aliquid faciunt opera, ipsi fidei adiuncta. Regenitis et fide iustificatis, adhuc superest haec peccatorum quotidiana remissio. Peccata hic intellige, a gratia Christi, et eius regeneratione, non penitus excludentia, quae non sunt penitus ad mortem. Papistae vocant mortalia peccata, quae in lege erant mortalia, ex transgressionis maledictione. A quovis eorum aiunt penitus interimi gratiam, quam ipsi fingunt esse qualitatem quandam. Ita ipsi leges suas, cum fictitiis qualitatibus observant. Christianis vero peccata, etiam gravissima, non sunt ad mortem, persistente fide: sed ad mortem sensim ducunt, fidem exstinguendo, quia sunt opera carnis spiritui fidei contraria. Haec est igitur confessionis summa, ut in christiani hominis arbitrio posita sit, ad exstirpandam conscientiam malam. Se ipsum, debet homo probare, antequam ad coenam accedat, et seniores in Christi doctrina exercitatos in consilium adhibere, si de re quapiam dubitat. Alioqui mors etiam corporalis, et poena alia temporalis imminet indigne accedenti (1. Cor. 11) a quibus omnibus liberat haec confessio. Item a morte perpetua liberat*

1) iidem *om.*
2) excellentiam] *Hic subsistit Codex parisiensis.*

haec confessio, et ab errore viae conversio, teste Iacobo. Ita tu lucrifacis fratrem tuum, reducens ovem, quae errabat (Matth. 18) et ad mortem ruebat Apoc. 3 et Lucae 15: ad mortem et interitum tendebat fides hominis, in ea haesitatione constituti, et conscientia mala ita oppressi. Haec perspicua sunt intelligenti, qua ratione homo tendat ad mortem et in eo moriatur fides, ut superius iam exposui. Sicut qui ad baptismum veniunt, confitentes poenitent: ita et qui post baptismum a mala conscientia opprimuntur. Prima poenitentia et confessio hominem a morte ducit ad vitam: secunda morientem hominem vivum servat a morte secunda. Utraque confessio fit Deo, et aliquando homini, ubi quid ab eo petendum videtur. Est itaque homini facta confessio [pag. 660] haec propria eorum, qui atroci crimine deterrentur, in fide sunt infirmi, aut inter quos est offensio aliqua.

EPISTOLA VICESIMA NONA.

Quia parabolam Christus adducit de hominibus ad varias diei horas vocatis et aequam denarii mercedem accipientibus, mox tu concludis, nullum fore gloriae discrimen, nec fidei, nec operum. Quid si Christus ibi aetatum discrimen in operibus non faciens, indicat nobis, senem vocatum aequari iuveni vocato? Aut nuper vocatum aequari iam olim vocato? Nec fidei, nec operum varietas ibi inducitur, sed temporis. Quomodo igitur hinc tibi mox persuades, opera nihil ad gloriam augendam prodesse? Fidem non ita suscipere magis et minus, ut gloriam augere possit? Denique nec fides, nec opera, tibi quidquam prosunt, quum ita quis salvetur sine illis, sicut cum illis, solo genealogiae fato, ut de tuo infante contendis. Iustificatum eum esse dicis, antequam credat, et vere salvatum, esto sine fide moriatur. Atque ita sequentem Christi salvatoris fidem salutem non efficere. Falsum est igitur, quod scribitur: Qui non credit filio Dei, non habet vitam, sed ira Dei manet super eum: et qui credit, transit a morte ad vitam. Annon fides iustificat impium? Fides Christi vere facit ex iniusto iustum, ex impio pium, ex mortuo vivum (Ioan. 5 Rom. 4, 5 et Coloss. 2). Fides Christi vere liberat eum qui ante erat servus peccati et mortis (Ioan. 8 et Rom. 6). Ex filio irae facit filium Dei (Ephes. 2). De tenebris transfert ad lucem, et de potestate Satanae ad Deum (Actor. 26, Coloss. 1 et 1. Petr. 2). Vere ergo iniustus quis erat, antequam crederet, impius erat, mortuus in tenebris, et sub potestate Satanae. Evangelium totum ignorat, qui hanc efficaciam non tribuit fidei Christi. Fidem vero, sicut et reliqua, suscipere magis et minus, augeri et minui, notius est, quam ut hic debeat demonstrari. Superest [pag. 661] latius exponenda proposita Christi parabola, quae multa complectitur. Quum in parabolis regni coelorum et praesens et futurum regnum Christus spectet, pares a Christo fieri novissimos primis, dicimus in unius gratiae et unius fidei iustificationem. Neminem vult Christus in hoc regno coelorum dici alio maiorem, sed esse regali et sacerdotali dignitate pares, omnes reges et sacerdotes, aeque pretiosa fide donatos. Denarius unus nobis omnibus exhibitus est, ipsemet Christus. Sicut olim dabatur omnibus aequa mannae mensura, ita nunc Christus, quod ad sui substantiam attinet, aeque nobis datur, licet eo non aeque fruamur. In futuro quoque denarius erit vita illa aeterna, ubi amplius alio nemo vivit, ubi vivendi non erit diversa meta. Denarius erit ipsemet Deus, omnibus exhibitus, licet eo non omnes aeque fruemur. Indicat insuper Christus, fieri iuste, ut una huius hora aequetur toti diei illius in mercedis gloriae mensura. Unam horam laboravit Stephanus, quae multis aliorum diebus aequatur. Placuit Deo, eum non amplius manere, et ei dare gloriam, sicut aliis, qui multos annos laborarunt. Ita respondet pater familias: Volo huic dare, sicut tibi. Cogitabis ergo, Calvine, ibi non agi de fidei aut operum varia qualitate, sed tantum agi de temporis diuturnitate. Retundit ibi Christus Iudaeorum supercilium, qui ob id, quod tamdiu in lege laborarunt, videbantur aliis nuper vocatis largius remunerandi. Imo novissimi vocati accipiunt primi mercedem. Nam sui laboris mercedem non acceperunt prophetae, donec venerunt apostoli, qui in labores eorum introierunt. Primi nos accipimus, qui hic viventes accipimus.

EPISTOLA TRICESIMA.

Pares Christianis facis vulgares Iudaeos, quia scribit Paulus, eos omnes eandem escam spiritualem comedisse, omnes eundem potum spiritualem vidisse,[1] et omnes in mari baptizatos [pag. 662] fuisse (1. Cor. 10). Pares illi omnes sunt vobis, aeque carnalibus, quibus pariter ignotum est adventus Christi coeleste beneficium: qui in coena nihil manducatis, nisi tropos: et qui baptismum esse facitis, ut caeremoniam leviticam, signum rei quae non est. Paresne regenitis erant illi, qui omnes erant improbi? Qui omnes in deserto ob impietatem suam perierunt, exceptis solum duobus? Controversiam hanc praeclare dirimit Christus (Ioan. 6) dicens: Non sicut manducaverunt patres vestri. Ergo illi non manducaverunt, sicut nos manducamus. Illi manducantes moriebantur, nos manducantes iugiter vivimus. Immortali cibo nutriti, immortalem vitam nos vivimus, si perseveremus. Nova est et coelestis haec vita immortalis, quam Christus nobis induxit. Pro terrestribus ipse intulit

1) bibisse?

coelestia (*Ioan.* 3 *et* 6), *foedere novo viam novam* (*Heb.* 10), *omnia nova* (2. *Cor.* 5). *Adde, quod eodem capite* (1. *Cor.* 10) *vocat Paulus Israëlem carnalem, ad differentiam spiritualis: ergo differentia est. Ea omnia, ait, in figura illis contigisse: ergo non erat ibi veritas: ergo differentia est inter figuram et figuratum. Praeterea apostolus ipse aperte docet, eos omnes eandem inter se escam comedisse, tam bonos, quam malos, non eandem nobiscum: nec hoc ad rem facit. Docet Paulus, ex paritate cibi non fuisse inter eos parem electionem, sicut nec inter nos. Doctrinam nobis ibi dat, ne ob cibum illum insolescamus, et reprobi interim efficiamur, ut praecedenti capite concluserat. Ad quam rem pertinenter adducit exemplum ex veteri figura. Sicut illi omnes, inquit, pari cibo vescentes non pariter Deo placuerunt, ita nobis est cavendum. Sicut illi, qui figuram gerebant nostri baptismi et coenae, ob sequuta scelera perierunt: ita nobis est cavendum, ne similibus flagitiis pereamus, postquam baptizati fuerimus, et Christum eundem manducaverimus. Potestne postea perire, qui Christum semel manducavit? Non potest, si perseveret. Alioqui potest fieri* [pag. 663] *reprobus, ut ibi docet Paulus: et qui stat, cadere potest, ut ibidem subnectit. Potest homo semel in Christo regenitus postea relabi* (*Heb.* 6), *ab arbore exscindi* (*Rom.* 11), *ad mortem peccare* (1. *Ioan.* 5). *Quanquam nemo nisi vere regenitus carnem Christi manducet, manducare tamen quis iuste potest, et postea lapsus perire. Perire diximus eos, qui per opera carnis, et supervenientem infidelitatem exstinguunt spiritum fidei. Ideo per carni contrarias spiritus actiones, nos oportet in caritate firmari, orationibus et ieiuniis spiritu fidei foveri, et carne mortificata magis vivificari. Ita Petrus ait, nos per facta haec et alia similia, quae ipse narrat, debere operam dare, ut vocationem, et electionem nostram firmam efficiamus* (2. *Petr.* 1). *Periclitabitur omnino, qui haec intermiserit, et fient posteriora deteriora primis, si relabatur. Relapsus hic liberum hominem ostendit, qui ob id acrius punitur. Relapsum hunc docet Christus, dicens, palmitem ipsi insitum, si fructum non ferat, tolli. Palmes, qui viridis erat, et in Christo manebat, postea sublatus arescit* (*Ioan.* 15). *Candelabrum, quod lucebat, exstinguitur* (*Apoc.* 2 *et* 3). *Per fidem Christi exit immundus spiritus ab homine, et postea revertitur* (*Matth.* 12). *Effugit quis inquinamenta mundi per fidem servatoris Iesu Christi, et rursus eis involutus superatur* (2. *Petr.* 2). *Non debet tibi absonum videri, quod particeps Christi factus aliquis, postea damnetur: etiam si in eius nomine prophetarit, et virtutes ediderit* (*Matth.* 7). *Sicut ab initio sunt omnes facti participes eiusdem innati spiritus Dei, et nihilominus plurimi damnantur: ita postea sunt plerique facti participes eiusdem spiritus Christi, et nihilominus damnantur. Saul et Salomon ad tempus fuerunt Deo probati, et bono spiritu imbuti: quem postea male servantes iustitiam perdiderunt. Iustitiam olim perdi* [pag. 664] *et restitui docet Ezechiel cap.* 18 *et* 33. *Quis neget, iustitiam posse perdi, qui videt eam in Adamo perditam? Usque ad mortem ideo exigitur perseverantia et fidelitas* (*Matth.* 10, 24 *et Apoc.* 2). *Alioqui, quod habet quis, tolletur ab eo. Sed ad Israëlitas revertor, Eos tu non eandem inter se, sed eandem nobiscum escam manducasse, ex Paulo contendis: ut hoc uno telo omnia prosternas, et coelum cum terra confundas. Sed cogita melius, et Paulum aliter intelliges. Quoquo modo tu accipias, responsio facilis est. Sicut figura dicitur idem cum re, quam figurat, ita cibus ille est idem cum isto: sicut Christus dicitur Salomon, et Salomon Christus. Eadem ratione dicitur cibus ille spiritualis, ob spiritualis mysterii allegoriam. Lex ipsa Paulo dicitur spiritualis, quia spiritu Dei prolata contra carnem ipsam internum spiritus motum et affectum exigebat* (*Rom.* 7). *Alia item ratione, ob contentum mysterium, erant caeremoniae spirituales et manna cibus spiritualis. Si ex historia elicias allegoriam, ut elicit Paulus, quidquid est in lege, ea consideratione dicetur spirituale, quia est figura rei spiritualis. Exinde vero pessime tu concludis, eos esse nobis aequales: imo gloriae adventus Christi plurimum detrahis. Dabit tibi Dominus, ut horum omnium intellectum bonum accipias, spiritu ipso veritatis ductus, per Iesum Christum et Deum patrem. Amen.*

SIGNA SEXAGINTA REGNI ANTICHRISTI, ET REVELATIO EIUS, IAM NUNC PRAESENS. [1]

Primum signum: Orbis perturbatio, et consummata tribulatio (Matth. 24 et Lucae 21). Antichristi tempus hinc colligere docet Christus.

Secundum signum: Papa Christo contraria docet, Christo contraria facit, et regnum eius occupat: ergo Antichristus est. Ab evidentia facti sumitur argumentum.

Tertium signum: Usque ad regnum papatus semper crevit [pag. 665] *christianismus, et a regno papatus semper decrevit. Digitus est Dei, et punitio insignis.*

Quartum signum: Sub eo regno nemo cognovit, hominem esse ex patre Deo genitum. Antichristi regnum est, non cognoscere Christum, ut ait Ioannes.

Quintum signum: In exercitu Romanorum contra terrenam Ierusalem figuravit Christus exercitum romanum Antichristi, qui ecclesiam Dei, coelestem civitatem, et regnum Christi desolaret: quemadmodum in exercitu Antiochi idem figuravit Daniel.

Sextum signum: Tanta est tyrannis Antiochi nostri, ut nemo audeat vera loqui, nemo librum Dei legere, sed strenue adulari, ne comburatur.

Septimum signum: Quod inducendi sub Antichristo essent in errorem quasi etiam electi. Quotusquisque est, qui papatum agnoscendo non erravit?

Octavum signum: Prius debere in gentes divulgari evangelium, ait Christus, quam veniret Antichristus (Marc. 13). Ergo mox venturum indicavit. Mox futurum aiunt Paulus et Ioannes.

Nonum signum: Prius, ait Christus, tradendos apostolos et discipulos ante reges et praesides, quam veniret Antichristus. Ergo statim venturum significavit.

Decimum signum: In diebus illis, inquit, post vestram afflictionem, sol Christus obscurabitur, ecclesia non dabit splendorem suum, stellae coeli decident. Ecce dies Antichristi, et ecclesiae abolitum splendorem, occisis apostolis et discipulis.

Undecimum signum: Destructa iam terrena Ierusalem, haec verba obscurationis repetit Ioannes, ad Antichristum referens, et dicens, tempus prope esse. Stellae coeli, veri gloriae Christi praecones, iam ceciderunt. Et exercitus coeli, angeli ipsi, admodum sunt commoti.

Duodecimum signum: Ex multis legis figuris et propheticis scriptis ostenditur, post illud piorum hominum saeculum illico fore Antichristi et sacrificulorum eius apostasiam. Ut post duodecim fontes, et septuaginta palmas, post viros illos, qui viderunt magnalia [pag. 666] *Dei, sequuta est mox generatio prava.*

pouvoit descendre au coin d'une muraille et de là se jeter dans la cour. Quoique le jardin fût toujours soigneusement fermé, on en permettoit quelquefois l'entrée à des prisonniers au dessus du commun, soit pour se promener ou pour d'autres nécessités. Servet y étoit entré la veille et y avoit tout bien examiné. Le 7 d'avril il se leva à quatre heures du matin et demanda la clé au géolier, qui alloit faire travailler ses vignes. Ce bon homme le voyant en bonnet de nuit et en robe de chambre ne soupçonna nullement qu'il fût tout habillé, ni qu'il eût son chapeau caché sous sa robbe. Il lui donna la clé et sortit quelque temps après avec ses manoeuvres. Lorsque Servet les crut assés éloignés, *il laissa au pied d'un arbre son bonnet de velours noir et sa robbe de chambre fourrée*, sauta de la terrasse sur le toit et parvint jusques dans la cour, sans se faire le moindre mal. Il gagna promptement la porte du Pont du Rhône qui n'étoit pas éloignée de la prison et passa dans le Lyonnois, ainsi que le déposa une paysanne qui l'avoit rencontré, mais qu'heureusement pour lui on n'interrogea que trois jours après. Il se passa plus de deux heures avant que l'on s'apperçût de son évasion. La femme du géolier en fut avertie la première, et fit cent extravagances qui marquoient son désespoir. Elle s'arracha les cheveux, battit ses domestiques, ses enfans et tous les prisonniers qu'elle rencontra; et sa colère lui faisant braver le péril, elle courut sur les toits des maisons voisines pour tâcher de découvrir le fugitif. Les juges firent de leur côté tout ce qui dépendoit d'eux en pareille occasion. Le Vibaillif donna ordre que les portes fussent fermées et gardées cette nuit prochaine et les suivantes. *Après les proclamations à son de trompe*, on fit des perquisitions exactes dans presque toutes les maisons de même qu'à Sainte Colombe. On écrivit aux Magistrats de Lyon et des autres villes où l'on présuma que Servet auroit pu chercher un asile. On n'oublia pas de s'informer s'il avoit de l'argent en banque, et tous ses papiers, meubles et effets furent inventoriés *et mis à la main de la Iustice*. On croit communément . . . que le Vibaillif étant intime ami de Servet, qui avoit guéri sa fille unique d'une dangereuse maladie, ce Magistrat favorisa son évasion . . . Je ne puis même dissimuler, que dans la procédure faite par le Grand-Vicaire dans les prisons royales après la fuite de Servet, le géolier commence par avouer qu'il a donné la clé du jardin à Me. Michel de Villeneufve; mais le reste de la déposition est en blanc. Il sembleroit par là, qu'il y avoit quelque mystère qu'on a voulu ensevelir sous un éternel silence. Ce ne sont cependant que de simples soupçons, qui ne peuvent donner aucune atteinte à la mémoire d'un magistrat qu'on a toujours reconnu pour être scrupuleusement attaché à ses devoirs. Supposé même qu'il eût voulu s'en écarter dans cette occasion, je doute fort qu'il eût osé l'entreprendre. C'étoit trop s'exposer au ressentiment du Cardinal de Tournon, qui comme tout le monde sçait, se montroit inexorable quand il étoit question de punir un hérétique. Le propre témoignage de Servet fait voir que le géolier ne fut pas complice de sa fuite. Il est seulement prouvé par la procédure, qu'une des servantes du géolier avoit dit à Benoit Perrin en présence de plusieurs personnes: *Laquais allez dire à vostre maistre qui est la haut dans le jardin, qu'il se sauve par derriere le jardin.* Interrogé sur ce fait, Perrin l'avoua ingénument, mais il protesta en même tems que lorsqu'il entra dans le jardin, son maître s'étoit déjà évadé.

Le reste du mois d'avril se passa à faire un nouvel examen des livres, papiers et lettres de Villeneufve et d'Arnollet, et à copier les Epistres addressées à Calvin, dont les originaux furent déposés au greffe de l'officialité. Le 2 de mai, l'inquisiteur étant averti que dans une maison écartée il y avoit deux presses qui n'étoient point spécifiées dans les réponses personnelles d'Arnollet, il s'y transporta avec le Grand-Vicaire et le Vibaillif. Ils y trouvèrent trois garçons d'imprimerie, Thomas de Straton, Iean du Bois et Claude Papillon. L'inquisiteur, avant de les interroger, leur dit qu'ils n'avoient pu ignorer que depuis les procédures commencées contre leur maître et Michel de Villeneufve, il étoit enjoint à toutes personnes, sous peine d'être traitées comme hérétiques, de révéler ce qui concernoit le livre composé par Villeneufve, sorti de l'imprimerie d'Arnollet; qu'il y avoit preuve qu'eux compositeurs avoient travaillé à ce livre; qu'on les exhortoit de dire sincèrement la vérité, *et s'ils y avoient failly, d'en demander grace, et que les juges n'entendoient point la pugnition mais seulement la correction.* Ces ouvriers extrêmement effrayés se mirent à genoux, et Straton prenant la parole pour les autres, dit qu'ils avoient imprimé un gros in 8°., intitulé Christianismi Restitutio, et n'avoient jamais sçu qu'il contint doctrine hérétique, mais seulement l'avoient ouy dire depuis que le procès étoit commencé: qu'ils avoient *besoigné* depuis la Saint Michel dernière jusques au 3 de janvier, que ledit livre *avoit été finy d'imprimer:* qu'ils n'avoient osé *en donner révélation* aux juges de peur d'être brûlés: qu'au surplus ils demandoient graces et se remettoient à leur miséricorde. Il ajouta que Me. Michel de Villeneufve avoit fait imprimer

de mense Aprilis nuper effluxi factis, per quas recognovit et confessus fuit[1]) easdem additiones et Epistolas scripsisse; Inquisitione et attestationibus quibus constat eundem Villanovanum a carceribus Pallatii Delphinalis presentis civitatis Viennae, quibus ob crimen dictae heresis detinebatur, obfugisse die septima eiusdem mensis, ternis literis citatoriis et excommunicatoriis per eundem R. Dominum Inquisitorem et nos Vicarium generalem, et aliis per praefatum spectabilem Dominum Vicebaillivum pro tribus edictis concessis et debite executis; Libro intitulato, Christianismi Restitutio, in quo plures continentur Tractatus, videlicet de Trinitate divina, quod in ea non sit invisibilium trium rerum[2]) illusio, Dialogi de eadem Trinitate duo, de Fide et Iustitia Regni Christi[3]) legis iustitiam superantis et de Charitate Libri tres, De orbis perditione et Christi reparatione Liber primus, De circumcisione vera cum reliquis Christi et Anti-Christi misteriis omnibus iam completis Liber secundus, de Misteriis Ecclesiae Christi et eorum efficacia Liber tertius, de Ordine misteriorum et Regeneratione Liber quartus, de Misterio Trinitatis et Veterum disciplina ad Philippum Melanctonem Apologia.

---

ledit livre à ses dépens et en avoit corrigé les épreuves: que par son ordre lui Straton en avoit envoyé le 13 de janvier cinq balles à Pierre Merrin fondeur de caractères, demeurant à Lyon près Notre-Dame de Confort.

Les juges, charmés de cette découverte, furent sur le champ l'annoncer à l'archevêque de Vienne, et le prélat en donna avis au Cardinal de Tournon. Le lendemain l'inquisiteur et le Grand-Vicaire partirent pour Lyon. Leur premier soin fut d'aller interroger Pierre Merrin. Il leur dit, sans rien déguiser, qu'il y avoit quatre mois ou environ, qu'il reçut par la barquette de Vienne cinq balles avec cette addresse: *de la part de M. Michel de Villeneufve Docteur en medecine soyent remises les presentes balles à Pierre Merrin fondeur de lettres près Notre-Dame de Confort:* que le même jour un ecclésiastique de Vienne, nommé Jacques Charmier, lui vint dire de la part dudit Villeneufve, de garder les balles jusqu'à ce que l'on vint les retirer, *et que c'estoit papier blanc*: que depuis ce tems-là il n'a eu nouvelles dudit Villeneufve, ni vu personne de sa part pour retirer les balles, et qu'il n'a jamais sçu si c'étoit papier blanc ou livres imprimés.

Après avoir pris sa déposition l'inquisiteur et le Grand-Vicaire firent enlever les cinq balles et revinrent à Vienne, où elles furent mises dans une des chambres de l'archevêché. Jacques Charmier fut ensuite interrogé. Il nia constamment d'avoir jamais sçu ce que contenoient les balles qu'il étoit allé recommander à Pierre Merrin; mais ses grandes liaisons avec Michel de Villeneufve le rendant très-suspect, on le condamna quelque tems après à trois années de prison.

Le 10 de mai l'inquisiteur fit un extrait des principales erreurs du Christianismi Restitutio *pour en faire plus aisement telles censures que de raison.*

Au mois de juin, le procès de Servet étant suffisamment instruit, le Vibaillif prononça sa sentence conformément aux conclusions du Procureur du roi.

1) *Mosheim:* est.
2) *Mosh.:* trium invis. rerum.
3) *Mosh.:* Regni, *deest.*

Visis insuper attestationibus in processu contra Balthasardum Arnoullet super impressione dicti Libri et in processu dicti Villanovani repetitis, quibus constat ipsum Villanovanum dictum Librum composuisse atque suis sumptibus et mandato a dicto Arnoullet et suis servitoribus excusum et impressum fuisse usque ad octingenta volumina, et in eodem Libro praedictas decem et septem Epistolas ad Iohannem Calvinum descriptas cum aliis usque ad numerum triginta esse insertas; Atque censura facta per praedictum Dominum Inquisitorem subsignata de pluribus erroribus in eodem Libro assertis, aliaque censura per Venerabiles et Religiosos viros nos Laurentium Molaris, Priorem Praedicatorum Viennae et Vicarium praefati R. Domini Inquisitoris, Thomam Hochard Priorem[1]) Conventus Carmelitarum Viennae, Sacrae Theologiae Doctores, Iohannem Ferretum, Fratrum Minorum Conventus Sanctae Columbae Guardianum, per quam in Consilio praefati Reverendissimi Domini Viennensis Archiepiscopi vocati censuerunt plures blasphemias et hereses praesertim in quinque Libris et duobus Dialogis de Trinitate et in secunda et tertia Epistolis praedictis et Apologia ad Melanctonem contra divinam et Sanctam Trinitatem et in Libris de Misteriis tria dumtaxat esse Apostolatus efficacia misteria, et in Libro primo Baptismum infantibus et pueris non prodesse eundem Villanovanum asseruisse ac auctoritatem summi Pontificis et totius Ecclesiae damnasse, et in Libro tertio de Misteriis multa nefanda de Missa et Altaris Misterio scripsisse atque omnes Ecclesiasticos ritus contempsisse et denique omnibus suis libris supra scriptis quamplurima narrata et asserta erronea, nefanda, impia, sacrilega, et plusquam heretica scripta esse, ex quibus constat dictum Villanovanum maximum fuisse hereticum.

Visis denique praefati Procuratoris Fiscalis conclusionibus diffinitivis et aliis totius causae meritis: Igitur de consilio Rever. Domini Archiepiscopi et Egregiorum Virorum Accessorum subscriptorum, matura habita deliberatione et cunctis accurate perpensis ex praemissis[2]) et aliis ex actis et processu resultantibus, dictum Michaelem Villanovanum hereticum atque bona eiusdem fuisse et esse Dominis Comitibus Viennae confiscata declaravimus et declaramus, detractis iudicialibus expensis factis et fiendis, in quibus ipsum condemnamus taxa nobis salva, ordinando insuper omnes et quoscunque libros praedictos per eundem Villanovanum compositos ultra iam combustos fore et esse, ubicunque reperiri possint comburendos, atque eiusdem Villanovani et Bal-

---

1) *d'Artigny:* Priorem, *deest.*
2) *Mosh.:* ex praemissis, *deest.*

thasardi Arnoullet praefati processus, attenta causae connexitate, simul fore iungendos.

Arzelerius Vicarius generalis.
Molaris Inquisitoris Vicarius.
Steph. Rolandus Officialis Accessor.
Bus Prior Carmelit. Lugduni Accessor.
Thomas Hochar.
Steph. Maronus Accessor.

Lata et lecta fuit huiusmodi supra scripta Sententia per praefatum Rdum Dominum Vicarium generalem die Sabbathi vicesima tertia mensis Decembris anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio. In Auditorio Curiae Officialatus Viennae in praesentia quoque dicti Procuratoris Fiscalis sedis Archiepiscopalis Viennae diffinitionem petentis, praesentibus in praemissis Magistris Alexandro Rolandi, Claudio Magnini, Carolo Verdoney, Humberto Ferronis, Iohanne Royer et pluribus aliis Procuratoribus et Praticariis Viennae ibidem Iudicio astantibus et me subsignato. Praemissa recepi,

Besset.

DEUXIÈME APPENDICE.

LETTRES D'OECOLAMPADE A SERVET ET SUR SERVET.

I.

Ioannes Oecolampadius Serveto Hispano, Domini spiritum precatur. [1]

Conquereris me esse tibi molestum et durum: mihi autem maior conquerendi causa est. Quasi enim otiosus essem, obtrudis mihi, quidquid de trinitate Sorbona ineptiit. Aegre fers quod Athanasium et Nazianzenum, optime meritos theologos, probem, nec tuo more confutem. Contendis, tanto tempore ecclesiam Christi a fundamento fidei suae amotam. Non pateris ut ad declarationem nominibus novis utamur: quod tamen tibi permittis, in fingendis glossis pro tuo arbitrio. Tertulliani maior est honor apud te quam totius ecclesiae. Fingis quasi nos humano more de filiatione Dei loquamur, et crudefaciamus filium Dei, aboleamusque honorem filii Dei: id quod tu cum summa blasphemia facis: deprehendo enim diabolicas illas versutias. Interim dum non summam patientiam prae me fero, dolens Iesum Christum filium Dei sic dehonestari, parum christiane tibi agere videor. In aliis mansuetus ero: in blasphemiis quae in Christum, non item. Sed paucis iterum agam et rationem fidei reddam, non ut curioso et contentioso satisfaciam, sed ne vane perpetuo glorieris.

Tu negas in una persona duas naturas: ego iuxta Ioannem dico, *verbum caro factum est.* Utique verbum et caro uni tribuuntur personae: et negari nequit, aliam esse naturam verbi, aliam carnis: neque natura verbi est natura carnis, neque natura carnis est natura verbi. Tu dicis *verbum* eatenus dici filium, ne forte verbi a filio (hominem intelligis) distincta persona censeatur. Sed iniuriam facis Patribus: nam ideo dixerunt *verbum* filium, quia omnem patris naturam in se habet. Eum et consubstantialem patri filium dicunt, et expressam imaginem substantiae illius. Et iterum iuxta Paulum, quum esset in forma Dei inanivisse se, et formam servi accepisse. Tibi vero, prolatio est ipsa carnis generatio. Ego scio, verbi prolationem ab initio fuisse, et semper esse apud Deum, non est enim verbum quin proferatur. At carnis generatio, non item: coepit enim in tempore, ut mundus ipse. Quod si non aliter dicis fuisse ab aeterno, quam mundum: egregium scilicet filium Dei dabis, si verbum non aliter fuit filius: quae est mens tua. In principio erat verbum: hoc est, in principio erat expressa imago substantiae Dei: ergo et filius, qui est illa imago invisibilis Dei, tum erat. Tu dicis, in scripturis propheticis semper futurum praedicari filium Dei. Numquid autem ideo negant fuisse filium Dei? Non fateris igitur, quod filius Dei futurus erat homo: sed homo futurus filius Dei. Quo tendit sermo ille, quam filium Dei non fuisse ante incarnationem? Quomodo igitur exiit a patre? quomodo est, antequam Abraham fieret? quomodo egressus eius ab initio a diebus aeternitatis? Tu

1) *Impr.* DD. Ioannis Oecolampadii et Huldrichi Zvinglii Epistolarum libri quatuor etc. Basil. 1536 fol. f. 1 s. *Une autre édition de cet ouvrage parut sous le titre:* Epistolae doctorum virorum quibus cum Eucharistiae et Anabaptismi negotium tum alia religionis capita . . . continentur. Basil. 1548 f. *et une troisième fut publiée par J. J. Grynaeus sous le titre:* Monumentum instaurati patrum memoria per Helvetiam regni Christi et renascentis Evangelii, id est, Epistolar. D. Io. Oecol. et Huld. Zwinglii aliorumque . . ll. quatuor. Bas. 1592. 4°. *La première éd. s'imprimait exactement à la même époque, par les soins des mêmes éditeurs que la première Institution de Calvin* (per Thomam Platterum et Balthasarem Lasium, mense Martio, a. 1536) *et il est donc très-probable que Calvin dès lors eut connaissance de la correspondance d'Oecolampade avec Servet qui y est contenue sur les premières feuilles; elle devait avoir pour lui le plus grand intérêt par suite de la première collision qu'il avait eue avec Servet à Paris, il y avait à peu près deux ans. — (Mosheim Anderw. Vers. p. 389.)*

dicis: Mundum ab aeterno fuisse dico, licet creatus sit a Deo: et idem est dicere, filius est a creatione mundi, aut ab initio, et ab aeternitate. Haec scilicet est gloria quam filio Dei tribuis, ut coaeternus sit patri sicut mundus ipse. At re ipsa tu nec patrem sinis esse. Si enim tibi filius incipit, et pater incipit. En pietatem. Is per quem condidit saecula, non aliter antecessit saecula, quam mundus ipse qui conditus est. Sic tu glorificas filium Dei.

Confessionem tuam, quae sic sonat: *Hanc fidei confessionem teneamus, quod est unus Deus omnipotens, solus, omnino simplex, et nullo modo compositus, qui verbo suo et spiritu sancto cuncta creavit et corroboravit, quia ipse dixit et fuerunt, ipse mandavit et substiterunt: et unus Dominus Iesus Christus filius Dei, aeternali verbo patris genitus, qui a Deo constitutus est nobis salvator: et eius intercessione, quia patrem rogavit, sanctus eius spiritus per ministerium angelorum nobis impartitur: et sicut Dei gloriam et potentiam, et omnia eius opera laudamus et benedicimus et glorificamus, et in nomine patris ac filii et spiritus sancti baptisamur, ad gloriam inenarrabilium Dei dispositionum, quibus pro salute nostra uti placuit*: Confessionem inquam illam tuam, simplex fortassis et nihil suspicans approbaret. Quia autem mentem tuam declarasti, ut fallacem abominor.

Fatemur et nos Deum natura simplicem, nec ullo modo compositum: sed in illa simplicissima natura tres hypostases agnoscimus, quarum diversitas naturae simplicitati minime praeiudicat. — Fatemur et nos, verbo et spiritu Dei cuncta creata: sed verbum et spiritum coaeternos confitemur patri: nec horremus dicere, quod per filium suum condidit omnia. — Fatemur et nos unum Dominum Iesum Christum filium Dei, spiritus sancti operatione mirifica conceptum: sed ante conceptionem filium Dei. Nam quamvis homo filius Dei esse coepit, non tamen idcirco antea non fuit filius Dei, Verbum. — Fatemur et nobis constitutum salvatorem, et intercessione eius spiritum sanctum a patre mitti: sed ideo, quia ipse filius Dei semen Abrahae assumpsit, factus particeps carnis et sanguinis nostri: ut factus per omnia similis fratribus, misericors sit, et fidelis pontifex, in iis quae apud Deum. — Porro quod per ministerium angelorum spiritus sanctus concedatur nobis, etiam ipsum sapit nescio quid. Spiritum enim sanctum nos Dominum dicimus angelorum, et angelos regere, seque ipsum insinuare. — Glorificamus et nos potentiam et sapientiam in creaturis Dei, absit autem, ut filium et spiritum sanctum, in cuius nomine baptisamur, inter opera, id est, creaturas ponamus: tametsi sciamus hominem Christum iuxta humanitatem, creaturam, et dare divina dona, quae creaturae Dei sunt, utpote divinae illae agitationes, quibus filii Dei a spiritu sancto et vero Deo incalescunt.

Proinde satis video, quantum tu a nobis recedas: et magis iudaisas quam gloriam Christi praedicas. Quod non calore iracundiae scribo, sed fidem Deo meo servare cupio: qui te illustret oro, ut re vera Christum filium Dei credas et confitearis: Amen.

II.

Serveto Hispano, neganti Christum esse filium Dei consubstantialem, Ioannes Oecolampadius.[1]

Obsecras ne de sacramento rem faciam. Ego vero vicissim oro, ne tu de re sacramentum solum facias. Apostolus enim vocat arcanum, quod non dum palam annuntiatum. Incarnatio quidem arcanum erat aliquando, et nondum res: Filiatio autem vere erat. Verbum enim Deo patri coaeternum est: nam in principio *erat*, et *erat* apud Deum. Non erat autem tunc solum in mysterio verbi, absque significatione naturali. Quod enim Deus erat, perfectissime erat. Erat autem in ipsomet Deo, et ita apud Deum. Et quoniam verbum totam divinitatis paternae essentiam ac naturam in se possidet ac complectitur, recte et filius dicitur Dei patris. Non enim solius carnis est nasci. An non legis: Quod natum est ex spiritu, spiritus est? Nativitatis enim et filiationis est, naturam gignentis referre: et non solum carnale initium habere. Sicut et verbum vere dicitur, quod mentem declarat, etiamsi citra fractionem aeris et flatum corporeum fiat. Ita ubique et Irenaeus: Et quoniam verbum, id est, filius semper cum patre erat, per multa demonstravimus. Adest enim ei semper verbum et sapientia, filius et spiritus, per quos et in quibus omnia libere et sponte fecit, ad quos et loquitur dicens: Faciamus hominem ad imaginem nostram; ipse a semetipso substantiam creaturarum, et exemplum factorum, et figuram in mundo ornamentorum accipiens. Et in eodem, libro 4, cap. 17: Propter hoc Iudaei excesserunt a Deo, verbum Dei non recipientes, sed putantes per seipsum, patrem sine verbo, id est, sine filio posse cognoscere Deum. Et libro 3, cap. 21: Propter hoc enim verbum homo, et qui filius Dei est, filius hominis factus est, commixtus verbo Dei,

---

1) *Impr. ibid. fol.* 1 *verso. Mosheim Anderw. Versuch p.* 391.

ut adoptionem percipiens fiat filius Dei. In eodem capite et duplicem eius generationem ponit. Item eodem capite 20 ostendimus, quia non tunc coepit filius Dei existens apud patrem. Ubi ubique apertissime verbum Dei re ipsa filium patris asserit, non solum repraesentatione futuri filii. Caeterum frivolum est, quod ab ordine arguis: quia Ioannes dicit: Ut credamus esse Iesum Christum, et esse filium Dei: quasi ut unctus est, ita et filius Dei esse coeperit, quum idem Ioannes ita palam sine tuo additamento dicat: In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est. Demum quod polliceris te perseveraturum in hac confessione, quod Iesus sit filius Dei: hortor ut fatearis filium Dei consubstantialem et coaeternum, propter unionem verbi, ut pro Christiano te habere possimus. Vale.

III.

Mich. Serveti ad Oecolampadium Epistola. [1]

Quantum soleat iratus animus (maxime in his iudicandis, quae nostrae consuetudini et rebus quas affectamus repugnant) caligare, optime puto nosti, dum claris oculis de Luthero et aliis iudicare solebas. Ea propter ne iracundiam super iracundiam tibi forte adderem, vehementer te adire timui, etiamsi hoc summe desiderem: et adibo, modo patiaris. Sine autem abs te hoc unum precer, ut ne me prohibeas, libros quos iam hic habeo paratos in Galliam mittere, cum instent nundinae Lugdunenses: hoc enim tibi magis conducit quam caeteris aliis qui in orbe sunt inauditis sententiam proferre: et si tibi videatur utilius me non hic permanere, sine dubio recedam, modo ne putes me esse fugitivum. Deus enim novit, conscientiam meam in omnibus quae scripsi fuisse sanam, etiamsi tu forte propter cruda mea verba oppositum arbitraberis, sed tibi causas, si libenter audias, exponam. Nec Lutheranorum nomine te ita graviter offendendum putavi, praecipue cum ex ore tuo audierim, Lutherum crude nimis charitatem tractare, solum enim se ea facere dicit ne sit ociosus; et nullam omnino Deum charitatis habere considerationem affirmat Melanchton. Crede mihi, intollerabilia sunt ista, quam ea quae ego dico et maior hic animarum pernicies, praecipue cum inter vos de fide vestra non constet, aliter enim propriis auribus a te declarari audivi et aliter a doctore Paulo et aliter a Luthero et aliter a Melanchtone, teque in domo tua monui, sed audire noluisti.

Regula tua de probandis spiritibus te forte decepit: nam si in tuo spiritu sit aliqua formido aut tenebrae aut confusionis pars, non poteris de meo clare iudicare, eo magis quia etiamsi in uno errantem noveris, non propterea debuisses in caeteris damnare, nam secundum hoc nemo est mortalium, qui non esset millies comburendus: ex parte enim omnes cognoscimus, et maximi Apostolorum fuerunt aliquando in errore, nec Lutherum in caeteris damnas, etiamsi eum errare optime videas, et ego a te doceri petebam, quod tamen non fecisti sed me prodisti [1]) etc. Conditionis humanae ea est infirmitas, ut nostris exceptis, caeterorum spiritus iudicemus impostores et impios, nam errata sua nullus intelligit. Secundo te per Deum oro, ut nomini meo et famae parcas. Noli de aliis, quae praesentem quaestionem non concernunt, movere tumultum. Dicis: me velle quod omnes sint latrones et quod nullus sit puniendus aut interficiendus; testem invoco omnipotentem Deum, quod non sim in hac sententia, immo eam omnino detestor, sed si quid aliquando dixi, est quia grave mihi videbatur interfici homines, eo quod in quaestione aliqua circa intellectum Scripturae sint in errore, cum sciamus inducendos fore in errorem etiam electos. Satis nosti me causam meam non ita irrationabiliter tractare, ut sim eo modo reiiciendus. Tibi non magnum visum est, quod angelum intellexeris Spiritum Sanctum et mihi erit magnum facinus, quod hominem dicam esse filium Dei. Vale.

Michael Serveto.

---

1) *Impr. Epistolae ab Ecclesiae Helvetiae Reformatoribus vel ad eos scriptae. Centur. prima. Ex autogr. ed. I. C. Fueslinus. Tig.* 1742. 8°. *p.* 77 *s.* — *Mosheim Anderw. Versuch p.* 392 *s.*

1) *sic. Legendum esse videtur:* prodidisti.

IV.

Oecolampadii de Serveti libello de Trinitatis erroribus Iudicium, Senatui Basiliensi expositum.[1]

Edlen Strengen Frommen Vhesten Fursichtigen Ersamen Wisen, sunder gunstig lieb Herren, vnd Christlich Obernn.

Demnach als V. Ersz. W. von mir begeret hat, was ich halte von dem nuw vszgangnen buchli Michaels Seruet, von der Tryfaltigtigkeit (*sic*), will ich als ein ghorsamer, disz nit verhalten, vnnd uff das kurtzist anzeigen, vermeine nit das an mich begert werde, das gantz buch zu verdollmetschen, oder mit gschrifften wider legen, dann es vil muhe wurd bruchen, die will jm truck by xx. vnd hundert bletli sind,[2] wär es uwer Ersz. W. uberlegen zehören, zuuorab so es vill vnuerstentlicher Materien inhelt, mit vermischung der sprachen vnnd der philosophy, gmeinem Mann vnerkant. Ich hab es mit flisz durchleszen, vnnd erfind, das der gůt mann (soll ich jnn anders also nennenn) die arbeit woll gespart hett, dann er das klar nit weniger verdunckelt, dann das Dunckel erklert, haspelt vil vndereinander, widerspricht offtermall sym selbs, zicht[3] die Christelichen leerer, das sie nit verdient hand. In vilen orten hat er wortstrit, mag etlich wort von andern nit liden, deren doch er selbs, wo sie jm geliebenn gbrucht. Aber das alles wär ein kleins, wo er nit so grob die Houptgrund vnsers[4]) gloubes antastet. Er gibt woll fur, sin furnemlich meynung sye, das er leere, wie Iesus sy Christus, vnnd ein son gottes, ouch gott. So man es aber jm licht bsicht, so nympt er hinweg die furnemlich vrsach darum wir jnn fur ein gottes sun halten, dann er nit zu lasset das gott der vatter hab ein Naturlichen son, der gliches weses mit jm von ewigkeit an, das biszher von allenn Christen onwidersprochen ist. Nennet jnn allein darumm Gottes son, das er von dem heiligen geist entpfangen, vnnd das die gotheit etwas vbertreffelicher jn jm gewonet hat. das aber gott von Ewigkeit hab ein son gehabt vnd hab, glichwesenlich vnnd einer Natur, wurt von jm so vil als verspottet[1]) mit fragen, wo got hab ein wib ghabt, ob er mit ein, wib vnd mann sy? Es mag nicht geborn werden dann fleisch.[2]) Nun ist aber kundtpar, das man von der götlichen geburt Christi nit jn fleischlicher wysz redet, vnnd bedarff desz gegenwurffs gantz nicht. Aber darumm ist er gottes son vor aller zit, diewill die warheit götlicher Natur jn jm von ewigkeit an, als jn genant hand die alten, das liecht von dem liecht, dann wir menschen liplicher nammen bedörffen.[3]) Iedoch begert er sin ergerisch leer zuuertrechen mit etlichen gloszen,[4]) als sye Iesus ein son gottes mit ewiger gegenwurtigkeit by gott, vnd jm geist sy er vor den welten, diewil er von Gott also fursechen ist,[5]) das er zu grosser wurde gefuret werden sölte. Aber das will nit herusz,[6]) das der son einer Natur sy mit gott, von ewigkeit an. Vnnd so er ansicht den onuberwindtlichenn spruch Ioannis, Das wort ist fleisch worden, so wolte er den spruch gern dahin deuten, das das fursehen wort[7]) also zu fleisch worden. dann er will nit gedulden das in einer person, wie wir reden, zwo Natur vereinbaret syen, Oder das zwo person vereinbaret syen in Christo, machen ein person vnd ein son, vnd das das wort einer Natur, vnd das fleisch einer ander Natur sye, vnd das die zwey ein person, wiewoll er sunst fry beston musz, das das wort jm anfang was by gott. Aber die ewig geburt desz wortes heltet er fur ein troum, am xxxix blatt, do er die Christelichen leerer fur närrischer helt dann die Valentinische kätzer. er helt sy ouch fur Nestorianer. Deszglichen redet er ouch vom heiligen geist, als sye vszerhalb dem menschen kein heiliger geist, vnd so ein nutzbarlichste regul ist die gschrifft zuuerston, genant Communicatio (*sic*) idiomatum, ist souil als mitteilung der eygenschafft, dardurch erkennet wurd die einigkeit der person Christi jn zweien Naturen, das begert er vmm vnd vmm zusturtzenn, dann er sichet das sin jrrsall dar for nit beston mag.

Es ist ouch ein bsunder schweres, das er sich

---

1) Hoc Consilium „a quodam Oecolampadii studioso latinitate donatum" impressum exstat in: Oecolampadii et Huld. Zwinglii Epistol. Basil. 1536 fol. 18a et in edit. 1592 p. 83. Mosheim Anderweit. Versuch p. 394. Autographum Oecolampadii cuius textum hic damus asservatur in scrinio Reipubl. Basiliensis: St. 75. Religionssachen von 1530 bis 1546. B. Nr. 3.

2) *Translatio addit:* libellus typis etiam minoribus descriptus.

3) *Transl.:* Doctores orthodoxos de non paucis quae nunquam commeruere incusat.

4) *Transl.:* fidei vestrae.

1) *Transl.:* quanquam dissimulanter id quidem.

2) *Transl. haec verba etiam interrogative ponit:* aliudne gigni quam caro et sanguis possit?

3) *Transl. addit:* per intellectus nostri imbecillitatem.

4) *Transl.:* glossis quibusdam et verborum ambagibus praetexere cupit.

5) *Transl.:* ita praedestinatus ut ad maiorem dignitatem aliquando reduceretur.

6) *Transl.:* Verum ad illud confitendum subinde tergiversatur.

7) *Transl.:* quod praedestinatio illius ac verbum.

also jnn die Trifaltigkeit jnlaszet, vnnd so wir vor allem vnns bezugen[1]) das wir nit mer dann jn ein vnzertrennlichen Gott glouben, furet er Argument jnher, glich als bekenten wir vil götter, das doch gantz nit volget, ob wir schon jn eyner götlichen Natur erkennen, den vatter vnnd den son vnnd den heiligen geist. Nun ist Christus, als er, Christus selbs, sagt, Ich vnnd der vatter sind eins, nit allein mit dem willen vnd gwalt, sunder ouch der natur nach eins mit dem vatter. Dann gott der vatter ein Houpt ist Christi, darumm ouch einer Natur, dann er hatt entpfangen das leben zu haben jn jm selbs wie der vatter, er erweckt von den todten wie der vatter etc. Inn disem buchli lasset der woll widerumm zu, es syen ansehung[2]) vnnd nemlich dry person in einer gotheit, aber sin zugsetzt gloszen vnnd widerfechtung, ouch probierende argument,[3]) geben zuuerston, das er die als zufellig etlicher masz setzet, ja also als möchten dero vil mer syn, wo got wölte in ander weg sich offenbaren. Darumm er gantz noch helt noch redt, wie es vonn Appostlen her gehalten ist wordenn. Auch etlich leerer, so er anzucht, sindt nit mit jm drann, ja wider jnn, als Tertullianus vnnd Irenaeus.

Er hat sunst woll etlich nutzlich ding dar jn[4]) gemischt, aber der zusatz macht es schedlich. Darumm, bsunder gunstigen Herren, vil vrsach halben, mag mir solchs buch nit gfallen. Gott gebe jm es zu erkennen, wie er sich jnlaszet jnn sachen vber aller menschen verstand. Vwer Ersz. W. mag deren sachenhalb ouch ander verhören, vnd demnach handeln, was der Eer gottes am furderlichsten. Die bucher wär gůt das sy eintweder gantz vndertruckt wurden, oder gelesen von denen die sich der nit miszbruchten. Wo der so jrsälig gschribenn mit gschrifften sin jrsal bekante vnd widerfechte,[5]) wär jm als einem menschen,[6]) sin fall nit so hoch zuschetzen.[7]) Hie mit will ich mich uwer Ersz. Wiszheit befolen han etc.[8])

E. E. W.

williger Ioannes
Ecolampad.

1) *Transl.:* et cum ante omnia certis testimoniis confiteamur.
2) *Transl.:* admittit esse respectus: nempe in una deitate tres personas.
3) et argumenta tam contrarium impugnantia, quam institutum suum confirmantia.
4) *Transl.:* libello admiscuit.
5) retractarit.
6) *Transl. addit*: ignoscendum.
7) *Add.:* Verum haec ego Prudentiae vestrae lubens expendenda relinquo.
8) *Hoc iudicium conscriptum esse anno* 1531, *paulo post nundinas Iunii, ex Oecolampadii epistola* 18 *Iulii huius anni ad Bucerum, colligitur.*

V.

Ioannes Oecolampadius Bucero suo.[1])

Salve. Domum redii, itinere per Constantiam facto: ubi die uno quievi, exoratus ut illic concioner, et datus est mihi comes itineris Conradus Zwiccius. Salva domi omnia reperi, praeter disciplinam ecclesiasticam, quae minus severiter servata: sed iterum arrecti sunt censorum animi. Triginta coronati mittuntur pro Zieglero, quorum quindecim vestra liberalitas numeravit: sex miserunt Tigurini, nostri novem additis summam impleverunt.

Capito scripsit, librum De trinitatis erroribus isthic in nundinis venalem fuisse: quem accepi quibusdam non Ecclesiastis, imo nec Ecclesiasticis, sed Ecclesiam nostram abhorrentibus, mirum in modum placuisse. Secerius[2]) gloriatus est, vel hoc nomine eximium librum quia nobis concionatoribus displiciturus sit: quasi scilicet Luthero probetur, qui Marpurgi obiiciebat de nobis tale quid sparsum esse. Dolet mihi nomine Gallicanarum Ecclesiarum et aliarum infirmiuscularum: quae novo motu stupefactae, nos quasi autores essemus tantarum blasphemiarum, abominabuntur. Leges nimirum librum et sententiam tuam ad me scribes. Vereor, ut hodie plurimae leves mentes sunt, et hunc reperturum furoris sui astipulatores. Verum Christi negotium est: is bene in gloriam suam moderabitur. Sed prodesset in scintilla incendium quod expectatur opprimi. Nisi tam obstinato mentis proposito Iobum absolvere decrevissem, etiam ipse in hac re fidei meae rationem essem redditurus. Nunc autem ociosioribus relinquam, magisque exercitatis. Vale. Basileae 18. Iulii 1531.

Spem fecerat Scriba propediem hinc abeundi: sed diutius, ut vides, moratus est. Interim cum Grynaeo multa amice egi, quem gaudeo tam bene habitum apud Anglos. Causam matrimonii regii apud vos habet, vellet et a me lectam: ut meum quoque qualecunque iudicium cognosceret. Curabis igitur ut nobis aliquando communicetur: imo quamprimum commode potes.

Senatus librum Hispanicum de Trinitatis erroribus vendi hic prohibuit: quo impulsore factum sit nescio. Petiit a me quid de eo sentiam. Cui ego: Quia Hispanus non agnoscit coaeternum patri filium, me nequaquam posse approbare, etiamsi multa alia bona scribat. Prodiit et alius libellus

1) *Impr. DD. Io. Oecolamp. et H. Zvinglii Epist. ll. quatuor Bas.* 1536 *f.* 187.
2) *Typographus Hagenoensis.*

ex vestratium typographorum officina pro Catabaptistis, quibus veri ministri verbi ut seductores accusantur. Opus foret circumspectione maiore, ne cuivis quidvis audendi esset licentia.

VI.

Ioannes Oecolampadius Martino Bucero Salutem.[1])

Salve mi Bucere. Frater hic exul Christi N. commendari fraternitati vestrae cupit: quem hoc nomine commendamus, quandoquidem nobis a Tigurinis et Bernatibus aliquantum commendatus est. Ziegleri negotium arbitrabar expeditum, putabamque scribae nostro datam pecuniam. Denuo igitur urgebo ut quamprimum pecunia nobis numeretur.

Invisi hac hebdomade Bernates, qui te et Capitonem salutant plurimum. Libellus de Trinitatis erroribus a quibusdam ex illis visus duntaxat, supramodum offendit. Vellent[2]) te scribere Luthero quod nobis insciis liber alibi excusus sit. Impudentia enim erat adscribere Lutheranis, iustificationis rationem eos ignorare: ut de reliquis taceam. Sed Photinianus ille, vel nescio cuius sectae homo, solus sapere sibi videtur. Nisi ab Ecclesiae nostrae doctoribus explodetur, pessime auditura est. Tu prae aliis oro vigiles: et si non alibi certe in confutatione tua ad Imperatorem Ecclesias nostras excusa, utcunque haec bestia irrepserit. Abutitur omnibus in suum sensum, tantum ne confiteatur filium coaeternum patri et consubstantialem. Atque hic est qui suscipit probandum, hominem Christum esse filium Dei.

Redeo ad Iobum, sed occupationes vix sinent ut lineam quoque die ducam. Lectionem theologicam aliter instituimus, omnium fratrum consensu. Una hebdomade in veteri praeleget Munsterus, textum enarrandum hebraice iuxta grammaticen: altera in novo Grynaeus. Mihi iniunctum utrumque, latine enarrando mentem, quoad fieri potest, scripturae eruere. Paulo[3]) incumbet epilogum vernaculo sermone afferre. Fortassis praesentia nostra perpetua auditorium frequentius erit. Saluta Capitonem et fratres. De Ulmensibus si quid acceperis scribito: ego interim nihil accepi. Quinta Augusti 1531.

1) *Ex Apogr. Mss. Bibl. Seminar. Protest. Argentor. — Impr. in DD. Io. Oecol. et Zvinglii Epist. ll. quatuor. Bas.* 1536 f. 173.
2) *Impr.* Vellem.
3) *Scil. Phrygioni.*

VII.

Martinus Bucerus Serveto.[1])

S. Si mea opera, quam fateor in sacris praetenuem, te iuvari posse sperasses, decuerat me ante editionem libri consulere. Sed quod factum est infectum fieri non potest. Indicavi tibi nuper mihi horrendum sonare dicere „Verbum umbra Christi fuit" et „Verbum desiit." Scriptura quae huc monet est: per ipsum sunt facta omnia. Dixi detestari me quod vexes Patres in re tanta, tanto cum offendiculo, cum aut re ipsa cum eis facis, aut nihil nisi hominem qui in tempore coepit in Christo agnoscis, eoque negas illud: per Christum sunt condita omnia, quod Apostoli affirmant. Praeterea probare non possim, quod falso Lutheranos accusas quasi perperam loquantur de fide, quam tamen syncerissime docent, quia verbis et sententiis Paulinis. Paratus verum sum, ubi publico isto labore quo nunc implicitus sum[2]) expediar, tibi fuse et de singulis meas rationes ostendere ob quas tecum non facio. Nullam igitur ex me expectabis iniuriam, nedum maximam. Quod autem dicis, te velle hic expectare, monui antea te, ne te proderes. Haud enim feret te magistratus si de te rescierit, ut equidem arbitror. Mihi alioqui, si neminem turbes hic, aut seducas, molestum adeo non est tamdiu te hic manere, ut etiam optem tibi illud licere, quo ad verbum omnia tua excutere tibi possim. Vale: volo quae videntur ironikωs a te scripta esse, simpliciter intelligere.[3])

M. Bucerus.

1) *Ex Mss. Arch. Seminar. Protest. Argentor. — Impr. Röhrich Gesch. der Reform. im Elsass Th.* 2, *p.* 272. *Inscriptionem epistola non habet.*
2) *Innuit sane per hunc publicum laborem Apologiam Confessionis Tetrapolitanae quae sequenti mense Augusto una cum ista Confessione in lucem prodiit anno* 1531. *V. Bucerus Blaurerò* 29 *Iul.* 1531. *Cf. Baum Capito u. Butzer p.* 471.
3) *Haec epistola ad annum* 1531 *pertinere videtur. Non multo post editum librum de Trinitatis erroribus scripta est. Vide infra Blaurerum Bucero* 23 *Decemb.* 1531. *Item Grynaeum Bucero* 30 *Dec.* 1531.

VIII.

Eiusdem eidem.[1]

D. Michaeli Reves in Domino dilecto.

G. et P. Vigesima septima Martii accepi abs te literas, Michael dilecte. Is qui attulit eas ad me non rediit: hodie demum responsum petiit. Id sic habe. Flagellas initio me, quod mihi solus sapere videar. Quid sibi uterque videtur Dominus novit et iudicabit: nostrum iudicium secundum dicta et facta fieri debet. Confutavi tua ut, coram Domino, me posse et debere persuasus sum. Ea licet refutet qui potest et vult. Iustus sua fide, non aliena vivit.

Accusas me quod adoptionem filiorum Dei non facio propriam adventui Christi in carnem, et adducis contra me, ut tibi videtur, Paulum dicentem: Christum advenisse ut eos redimeret qui erant obnoxii legi. Ita ex his colligis, id ad quod Deus misit filium suum ut fieret, non fuit factum antea, misit filium suum ut adoptionem filiorum acciperent qui erant sub lege: ergo ea ante non fuit. Respondeo, non fuit ita, ut Christus eam attulit: at omnino non fuisse adoptionem in filios Dei etiam antea. Id vero Paulus pernegat, non ego. Quorum inquit est adoptio, Rom. 9, et quoties cum scripturis vocantur filii Dei Israelitae, Deus pater eorum. Si iam filii Dei etiam ante Christum incarnatum, mirum si non adoptati. Crediderunt veteres et crediderunt in Christum licet venturum, at his qui credunt in eum, his dat filios Dei fieri. Eadem olea est in quam nos inserti ex oleastro, cum illi fuerunt rami naturales, Rom. 11. Christus fuit et mediatorem egit etiam antequam in carnem veniret, sed post incarnationem omnia adeo plenius quam antea praestitit, ut dicatur innovasse omnia.

De Eucharistia si mea amice legisses, sic me non flagellares, haud enim video quid inter tuam et meam sententiam intersit. Ego in omnibus scriptis meis testor, praecipuum in coena esse exhibitionem corporis et sanguinis Christi realissimam, quia coelestem et spiritualem. Nec unquam aliud oppugnavi quam impanationem et carnalem manducationem. Realem et efficacem nunquam negavi. Nihilominus tamen tropus est in verbis Domini, quia plus intelligitur quam dicitur. Panis ostenditur et praebetur sensibus et simul fidei exhibetur et traditur corpus Domini, hoc est Domini communio: ut simus membra eius de carne eius et de ossibus eius. Haec volui respondere ad tua. Absit ut ego a coena Christianorum dicam abesse Christum. Ipse sit inter nos et doceat modeste de omnibus eius mysteriis inquirere, et id invenire ut vivamus in ipso et ipse in nobis. Quod Capitoni scripsisti modo ad manum non fuit. Vale in Christo. Arg. viij Iulii.[1]

M. Bucerus tuus.

1) *Ex Mss. Arch. Sem. Prot. Argent.* — *Impr. Röhrich l. l. p.* 272 *s.*

1) *Manus Conr. Huberti in margine adscribit ann.* 1532 *et* 1533.

IX.

Ambrosius Blaurerus Bucero.[2]

(Sine inscriptione.)

Nosti, charissime Bucere, cuiusmodi virulentum libellum expuerit Hispanus quidam Michael de Trinitatis erroribus, quod cum audiam . . . . . .[3]) probari, tuarum partium erit hunc, omnibus tentatis, in viam revocare, ne longius rapiatur iudaicis istis nugamentis, vel enim nihil ego sapio vel scripsit nebulo iste pestilentissimas in Christum nostrum blasphemias: atque hic tuum iudicium avidus expecto, quod ut ad me perscribas te vehementer etiam atque iterum obsecro et obtestor. Gliscunt adhuc multa id genus dogmata apud anabaptistas quosdam, ut hic etiam nocentissimum offenderim huius rei seminarium. Actum erit omnino de ecclesiae unitate nisi hic summo studio advigilemus, ne cuivis quidvis in vulgus spargere liceat neve sparsum iam diutius inhaereat. — — —

Bene vale. Esslingiaci 23 Decembris 31.

Ambrosius T.

2) *Ex Mss. Arch. Seminar. Prot. Argentor. Lettres diverses XVI siècle Tom. A.*

3) *Hic duo vel tria verba fortasse manu ipsius Huberti sic deleta atque obliterata ut omnino legi non possint. Fortasse ista deleta verba innuebant nonnullos theologos aliosve viros doctos quorum famam his verbis dilacerari nolebat.*

X.

Grynaeus Bucero. [1])

S. S. Fuit Capito apud nos. Praelegendi provinciam mihi imposuerunt. Sustinebo tantisper dum rebus consulatur recte. De Trinitate libellum qui exiit, si legisti (nam ipse nunquam legi) volo ut mihi quamprimum sententiam tuam scribas: videtur insanum cerebrum. Sed tamen quod non absque divina voluntate exerceat ignaviam in scriptura nostram et saturitatem, semper Oecolampadium interrogarat, saepe Capitonem, ex quibus si nihil accepit aliud, non est mirum si ista scribit. Sed ex me facio coniecturam, id genus argumenti, nostri nunc theologi nihil ad se pertinere putant. Ita locus temerariis istis fit. Scribe statim. Iacobum [1]) saluta, nunc nihil potui scribere. Vale. 31. decemb. 30. [2]) Capitonis adhortatio placuit mihi vehementer et iuvit. Ora pro me dominum

Symon Grynaeus tuus.

1) *Ex Mss. Arch. Seminar. Prot. Argentor. Lett. div. T. G.*

1) *Scil. Sturmium.*
2) *Id est: die* 30 *Dec. anni* 31.

BRUNSVIGAE, TYPIS M. BRUHNII.

